






THESAURUS
ROMANARUM
ANTIQUITATUM
VOL. III.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
ROMANARUM,

CONGESTUS

a

JOANNE GEORGIO GRÆVIO.

ACCESSERUNT

Variæ & accuratæ tabulæ æneæ.

VOLUMEN TERTIUM.



VENETIIS,
Typis BARTHOLOMÆI JAVARINA.

M. DCC. XXXII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO EXCELLENTISS. SENATUS.

JOANNIS GEORGII GRAEVII
PROLEGOMENA.


IDES in hoc tomo, benevole lector, primo loco positas Francisci Robortelli, qui superiore seculo litteras humaniores Patavii & Bononiæ docuit magno cum applausu, ut ii testantur, qui eum audiverunt, graves quoque cum Carolo Sigonio simultates exercuit, quo tamen doctrina & ingenio longe inferior erat, de provinciis, de judiciis, de magistratibus Imperatorum, de gradibus honorum & magistratuum, & de mensium ex nominibus Imperatorum appellatione. Has excipit libellus Junii Rabirii Galli de hastarum & auctionum origine, nec non Guidi Pancirolli Itali, qui magno concursu Juris Civilis Romani disciplinam Taurini, & bis diverso tempore Patavii docuit, editisque non paucis eruditis ingenii monumentis nemini paullo humaniori est ignotus, de magistratibus municipalibus & corporibus artificum dissertationes. Hæc omnia pertinebant ad secundum tomum, sed cum vererentur librarii, ne nimis ille intumesceret, in hunc illa rejecere. Hoc jus enim ordinandi & constituendi, quicquid ad externum librorum cultum pertinet, isti sibi vindicant, quamvis editoribus nonnunquam minus probentur. Tum sequuntur, quæ proprie hunc tomum spectant. In hunc congessimus scriptores, qui & præcedente, & hoc nostro seculo indagarunt Romæ Veteris situm, ambitum, regiones, montes, aquas, portas, vias, vicos, insulas, domos. Primo loco habes Sexti Rufi, qui vixit tempore Valentiniani Imperatoris, & P. Victoris, cujus ætas est incerta, libellos de regionibus Urbis, & Onuphrii Panvinii Eremitæ Augustiniani in eos commentarium, quem invenies in descriptione Urbis. Sequitur Bartholomæi Marliani Equitis D. Petri Romæ topographia, cujus marginibus vir doctus adscripserat notas elegante manu, quam Fulvii Ursini esse testabantur Romæ, qui eam se nosse prædicabant. Quod tamen mihi persuadere non possum. Fulvii enim ingenium & eruditionem non redolent, quamvis non ineruditæ multis in locis sint hæ animadversiones, sed dignæ, quæ lucem adspiciant. Has nobiscum perquam liberaliter & amice communicavit Vir Amplissimus Joannes de Wit. Nam istam Marliani topographiam cum his annotationibus ex Italia, ut plurimos alios exquisitissimæ raritatis & bonitatis tam manu exaratos, quam editos libros secum adportavit Vir dignitate, virtute & doctrina præcellens, qui nunc numerosissimam ejus bibliothecam ornant & vario Musici instrumenti apparatu instructissimam. Multi fuerunt, qui ante Marlianum in describenda Roma vetere studium & operam collocarunt, sed horum

lucubrationes pro captu illorum temporum ſunt rudiores, quam ut nunc revocari debuerint in lucem in tanta eruditionis luce. Ipſe Marlianus ægre in hunc numerum fuit admiſſus, qui cum maxime denuo divulgantur, quoniam poſteriores accuratius & doctius in hoc argumento ſunt verſati, ſed cum ab iſtis ſæpiſſime laudetur, & in paucorum manibus ſit, noluimus eum deſiderari. Poſt eum accipis Onuphrii Panvinii Urbis deſcriptionem, de qua leges ejus præfationem. Onuphrio ſubnectitur Guidi Pancirolli ejuſdem Urbis deſcriptio, & de illius XIV regionibus & ædificiis commentarius. Nec prætermiſimus Georgii Fabricii Chemnicenſis, politiſſimi ſuæ memoriæ hominis, Romam, qui quidem Panvinio & Pancirollo eſt antiquior, fuit enim æqualis Marliano, eoque, cum Romæ verſaretur, uſus eſt familiariter, ſed tamen obſervavit multa non protrita, ut ſemper iſte liber fuerit Viris elegantibus in deliciis. His accedit Alexandri Donati e Societate Jeſu vetus ac recens Roma, qui priores longo intervallo poſt ſe reliquit, ſive ſtudium anxie & magna cura perveſtigandi Urbis ſitum, loca, & mœnia, ſive ingenium, & eruditionem ſpectes, & in lectione veterum ſcriptorum diligentiam. In ſequente tomo videbis Viri Nobiliſſimi, Famiani Nardini, qui omnium poſtremus, ſed doctrina primus Romæ illuſtrandæ manus admovit, præclarum opus, quod cum eſſet ponderoſius, in hoc volumine ceteris annecti non potuit. Nunc paucula in hoc tomo a nobis in tranſcurſu obſervata ſubjiciemus, ut magis aliorum voluntati morem geramus, quam animo noſtro, etſi uberrima notarum meſſis ſuppetat, præſertim in Robortelli libris, quos ſola raritas commendat. Sed ejus errores jam ante caſtigavit Carolus Sigonius aliique. In Junii Rabirii de auctionum origine p. XX, corruptiſſime leguntur verba XII tabularum, ex Gellii XX. I. de debitoribus, qui addicti ſunt creditoribus, quæ ut legenda ſint, in editionibus melioribus videbis. Ibidem locum Ciceronis ex V. ad Atticum epiſtola ultima peſſime refert ad illud tempus Rabirius, quo Cæſar poſt bella civilia rationem excogitavit creditoribus ſatisfaciendi æſtimatis bonis debitorum, quanti fuiſſent ante bellum, cum Cicero ſcripſerit illam epiſtolam in Cilicia, Cæſar vero nondum exceſſiſſet ex Gallia, ante belli civilis initia. Locus vero ille quomodo legendus ſit & intelligendus, vide in notis meis. In ſequente pag. XXI, cum ſcribit Rabirius, debitores ad columnas, in quibus Principum ſtatuæ fuerint poſitæ, tanquam ad aſylum confugiſſe, falſum eſt, nec ullius auctoritate veteris ſcriptoris firmari poteſt. Potuiſſe ad illas confugere debitorem, cum in publico creditor illum perſequeretur, ut in jus invitum raperet, non negem; ſed eo confugiſſe, loca, quæ affert, non docent. In Cicerone pro P. Seſtio: *Olim ne Scyllæo illo æris alieni freto ad columnam adhæreſceret, in tribunatus portum confugerat*, eſt ἀλληγορικὸν & hoc vult, ne ære alieno preſſus ad columnam Mæniam in jus vocaretur, & ibi damnatus a judicibus periret, perinde ac navis in freto Siculo perit, cum ad ſcopulum impingit & adhæreſcit, tribunatum petiit plebis. Quam diu enim tribunus plebis erat, in jus vocari non poterat. Quod locus ille Valerii Maximi ex libro VI. cap. 6. de Lucio Cotta tribuno plebis, qui ſuis creditoribus ſatisfacere nolebat, tribunatu fretus, ad quem confugerat, non ad columnas Principis, declarat,

quem inferius produxit. Multo minus de his Principum columnis loquitur Ulpianus, cum ait: *eum, qui circa columnas ſe occultet, ut creditorem evitet, latitare placet*. Sunt enim hæ columnæ, quibus ſe occultare ſolebant debitores, non ſolæ Principum baſes, ſed quævis aliæ columnæ, quarum erat in foro magnus numerus, poſt quas latitabant, cum creditorem ſibi occurſurum aut viderent aut vererentur. Vide Cujacii obſervat. I. 13. Cum narrat ibidem Rabirius jus nexus fuiſſe teſte Livio libro VIII, anno V. C. 428, ſublatum, ob Lucii Papirii fœneratoris libidinem ac crudelitatem, ut in poſterum bona, non corpus debitoris eſſet obnoxium creditori, verum quidem eſt, ſed tamen illa lex poſt obſolevit, & deſuetudine quaſi fuit antiquata. Nam ſæpe fit mentio nexorum cauſſa crediti apud ſcriptores, qui diu poſt hæc tempora vixerunt. Sane apud Salluſtium in bello Catilinario legati, quos C. Manlius ad Marcium Regem mittit, de hac fœneratorum ſævitia valde queruntur: *Deos hominesque teſtamur, Imperator, nos arma neque contra patriam cepiſſe, neque quo periculum aliis faceremus, ſed uti corpora noſtra ab injuria tuta forent: quia miſeri, egentes, violentia atque crudelitate fœneratorum plerique patria, ſed omnes fama atque fortunis expertes ſumus: neque cuiquam noſtrum licuit more majorum lege uti, neque amiſſo patrimonio corpus liberum habere. tanta ſævitia fœneratorum atque prætoris fuit*. Vides hic debitores queri, ſe corpus liberum non habere, ſed id obnoxium fuiſſe creditori, hoc eſt, fuiſſe creditori addictum, ut apud eum propter debita non ſoluta, ſervitutem ſerviret, idque ſententia Prætoris, de cujus crudelitate propter hanc ſententiam latam æque queruntur legati Manliani, ac de fœneratorum. Sextus Cæcilius apud Gellium XX, I, ubi diſputat de lege XII tabularum, qua ſancitur debitorum qui pluribus creditoribus deberent, corpora ſecanda eſſe, ait: *Addici nunc* (ætate Gellii) *& vinciri multos vidimus*. Sed alia quoque ſunt hujus rei teſtimonia. Multis de hac lege XII tabularum diſputavit Cl. Salmaſius ὁ πάνυ, de modo uſurarum cap. XVIII, & XIX, quem adito. In loco Ciceronis in II, de officiis, *dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint, & ſperabunt, quam Publius Sulla cum vibraſſet, dictatore propinquo ſuo, idem trigeſimo & ſexto anno poſt a ſceleratiore haſta non receſſit*, perperam ait ſceleratam & cruentam haſtam dici, quod ſceleratorum opes commiſſas & publicatas, vel bello vel ſanguine denique quæſitas, ſub haſta venire moris fuerit. Imo ſcelerata haſta & cruenta dicitur, tam quæ Sullæ, quam quæ Julii Cæſaris tempore vibrata eſt, quod ſceleſte venderentur bona civium, qui in bello civili a partibus adverſariorum ſteterant, & aut in præliis perierant, aut proſcriptione. Cur haſta ſit auctionis inſigne inquirit, & ait fuiſſe haſtam fortitudinis inſigne, quia haſta ſuam auctoritatem tueantur Reges & Principes, & belli jure ſibi vindicent aliena, ideoque haſtam quoque poni, ut emptores cognoſcant, ſe has res, quas ſub haſta emant, optimo jure empturos ac poſſeſſuros, perinde ac ſi res bello quæſitas emant. Non longe ab hac ſententia Hottomannus abit, qui putat haſtæ ſigno indicare voluiſſe Pop. Rom. evictionem earum rerum belli & armorum periculo ſe præſtiturum. Sed mihi haſta poteſtatis ſignum & ſymbolum videtur, ideoque tribuebatur diis,

& deorum ſimulacris haſtæ addebantur, ut non ſolum Juſtinus dicit lib. 43, ſed & videre licet in nummis & aliis antiquis monumentis, multiſque oſtendit Illuſtris & Ampliſſimus Cuperus in apotheoſi Homerica. A diis tranſiit ad Reges diis proximos. Hinc etiam in rep. conſules & triumphantes, qui quaſi Regum perſonam in republica ſuſtinent, utebantur ſceptro eburneo, quod haſtæ ligneæ ſucceſſit. Sed & judicia centumviralia exercebantur haſta in foro poſita, unde Suet. Aug. 34. *Centumviralem haſtam cogere*. Et Lucanus ad Piſonem:

Seu trepidos ad jura decem citat haſta virorum,
Seu firmare jubet centeno judice cauſſam.

Sic quoque vectigalia locabantur a cenſoribus ſub haſta. Nec alia ratione, qui in auctione publica vendebant bona, ſive capta in bello, ſive haſtæ adjudicata aut a Conſulibus & Senatu, ſive a judicibus, ſive a dictatore, poteſtatis ſibi factæ indicium haſtam ponebant in foro, ut ſine periculo illa emi poſſe ſignificarent. Si in privatorum auctionibus haſtæ quoque ſunt poſitæ, ut ex C. Nepotis Attico, Ambroſio de Jejunio cap. 8. & Prudentii loco in Pſychomachia erudite colligit J. Fr. Gronovius apud Cl. Antonium Mattheum de Auctionibus cap. 1. nihil aliud indicarunt, quam eandem ſibi poteſtatem eſſe ſua bona vendendi, quam ſit illorum, qui auctoritate publica vendunt aliorum bona.

P. xxx. Ubi de ſignis & inſignibus diſputat, mire confundit ſigna militaria, & ſigna, quibus aliquid obſignatur, ut ſalvum maneat. Apud Plautum in Caſina:

Vide fur ut ſontes ſub ſignis ducas.

Sic enim legitur in omnibus libris & melioribus editionibus. Sententia eſt, Vide fur, ut ſervos tuos, qui & ipſi fures ſunt, contineas ne furentur. Qui enim milites ſub ſignis ducunt, eos coercent, ne evagentur & prædatum eant. Hæc ſigna militaria intellexit quoque Horatius lib. 1. epiſt. 18.

Sub duce qui templis Parthorum ſigna refixit.

hoc eſt, ſub Auguſto, qui effecit, ut Rex Parthorum ſigna legionum Romanarum, quæ Craſſi clade ceperat, & in ſuis templis victoriæ argumenta fixerat, refigeret, tolleret, & Auguſto mitteret. Num hæc verba innuunt, quod Rabirius affirmat, illius imperii dignitatem infringi ac debilitari, cujus ſigna dicantur refigi ac diripi? Non Parthici imperii ſigna refixit Auguſtus, ſed ſigna Romana in Parthorum templis ſuſpenſa. Hæc nemini poſſunt eſſe obſcura, &, ſi per ſe non lucerent, ſatis clare ſignificant, quæ in eandem ſententia maſſert Rabirius ex Horat. Carm. 4. Od. 15. Paullo ante mirabar Rabirium ex Virgilii duobus locis oſtendere velle, arma veteribus fuiſſe inſignia, ſive ſigna & titulos potentiorum hominum, qua notione hodie accipitur vulgo. Primus eſt ex Æneidos VI,

Nomen & arma locum servant.

Loquitur de cenotaphio constituto manibus Deiphobi in littore Rhæteo, quod ait etiamnum extare, idque ex nomine illi inscripto patere, simulque id declarare arma in illo fixa esse viri fortis tumulum, licet non ipsa Deiphobi arma fuerint, sed ad illorum instar efficta, ut totus tumulus erat simulatus. Seneca IV, Controv.4, *Bellum cum esset in civitate, vir fortis in acie amissis armis de sepulchro viri fortis arma sustulit.* Alter est ex X. Æn.

Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.

Quod nihil aliud est, quam pacem verbis & vultu simulare, armis vero in navibus fixis ostendere, te bellum moliri & inferre quibus spem pacis fecisti velatis manibus. Insignia gentilitia, quæ arma nunc dicunt, ignota fuerunt veteribus, & cœperunt demum seculo XII, aut XIII, epochæ Christianæ usurpari, quorum origo est a Christianis, qui in bello sacro Palæstinam petierunt, & suis clypeis, ut possent ab aliis dignosci, certa insignia insculpserunt aut inscripserunt, quæ posteri retinuerunt, & quia clypeis, qui in primis arma dicebantur, hinc *arma ancilia*, inscribebantur, dici cœperunt arma. Argutiæ sunt, quæ ex loco Persii ex Sat. I.

Pinge duos angues,

differit Rabirius. Tu consule Casaubonianum commentarium, si illius loci interpretationem quæris veram. At cum ex Cicerone conficit, caduceum homines reddidisse sacros & inviolabiles quia Cicero dixerit, *Eum quæremus, qui non tam caduceo, quam nomine oratoris ornatus incolumis possit inter hostium tela versari*, verum quidem est, caduceatores, hoc est, legatos fuisse inviolabiles jure gentium: sed tamen ex hoc loco nihil eorum colligas, quæ inde Rabirius expiscatur. Nam hæc simplex ejus est sententia, eum se quærere, quem non tam legati, quam oratoris nomen & fama præstet in medio hostium incolumem, qui propter celebritatem nominis quod sit illustris orator, & eloquentiam ubique tutus sit, ac si in antro Corycio, ut ille ait, degeret. Ineptissime ad caduceos hos trahit locum Juvenalis ex Satyra VI, tanquam legatur *caduceo*, contra leges metrorum, cum recte scribatur in editis:

Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Quod longe aliud est, ut & argentea serpens, quæ in Isidis templo erat, quæ plane nihil ad hoc, de quo loquitur Rabirius, faciunt.

P. XXXII. In Ciceronis ad Terentiam epistola quæ est II lib. XIV, hæc verba, *maximo cum fletu legi, quemadmodum a Vesta ad tabulam Valeriam ducta esset*, sic interpretatur, *a Vesta* esse periphrasim supplicis ritum demonstrantem. supplices enim in Vesta, id est, lare sedere solitos, ex Aristotelis Oeconomico tradit. Sed nihil a sententia Ciceronis alienius.

A Vesta five *a Vestæ*, ut pleræque habent editiones, est ab æde Vestæ, ad tabulam Valeriam in foro ductam esse Tulliam, forte ab inimicis Tullii, ut eam contumeliose haberent, ut Cato Uticensis, qui cum dissuasurus esset legem quandam, *a rostris usque ad arcum Fabianum per seditiosæ factionis manus tractus, voces improbas, & sputa, & omnes alias insanæ multitudinis contumelias perferre coactus est*, teste Seneca de Constant. Sapient. c.14.

Guidus Pancirollus in notis ad descriptionem Urbis P.CCCXCVI. mire ineptit de mica aurea, quam ait statuam fuisse filiæ Philodemi Eliensis, aut effigiem Ursæ ex Ammiano Marcellino, cum hodie vix tyrones ignorent, micam fuisse cœnationem Domitiani, de qua Martialis l. 11. ep.59.

Mica vocor, quid sim cernis, cœnatio parva:
Ex me Cæsareum prospicis ecce tholum.

Forte hæc vox restituenda Plinio qui in lib. v, ep. 6, eleganter describit villam suam: *Est in hac zeta dormitorium cubiculum, quod diem, clamorem, sonumque excludit: junctaque ei quotidiana amicorumque cœnatio*. Quorum aliorum, si *amicorumque* est cœnatio? Nam copula desiderat alios, quam amicos. Dein quinam erant illi amici, quibus singularis cœnatio erat parata? Num qui illum visebant, aut apud illum habitabant? Sed hi erant familiæ pars. Sane sententia laborat. Existimo scripsisse Plinium: *junctaque ei quotidiana mica, meorumque cœnatio*. Quotidiana mica, in qua quotidie Plinius cœnabat, & alia cœnatio, in qua familiæ potior pars cœnabat. *Meorum*, ut inferius: *Mei quoque nusquam salubrius degunt*. & lib. 11. ep. 17. *Hoc hybernaculum, hoc etiam gymnasium meorum est*. In ead. epistola: *magnam ejus voluptatem præcipue Saturnalibus capio, cum reliqua pars tecti licentia dierum festisque clamoribus personat. Nam nec ipse meorum lusibus, nec illi studiis meis obstrepunt*. Liv. VIII. ep. 27. *Quia reis moris est submittere capillum, recisos meorum capillos, depulsi, quod imminebat, periculi signum fuisse*. In superiore loco etiam pro *clamorem*, scribendum *calorem*. Nam si sonus excluditur, absurde additur *clamor*. superius 11, 16, sic describitur tale cubiculum: *Junctum est cubiculum noctis & somni. non illud voces servulorum, non maris murmur, non tempestatum motus, non fulgurum lumen, ac ne diem quidem sentit, nisi fenestris apertis. Tam alti abditique secreti illa ratio, quod interjacens andron parietem cubiculi hortique distinguit. Atque ita omnem sonum media inanitate consumit*.

P.CCCXCIX. *Præsentissimum choragium*. MS. meus *Samium choragium*. Cujus ratio obscura est, num forte Samius quidam choragus ibi habitavit, an Samium choragium ibi fuerit conductum ab iis, qui ludos edunt, ad instrumentum scenicum. Choragium vero non significare locum, ut vult Pancirollus, in quo chori comœdorum fuerint exerciti, & choragum, qui chorum ducit, quod falsissimum est. Vere Festus exponit *choragium* instrumentum scenæ, & choragus est qui illud instrumentum scenicis locat. Videtur ille locus Romæ *choragium* dictus, quia ibi choragium conducebatur, sicut in theatro choragium erat locus, ubi choragium, sive instrumentum scenicum servabatur, ut ex Vitruvio novimus.

P. ccccii. De loto disputat, sed confundit lotum Italicam, quæ fructum fert cerasis similem, cum loto Africana, cujus fructus est fabæ magnitudine, apud lotophagos nata in Cyrenaica. De utraque Plinius videndus in historia naturali & Salmasius in exercitationibus Plinianis.

P. ccccvi. Ubi agit de Nymphæis, male tradit Nymphæa fuisse ædificia publica, in quibus nuptias celebrarint, qui ædes ad hoc idoneas non habuerint. quæ & Cujacii sententia est. Sed hæc, quorum in hac descriptione Urbis meminerunt, non sunt illa Nymphæa nuptiis tenuiorum destinata; nec fuerunt balnea lavandis mulieribus parata, ut Cœlius sentit, nec lacus, ut hic ipse Pancirollus 1. Var. Lection. 52, existimat, sed fuerunt ὑδρεῖα, loca publica Nymphis sacra, in quibus erant aquæ salientes, & fontes manu facti ad aquas ex silanis prosilientes, magis ad voluptatem quam ad usum, marmoreis pavimentis, columnis, & variis rebus ornata, quæ pascebant oculos, ut docuit vir ingenio & doctrina præstans Vallesius ad Ammiani Marcellini librum xv. Dicta sunt Nymphæa sive a lymphis, quas emittebant, sive a Nympharum statuis, quibus ornabantur, de quibus vide infra Georg. Fabricii Romam cap. 18, & Nymphæum Romæ inventum, quod illustravit Vir eruditissimus Lucas Holsteinius, & post ejus mortem cum illius commentario in Stephanum de Urbibus edidit V. Cl. Theodorus Ryckius, noster, cum in vivis esset, amicus.

In Arnobii loco libro vi contra gentes, quem affert Pancirollus de Capitolii appellatione p. ccccxix., rectius nunc legitur in editione ex regio codice a Salmasio emendata *caput Oli Vulcentani*, quamvis Lipsius & alii omnes, qui eum adhibuerunt, *Toli* legant. Sed Regii codicis scripturam firmant paullo post sequentia; *Sammonicus*, *Granius*, *Valerianus vobis & Fabius indicabunt*, *cujus Aulus fuerit filius*. Hic *Aulus* vocatur, qui ante & post dicitur *Olus*. Idem enim est nomen. Sicut pro *olla* dixerunt *aula*, unde Aulularia Plauti, pro *plaustrum*, *plostrum*, unde *plostellum*, sic pro *Aulus Olus*. Quamvis mera sit fabula de capite Oli in fundamentis reperto, cum id molirentur, a quo nomen traxerit Capitolium. Unde Capitolia, quæ in aliis Urbibus erant, dicta sunt?

P. ccccx. Perperam legitur *Tacitus* pro *Tatius*. Ibid. *Malum Punicum* non fuit pomum ex ære, aut marmore, nec vicus, sed domus, quæ propter natale Domitiani solum celebris, cujus insigne fuit pomum Punicum, sive id pictum fuerit, sive fictum. Apud Suetonium enim *ad malum Punicum domo* est domo, quæ ab insigni hoc fuit appellata *ad malum Punicum*, ut apud eundem *Villa ad Gallinas*, Galb. 1. & hujus generis alia in eodem scriptore.

P. ccccxvii. Corruptissime leguntur & vertuntur verba Appiani 2. de bellis civilibus: *Quemadmodum peras aut quærentibus* aut *explicantibus jura cernuntur*. Cum legendum & vertendum sit, *& non rerum venalium*, *sed litibus decidendis*, *quemadmodum apud Persas quoque constituta sunt fora*, *ubi redduntur jura*, *aut explicantur*.

P. ccccxx.. Ad Templum Castorum. Recte quidem docet Castori & Polluci dicatum fuisse id templum, sed nomen tantum Castoris tu-

liſſe. Verum cur hæc ædes Caſtorum templum, non Caſtoris dicatur, erat monendum in tyronum gratiam. Nimirum Caſtores dicebatur uterque frater Caſtor & Pollux. Hinc & in Actis Apoſtolicis cap. XVIII. de navi Alexandrina legitur ejus fuiſſe inſigne Caſtores, hoc eſt, Dioſcuros, Caſtorem & Pollucem, ſed hoc dudum obſervatum a Viris doctiſſ.

P. CCCCXXI. Pro *Atrium Caci*, quod in vulgatis legitur, recte Pancirollus emendavit *Antrum Caci*. ut clare meus MS. præ ſe fert.

P. eadem. Verba P. Victoris in meo MS. reciſis multis ſic ſcribuntur: *Vicus jugerius, idem & turarius cum ſigno Vertumni.*

P. CCCCXXII. STABULA IV FACTIONUM) addit meus MS. VIII. ut quælibet factio habuerit duo ſtabula.

P. CCCCXXIV. Cum ſcribit publice ciconias Romanos aluiſſe, quia Gallis noctu Capitolium invadentibus clangore & alarum ſtepitu repulerint hoſtes, memoria lapſus eſt Pancirollus. Anſeres fuerunt ſervatores Capitolii, non ciconiæ, ut nemo ignorat.

P. CCCCXXVIII. Tradit ex Plinio lychnuchum in direptione Thebarum Luciniæ ademtum Alexandrum M. dedicaſſe Apollini. Nulla Lucinia fuit unquam in orbe terrarum. Juno Lucina pueris nota eſt. Sed in Plinii loco a Pancirollo laudato in omnibus melioribus editionibus legitur: *quem Alexander Thebarum expugnatione captum in Cyme dicaverat eidem Deo*, non *captum Luciniæ*.

Ibid. In Rhamnuſia dicit Erechtheum Nemeſii filium fuiſſe. Sed nemo ullum novit Nemeſium. Suidas dicit Erechthei matrem fuiſſe Nemeſin, cujus nomine is Erechtheus Rhamnuſiam Veneris ſpecie dedicarit.

P. CCCCXXIX. Fortunam reſpicientem dictam ait Pancirollus, quæ præterita reſpiciat. peſſime. Reſpiciens dicitur ſecunda, benigna, propitia fortuna. Quod multis in tanta luce litterarum velle probare putidum eſſet.

P. CCCCXXXV. Campum lanatarium. Vitio librariorum corruptum eſt. Legendum *campum lanarium*. Lanarii dicuntur, qui lanas vendunt, ac texunt.

P. CCCCXXXVII. Porticum Fabriam. In MS. meo Victoris legitur. *Porticus Fabiana*. Potuit ibi porticus ſive a Fabio cenſore, ſive ab alio eſſe condita, ut ſuperius in Reg. VII. fuit Fornix Fabianus, qui Senecæ dicitur arcus Fabianus.

P. CCCCXLI. Vicus larum ruralium.) MS. meus Victoris legit *Lucallium*. Si vera hæc eſſet ſcriptura, potuiſſent forſitan ſic dici lares, qui lucis & callibus præerant. Idem MS. pro *Vicus Patratilli* legit, *Vicus Pacratilli*. Et pro *Vicus Gajanarum* in illo ſcribitur *Gajanum*. Reg. IX. perperam legitur in editis *Mimitia Frumentaria*, cum legendum ſit *Minutia Frumentaria* ex MS.

P. CCCCLV. Ubi diſſerit de Urbanis cohortibus graviſſime hallucinatur, cum Urbanarum cohortium milites prætorios contendit appellatos eſſe, quia qui illas rexerit Prætor tutelaris fuerit, ab Auguſto inſtitutus. Nunquam dicti ſunt Prætorii cohortes Urbanæ; ſed illæ tantum hoc nomine fuerunt appellatæ, quibus præerat Præfectus Prætorio, non tam ad tutelam Urbis, quam Auguſti conſcripti, nec eos rexit Prætor tutelaris, ſed ad hunc Prætorem deferebantur tantum a civibus cauſæ tutelares.

Nec

Nec is inſtitutus fuit ab Auguſto, ſed ab Antonino, quem Philoſophum vulgo vocant, teſte Julio Capitolino in ejus vita: *Prætorem tutelarem primus fecit, cum ante tutores a Conſulibus poſcerentur, ut diligentius de tutoribus tractarent*. Hic vides, prætores tutelares non præfuiſſe cohortibus Urbanis, ſed de tutoribus dandis judicaſſe.

Ibid. Quæ de vexillis diſputat, non ſunt iis, quæ de prætore tutelari notavit, veriora. Vexilla, cum ſine adjecto nomine ponuntur, ait eſſe equitum. Imo vexilla proprie tribuuntur cohortibus, quamvis vexillum ſit pedeſtre centuriæ & cohortis ſignum, ut bene magnus Schelius obſervavit in notis ad Hyginum. Unde vexillarii dicti cohortes aut veteranorum & emeritorum, quæ a legionibus ſuis erant abductæ & aliis adjunctæ, aut etiam militum ſubſignanorum, qui a legione ſua erant avulſi, & alicubi in præſidio collocati, quod ſub uno vexillo eſſent. Non nego tamen vexillum tribui quoque alis equitum auxiliarium, de quibus forte conſcriptis ad tuendam Urbem & Imperatorem hic vexilla communia ſint intelligenda, ut non male ſentit Pancirollus, qui ſtationem habuerint, ubi eorum vexilla ſervabantur. *Equites* vero *ſingulares*, videntur ideo dicti ſingulares, non quod inter eos nulli ſint gradus, ſed quod ſingulariter ſit mandatum iis munus cuſtodiendi Imperatorem, aut quod lecti ſint ab Imperatoribus ſingulari cura propter virtutis & roboris opinionem. Nam ante Imperatorum tempora nulla fit mentio ſingularium equitum. In ſequentibus pro *Salgamariorum* quod non improbo, in meo MS. Victoris legitur *Silicariorum*, hoc eſt, qui aut ſilices vendebant ad ſternendas vias, aut qui vias munire ſolebant. Horum etiam meminit inſcript. 3. p. ꟾↃCXLV. apud. Grut.

VALERIAE. CHRYSIDI
M. NVMIVS. PROCVLVS
SITICARIVS
CONIVGI. SVAE
OPTIMAE. BENEM.
FECIT.

ubi ſcribendum mihi videtur *Silicarius*. Nam *ſiticarii* qui ſint nemo dixerit. Sed hæc ſufficiant. Vale Lector.

SCRIPTORES

Qui in tertio tomo Thesauri Antiquitatum Romanarum inveniuntur.

FRancifcus Robortellus de Provinciis Romanorum & earum diftributione atque adminiftratione. Pag. 1.

— — *de Judiciis, & omni confuetudine caufas agendi apud Romanos.* 11

Junius Rabirius de Haftarum & auctionum origine. 17

Francifcus Robortellus de Magiftratibus Impp. 37

— — *de gradibus Honorum & Magiftratuum Rom.* 43

Guido Pancirollus de Magiftratibus Municipalibus. 47

— — *de Corporibus Artificum.* 81

Sextus Rufus de Regionibus urbis. 89

P. Victor de Regionibus Romæ. 99

Bartholomæi Marliani, urbis Romæ topographia, cum notis ineditis Fulvii Urfini. 115

Onuphrii Panvinii antiquæ Urbis imago. 273

G. Pancirolli, urbis Romæ defcriptio. Ejufdem de quatuor Urbis regionibus commentarius. 383

Georgii Fabricii defcriptio urbis Romæ. 457

Alexandri Donati Roma vetus ac recens, utriufque ædificiis ad eruditam cognitionem expofitis. 541

FRAN-


Petrus Monaco Fecit.

FRANCISCI ROBORTELLI UTINENSIS, DE PROVINCIIS ROMANORUM, ET EARUM DISTRIBUTIONE ATQUE ADMINISTRATIONE.



CUM MIHI de provinciis Rom. & earum distributione, atque administratione sit dicendum, primum ex Varrone antiquam illam proferam divisionem, quæ est lib. 4. de lingua Latina ex Augurum libris desumpta.

Agrorum, inquit, *ut Augures dicebant, quinque sunt genera, Romanus, Gabinus, Peregrinus, Hosticus, Incertus. Romanus dictus, unde Roma, a Romulo: Gabinus ab oppido Gabiis: Peregrinus ager pacatus, qui extra Romanum, & Gabinum, quod non uno modo in iis feruntur auspicia. dictus Peregrinus a pergendo, id est, progrediendo. eo enim ex agro Romanus primum progrediebatur. quocirca Gabinus, sive Peregrinus secundum hos auspicia habent singularia. A reliquo discretus Hosticus, dictus ab hostibus. Incertus is dicitur ager, qui de his quatuor qui sit, ignoratur*. Hæc ille. Nec in præsentia diligentius exquiram, qui antiquissimi fuerint Italiæ fines; nam satis constat ad Rubiconem amnem, nec ultra protendi solitam, ut scribit Plinius. Jam vero Populorum appellationes sciendum varias fuisse ratione juris, quod obtinebant apud Romanos; nam alii socii, alii fœderati, alii dedititii, alii municipes, alii colonici dicebantur. De quibus singillatim postea differemus. Provinciæ dictæ, quod eas Populus Rom. *provicit*, id est, *ante vicit*, vel *porro vicit*. Usque ad exactos Reges vix ultra triginta millia passuum progressos fuisse Romanos scribit Eutropius, & aperte demonstrat; sed vide etiam Sex. Rufum sub initium de eadem re loquentem. Prima igitur administratio Romanorum fuit PRÆFECTURA; quæ autem præfecturæ dicerentur, declarat Sex. Pompejus lib. XIV. Duo enim requirebantur ad præfecturam constituendam. Primo, ut eo loco jus diceretur, & nundinæ agerentur, verba ipsius sunt hæc: *Præfecturæ eæ appellantur in Italia, in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum resp. neque tamen magistratus suos habebant. in quas legibus præfecti mittebantur, qui jus dicerent, quotannis. quarum* A *genera fuere duo; alterum, in quas ire præfecti solebant. quatuor viginti sexvirum pro populi suffragio creati erant in hæc oppida: Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Suessullam, Atellam, Calatiam. alterum, in quas ibant, quos prætor urbanus quotannis in quæque loca miserat, Fundos, Formias, Cære, Venafrum, Alicas, Privernum, Anagniam, Frusionem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum, aliaque quam plurima*. Hæc ille, quamvis injuria temporum multæ dictiones corruptæ sint. De præfectura mentionem facit Vellejus Paterculus in posteriore volumine, his verbis: *Post annos circiter CLII. quam Capua in formam præfecturæ redacta olim erat*.

Distinximus præfecturas a provinciis, ac quæ, B quotque essent præfecturæ, recensuimus, nunc de provinciis dicendum, & quando primum provinciæ appellari cœperunt. Victæ cum fuissent gentes aliquæ a Rom. aut reges ipsarum, regiones illas efficiebant Provincias, & hoc ita exprimebant, REDIGERE *in formam provinciæ*, Livius lib. XLV. in Epit. *Macedonia in formam provinciæ redacta est*. & lib. 93. *Pub. Servilius in Cilicia Isauros domuit, regnumque ejus in provinciæ formam redactum est*. & lib. 102. *Cn. Pompejus in provinciæ formam Pontum redegit*. & lib. 104. *Lege lata de redigenda in provinciæ formam Cypro*. sic etiam Vellejus pag. 69. *Quæ cujusque ductu gens, & natio etiam in formulam provinciæ, stipendia pacta sit*. & pag. 70. *Sci-* C *pio Africam in formam provinciæ redegit*. ibidem: *Cyprus provincia facta est*. Sic etiam Capitolinus in Antonino Philosopho: *Voluit Marcomaniam provinciam, voluit etiam Sarmatiam facere, & fecisset, nisi* &c. Distinguebantur Provinciæ ita, ut aliæ liberæ, aliæ stipendiariæ dicerentur. De libera, quæ & quomodo esset facta, in Epit. Liv. lib. 59. *Attalus testamento legavit Asiam populo Rom. hac conditione, ut libera esse deberet*. De stipendiaria Vellejus in posteriore volumine pag. 71. *Ut has armis, ita auctoritate Cappadociam populi Rom. fecit stipendiariam*. & pag. 69. de Pompejo: *ut Syria, quæ tunc primum facta est stipendiaria*. Itidem & civitates nonnullæ stipendiariæ factæ. Cæsar lib. primo non longe ab initio *civitates stipendiarias* vocat.

Stipendiarias non puto a *tributariis* differre. Hinc *tributarium Gallum* Suetonius in Augusto vocat. De tributariis civitatibus Galliæ, & exactorum tributorum mentio fit in vetusta inscriptione, quæ adhuc extat Bononiæ in marmore ad columnam lateritiam, quæ est ante fores templi Divi Petronii:

Q. MANILIO
C. F. CORDO.
LEG. XXI. RAPAC.
PRAEF. EQVIT. EXACT.
TRIBVT. CIVITAT. GALL.
FAC. CVR.
CERTVS. LIB.
IN. AGR. PXL. IV. IN. FRO. PXL. IV.

Provinciarum nonnullæ *transmarinæ* dictæ, & cur, satis patet. Vellejus ubi de Bruto, & Cassio: *Omnia transmarina imperia eorum commissa arbitrio, & post pecunias, quæ ex transmarinis provinciis Romam a Quæstoribus deportabantur*. Et Livius in Epit. lib. 125. *C. Cæsar relicto Antonio* (*transmarinæ provinciæ ex parte imperium ei cessit*) *in Italiam reversus*. Distinguebantur etiam provinciæ alio modo in Colonias, & in Oppida, quæ aut civium essent Romanorum, aut Latinorum veterum, aut fœderatorum, aut stipendiaria. Declarat hoc Plin. lib. 3. cap. 32. ubi loquitur de Hispania: *Provincia ipsa CCCXIII. Oppida continet, in his colonias XII. Oppida civium Rom. XIII. Latinorum veterum XVIII. fœderatorum I. stipendiaria CXXX.* Idem Plinius lib. 3. cap. 14. de Bætica: *Oppida habet Latio antiquitus donata XXIX. libertate VI. fœdere III. stipendiaria CXX.* ex quo loco elicere possumus alia oppida etiam libera fuisse dicta. Coloniæ jus habebant suffragii ferendi in comitiis magistratuum Rom: id declarat Suetonius in Augusto num. 46. & quomodo ferrent suffragia per suos Decuriones colonicos, ipse eodem loco explicat. Nam Augustus per Italiam duodetriginta deduxit colonias, ideo jus ac dignationem ipsarum fere adæquavit urbi Romanæ. De jure coloniarum multa Asconius in Comm. in orationem in Pisonem, quæ ego brevitatis causa prætermitto; nam alibi commodius explicabuntur, cum de coloniis agemus. Oppidorum appellatio non contemnenda fuit: nam ex oppidis si quis commendatione publica approbatus esset, ordinabatur in equestrem militiam, id est referebatur in numerum equitum, ut declarat Suetonius in eodem Aug. num. eod. De fœderatis urbibus multa Cic. in oratione pro Balbo, & nonnulla Suetonius in Augusto num. 47. Fœderatas autem urbes liberas fuisse legere est apud eundem Suetonium num. eod. 47. Interdum contingebat, ut ob nimiam licentiam libertate privarentur, ut ibidem cognosci potest. Cicero lib. 6. ad Atticum quosdam ex Cilicibus Ciliciæ populis *Eleutherocilicas* vocat, quasi liberos; & eosdem paulo post *αὐτονόμους* quasi suis utentes legibus. Latinorum nonnullæ dictæ, & quidem Latinitas dabatur ob insignia merita erga Remp. Romanam. Ælius Lampridius in Hadriani vita: *Latium multis civitatibus dedit*. Nec Latinitas tantum dari, sed & civitas; quod autem differant, vide Asconium in oratione contra Pisonem. Majus munus erat civitatem dare, quam jus Latii. Tributario Gallo denegatur civitas. Suetonius in Aug. num. 40. Sed eidem datur immunitas. Livius sub initium lib. x. ab urbe condita: *Eodem anno Arpinatibus & Trebulanis civitas data*. Civitas & jus Quiritum, idem: Latinitas & Latium, sive jus Latii, idem. Vide Plinium in Ep. ad Trajanum, in Aldinis. Nec ad jus Quiritum, sive civitatem Romanam aliquis poterat pervenire, nisi prius esset Latinitatem, sive jus Latii adeptus. Sed de tota hac ratione Latinitatis & juris Quiritum postea subtilius agemus: nunc

A redeo ad rem, & conditiones provinciarum declaro. Nonnullæ in provinciis urbes ea erant conditione, ut consilium publicum habere non possent. Dion id declarat lib. LI. ubi de Alexandrinis loquitur. Ægyptum ait redactam in formam provinciæ, & Alexandrinis interdictam omnem consultationem publicam, quamvis ab Imp. Servero jus hoc illis redditum ait, & hoc est illud, de quo loquitur Plinius in Epistolis ad Trajanum, ubi de Buleutis agit. Persequor nunc alias differentias, quæ ad administrationem provinciarum & urbium pertinent. Plin. lib. 3. cap. 4. *formulam* vocat, ut Vellejus. verba sunt hæc: *Adjecit formulæ Imp. Galba ex Inalpinis Aventicos, atque Ebroduntios, quorum oppidum Diana*. qui locus est perpendendus; quia solebant veteres Romani in formula provinciarum describere populos omnes, quo jure essent singuli, & ea formula asservari solita, atque pro arbitratu Imp. vel Senatus, aliquid adjici poterat, ut in prædicto Plinii loco patet. Præter alias differentias, de quibus diximus, erat & hæc: in provinciis erant interdum *coloniæ decumanorum* appellatæ. De hoc autem genere Plin. loquitur lib. 3. cap. 4. ubi de Narbonensi provincia agit, his verbis: *Narbo Martius Decumanorum colonia. XII. M. passum a mari distans*. Mutari solitam provinciarum formulam elicio ex Plinii ejusdem verbis lib. 2. cap. 3. *Citeriores Hispaniæ, sicuti complurium aliarum provinciarum, aliquantum forma mutata est*. Erant nonnullæ in provinciis *coloniæ* etiam *immunes* dictæ. De iis idem Plin. lib. 2. cap. 1. de Europa, sic: *Hujus conventus sunt reliquæ coloniæ immunes*. itidem cap. 3. *Cæsaraugustana Colonia immunis*. Nonnulli etiam *venales* a Romanis dicti. idem Plin. lib. 2. cap. 2. *Oppidani Latii veteris Castulonenses, qui Cæsari venales appellantur*. Jam vero & nonnullæ *capita* dicebantur, ut apud eundem cap. 4. lib. 3. *Vocontiorum civitates fœderatæ capita duo Vasco & Lucus Augusti*. Nonnullæ urbes in provinciis, etsi coloniæ non erant, donabantur tamen jure coloniæ. De hac re Plinius lib. 5. cap. 2. *Cæsarea Jubæ regia a divo Claudio coloniæ jure donata, ejusdem jussu deductis veteranis*. *Nationes* quædam in provinciis dicebantur. Plin. lib 5. cap. 4. *Ex reliquo numero non civitates tantum, sed pleræque etiam nationes jure dici possunt, ut Capsitani, Missulani*. & post cap. 5. *Tabidium oppidum, Niteris natio, Enipi natio, Bubejum oppidum*. Quid vero per nationem sit intelligendum, & quantum distet ab oppido satis patet. In provinciis erant & *Tetrarchiæ*. Cicero Tetrarchas nominat in oratione pro Corn. Balbo. Plinius lib. 5. cap. 23. de Cœlesyria *Tetrarchiam, quæ Mammissea appellatur*. & post: *Leucadios præter Tetrarchias in regna descriptas barbaris nominibus XVII.* & cap. 26. *Datur & Tetrarchia ex Lycaonia civitatum tredecim*. Erant & *præfecturæ* in Provinciis, sicuti etiam in Italia dictæ. Plin. de his cap. 9. lib. 5. ubi de Asia: *Dividitur in præfecturas oppidorum, quas novas vocant*. & post: *Regio habet juxta Pelusium nomos quatuor, Pharbetitem, Hermothitem, Phanthuritem, Diospolitem*. Dividebantur provinciæ in *Diœceses*. de his Cic. ad Attic. lib. 5. Ep. ultima. Plin. vocat *conventus* cap. 29. lib. 5. ubi de Laodicea, Ephefo, & Apamea: *Alter conventus a Synnada accipit nomen. conveniunt Lycaones, Appiani, Cercopei, Derolei, Midei. Tertius Apameam vadit. Ex hoc conventu Metropolitæ, Dionysopolitæ*. Itidem post: *Conventus Smyrnæus, quem frequentat magna pars Æoliæ*. Dicitur in provinciis etiam *jurisdictio*, ut lib. 5. idem Plin. cap. 27. *in Asiaticam jurisdictionem*. & post cap. 30. *Pergamena vocatur jurisdictio. ad eam conveniunt* &c. In provinciis nonnullæ urbes *metropolis* nomen retinebant. Ælius Spartianus in Hadriano ait, ipsum Imp. Antiocheam, cum ante esset Metropolis, divisis re-

gionibus eo nomine ipsam privare studuisse. extat (A) inscriptio Transylvanica hujusmodi.

DEAE ISIDI
PISCIANVS AVG.
COL. SARMIZ.
METROP. ET
AVRELIA FORTVNATA
LIBERTA EIVS.

Quamplurimæ etiam *municipiorum* appellationem retinebant, quæ summa erat dignitas. extat inscriptio antiqua in Lusitania in ponte, qui vulgo dicitur d' Alcantara, hujusmodi: (B)

MVNICIPIA
PROVINCIAE
LVSITANIAE STIPE
CONLATA QVAE OPVS
PONTIS PERFECERVNT.
ICAEDITANI
LANCIENSES OPPIDANI.
TALORI
INTERANNIENSES, TRASCVDANI.
ARAVI.
MELDVBRIGENSES (C)
ARABRIGENSES
BANIENSES
PAESVRES.

Nunc postquam omnes urbium & oppidorum, quæ in provinciis erant, conditiones ac jura declarata sunt, reliquum est, ut ipsas Provincias enumeremus, & quo tempore factæ sint, demonstremus: & in primum in Europa, deinde in Africa, postremo in Asia.

IN EUROPA.

(D) Sicilia primum Provincia facta, & quidem prætoria. Cic. in IV. in Verrem, & Vellejus his verbis: *Primum in Siciliam exercitum trajecit Cos. Claudius, & eam provinciam post annos 52. captis Syracusis fecit Marcellus Claudius*. Sex Rufus quoque in suo libello cap. 8. ait: *Prima provinciarum facta Sicilia*. Idem Sex. Rufus ex prætoria præsidialem postea factam ab Impp. demonstrat his verbis: *Deinde a Prætoribus recta Populi Rom. est commissa præsidibus*.

Sardiniam & Corsicam Metellus vicit, ut Sex. Rufus scribit præter cæteros, & fuit provincia prætoria; (E) sed post a suis præsidibus singulæ regi cœperunt. De Sardis Liv. lib. 60. *Aurelius Cos. Sardos subegit*. Sed idem Liv. lib. 20. *Sardi & Corsi cum rebellassent, subacti*. & idem lib. 17. ait a L. Cornelio contra Sardos & Corsos prospere pugnatum. Hæc ille. Sed in historiis observandum, quando prospere pugnatum, quando rebellatum, quando debellatum. tunc enim provinciæ fiebant. Vellejus de iisdem ita loquitur: *Inter primum, & secundum bellum Punicum ductu Manlii Cos. Sardi victi*.

Macedoniam devicit Paulus Æmilius, ut Vellejus scribit: (F) *Macedoniam Paulus, Mumius Achajam, Fulvius nobilior Ætoliam*. & Sex. Rufus in hunc modum: *Macedonia ter rebellavit sub Philippo, hunc vicit Flaminius; sub Perseo, hunc vicit Paulus*. de qua re vide & Liv. lib. 45. *Sub Pseudophilippo, hunc vicit Metellus, qui Macedonicus est dictus*. In hac provinciæ septem numerantur, Macedonia, Thessalonica, Achaja, Epiri duæ, Prævalis, & Creta.

Hispaniam primum ingressi Romani, cum adversus Afros per Scipiones ipsis Hispanis tulere suppetias. Sex. Rufus cap. 8. Victa primum a D. Bruto, Celtiberi a Syllano, Numantini a Scipione minore. Postea cum tota defecisset Sertoriano bello, recepta a Pompejo; Cantabri, & Astures ab Augusto victi, Vellejus de Hispania ita scribit: *Hispania varie possessa, postea ab Augusto universa stipendiaria facta*. Sed vide Plin. lib. 3. In ea sex provinciæ factæ ætate Rufi, Bætica & Lusitania consulares; Tarraconensis, Carthaginensis, Gallæcia, Tingitana, idest, Insulæ transfretanæ; omnes hæ præsidiales.

Illyrici victo Rege Gentio in deditionem tandem accepti a L. Manilio prætore. Liv. lib. 44. Sex. autem Rufus in hunc modum: *Lævinus primum Adriaticum ingressus est mare, & Jonium, omnesque obtinuit civitates*.

Creta a Metello devicta, qui Creticus dictus. Vide Sex. Rufum. itidem Vellejum: *Creta Metelli ductu longissimæ libertatis fine mulctata*.

De Gallia nunc dicendum. Galli in Italia eam partem tenebant, ubi Mediolanum est, usque ad Rubiconem amnem: vide Sex. Rufum cap. 9. Vario eventu cum his pugnatum, & diu a capta urbe & ante ad Aliam, usque ad ætatem Marii, qui illos depulit Italia. Postea a C. Cæsare victi una cum Britannis, & Gallia ac Britannia tributariæ factæ. Sex. Rufus cap. eod. In Gallia & Britannia sunt provinciæ XVIII. Alpes maritimæ, Narbonensis, Viennensis, Novempopulana, Aquitaniæ duæ, Alpes Grajæ, Sequani, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenses duæ. In Britannia, Cæsariensis maxima, Flavia Cæsariensis, Britannia prima, Britannia secunda.

Dardania & Mœsia a Curio procos. victæ, qui primus Romanorum ducum usque ad Danubium pervasit: Sex. Rufus. Pannonia sub Octaviano victa per Tiberium: Vellejus in posteriori volumine. Vindelici, Rhœti, Norici, Juliæ Alpes sub Augusto a Druso, & aliis ducibus victi. Itidem Valeria, quam Marcomanni occuparant, & regio omnis, quæ inter Savum & Dravum. sub Trajano Dacia victa, & trans Danubium prima provincia facta. Omnes hæ continebantur Illyrico, in quo Provinciæ XVIII. Noricorum duæ, Pannoniorum duæ, Valeria, Servilia, Savia, Dalmatia, Mœsia, Daciæ duæ; & in Macedonia septem, ut ante. Hæc fere omnia ex Sex. Rufo.

Thracia post diuturnum tempus subacta a Didio, Druso, Lucullo, & aliis. in ea Provinciæ sex. Vide Sex. Rufum eundem.

IN AFRICA.

Cyrene & Lybia tota ex testamento Ptolemæi Appionis pervenit ad populum Romanum, ut Liv. etiam scribit lib. 64.

Ægyptus sub regibus fuerat amicis, sed, victa Cleopatra & Antonio, in formam provinciæ redacta. Dion. lib. 53. & Sex. Rufus.

Africa, ubi Carthago, a Scipione Æmiliano redacta in formam provinciæ. Vide Vellejum in posteriori volumine.

Numidia ante a regibus amicis administrata, sed postea victo Jugurtha provincia facta. Præter Salustium, vide Vellejum, & Livium lib. 62. 65. 66. itidem Plutarch. in Mario, & Appianum in Lybico.

Mauritaniam diu Juba rex amicus populo Roman. rexit, sed is postea bello civili, a C. Cæsare victus est, & tota regio redacta in formam provinciæ. Vide Vellejum, & Cæsarem lib. 5. de Bello Africo.

IN ASIA.

Asia testamento Attali accepta. Attalus autem Pergamenorum rex Eumenis filius. Liv. in Ep.

lib. 59. Asiam ante bello captam populus Rom. muneri dederat Eumeni. Sed Aristonicus rex eam postea invasit, qui a M. Perpenna victus. De Asia, quæ proprie dicitur, multa Cic. in epist. ad Q. Fratrem, & lib. primo ad Atticum. nam ea obtigit fratri ipsius. Ea continebantur Phrygia, Lydia, Caria, Hellespontus. De hac vide Plin. lib. 5. cap. 27. ubi leges postea ab Agrippa in duas partes divisam.

Rhodus libera primum, tandem sub Vespasiano provincia facta. Sex. Rufus cap. 12.

Pontus post diuturnum bellum cum Mithridate gestum annis fere XL. vel ut alii XLII. a Sylla & Lucullo, cum postremo a Pompejo victus fuisset, redacta in provinciæ formam. Vide L. Florum lib. 3. cap. 5. & Liv. lib. 76. usque ad 101. in Ep. Appianum in Mithridatico, Plutarchum in Sylla & Pompejo, & Sex. Rufum cap. 13. itidem & Vellejum. Regnavit Mithridates annos LVI. Plin. lib. 25. cap. 2.

Syria, sed ante, victo rege Antiocho provincia facta. victus autem fuit a L. Scipione Asiatico. Vide Appianum in Syriaco, Florum lib. 2. cap. 8. Liv. lib. 32. & deinceps, Vellejum in posteriori volumine, & Sex. cap. 13.

Ætolia postea in formam provinciæ redacta; nam hoc bellum est consecutum Syriacum, quia Ætoli querebantur sibi non relatam gratiam a Romanis, quos juverant in eo bello. victi autem fuerunt a M. Fulvio nobiliore, Zacynthus, Cephalene, etiam aliæ insulæ hoc bello redactæ in potestatem populi Romani. vide Liv. lib. 38. Appianum in Syriaco, Justinum lib. 32. Plin. lib. 4. sub initium.

Gallogræcia, quæ est in medio Asiæ, provincia facta. hi populi a Manlio victi. fuerunt autem in armis fere IIII. M. vide Liv. lib. 38. Justinum lib. 32. Sex. Rufum cap. 12. ea deinde permissa Dejotaro regi, sed postea ab Augusto in formam provinciæ redacta.

Cilicia erepta piratis a P. Servilio qui Isauricus dictus, post rursus a Pompejo. vide L. Florum lib. 3. cap. 6. Liv. lib. 99. Plut. in Pompejo, Sex. Ruf. cap. 13. & Cic. in oratione pro lege Man.

Cyprus sine bello recepta lata lege a P. Clodio. eo missus Cato ad supellectilem regis Romam traducendam, Rex Ptolemæus sibi mortem conscivit. Plutarch. in Catone & Vellejus in posteriori volumine, Sex. Ruf. cap. XIII.

Bithynia ex testamento Nicomedis populi Rom. facta, vide L. Florum lib. 3. cap. 9. Liv. in Ep. lib. 104. Plin. lib. 3. cap. 3. & Sex. Rufum cap. 12.

Cappadocia Mithridati erepta, & restituta Ariobarzani, atque a regibus possessa usque ad Archelaum, qui sub D. Claudio Romæ occubuit, & redacta in formam provinciæ. Suetonius in D. Claudio, & Sex. Ruf. cap. 12.

Paphlagonia regi restituta Pylæmeni amico populi Rom. eo mortuo provincia facta. Sex. Rufus cap. 13.

Armenia, Mesopotamia, Arabia, Judæa, Phœnicia Tigrani ereptæ a Lucullo primum & Pompejo, rursus per Trajanum Imp. erepto diademate illis Regulis provinciæ factæ, & limes orientalis in ripa Tigridis amnis positus, quamvis postea Hadrianus ipsas Regulis restituerit, & limitem statuerit ad Euphratem. Sed sub Diocletiano rursus ad Tigrin limes positus. Vide Sex. Rufum cap. 13.

His ita expositis, Provinciarum novam quandam distributionem, quæ facta est ab Imp. Augusto, postquam rerum potitus est, hic apponam, quam explicat Dion lib. 53. in Parisinis libris. Sanxit ille primum, ut provinciarum aliæ essent *Senatoriæ*, aliæ *Imperatoriæ*. & quidem Senatorias vocavit, quæ a Senatoribus regerentur; Imperatorias autem, quæ ab ipso Imp. & ipsius præsidibus. Deinde suas ipse Augustus provincias accepit in decennium. Unam reservavit equitibus, Ægyptum scilicet, & sic comperio apud Suetonium num. 8. in Vespasiano, etiam Cappadociam equitibus reservatam fuisse. Idem Augustus magistratus annuos in provinciis instituit, atque sorte duci jussit, exceptis iis, qui plures liberos habebant, quod quidem satis patet ab eo factum propter jus trium liberorum in lege, quam tulit de maritandis ordinibus, de qua re nonnulla Suetonius in Augusto num. 47.

Imp. Provinciæ.

1 Iberia reliqua omnis.
2 Tarraconensis.
3 Lusitania.
4 Gallia tota.
  Narbonensis.
  Lugdunensis.
  Aquitania.
  Celtica, & qui ab iis orti usque ad Rhenum, nam Germani vocantur.
5 Cœlesyria.
6 Phœnicia.
7 Cilicia.
8 Cyprus.
9 Ægyptus etiam tunc.

Senatoriæ provinciæ & pop. Rom.

1 Africa.
2 Numidia.
3 Asia.
4 Et Græcia in continenti.
5 Dalmatia.
6 Macedonia.
7 Sicilia.
8 Creta.
9 Libya Cyrenaica.
10 Bithynia cum Ponto.
11 Sardinia.
12 Bætica.

Postea Augustus concessit populo has.

1 Cyprum.
2 Galliam Narbonensem.
  & ipse pro hac recepit Dalmatiam.

Adnotat Dion olim ante Augustum σύνδυο ϗ σύντρια τὰ ἔθνα ἅμα ἤρχετο. Alias, quæ liberæ erant, vel regibus parebant, ideo se non nominare ait Dion. Hæc ex Dione. nunc ex Suetonio nonnulla profero, quæ cum iis, quæ dicta sunt, conferri poterunt. Provincias Procoss. sortiri solitos, & annua ipsorum imperia fuisse Suetonius declarat in Aug. num. 47. Augustum eas sibi reservasse, quæ erant validiores, nec tam facile poterant administrari; minus autem validas, & quæ erant tutæ ac pacatæ, reliquisse annuis Magistratibus, ac Procoss. idem eodem loco exponit. Imperatorias præterea provincias, quæ postea dictæ sunt Præsidiales, ac Proconsulares, sæpe ab Augusto adiri solitas ibidem legere est; nec non de præfectura Ægypti in eodem Aug. num. 66. Trebellius quoque Pollio non ignobilis historiæ Augustæ auctor in D. Claudio p. 347. mentionem facit præfecturæ Ægypti, his verbis: *Tantum salarii habet, quantum Ægypti præfectura.* ex quo loco patet certa salaria præsidibus & proconsulibus dari solita ab Impp. Quod innuit idem Trebellius in D. Claudio, ubi ait: *quantum proconsulatui Africano dedimus*. & paulo post: *quantum accepit curator Illyrici*. Præsidibus provinciarum prorogari imperium solere pro arbitratu

Imp. collige ex Suetonio in Aug. num. 23. Provinciarum Præsides ab Imp. mutari solitos idem scribit Suetonius in Tiberio num. 41.

Nunc recenseo, quid sub Impp. actum, additum, vel immutatum sit in iis, quæ ad provincias spectant.

Sub Augusto Armenis Cajus Augusti nepos adolescens judices dedit ex instituto Pompeii. Sex Rufus cap. 16. & Eutropius lib. 3. Alexandrinis Imp. refert Spartianus jus Buleutarum dedisse, qui sine publico consilio, ita, ut sub Regibus ante, vivebant uno judice contenti, quem Cæsar dedisset.

Galatia sub hoc provincia facta, cum ante sub regibus esset. Eutropius lib. 7.

Sub Tiberio Cappadocia mortuo Archelao Rege provincia facta. idem Eutropius lib. eod.

Sub Trajano Armeniæ receptæ, quas amiserat Nero, cum Persæ legiones duas Rom. sub jugum misissent. A Trajano hoc tunc immutatum. Regi Armeniæ majoris diadema ademit. Albanis regem dedit. Arabas, Adiabenos, Seleuciam, Ctesiphontem, & Babyloniam debellavit usque ad Indiæ fines, & Arabiam redegit in formam provinciæ. Eutropius lib. 8.

Orcades insulæ Britannis adjectæ sub Imp. D. Claudio. Idem Eutropius lib. 7.

Trajanus Daciam redegit in formam provinciæ, victo Rege Decebalo. Eutropius lib. 8.

Severus Arabiam provinciam refecit, ibidem. Unde & cognomenta Arabici & Adiabenici recepit. Eutropius lib. 8.

Sub Nerone provinciæ factæ, Pontus Polemoniacus concedente Rege Polemone, & Alpes Cottiæ defuncto Rege. Idem lib. 7.

Ex eodem Eutropio lib. 8. elice Hadrianum gloriæ Trajani invidentem, tres provincias ab eo factas reliquisse, Assyriam, Mesopotamiam, & Armeniam. Idem de Dacia facere cogitabat, sed amici dissuaserunt.

Sub Vespasiano Judæa cum Hierosolymis accessit Imperio Rom. is etiam Thraciam, Ciliciam, Comagenen, quæ sub regibus amicis erant, in provinciarum formam redegit.

Sub Domitiano Daci & Catti victi, atque de iis triumphum egit Imp. de Sarmatis solam lauream usurpavit. Nam legio Romanorum est cæsa in Sarmatia. Idem Eutropius lib. 7. sub finem.

Sub Gallieno mira confusio provinciarum. Amissa Dacia; Græcia, Macedonia, Pontus, & Asia vastatæ a Gothis; Pannoniæ, a Sarmatis & Quadis. Germani usque in Hispaniam irruperunt, & Tarraconem expugnarunt. Parthi Mesopotamiam occupavere. Eutropius lib. 9. Quomodo autem fuerint statim receptæ a Ducibus Odenato, & Posthumo, vide ibid.

Aurelianus Daciam provinciam intermisit trans Danubium, & collocavit in Mœsia, & cur id sit factum, explicat Eutropius lib. eod.

Probus Imp. Gallis, & Pannoniis provincialibus vineas ut haberent, permisit. In Pannonia consiti vitibus montes Almon, Aornos, & Syrmius. Item Mœsia. Eutropius ibidem.

Carus Imper. adversus Sarmatas bellum gessit, sed Persarum tumultu revocatus destitit.

Sub reliquis Cæsaribus tumultus magis adnotes deficientium provinciarum, quam provincias novas subactas.

Imp. M. Antoninus Philosophus, ut scribit Julius Capitolinus, accepit in deditionem Marcomanos & paulo post voluit Marcomaniam provinciam, voluit Sarmatim facere; & fecisset, nisi Avidius Bassus rebellasset in Oriente. reliquit igitur Sarmaticum & Marcomanicum bellum. Siciliam proconsularem, itidem Pannonias proconsulares appellat Spartianus.

His ita declaratis persequor nonnulla, quæ spectant ad ipsos proconsules, qui in provincias ibant, & quidem omnia desumpta ex Dione. nam is copiose, & exquisite de tota hac re loquutus est. Sanxit Augustus, ut qui in provincias ibant senatorias, ne essent paludati, nec exercitum haberent, & propterea accingi gladio non solebant; quod Græcis verbis ipse ita profert, ξίφος μὴ παραζώννυσθαι. Statuit quoque proconsules ut dicerentur non tantum qui consules ante fuerant, sed etiam prætores. numerum etiam lictorum præfinivit, & alia insignia tradidit, jussitque, ut non nisi extra pomœrium cum imperio essent, & insignibus, quæ quidem etiam ante florente Rep. servari solebant, ut Plutarch. in Cæsare nominatim explicat. In provincias Augusti, qui ibant, ab ipso tantum eligebantur Imp. quod etiam Suet. declarat in Tiberio, num. 31. Voluit etiam Legatos omnes suos vocari Proprætores, quamvis ex Consularibus essent. nam nomina Prætoris, & Consulis in Italia tantum servavit, sed provinciis addidit *pro*. Horum proprætorum in provincia magistratus annuos esse voluit, nec unquam Imp. suas provincias dabat, nisi prætoriis, & consularibus viris. Hique proprætores in provinciam Imp. ibant paludati, & ense cincti. Senatus provincias dabat suas, Africam & Asiam Consularibus; alias autem Prætoriis. Hoc etiam ab Augusto institutum, ut non nisi annos quinque post urbanum magistratum sorte ducerentur ituri in provincias. Itidem sanxit, ut Senatores haberent jus gladii. Legatos ab ipsis proprætoribus & consularibus eligi voluit, sed non insciente Aug. In suas provincias mittebat Imp. legiones urbanas, duces ipsarum ex viris prætoriis, vel quæstoriis. Tribunos autem militum ex equitibus, Quæstores & procuratores qui in provincias irent, deligi ex quæstoriis viris voluit, etsi interdum Procuratores fieri solebant Imp. liberti. Certus proventus proconsulibus assignatus est, nec imperare pecuniam ipsis, ut liceret, voluit provincialibus sine mandato Senatus, aut Imperatoris. atque ut omnia certo ordine gererent, mandata Procoss. dari jussit. Præterea intra tres menses ut Romam redirent Procoss. postquam successori tradidissent provinciam. Hæc habui, quæ de provinciis & ipsarum administratione breviter dicerem.

FINIS.

FRANCISCI ROBORTELLI, UTINENSIS, DE JUDICIIS, ET OMNI CONSUETUDINE CAUSAS AGENDI APUD ROMANOS.



RATIO judicandi olim Romæ tum Rep. florente, tum Impp. ætate varia fuit, & multiplex. Sæpe enim, ut cuique libitum est potenti, leges latæ sunt, quibus potestas judicandi his erepta, ad alios translata fuit. Nec vero mirum. cum enim in judicando omnia summa sint posita, dominarique omnes velint, ideo factum est, ut sæpe de judicandi potestate leges ferrentur. Ego ordine omnia exponere conabor, ordiens ab urbe condita: rem sane difficilem breviter, & aperte pro viribus explicabo.

Primum sub regibus Duumviros video judicasse de capitalibus. Liv. lib. 1. ubi agit de Horatiano judicio; sed provocabatur ad populum. vide ibidem. De iis, quæ capitalia non sunt, qui judicarint, historici non narrant. Postea cum se in libertatem vindicassent Romani, Coss. ipsos video judicasse de pecuniis creditis, & iis, quæ capitalia non sunt. Liv. lib. 2. Populum autem in comitiis de capitalibus rebus, item de mulcta. Liv. lib. 2. ubi de Volerone. Postea cum Coss. essent occupati bello, prætores Romæ duo creati, qui judicarent. de privatis judiciis intellige. Liv. lib. 19. in Epit. nam integrum non habemus. publica sunt Populo reservata in comitiis, quale Coriolani, Cæsonis, Camilli, & aliorum.

Zasius in suo libro de legibus Romanorum cap. de lege Julia, sub initium scribit, patres judicasse usque ad Gracchi ætatem. Ego id in historiis veterum nunquam observavi, nec ullus est, opinor, qui observarit, aut observare possit. Semper tamen publica judicia accusantibus Tribb. aut Ædilibus apud populum exerceri solita in comitiis, ut Liv. lib. 6. belli Punici, ubi de Fulvii judicio agitur. Accusante vero magistratu apud populum agebant; privatos ea ætate accusasse nunquam reperio. Quod etiam ætate Ciceronis observatum est, ut in Scauri judicio, qui a Domi. Trib. pl. accusatus est ad populum. vide Asconium, qui ait per tributa comitia illud judicium fuisse transactum, ut in Rabirii judicio, ut in judicio Juniano, quod Cic. ad populum ait delatum accusante Trib. pleb. L. Quintio in oratione pro Archia. Sed ubi primum privati accusare cœperunt, res delata est ad Prætorem. nam privati cum populo agere non possunt. Prætor autem judices legere solitus ex Senatu, usque ad tempora Gracchi; sed auctorem non habemus, qui hoc afferat nominatim, & quando fieri cœptum. Tantum hoc, Gracchum legem tulisse, ut equites judicarent; ex quo patet ante Senatum judicasse. Cum Senatum dicimus judicasse, intelligere debemus ex Senatoribus legi judices consuevisse a prætore; nec enim in curia Senatus judicabat.

1 C. Gracchus legem tulit, ut populo gratum A faceret, ne Senatores judicarent, sed equites. Verum hanc rem video diversis modis narrari ab antiquis historicis; nam Plutarch. ait, ad CCC. Senatores, electos CCC. equites, & communicata judicia. Cicero aliter. sed Liv. in Epit. diverso modo, sicuti postea explicabimus. Nec debemus ullum ex veteribus carpere, sed dicere alios auctores hunc esse sequutum, alios illum, ut sæpe videmus in hoc genere antiquitatum. Halicar. de Tribubus aliter, quam Livius. Quid tum? hic alios, ille alios sequutus est auctores, nec credendum est illos per inscitiam hoc fecisse. 2. Judicarunt aliquot annos (pu- B to quindecim) equites ex lege Sempronia. Postea lex lata a Q. Servilio Cœpione, quæ Servilia est dicta, ut communicarent judicia Equitibus & Senatui. Sed vix perlata creditur esse hæc lex. nam reus est factus. Liv. in Epit.

3 Ideo postea legem tulit Servilius Glaucia, ut equites judicarent. Cicero in Bruto. Judicarunt usque ad damnationem P. Rutilii, de qua Liv. in Epit. Ideo consequuta est lex Plotia, ut quini deni ex singulis tribubus suffragio crearentur. Ita etiam Senatores, quia in tribubus sunt, communicassent. Sed vix locum habuit hæc; nam consequuta sunt C bella civilia illa Syllana, Cinnana, & Mariana. 4 Confectis bellis Sylla legem tulit, ut Senatus judicaret; ita Equitibus erepta judicia. Plutarch. in Sylla. Asconius in Divi. in Verrem. 5. Decem annos judicavit Senatus, sed cum corrupta essent illius judicia, post mortem Syllæ Aurelius Cotta prætor legem tulit, ut Senatores, & Tribuni ærarii judicarent. Liv. lib 97. & Cicero lib. 1. Ep. ad Attic. in judicio Clodiano hæc tria judicum genera commemorat, item Asc. multis in locis. Tribuni ærarii non erat magistratus, sed ordo quidam Romæ. Nam sciendum est, ut Livius narrat lib. 10. D Dec. 4. Censs. Æmylium & Fulvium Nobiliorem mutasse suffragia, regionatimque generibus hominum, causisque & quæstibus tribus descripsisse. Nimirum in singulis tribubus ex genere hominum, & quæstu jusserunt ferri suffragia. Sic

- Senatores.
- Equites, sive publicani.
- Tribuni ærarii. de his Varr. item Plin. lib. 33. cap. 2.
  - Scribæ.
  - Agricolæ.
  - Lictores.
  - E Præcones,
  - Fabri.
  - Tibicines.
  - Argentarii.

6 Subsequuta est lex Pompeja, sed non immutavit ordines tres; nam ex maximo censu legi jussit. Cic. in L. Pisonem. item multa alia, quæ ego postea considerabo.

7 Cæsar rerum potitus sustulit Tribunos ærarios. Suet. in Cæs.

8 post mortem Cæsaris Antonius consul tulit le-

gem, ut in locum Tribb. ærariorum subrogarentur ad judicandum Centuriones, & Alaudæ. Cic. in Philipp. I. sed non fuit perlata, quia hostis est judicatus. Nunc videndum est, quid additum sit, & explicanda omnis ratio judicandi.

De numero judicum cum loqueremur, ex Asconio aliquot protulimus loca, ubi licet perspicere numerum in omnibus consiliis non eundem semper fuisse. Quare nihil videtur posse statui. Ad numerum judicum spectant DECURIÆ, non ideo dictæ, quod X. continerent, & V. id proprie significat, sed quia *decuriare* est describere, & in ordinem redigere. Cicero pro domo sua: *Cum decuriatos, ac descriptos haberes exercitus perditorum*. Idem pro Sest. *Cum vicatim servi conscriberentur, & decuriarentur*. *Decuriam senatoriam* de judicibus loquens appellat Cicero in Verrem: *Hunc hominem judicum numero habebimus, hic alteram decuriam senatoriam judex obtinebit*. Quare emendandus locus in comm. Asconii in II. in Verrem: *Necesse fuerat eos primum de curia senatoria conscribit*. legendum est, *ex decuria Senatoria describi*. Patet ergo, cum judicaret Senatus, decuriam Senatoriam factam judicum. Et nimirum CCC. illi Senatores, de quibus Plutarch. in Gracchis, qui judicabant, fuit hæc decuria Senatoria. Jam vero alii CCC. equites additi, per legem Gracchi, ut Plut. scribit, fuit decuria equitum. Ita etiam cum per legem Cottæ additi sunt Tribb. ærarii, illa tertia decuria fuit.

Sustulit C. Julius Cæsar hanc tertiam decuriam, ut Suetonius ait in Julio, num. 41. his verbis: *Judicia ad duo genera judicum redegit, Equestris ordinis, & Senatorii; Tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit*. relictæ igitur duæ decuriæ judicum, Senatoria & Equestris. Post mortem Julii Antonius legem tulit, de alaudis & centurionibus; sed non est perlata, quia hostis est judicatus, ut ante diximus. Ideo Cicero in Philippica II. ait: *Lex est promulgata de III. decuria judicum*. nam hæc fuisset tertia, ut ante erat Tribb. ærariorum, quam sustulerat Cæsar. Jam habemus tres judicum decurias. Nunc dicendum de quarta. Hanc addidit ex inferiore censu, quæ ducenariorum vocaretur, judicaretque de levioribus summis; & ante ait ipsum Augustum recognovisse decurias judicum, quia obrepebant in ipsas falsi judices. Jam vero adnotanda illa verba Suetonii: *Quartam addidit ex inferiore censu, quæ ducenariorum vocaretur, & judicaret de levioribus summis*. nam noluit hanc Augustus commisceri aliis judiciis. Sed si C. Julius Cæsar sustulit decuriam Tribb. ærariorum & M. Antonius non potuit perferre legem de illa sua tertia decuria, quomodo quartam addidit Aug. cum non esset tertia? Responde credibile esse, fuisse postea restitutam illam tertiam Tribb. ærariorum. Sed ego non memini, me hoc apud ullum legisse; conjectura tantum ducor, quia hoc loco Suetonius ait ab Aug. additam quartam. Sed quærat aliquis, qui numerum contineretur singulis decuriis. Plin. lib. 33. cap. primo sub finem: *Vixque singula millia in singulis decuriis inventa sunt, nondum provinciis ad hoc munus admissis, servatumque in hodiernum diem, ne quis ex novis civibus in his judicaret*. Vide ibi de Aug. nam ait: *Divo Augusto decurias ordinante major pars judicum in ferreo annulo fuit*. loquitur enim ibi de annulis. Decuriam V. Cajus adjecit. Plin. ibidem cap. 2. & cur, vide ibi. nimirum ex censu, & diligenter lege Plin. nam exquisite omnia declarat. Decuriam VI. addere, etiamsi multi peterent, noluit Galba Imp. Suetonius in Galba num. 14. *Judicibus VI. decuriam addi precantibus non modo negavit, sed etiam &c.* Mirabitur aliquis, quomodo millenariæ essent decuriæ judicum hæ. Sed non mirabitur, si multitudinem judiciorum & causam cogitet. Primum enim singuli Prætores assignata habe-

A bant judicia, ut ante dixi, & singuli sortiebantur judices ad LX. Postea præt. XII. fuerunt Impp. ætate, ideo majori judicum numero opus fuit. Adde, quod alii minora judicia exercebant, ut Aug. statuit in quarta decuria ducenariorum, de qua ante. Præterea Centumviri, Recuperatores, & alii ex eo numero a prætore deligebantur. Adde, quod aliqui vacationem habebant, nec omnes erant in urbe; quare mirandum non est tot fuisse. Declaratus fuit a me locus difficillimus de decuriis, & demonstratum, quæ, quales, quotquot fuerint. Nunc alia persequor, quæ ad judicia spectant. Præter judices & prætorem in judiciis erat & *Quæsitor* B dictus. Ascon. in 2. in Verrem. *Junius quæsitor fuit in Cluentii causa Verre prætore*.

Prætoris munus erat:
- Sortiri Judices.
- Eligere Judices.
- Dare cognitionem facinorum.

Ascon. in secunda in Verrem explicans Verg. locum, ubi Minoem vocat *Quæsitorem*. *dat sortitionem, ubi* Urnam *nominat*. *dat electionem judicum, cum ait*, consiliumque vocat. ego suspectum hunc locum habeo, & vereor, ne sit corruptus; nam electio repugnat sortitioni. ideo lib. primo ad Att. *ubi Pompejus productus est in concionem a Tribuno*, C *placeret ne ei a Prætore judices legi. nam non sortiri volebat, sed legere judices*. Ego igitur legerem *vocationem*, vel *citationem*. nam ait id confirmans Vergilii versu, *consiliumque vocat*. Idem Ascon. in altera pagella e regione, ubi explicat verbum, *respondet*, ait: *Recte dictum est, respondet; nam apud veteres, & judices, & rei, & accusatores, & defensores citabantur a præcone Prætoris*. Ciceronis ætate erant octo Prætores, ut tertio ad Attic. & in orat. pro P. Sestio. etsi quæstio est de numero; nam Pomponius de origine juris decem enumerat. duobus Prætoribus quæstio inter sicarios erat assignata, ut in loco ante recitato ex orat. pro A. Cluentio.

Item 2. Præt. alii urbanus & peregrinus.
- D Uni Prætori quæstio peculatus.
- Uni quæstio repetundarum.
- Uni quæstio de ambitu.
- Alii quæstio de veneficio, Cic. ibid.
- Alii quæstio de falso.
- Alii de majestate & vi.

Multæ erant quæstiones, quæ proprium non habebant judicem, ut de peregrinitate in oratione pro Archia, & pro Galba. Sic se habebat distributio criminum & prætores. Singuli autem Prætores sortiebantur judices in singulis criminibus. Cic. pro Cluentio: *Jubet ea lex, qua lege hæc quæstio constituta est, judicem quæstionis, hoc est, Q. Voconium* E *cum iis judicibus, qui ei obvenerint, (vos appellat judices) quærere de veneno*. Crimen vero perduellionis unum excipiebatur, quod ad majestatem imperii spectaret; nam qui hostili animo in Rempub. essent, ii *perduelles*, id est, hostes dicebantur, ut satis est notum. Majestatis crimen erat, magistratui non parere, Cic. pro Cor. Balbo, magistratum pulsare. Perduellem vocat Liv. lib. 6. Dec. 3. de bello Punico, in judicio Fulviano, quod fugæ initium ab eo in exercitu fuerat. In judicio igitur Rabiriano servatus mos antiquus. Dion lib. 37. Suet. in Cæs. Julio; nam duumviri primum judicarunt, mox provoca- F tum ad populum. Nunc de numero judicum est dicendum, postea de sortitione, subsortitione, deinde de Prætoris & Quæsitoris munere, ac Judicum juramento. Plutarch. in Gracchis CCC. fuisse Senatores ait, additos postea alios CCC. equites. hic erat veluti ordo judicum, ex quibus fiebat sortitio in oratione pro Milone in argumento Ascon. *Deinde rursus postera die sortitio fieret unius, & LXXX.* sub finem: *Condemnaveruvt Senatores X. absolverunt VIII. condemnaverunt Equites IX. absolverunt octo. Tribb. ærarii X. absolverunt. VI. condemnaverunt*. & post: *graves habuit XIX. absolv.*

II. & XXX. & pro Scauro sub finem : *Sententias tulerunt Senatores duo & XX. Equites tres, & XX. Tribb. ærarii XXV.*

Dictum est accusante privato, Prætorem cum consilio judicum judicare solitum; accusante autem magistratu, populum in comitiis. Nunc sciendum est, aliquando apud Rom. quæstiones quasdam fuisse perpetuas factas, & immutatam totam illam priorem judicandi rationem; nam anno DCV. Censorino & Manilio Coss. bello Punico tertio constitutæ sunt quæstiones perpetuæ quædam, ut Cicero in Bruto narrat, ex lege Calpurnia. Dictæ autem perpetuæ, quod earum causa certi Prætores crearentur singulis annis; nam ante hanc legem, nullus præerat certus prætor his quæstionibus, sed cum accidisset, creabatur ad id Quæsitor. vel dic, (quod ego magis verum puto) populus judicabat accusante magistratu, non privatis; nam privatos ante nunquam reperio in historiis accusasse, sed tantum tribunos, aut ædiles. Notandum igitur tunc primum cœpisse privatos accusare, ut ætate Ciceronis factum videmus. hanc enim vim videtur habuisse illa lex Calpurnia. Quamvis miror Populum passum esse sibi eripi potestatem illam judicandi in comitiis: sed erat locus provocationi, & ita non erepta Pop. potestas. Locus est Ciceronis præclarus, ubi perspicere licet, quomodo hæ quæstiones perpetuæ essent divisæ, in ora. pro A. Cluentio : *Quid M. Pletorii, & C. Flaminii inter sicarios? quid C. Orchinii peculatus? quid mea de pecuniis repetundis? quid C. Aquilii, apud quem nunc de ambitu causa dicitur? quid aliæ quæstiones.* *Principem* eundem *judicum* vocat Ascon. in 3. in Verrem sub finem. In judicio Cluentii prætor Q. Naso, Quæsitor Q. Voconius. In qua re errant nonnulli, qui eundem putant esse Quæsitorem & Prætorem. Nec est quod ullus objiciat mihi Asc. in argumento Milonianæ, ubi Domitium vocat Quæsitorem semper, item & Torquatum. Nam Prætoris loco sedebat Pompejus tunc Cos. solus, cum vacaret magistratibus Resp. ob seditionem. Et idem per suam legem suffragio populi creari Quæsitorem voluit ex consularibus viris Domitium. Tamen me offendit, quod ibidem tribunal Domitii vocat, cum tamen Prætor pro tribunali sedere soleret, non Quæsitor. Responde : cum Pompejus Cos. abesset, Domitium functum officio Quæsitoris & Prætoris. Nam Pompejus quo die exercebatur judicium illud, sedebat ad ærarium non longe a foro, ubi sedebant Judices. Asc. 83. Sed in hoc judicio Clodiano præter consuetudinem fuit, ut quæsitor a pop. crearetur. Munus Prætoris erat videre, ne impediretur in iis, quæ imperii sunt. Quint. lib. 3. Quæsitor in iis, quæ ad causæ cognitionem. Quæsitor quærebat de crimine, & sedebat in subselliis, ut differret a Prætore; testes audiebat, dum interrogarentur. nam interrogabantur ab adversariis. Vide in argumento Milonianæ, ubi ipse Milo interrogat testes Clodianos, & e contrario.

De sortitione Judicum, & de urna Asc. in secunda in Verrem. De rejectione concessa accusatori & reo, & cur, Asc. ibid. De subsortitione in locum rejectorum, ut compleretur numerus legitimus, Asc. ibidem. Quod judices jurarent, quod in divinatione non jurarent, Asc. ibidem. Quod Prætor non juraret, Asc. in secunda in Verrem. Quod nomina judicum tabellis consignabantur, & ubique habebantur, ne aliquis obreperet, ibidem. Quinos ex singulis ordinibus rejici solere ab accusatore & reo, ita ut numerus relinqueretur judicum LI. rejiciebantur ergo XXX. hinc collige numerum Judicum. Asc. in Milone 83. De pilis, in quibus nomina judicum erant scripta una cum accusatore & reo, 81. De duobus horis datis accusatori per legem Pompejam, & tribus reo, Cic. in Bruto, & Asc. in Mil. 82. Hora decima dimissum judicium Asc. in Mil. *Si meridie judicatum erit.* Cic. in prima Ep. lib. primi ad Att. Triumviros capitales de servis & quisquiliis hominum judicasse collige ex Asc. in Mil. 81. item ex Cic. in Divinatione, ubi ait, *Vestri ordinis reos.* & Asc. ibi, ibidem de columna Menia. Hinc Hor. in odis : *flagellis sectus triumphalibus.* De ampliatione & comperendinatione Asc. in Verrem, qui locus tamen mutilus est & corruptus, ut ego alibi. De notis & tabulis absolutoriis, & damnatoriis, in Divinatione Asc. De centumviris & centumviralibus causis. Cic. lib. primo de or. ubi de causis parvis. Centumviris causas delegabat Prætor, si quærebatur de jure. Si quærebatur de facto, Prætor dabat aut Judicem, ut pro Quintio, aut judices, qui dicebantur *Recuperatores.* Si neque de jure, neque de facto, ipse prætor suum interponebat decretum, ex Cicerone lib. 1. de or. Ædiles judicabant de annona, de viis, de venditione rerum. Appellationem a Judicibus ad se Aug. delegabat Prætori urbis. Suetonius in Aug. num. 33. his verbis : *Provinciarum autem appellationes delegavit consularibus viris, quos singulis provinciarum negotiis præposuisset.* Hæc ego de ju[illegible] hactenus summatim dixi.

FINIS.

JUNIUS RABIRIUS
DE
HASTARUM ET AUCTIONUM ORIGINE.

INVICTISSIMO, CHRISTIANISSIMOQUE

GALLORUM REGI,

HENRICO VALESIO
JUNIUS RABIRIUS

PERPETUAM FELICITATEM.

CUR toties Crœsi canimus, Crassique talenta
Scribimus, & Priami regna superba senis?
Ecce tibi Henricus, divum certissima proles,
Principe quo Galli vulnera nulla timent.
Tot congessit opes, tot habet ditissima regna,
Ut superet Tmolos, auriferesque Tagos.
Huc accedit honos, & stemmata clara parentum,
Quorum facta mori, non sinet ulla dies.
Exerit & pulchram se e pulchro corpore virtus,
Quale decet reges, magnanimosque duces.
Dextra potens bello, & mens nescia cedere cuiquam,
Majestas, nomen, regia larga manus.
In te relligioque, animique modestia mira,
Et lucet superis gratia grata diis.
Te dominum Bruto non indignante fatetur:
Suscipit & leges plebs proba Valesias.
Non peregrina nitet simulati juris imago,
Quin ἐπιείκειαν *condita jura tenent.*
Nec legitur dubiis quis litibus addere finem
Justior, & latebris ducere vera queat.
Jure igitur fœlix Respublica, primaque debet
Dici, cui præsis alter ut ipse Draco.
Omnibus his fœlix, sed es hoc fœlicior uno;
Quod sit juncta tuo fœmina rara toro.
CATARIS antiquæ simulachrum nobile vitæ;
Qua nihil in terris sanctius esse potest.
Quæ si non esset lucis prolata sub auras,
Nulla erat in thalamos digna venire tuos.
Vivite fœlices, quos firmo fœdere junxit
Æterni Christus sponsor & arrha Patris.

Catarina Medices, Gallorum regina.

JUNIUS RABIRIUS
DE
HASTARUM
ET
AUCTIONUM ORIGINE AC RATIONE.



CUM juris civilis scientiam aliarum artium dote locupletari atque ornari deceat, tum maxime hastarum auctionumque ratio ab omnium gentium institutis & disciplina profecta, historiæ lumen desiderat: cujus ignoratione jacuisse plerumque judicia crassis occulta & circumfusa tenebris non ignoramus. Cum igitur id jejunitate bonarum artium contigerit, ejus rei laudem jam senescentem Henrici Regis nostri invictissimi beneficio a veterum monumentis revocatam, paulo altius repetamus: quodque faustum felixque sit tantæ rei memoriam flumine conturbari inanium verborum, ab interpretibus opprimi atque obscurari, nullo modo patiamur. Cum nulla res [1] vehementius rempub. contineret, quam fides (quæ ipsa est justitia in rebus creditis, quamque ob id crediti nomine notari, cohonestarique nostri voluerunt) principibus, & remp. gubernantibus in primis visum fuit, ut juris & judiciorum æquitate, suum quisque teneret, debitores creditoribus satisfacerent, & fidem suam liberarent. Quæ ne solutione impedita concideret, eos qui fidem labefactassent, creditoribus addictos, nexu, vinculis coercendos putaverunt: qui ea caussa Tito Livio [2] *nexi, nexumque inire*: Plauto [3] *in nervum abduci*, Terentio [4] *in nervum ire*, dicti sunt, corpore, id est, opera luituri, quod ære non possent. quo Horatius allusit [5]:

Odisti, & fugis, ut Drusonem, debitor æris:
Qui nisi cum tristes misero venere calendæ,
Mercedem aut nummos unde unde extricat: amaras
Porrecto jugulo historias captivus ut audit.

Etsi quam auctoritatem mores institutaque majorum habent, id ante Solonem Athenis receptum fuisse gravissimus testis Plutarchus scripsit [6]: cujus his de rebus splendida & illustris oratio est. sed quod testimonium majus quærimus, quam nostræ religionis? [7] *Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.* Quid quod lex XII. tabul. jubebat dissecari corpus ejus, qui multis creditoribus deberet, nec solvendo esset: unde illud Terentianum [8]: *Quid si animam debet?* Quam duodecim tabularum legem fuse & copiose, & omnibus electissimis verbis, gravissimisque sententiis Sex. Cæcilius Jureconsultus apud Aul. Gellium [9] auget & ornat. cujus legis verbis velut quibusdam stellulis hunc locum illustrandum putamus.

Confessis æris, rebusque jure judicatis, XXX. dies justi sunto. Post deinde manus injectio esto: In jus ducito, ni judicatum facit: Aut pseudo eo in jure vim dicit, secum ducito, vincito aut nervo, aut compedibus XV. pondo, nec minore; aut si volet,

1 Cic. 2. Offic & in Partit. 2 Lib. 7. ab urbe condita. 3 Plaut. in Penul. 4 Terent. in Phorm. 5 Serm. 1. sat. 3. 6 In Solone. 7 Reg. lib. 4. c. 4. 8 In Phorm. 9 Lib. 20.

[A] *majore vincito: Si volet, suo vivito: ni suo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato: si volet, plus dato. Tertiis nundinis parteis secanto. si plus, minusve secuerunt, sine fraude esto.*

Quare cum vehementius actum esset, Cicerone consule, ne æs alienum dissolveretur, armis, castrisque tentata res esset, ut creditæ pecuniæ debitoribus condonarentur, quam publicam nominum abolitionem seu antiquationem Romani *novas tabulas*, Græci χρεῶν ἀποκοπὰς, quasi æris alieni decisiones, Solon σεισάχθειαν, tanquam onus excussum appellavit, ita restitit Cicero, [1], ut totum hoc malum de Repub. tolleretur: cujus beneficio [B] nunquam nec majus æs alienum fuit, nec melius, nec facilius dissolutum: fraudandi enim spe sublata, solvendi necessitas consequuta est. Quibus novis tabulis cum labefactarentur fundamenta Reipub. concordia primum, quæ esse non potest, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniæ: deinde æquitas, quæ tollitur omnis, si habere suum cuique non licet, Cajus Cæsar [2] disjecta novarum tabularum expectatione, decrevit, ut debitores creditoribus satisfacerent per æstimationem possessionum, quanti quasque ante civile bellum comparassent, deducta summa æris alieni, si quid usuræ nomine nu[C]meratum aut perscriptum fuisset: qua conditione, quarta pars fere crediti deperibat. Idipsum novarum tabularum vulnus cum sanare studuisset C. Julius, obæratis *dieculam dixit*, ærisque alieni dissolvendi tempus protraxit. Sic locum Ciceronis [3] emendamus. Quam moratoriam prorogationem etsi reip. damnosam Cicero plus satis fœneratoribus gratiosus dixit, hujusce tamen humanitatis jacentem gloriam Constantinus imperator [4] simul erexit, simul illam Solonis sisachthiam penitus abrogavit: id quod posteri propter miseram, multumque jactatam quorundam fortunam passim sequuti sunt, luctuosamque bonorum cessionem sustulerunt, si in quin[D]quennium solutionem creditorum major pars prorogaverit. [5] Cujus cessionis aspectum miserabilem testatur ille Juvenalis locus [6].

Hi plerumque gradus: conducta pecunia Romæ,
Et coram dominis consumitur: inde ubi paulum
Nescio quid superest, & pallet fœnoris auctor,
Qui vertere solum, Bajas & ad Hostia currunt:
Cedere namque foro, jam non tibi deterius, quam
Esquilias a ferventi migrare Saburra.

Hæc de moratoriæ prorogationis anni seu quin[E]quennii origine attigi. nam mihi cum multa eximia divinaque videantur principes peperisse, atque in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis sanctionibus, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem & mitigati sumus.

Non est dubium, civitatem [7] secum ipsam dis-

1 Cic. 2. Offic. 2 Suet. in Cajo Jul. Cæs. c. 42. 3 Cic. lib. 5. ad Att. epist. fin. sub finem. 4 l. *quoties. C. de precib. imperat. offer.* 5 l fin. C. *qui bon. ced. po.* 6 Juven. sat. 11. 7 Tit. Liv. ab urbe cond. lib. 2. & Sallust. in Catil.

cordem, intestino inter patres plebemque flagrasse odio propter nexos ob æs alienum, qui ad populum insignes creditorum injurias sæpe expostulassent: a quibus dum non in servitium, sed in ergastulum, & quasi carnificinam ducerentur, alii vertere solum, plerique ad columnas, in quibus principum statuæ positæ erant, velut ad salutis quendam portum confugiebant, ubi tanquam in fide publica positi, adversus dominorum sævitiam tuti essent. relatum est enim imperante Tiberio, fuisse capitale servum circa Augusti statuam cecidisse. Quo pertinet ille Ciceronis locus [1]: *Olimne Scyllæo illo æris alieni freto, ad columnam adhæresceret, in tribunatus portum confugerat?* Quo loco Andreas Alciatus [2], vir alioqui doctissimus, *Herculeo freto* perperam (quod ejus pace dixerim) legendum putat. Voluit enim Cicero, propter æris alieni magnitudinem, quod contraxerat gurges ac vorago patrimonii, cuique solvendo nec plurium exhaustæ fortunæ essent satis, non solum ut olim ad principum columnas, veluti perfugium quoddam adversus creditores, verumetiam ad Clodii tribunatum, ejusque fidem hostem confugisse. Hanc nostram opinionem ex alio Ciceronis loco imbibimus: *Quam*, ait [3], *tam immanem Charybdin poetæ fingendo exprimere potuerunt, quæ tantos exhaurire gurgites posset, quantas iste Byzantiorum Brogitanorumque prædas exsorbuit: aut tam eminentibus canibus Scyllam, tamque jejunis, quam quibus istum videtis Gelliis, Clodiis, Titiis, rostra ipsa mandentem?* De iisdem columnis ac debitorum perfugio, loquitur Ulpianus. *Eum*, ait [4], *qui circa columnas se occultat, ut creditorem evitet, latitare placet.* sentiens Ulpianus, etsi statuæ & columnæ illæ obæratorum corpora a creditorum injuria vindicent, non tamen a debitore pignora auferri esse impedimento. Huc pertinet illa tribunorum plebis historia, cujus meminit Valerius: *Magnam*, ait [5], *laudem & illud collegium tribunorum tulit: quod cum unus ex eo Lucius Cotta, fiducia sacrosanctæ potestatis creditoribus suis satisfacere nollet, decrevit, ut si neque solveret pecuniam, neque daret, cum quo sponsio fieret, appellantibus se creditoribus auxilio futurum: iniquum ratum, majestatem publicam privatæ perfidiæ obtentui esse. itaque Cottam in tribunatu quasi in aliquo sacrario latentem, tribunitia inde justitia extraxit.* A cujus sapientiæ officina, constitutionem Francisci Valesii, Regis doctissimi [6], qua obæratis asyli beneficium denegavit, mutuatam credimus. Tandem cum omnibus odio esset crudelitas, & amori pietas & clementia, populusque Rom. ei hominum generi præesset, non modo in quo ipsa sit, sed etiam a quo ad alios pervenisse putatur humanitas, cuique grave servitutis jugum erat, in libertate educato; hujusmodi jus nexus, hoc est, personæ captio, & abductio in servitutem ob non dissolutum æs alienum, senatusconsulto sublatum est, anno ab urbe condita 428. ob unius fœneratoris, qui fuit Lucius Papyrius, libidinem simul & crudelitatem nefandam, qui juvenem quendam forma & ætate præclarum, sibi ob paternum æs alienum nexum addictumque, eo quod sibi pudicitiam prosternere recusarat, verberibus laceravit. cautumque simul fuit, ut pecuniæ creditæ nomine, bona debitoris, non corpus (nisi qui ob noxam meruisset) obnoxium esset, ut refertur apud T. Livium [7]. Id quod prius in Repub. Atheniensium Soloni visum fuerat, si Plutarcho [8] credimus. Quam sententiam postea Diocletianus & Maximilianus Imp. secuti fuerunt [9]. Hodie tamen veteri Atheniensium more, plerumque ii, qui æs alienum contrahunt, corpora sua nexu obligare solent, moribus recepta consuetudine, si id nominatim cautum est, ut nisi solverit ad diem præscriptum debitor, in publicum carcerem conjici possit. vinciri tamen, traduci, ac alienæ jurisdictionis custodiæ mandari non posse, 13. Cal. Maii M. D. L. Parisiensi Senatui visum fuit, teste locupletissimo & eloquentissimo Johanne Lucio Parisiensi [1], qui his diebus domi suæ nos humaniter excepit. Fisci item debitor etiamsi in hoc se non obstrinxerit, custodia tamen coerceri potest [2]. Exploso itaque nexu, abrogataque illa XII. tabularum lege, aliam rei judicatæ executionem & humaniorem, & magis popularem, posteriores Romanorum leges voluerunt: ut debitoris bona pignori caperentur, quæ hasta posita, postquam diu voci subjecta fuissent præconis, pluris licitanti addicerentur [3]. Stobæus [4]: Οἱ μὲν οὖν διὰ κήρυκος κελεύουσι πωλεῖν καὶ προκηρύττειν ἐκ πλειόνων ἡμερῶν. id est, *sunt qui per præconem res vendi jubeant, & plures ante dies prænunciari.* Et quantum ad hastam, licet conjici possit in honorem Romuli id receptum: Romulus enim ab hasta *Quirinus*, & Romani *Quirites* nominati sunt. Ovidius [5]:

—— at tertia dicta Quirino
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.
Sive quod hasta Quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus a telo venit in astra Deus.
Sive suo regi nomen posuere Quirites,
Seu quia Romanis junxerat ille Cures.

verius est regum ac principum morem & disciplinam veteres imitari voluisse, &, ut Claudianus ait [6],

Scilicet in vulgus manant exempla regentum,
Utque ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Hastam enim symbolum fortitudinis, eaque principes rerum suarum auctoritatem tueri ac conservasse solitos cum multis locis, tum illo, locupletissimus testis Homerus cecinit [7]:

Κούρην ἣν ἄρα μοι γέρας ἔξελον υἷες Ἀχαιῶν
Δουρὶ τ' ἐμῷ κτεάτισσα, πόλιν εὐτείχεα πέρσας,
Τὴν ἂψ ἐκ χειρῶν ἕλετο κρείων Ἀγαμέμνων.

Quos versus sic vertimus:

Virginem, quam sane mihi præmium elegerunt filii Græcorum,
Hastaque mea possedi, urbem bene muratam cum depopulatus essem,
Hanc retro e manibus rapuit Imp. Agamemnon.

Qua hasta, armis, bello denique quæsita tanti fecerunt veteres, ut quæ ex hostibus caperemus, jure gentium statim nostra fierent [8], liberique homines bello capti, in servitutem nostram deducerentur. Quid quod, si omnium gentium altius regnorum repetatur memoria ac origo, vix aliam reperies, quam jure belli parta. Æthiopum regnum invaserunt Assyrii: Assyriorum, Babylonii: Babyloniorum, Persæ: Persarum, Macedones: Macedonum, Romani: eo denique jure gentium, cum regna & dominia niterentur, rata & firma eorum, quæ bello quæsita erant, defendebatur auctoritas, justaque habebatur. Unde Poeta [9]:

Turne tot incassum fusos patiere labores?
Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis?
Rex tibi conjugium, & quæsitas sanguine dotes
Abnegat: externusque in regnum quæritur hæres.

1 Cic pro P. Sest. 2 Alcia. Parer. lib. 4. cap. 18. 3 Cic de arusp. resp. 4 l. *eum qui* ff. *de privileg. credit.* 5 Valer. Max. lib. 6. cap. 5. 6 Francisc art. 166. 7 Titus Liv. ded. 1. lib. 8. 8 Plut. in Solo. 9 l. *ob æs C. de act. & oblig.*

1 Plac. lib. 10. cap. 1. 2 l. *nemo carcerem de exact. trib. lib.* 10. C. 3 l *a divo Pio.* §. 1. & 2. ff. *de re jud.* l. *ordo* C. *de exec. rei judic.* 4 Stobæus de leg. & constit. 5 Ovid. 2. Fast. 6 Claudian. in laud. Stilic. Paneg. 1. 7 In Iliade. 8 Just. de rerum divis. 9 Virgil. lib. 7. Æneid.

convenit & ille Ovidii locus [1]:

Atque alios referam, quos omnes turpiter absens,
Ipse tuo partis sanguine rebus alis.

Hoc igitur insigni hastarum titulo, tutissimisque jurisgentium insignibus, pelliciendo emptores, quo pluris licitarentur, ab emptione nullo periculo deterritos, res bello quæsitas, hasta posita, omniumque consensu confirmata auctoritate, vendere cœperunt. Sic Africani posterioris quæstorem hastæ subjectos, captivos vendidisse, testis est historia [2]. *Cumque Publius Claudius Camerinos ductu atque auspiciis suis captos sub hasta vendidisset, etsi ærarium pecunia, fines agris auctos animadvertebat; tamen quia parum liquida fide id gestum ab imperatore videbatur, maxima cura conquisitos redemit, hisque habitandi gratia locum in Aventino assignavit, & prædia restituit* [3]. Quo pertinet Juvenalis locus [4]:

—— maneant qui nigrum in candida vertunt,
Queis facile est ædem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
Et præbere caput domina venale sub hasta.

Item & Plauti [5]:

Ubi sunt isti plagipatidæ ferritribaces viri?
Vel isti qui trium nummorum caussa subeunt sub hasta?

Refert Plutarchus [6], Porsennam jussis Tuscis arma tantum accipere, aliud præterea nihil secum exportare, castra opulenta multo & vario commeatu Romanis reliquisse: quæ militibus distributa cum ipsi auctionati fuissent, morem inde usque ad ejus memoriam manasse, ut cum publice auctionarentur, prima quæque Porsennæ bona per præconem denunciarent, honorem viri celebrantes, beneficii memoria sempiterna.

Cumque principes, civium opes commissas, proscriptorumque bona vendentes, prædam suam dicere auderent, inveteravit etiam consuetudo, proscriptorum bona hasta posita vendere, hastæque, & voci subjicere præconis. Cicero [7]: *Sic par est agere cum civibus, non, ut bis jam vidimus, hastam in foro ponere, & bona civium voci subjicere præconis*. Et paulo post: *Est enim ausus dicere hasta posita, cum bona in foro venderet, & bonorum virorum, & locupletum, & certe civium, suam prædam vendere*. *Hastam ponere* dixit, publicata civium bona, auctione vendere: cujus venditionis hasta insigne erat. quam hastam *sceleratam* & *cruentam* a Cicerone [8] dictam observamus, quod sceleratorum opes commissas & publicatas, vel bello, sanguine denique quæsitas, sub hasta venire moris fuerit. *Dum homines*, inquit, *perditi hastam illam cruentam, & meminerint & sperabunt: quam Publius Sylla cum vibrasset, dictatore propinquo suo, idem trigesimo & sexto anno post a sceleratiore hasta non recessit*. Hastam sperabant affectantes civium bona committi & publicari, quæ largitionibus postea consequerentur: quam vibrasse Syllam dixit, quod acerbam illam & luctuosam opum commissarum consectatus fuisset auctionem, civiumque bona publicasset. Idem Cicero [9]: *Hasta Cæsaris P. C. multis improbis & spem affert, & audaciam: viderunt enim ex mendicis repente fieri divites. itaque hastam semper videre cupiunt ii, qui nostris bonis imminent*. Publicationem bonorum, quæ hastæ subjici solebant, intelligit. ut Philip. 4. *Quos non illa infinita Pompeii hasta satiavit*, de auctione & venditione bonorum Pompeii, cujus aspectus miserabilis fuit, loquens. Et alio loco [1]: *Cæsarem putabant moleste laturum, verentem ne hasta refrixerit*. *Refrixisse hastam* dixit, cum civium bona non publicarentur, nec hasta posita voci subjicerentur præconis. Claudianus Honorium laudibus effert, quod infelicium civium non inhiet fortunis, easque hasta posita non insectetur [2]:

Impia continui cessant augmenta tributi,
Non infelices tabulæ, non hasta refixas
Vendit opes avidas, emptor non voce citatur,
Nec tua privatis crescunt æraria damnis.

Eadem hasta posita, præcone quidem publico teste, qui Reip. præerant, vectigalia populi Romani imperiique opes ita aliquando proscripserunt, auctionatique sunt, ut non obscure viderentur prope hasta præconis insectari Cnei Pompeii exercitum: quod venire juberent eos ipsos agros, in quibus ille bellum gereret, atque versaretur [3]. Consequenter ingenerati mores privatorum pignora in judicati caussam capta hasta posita vendendi, quibus imperatores Severus & Antoninus auctoritatem dederunt [4]. Ipsam hastam non modo in auctionibus venditionibusque, sed & in locationibus poni solitam, admonet Ovidii locus [5]:

Aut populi reditus positam componet ad hastam,
Et minui magnæ non sinet urbis opes.

Cui Titus Livius adstipulatur: *Vectigalia*, inquit [6], *summis pretiis, ultro tributa infimis locaverunt: quas locationes cum Senatus precibus & lachrymis victus induci, & deintegro locari jussisset: censores edicto submotis ab hasta, qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paulum imminutis pretiis locaverunt*. Sed ad rem. Cum M. Cicero Antonium de earum rerum possessione dejiciendum suaderet, ad quas Antonius nullo hastarum jure advolasset, ait [7], *Ab hac, religionum perturbatione advolas in M. Varronis sanctissimi atque integerrimi viri fundum Cassinatem, quo jure? quo ore? eodem, inquies, quo in bæredum L. Rubrii, quo in hæredum L. Tursecii prædia, quo in reliquas innumerabiles possessiones: etsi ab hasta valeant tabulæ, modo Cæsaris, non tuæ: quibus debuisti, non quibus tu te liberasti. Varronis quidem Cassinatem fundum, quis venisse dicit? quis hastam illius venditionis vidit? quis vocem præconis audivit? Misisse te dicis Alexandriam, qui emeret a Cæsare: ipsum enim expectare magnum fuit: quis vero audivit unquam (nullius autem salus curæ pluribus fuit) de fortunis Varronis rem ullam esse detractam? Quod si etiam scripsit ad te Cæsar, ut redderes: quid satis dici potest de tanta impudentia? Remove gladios illos parumper, quos videmus, jam intelliges aliam caussam esse hastæ Cæsaris, aliam confidentiæ & temeritatis tuæ. non enim te dominus modo illis sedibus, sed quivis amicus, vicinus, hospes, procurator arcebit*. hactenus Cicero. Qui cum *tabulas* dicit *ab hasta*, non alias intelligit, quam addictionis tabulas, quæ hastam subsequuntur: nostri, *decreti interpositionem* vocant. Tabulas autem ab hasta Cæsaris non facile infringi, nec convelli, sed a Senatu confirmatas paulo ante dixerat. valebunt igitur ab hasta Cæsaris tabulæ, non tuæ, qui confidentia & auctoritate hasta insectaris, sub hasta vendis sanctissimorum atque integerrimorum fortunas, quibus tu debuisti, qui ipsi tibi neque obærati, neque debitores erant, ut taceam omnia re-

1 Ovid. epist. 1. 2 Valer. Max. lib. 5. cap. 1. 3 Idem Valer. lib. 6. cap. 2. 4 Juven. Sat. 3. 5 Plaut. in Mostell. 6 Plut. in Publicola. 7 Cicero lib. Offi. 2. 8 Cicero Off 2. 9 Cicero Philipp 7.

1 Cicero in Epist. ad Cassium. 2 Claud. de consul. Honorii. 3 Cic de lege Agrar. Orat. 1. 4 *l. ordo. C. de exec. rei jud.* 5 Ovid. 4 de Ponto. 6 T. Livius de bello Maced. 7 Cic. Philip. 2

ſcindi oportere, haſtarum ſolennibus neglectis: eo enim ſpectant illa verba: *Quis haſtam illius venditionis vidit? quis vocem præconis audivit? cridas* pragmatici vocant. Et quando bene proviſa, & diligenter explorata principia humanitatis poſita ſunt, non noſtrum judicium ſequamur, ſed aliorum auctoritati pareamus. Cum enim debitorum commodis veteres jureconſulti inſervirent, menſium quatuor inducias judicatis, quibus nummos conficerent, judicatumque facerent, tribuerunt [1], priuſquam in judicati cauſſam a debitoribus pignora caperentur: quibus menſibus decurſis, ſi pecuniam debitor non exolveret, auferebantur ab eo pignora, poſt alios duos menſes diſtrahenda. Debitorem enim in anguſtias æris alieni adductum in ipſo articulo abjecta omni cunctatione conſtringere, improbi judicabatur creditoris [2]; timide enim & pedetentim iſtuc deſcendebant veteres [3], vi ac neceſſitate coacti, inviti, ſæpe illuſi ac deſtituti: conſiderabant enim quid, & quantum ſit, alterius bona proſcribere, ut ne perire quidem tacite obſcureque debitori liceret. de quo etenim homine præconis vox prædicat, & precium conficit, huic acerbiſſimum vivo videntique funus ducitur: ſi funus id habendum ſit, quo non amici conveniunt ad exequias cohoneſtandas, ſed bonorum emptores, ut carnifices, ad reliquias vitæ lacerandas & diſtrahendas: itaque majores noſtri raro id accidere voluerunt. Sed nunc refrigeſcente potius charitate, quam debitorum (ut pleriſque placet) perfidia, hæc reſponſa in deſuetudinem abierunt, executioniſque tempus moribus liberum creditoribus conceditur. Nam, ut Horatius ait [4]:

> *Quanto perditior quiſque eſt, tanto acrius urget,*
> *Nomina ſectatur.*

nomina, debitores dicit.

Nihil enim plerique aliud ſomniant, quam quæſtum: nihil admirantur, niſi divitias: parati ſimul atque inciderit exigui lucelli ſpes, non ſolum fratrem fallere, ſed & Chriſtum negligere, cui infinitis nominibus obnoxii, cur non obſervant diſſolvendi æris alieni rationem, quam nos docuit creditor Jeſus? Quantum tu remiſeris debitori fratri, tantum tibi condonabit Jeſus. Quod ſi quæ tela parata ſint, ea conjicienda in eos, qui multa male agendi cauſſa fraudandique fecerunt. Denique, ut Solonis ſiſachthiam rejicimus, ita Dei miſericordiam, liberalitatem, ac benignitatem agnoſcimus. *Septimo* [5], ait, *anno facies remiſſionem, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico ac fratre ſuo repetere non poterit: quia annus remiſſionis eſt Domini. A peregrino & aduena exiges: civem & propinquum exigendi non babebis poteſtatem. Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos, ut benedicat tibi Dominus in terra, quam traditurus eſt tibi in poſſeſſionem.* Omnes actiones, omnes ſententiæ perveniunt ad eum ſcopum, qui nobis propoſitus eſt charitatis [6], cujus veluti gradibus in cœlum aſcenditur. Charitatis eſſe ſcimus, fratris incommodis mederi, veluti propriis, erigere lapſum, conſolari abjectum, adjuvare laborantem, ſubvenire egenti. Eidem inopiæ ac neceſſitati faventes, Juſtiniani [7] æquitatem & conſilium ſemper amplexi ac exoſculati ſumus, ut obærato, cui præſens pecunia deeſt, liceat prædiis in ſolutum datis, æs alienum diſſolvere, ſeſeque liberare. Quod ſi acrem, aſperum, atque iniquum judicem obæratus debitor ſortitus fuerit, per quem nec legum æquitate frui

1 l. final. C. *de uſur. rei jud.* 2 l. *debitoribus.* ff. *de re jud.* 3 Cicero pro Quintio. 4 Horat. l. 1. ſerm. ſat. 2. 5 Deuteron. cap. 15. 6 Paul. 6. ad Timoth. & ad Gal. 5. 7 Conſtit. ſive novella *de fidejuſſ.*

liceat, nec acerbus creditor benignitate aliqua moveatur, recreet ac reficiat Horatii locus ille [1]:

> *Vir bonus & ſapiens audebit dicere Pentheu*
> *Rector Thebarum, quid me perferre, patique*
> *Indignum coges? adimam bona: nempe pecus, rem,*
> *Lectos, argentum: tollas licet. In manicis &*
> *Compedibus ſævo te ſub cuſtode tenebo:*
> *Ipſe Deus, ſimul atque volam, me ſolvet, opinor:*
> *Hoc ſentit, moriar: mors ultima linea rerum eſt.*

Creditor autem, quantumvis dives, fallacem hominum ſpem, fragilemque Fortunam pertimeſcat [2]:

> *Sæpius ventis agitatur ingens*
> *Pinus, & celſæ graviore caſu*
> *Decidunt turres, feriuntque ſummos*
> *Fulmina monteis.*

Quid? Craſſo, nonne pecuniæ magnitudo locupletis nomen tribuit? cujus tamen reflante fortuna, bona a creditoribus, quia ſolvendo non erat, venierunt [3]? Neque eſt obſcurum, initia hujus benignitatis ea in re a divino teſtimonio comparari, quod quaſi ſedes & fundamentum conſtituendæ fidei ſit. Juſtitiam enim coram Deo habet [4], juſtuſque a Deo judicatur, qui veſtimentum a paupere pignoris loco acceptum reſtituit ei ante ſolis occaſum. Neque accipies (Dei ſententia) pignori ſuperiorem & inferiorem molam: quia illis fit eſca omni animæ. Quare prudenter jureconſulti [5] ſupellectilem, item veſtem, & quæ in uſum quotidianum habentur, non contineri obligatione generali, reſponderunt. Sicut a militibus arma, a literarum cultoribus libros, pignora in cauſſam judicati auferri noluerunt. Reipublicæ quoque utilitas aratorios boves ac inſtrumenta, quæ ad culturam agrorum pertinebant, pignori capi prohibuit: ager enim quamvis fertilis, ſine cultura fructuoſior eſſe non poteſt: alia vero animalia legitime capi pignori jubentur Ulpiani reſponſo. Sed ea uſu qui omnium præcepta ſuperat, forique conſuetudine exoleviſſe, viri in hac philoſophia vel in primis nobiles [6], boveſque aratorios, & alia privilegiis inſignita promiſcue in cauſſam judicati capi tradiderunt, quæ ne dicantur fortaſſe jejunius, temperanda putamus, niſi debitor pignora alia obtulerit: tunc enim & aratorii boves, & id genus pignora debitori emancipantur, aliaque in eorum locum ſuffecta, haſta poſita voci ſubjiciuntur præconis: eaque ſententia Severi & Antonini conſtitutione [7] defenſa, excluſis ſententiis reliquorum, valeat neceſſe eſt. Quare cum debitor publicum munus gerens, nihil aliud poſſideret, idipſum munus pignori capi, ac voci ſubjici præconis, diſtrahique ac cogi debitorem ſe illo munere abdicare, & mandatum ſcripto dare, quo apud Principem munus hoc in gratiam noviſſimi licitatoris deponat, ſupremæ Normanorum curiæ viſum fuit, ſi Imberto Rupellano [8] (quem honoris cauſſa nominatum volo) credimus. Quo pertinet Juvenalis locus [9]:

> *Nam ſi Pieria quadrans tibi nullus in arca*
> *Oſtendatur, ames nomen, victumque Machære,*
> *Et vendas potius commiſſa quod auctio vendit,*
> *Stantibus œnophorum, tripodes, armaria, ciſtas,*
> *Alcionem Bacchi, Thebas, & Therea Fauſti.*

1 Horat. epiſt lib. 1. ad Quint. 2 Horat. Carmin. lib. 2 ad Licin. 3 Valer. Max. de varier caſuum lib. 6. cap. 11. 4 Deut. cap. 24. 5 l. *obligatione*, cum l. ſeq. ff. *de pig.* Jaſon. in §. *item Serviana.* num. 63. Alc in l. *nepos Proculo.* ff. de verb. & rer. ſignif. l. *pignorum.* l. *executores.* auth. agricultores. C. *quæ res pign. oblig. non poſſ.* d. l. *a divo Pio* §. 2. 6 Carolus Molin. rub. de exceſſ. offic. §. 13. in ſtylo parlam. 7 l. *ſtipendia.* C. *de exec. rei judic.* 8 Imbert. Rup. Inſt. Forenſ. lib. 1. cap. 51. 9 Juven. ſat. 7.

Alcionem & Therea, tragœdias, & Thebas fabulam veteres inscripsisse scimus. Quid, quod si coerceri pignoribus debitor non potest, quæ disquisita neque inveniantur, neque ab eo offerantur, judex illi diem constituet, quo pignora hastæ subjicienda præconi exhibeat: cui edicto ni satisfecerit, qui juri dicundo præest, permittet debitorem ipsum aut in carcerem conjici, Alexandri imperatoris rescripto, aut Pontificio fulmine [1] percuti, idque sanctioribus scriptis: quæ judicia ita cum Diocletiani & Maxim. constitutione [2] conciliari debent, puta postquam debitor pignoribus captis cogi non potuit facere judicatum, in carcerem conjiciatur. Quibus neglectis, nec bonis disquisitis, cum quidam in debitorem non solventem fulmine pontificio usus fuisset [3], id Senatus Parisiensis correxit, fori ecclesiastici consuetudine explosa atque infirmata. Neque satisfaceret bonorum mobilium disquisitio facta, nisi etiam scrutemur immobilia, fiatque eorum discussio. Quare die 9. Maii An. D. 1518. Parisiensis [4] senatus Pontificium fulmen, nondum immobilium discussione facta, jactum improbavit. Ab hac tamen molestia carceris & fulminis debitorem cessio bonorum liberabit, tum Alexandri imperatoris constitutione, tum Tolozatum decisione [5], qua filiusfam. qui solvendo non est, cedens bonis, fulminis Pontificii jactum non pertimescit: & ab eo tactus atque perculsus, absolvitur, rejecta consuetudine contraria, ut supremæ Parisiorum curiæ placuit. Mollienda etiam prædicta in gratiam debitorum, qui & legum humanitate & auxilio in id quod facere possunt, conveniuntur, & condemnati eatenus solum solvere coguntur: puta salva dignitate sua, eoque deducto quod ad victum commode sufficiat, & quos secum habent tueri possint, non deducto tamen ære alieno, nisi ex causa donationis in jus vocentur. Hi sunt [6] omnium bonorum socius, patronus, patrona, liberique eorum. item parens & miles, donator, maritus, socero etiam, quo cum nurus de dote agit, idem honos habetur. Imo si paciscatur maritus, ne in id quod facere possit, condemnetur, sed in solidum, Ulpianus & Pomponius ex Sabino [7] hoc pactum servari noluerunt: quippe cum contra receptam reverentiam, quæ maritis exhibenda est, id esse appareat. Ita pro marito, qui præsentem dotis pecuniam reddere non solum pactus erat, sed etiam omni legum auxilio conceptis verbis nominatim, & religiose renunciarat, Tholozatem senatum Sartani præsidis oraculo respondisse Tabotius [8] refert. Qua exceptione, si ante rem judicatam usi non fuerint, ipsi executioni opponi poterit: quam denique si judex per imperitiam rejecerit, nihilominus Neratius & Sabinus [9] doli exceptione maritum uti posse responderunt, eaque tutum fore. Hæc summatim quidem erant de hastarum ratione & origine dicenda, quibus quasi informata est auctionum usitatarum natura & ratio, quarum loci multas cautiones habent: In primis quoniam status Reip. judicatis rebus maxime, vel teste Cicerone [10], continetur, soli sententiæ executionis vim veteres tribuere [11]: ut sine ea pignorum captio, manusque injectio, *saisinam* vocant, irrita esset ac infirmaretur, nisi quis debitorem fugientem olfaciat, sentiatque: cujus nomen ne fiat inane, ejus bona persequi, & in ea manum injicere legibus permittitur [12]. Quare cum judex Nontronii sine

A judicato, & absque tabulis publicis manum injecisset in fructus & reditus D. Marguaritæ a monte Lambertio, eaque ab illius judicis edicto, & manus injectione appellasset, die 7. mensis Septembris An. D. 1543. Burdigalæ senatus a judice acta omnia infirmavit. Neque sententiæ vires, exequendique auctoritatem jureconsulti tabulis publicis seu instrumentis tribuerunt, ut Ulpianus [1] de jure respondit. Ex quo fit, ut etsi Francorum reges [2] tabulis eorum sigillo, aliove authentico nixis, sententiæ & executionis nervos tribuerunt, eodem tamen apud nos pondere nunquam pontificum tabellionum tabulæ fuerunt, quarum vi factam executionem Senatus sæpe rescidit, irritamque fecit, B gravis auctor D. Boerius [3] scriptum reliquit. Illam igitur Gallorum constitutionem suis se finibus tenere jubeamus. Tabulis tamen testamentorum regio, authenticove sigillo nixis, eadem est executionis vis, auctoritas, & sententiæ pondus: quarum viribus factam executionem probavit Burdigalensis senatus [4], die 1. mensis Septembris, An. D. 1543. litigatoribus Joanne Columbario appellante a suppræfecto Garitum, & Joanne Traversierio provocato. Pignorationem etiam confessæ syngraphæ [5] viribus confirmari non sola legis duodecim tabularum verba, ac prudentum responsa, verumetiam C senatus placita enunciant, quorum unum Burdigalæ pronuntiatum die 7. Junii, Anno D. 1543. scimus, concertantibus Francisco patrono a Marsaco, & Antonio Pebeirio advocato. Non licet oblivisci jus illud exequendi sententiæque vires cedi posse, cessionarium denique executionis jus paratum habere, idque legibus & prudentum responsis [6]. Creditor etiam qui nomen publicæ vel regiæ auctoritatis habet, petere prius debitum, interpellareque debitorem, nisi dies solutioni constitutus debitorem admonuerit, deinde pignerari debet, si debitor judicatum non fecerit: timide enim & pe- D detentim istuc veteres descendebant sæpe illusi ac destituti, ut ex veterum scriptis paulo ante docuimus: quæ sententia & legum & prudentum est [7]. Hic sese aperit dicendi campus: sed illud enarrasse satis sit. Ante diem, conditionemve dissolvendi æris alieni a debitore pignora auferre, executionisque viribus uti non licere, ut respondit Philipp. Decius [8]. Et in insigni facti specie, qua qui se obstrinxerat Titio mille florenis, modo Titius contractum ratum haberi præstitisset, cum ante ratihabitionem Titius executionis nervis usus fuisset, pignorique bona paciscentis cepisset, Aresto hujusmodi pignoratio infirmata fuit, si juris E peritissimo Guidoni Papæ [9] credimus. Cumque dotis promissio conditionem habeat, si nuptiæ sequantur, promissorem dotis nisi secutis nuptiis pignorari non posse, primæ classis interpretes [10] voluerunt. Moram etiam intellige ex Marcello [11], non ex re, sed ex persona: id est, si interpellatus opportuno loco debitor non solverit. Quare cum in navi interpellatus non satisfecisset, ejusque res in navim illatæ pignori captæ fuissent, summa Parisiorum Curia hanc pignorationem [12] rescidit 11. Maii M. D. XLV. in extero tamen aliud suaderet Ulpiani [13] responsum. Et cum cætera, quæ hujus sunt instituti, persequi studemus, a debitore pignora in F caussam judicati, nonnisi judicis edicto auferri posse legibus, & senatuum decisione [14] cautum fuit,

1 l. 1. C. *qui bon. ced. poss.* cap. *ad aures.* ext. *de simon.* 2 l *ob æs.* C. *de act. & obl.* 3 Joann. Gall. quæst. 164. 4 In stylo Parlam. decis. recenter appos. 5 l. 1. C *qui bon. ced. poss.* Quæst. Toloz. 2. Joan. Gall. quæst. 6 l *sunt qui.* l. *patronus.* l. *item miles.* cum l. seq. ff. *de re jud.* l. *maritum.* l. *rei judicatæ* ff. *sol. matr.* 7 l. *alia.* §. 1. ff. *sol. matrim.* 8 Tabot. oratio. Forens. lib. 1. 9 l. *ex diverso.* §. fin. ff. *sol. matrim.* 10 Cic. in orat. pro Sylla. 11 l. 2. C. *de exec. rei judic.* l. *nulla.* ff *de re jud.* 12 l. *ait prætor.* §. *si debitorem.* ff. *quæ in frau. cred.* l. *quæsitum.* ff. *de pign.*

1 l. *minor* XXV. *cui fideicom.* ff. *de minor.* 2 *Charles* 8. *art.* 54. *Francoys* 65. *art.* 3 Boerius quæst. 295. num. 25. parte 2. 4 Ex nostris commentariis. 5 l. *debitoribus.* ibi, *fatebuntur.* ff. *de re jud.* l. 1. C. *de confess.* 6 l. 1. C. *de cont. jud. tut.* l. *in judicio.* ff. *fam. Hercisc.* 7 Cicero pro Quintio. l. *ordo*. ibi, *mora solutionis.* C. *de execut. rei jud.* d. l. *debitoribus.* 8 Consil. 439. num. 3. part. 3. 9 Guido Pap. quæst. 15. 10. Angel. Paul. Jas. in l. 2. §. *creditum.* ff. *si cert. petat.* 11 l. *Mora.* ff. *de usuris.* 12 Rebusus de literis oblig. 13. l. *quæsitum.* ff. *de pign.* 14 l. 1. & 2. C. *si in caus. jud. pign.* Joann. Gall. quæst 177. l. *non est singulis.* ff. *de reg. jur.*

ne singulis concedatur, quod per magistratum publice fieri potest: neve occasio sit majoris tumultus faciendi. Adhæc curatoris fidei pignora committi & mandari qui eorum fructus locaret, jureconsulti voluerunt: qui fructus medio tempore inter licitationem & addictionem percepti, licet pignori sint obnoxii, ad debitorem tamen, non ad creditorem pertinent: ærique alieno imminuendo subserviunt Pauli responso [1], ac Neapolitani senatus Burdigalensisque judicio confirmatur [2]. De locatione tamen hoc ita demum, nisi locatum pignus fuerat: nam si jam a debitore locatum fuit, servabit prætor locationem a debitore factam, etiamsi minoris locatum est, nisi in fraudem creditorum hoc fiat Caii responso [3], quo liberum arbitrium curatoribus datum videtur, quanto tempore locent. Quod si neque curatores dati, neque fructus locati sunt, non videtur infirmanda pignoratio, cum voluntarium, & suum potius negotium creditor gerat: æstimationem tamen ejus rei, si quid debitoris interest, creditor sufferet, ejusdem Caii judicio [4]. Cumque frustra curatores in possessionem mitterentur, rei servandæ caussa, nisi missos tueremur, & prohibentes venire in possessionem coerceremus, placuit veteribus ea pignora publice possideri, insignibusque publicis, regiisque ad propulsandam injuriam obsignari: præter responsa prudentum, huc pertinet Ciceronis locus [5]: *Hippiam*, ait, *Philoxeni filium Calatinum, hospitem & necessarium meum tibi commendo in majorem modum. ejus bona, quemadmodum ad me delata res est, publice possidentur alieno nomine contra leges Calatinorum.* Qui locus, quia frigide enarratur, publice possideri bona accipe, quæ vulgi oratione non sine antiquitatis vestigiis sub manu regis, aut justitiæ possideri dicuntur. tanta auctoritas & majestas manui tributa fuit. Persius [6].

Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Majestate manus.

Et Ovidius [7]:

Regna tenent fortes manibus.

Idem Ovidius [8]:

At tibi rex ævo detur fortissime nostro
Semper honorata sceptra tenere manu.

Et cum fruendæ justitiæ caussa, ut ille ait, videantur olim bene morati reges constituti, ea majestas & auctoritas *regia manus* Pomponio jureconsulto [9] dicta fuit. *Omnia*, inquit, *manu regis gubernabantur*: cui regi cum nostra tueri conveniat, non episcopis (quorum est Dei cultum & puram religionem conservare) manus injectio seu saisina in quædam bona, archiepiscopi Senonensis auctoritate facta, fuit judicio senatus Parisiensis infirmata die 1. Junii, An. D. 1547. gravis auctor Rebuffus [10]. Quod si patroni auctoritate manus injicitur, in caussa est clientelaria jurisdictio, quam regi acceptam fert: unde Ovid. [11]:

An nescis longas regibus esse manus?

Nimirum quod per suos magistratus ac patronos fide sibi obstrictos, quibus rex manuum vice utitur, possit etiam procul dissitos affligere, fortunas suorum tueri, procul denique auctoritate sua ac majestate conservare. Quantum ad insignia, Henricus vetus exemplum Romanorum renovavit, qui potestatis insignibus ad propulsandam injuriam ab aliquorum vi & impetu ornare soliti erant. unde Plautus [1]:

Vide fur ut sentes sub signum ducas. C. *Qui vero sentes?*
Ser. Quia quod tetigere rapiunt: si eas ereptum, illico scindunt.

Est enim obsignandi verbum antiqui juris, quod ad injurias propulsandas, dum alicujus bona publice possidentur, pertinet. Cicero de Vedio loquens: [2] *Diversatus est Laodiceæ apud Pompejum Vindulum, ibi sua deposuit, cum ad me profectus est. Moritur interim Vindulus, quæ res ad magnum Pompejum pertinere putabatur: C. Vennonius domum Vinduli venit: cum omnia obsignaret, in Vedianas incidit.* Et Modestinus jureconsultus de reorum fortunis publice possidendis: *Mandato*, ait [3], *cavetur intra annum requirendorum bona obsignari: ut si redierint, & se purgaverint, integram rem suam habeant.* Observet hic lector, eum, cujus bona obsignabantur, illis interim liberius uti non posse: quæ deponi, & interim in deposito esse, idem jureconsultus voluit. Quare Ulpianus [4] cum in gratiam posthumi possessionem tueretur, nolletque bona in deposito esse, *Servius*, inquit, *ajebat res hæreditarias hæredem institutum vel substitutum obsignare non debere: sed tantum pernumerare, & mulieri assignare.* Quibus insignibus ne deterriti suis fortunis plerique minus fruerentur, prudenter ab imperatoribus [5] cautum scimus, ne quis signa vel potentiorum titulos rebus affigeret alienis: quorum auctoritate rerum suarum possessione quis deturbari videretur. Virgilius [6]:

Nomen & arma locum servant.

Picta certe arma eo loco Servius interpres fuisse scribit. Idem Virgil. [7]

Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.

Unde, cum imperii dignitas infringeretur ac debilitaretur, ejus imperii ligna refigi diripique dicebantur. Horatius [8]:

Sub duce, qui templis Parthorum signa refixit,
Et nunc si quid abest, Italis adjudicat armis.

Idem Horatius [9]:

—— tua Cæsar ætas
Fruges & agros retulit uberes,
Et signa nostro restituit Jovi,
Direpta Parthorum superbis
Postibus.

Illustrandus Persii locus [10]:

——hic, inquis, veto quisquam faxit oletum:
Pinge duos angues, pueri, sacer est locus, extra
Mejite, discedo.

Magnus in jocando lepos. Si satyræ meæ tela pertimescis, eaque improbitatem tuam ac scelera enarrari, ponique ante omnium oculos nolis (nam scelerum sentinam & veluti fœtorem, *oletum* dixit)

1 l. *creditorem*. l. *in venditione*. ff. *de bon. aut. jud. pos.* 2 l. *Valerius*. ff. *de jure fisci*. Matth. ab afflict. decisio. 337 218. & 148. Boer. quæst. 45. parte 1. 3 l. *in venditione*. ff. *d. reb. auct. judic. possid.* 4 d. l. *in vend.* in fine. 5 Cic. 13 epist. fam. 6 Persius sat. 4. 7 Ovid. lib. 3. Fast. 8 Ovid. lib. 1. de Pon. eleg. 9. 9 l. 2. ff. *de orig. jur.* 10 Rebuff. in concord. rub. de reg. ad præl nom in ver. *manibus*. 11 Ovid. 1. Fast.

1 Plaut. in Casin. 2 Cic. ad Attic. lib. 6. epistol. cujus initium est, *Lepta*. 3 l. fin. ff. *de requir. reis*. 4 l. 1. §. *Servius*. ff. *de vent. in poss. mitt.* 5 C. tit. *de iis qui pot.* cum sequent. duob. titul. 6 Virg. lib. 6. Æneid. 7 Virgil. lib. 10. Æneid. 8 Horat. lib. 1. epistol. ad Dolium. 9 Horat. Carm. lib. 4. ode 15. 10 Pers. sat. 1.

insignias te caduceo, quo in fide publica positus incolumis serveris, neque satyræ vulnera excipias. *Fay te mettre en sauvegarde, & pren les armes & panenseaulx de seurte*. Illi enim duo angues, sunt caducei periphrasis, quod duobus anguibus insignitum qui circumferebat, inter inimicorum tela incolumis consistere poterat. Cicero, *Eum*, inquit [1], *quærimus, qui non tam caduceo, quam nomine oratoris ornatus incolumis possit inter hostium tela versari*. Unde Eustachius caduceatores fuisse ἀσύλȣς tradit, quod nefas esset eos a quoquam violari, quia crederentur θεῖον γένος, id est, divinum genus. proinde Ulysses [2] exploratoribus comitem adjecit caduceatorem, διὰ τὸ ἄσυλον. Juvenalis [3]:

Magnaque debetur violato pœna caduceo,
Et movisse caput visa est argentea serpens.

Fuit etiam in more positum, institutoque majorum, propalam auctionarias tabulas collocare. quibus significabatur alicujus fortunas hasta posita distrahi, vocique subjici præconis, auctionis die constituto: cujus desertæ disciplinæ, & jam pridem relictæ patrocinium rex Henricus suscepit, & quodam quasi postliminio cum bonis literis restituit. Cicero in Catilinam [4], *Meo beneficio tabulæ novæ proferuntur, verum auctionariæ*. Idem: *Utrum lex hæc est, an tabula Verratianæ auctionis, in qua scriptum fuisse ajunt jugera CC. in quibus olivetum fieri potest: jugera CCC. in quibus vineæ fieri possunt: hoc tu emes ista innumerabili pecunia?* Solebant enim veteres rei commendatione, emptores pellicere: proinde scitum est illud Themistoclis [5], qui cum prædium quoddam venderet, hoc quoque præconem addere jussit, quod vicinos etiam haberet bonos, quasi vicini commendatione futurum esset longe vendibilius. quod tamen sine alterius fraude fiet. Quare Ulpianus [6]: *Idem*, ait, *Julianus dolum solere a venditore præstari, etiam in hujusmodi specie ostendit. Si cum venditor sciret fundum pluribus municipiis legata debere, in tabula quidem conscripserit uni municipio deberi, verum postea legem consignaverit, si qua tributorum, aut vectigalis indictionisve quid nomine, aut ad viæ collationem præstare oportet, id emptorem dare, facere, præstareque oportere: ex empto eum teneri, quasi decepisset emptorem. quæ sententia vera est*. Et Cicero [7]: *Si tu ædes proscribas, tabulam tanquam plagam ponas, domum propter vitia vendas, in eam aliquis incurrat imprudens, hoc quamquam video propter depravationem consuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege sanciri, aut jure civili, tamen naturæ lege sancitum est*. De iisdem tabulis auctionariis, varii loci extant [8]. *Racilius tabulas proscripsit, se familiam Catonianam venditurum*. &: *De hortis Scapulanis, hoc videtur fieri posse, aliud tua gratia, aliud nostra, ut præconi subjiciantur. id nisi sit, excludemur: sin ad tabulam venimus, vincemus facultates Othonis nostra cupiditate*. Item: *Cum esset hæc auctio hereditaria constituta, Ebutio negotium datur: adest ad tabulam, licetur Ebutius. Constituere auctionem* Cicero dixit, decernere auctione, hastaque posita res distrahi ac vendi: ea enim venditionis species, qua pluris licitanti res aliqua addicebatur, præcone pretium proclamante, auctio erat: cujus index, tabula proferri, editiorique loco affigi solebat. Cicero [9]. *Cum repente a te præclara illa tabula prolata, qui risus hominum de te erat? tantam esse tabulam*

1 Cic. de Orat. 2 In Odyssea. 3 Juven. Sat. 6. 4 Cic. 2 in Catilin & de lege Agra. 5 Apud Plutarchum in Themistocle. 6 l. *Julianus*. §. ff. *de act. emp.* 7 Cic. 3. offic. 8 Cicero ad Quint. frat. & ad Att. lib. 12. pro Cecin. 9 Cicero Philip. 2.

A *tam varias, tam multas esse possessiones, ex quibus præter partem Miseni, nihil erat, quod is, qui auctionaretur, posset suum dicere: auctionis vero miserabilis aspectus, vestis Pompeii non multa, eaque maculosa, ejusdem quædam argentea vasa collisa, sordidata mancipia: ut doleremus quicquam esse ex illis reliquiis, quod videre possemus: hanc tamen auctionem hæredes L. Rubrii decreto Cæsaris probibuerunt*. Ciceronis locus ab aliis frigide tactus, venit explicandus [1]: *Nam ad me P. Valerius homo officiosus scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi: quemadmodum a Vesta ad tabulam Valeriam ducta esses. A Vesta* enim periphrasis, supplicis ritum demonstrat:
B supplices enim *in Vesta*, id est, *lare*, sedere solitos gravis auctor Aristoteles [2] docuit. ὥσπερ ἱκέτιν ϗ ἀφ' ἑςίας ἠγμένην, id est, *velut supplicem & a Vesta*, hoc est, *lare*, *ductam* arbitrari uxorem, ut tuta esset ab omni injuria. *Quid*, ut scripsit pro domo sua, *vos uxor mea misera violarat, quam vexavistis, omni crudelitate laceravistis. Supplex Terentia, quia precibus nihil promovisti, etsi te ab omni injuria tutam esse oportuit, a qua alii opem petere solebant, ad tabulas tamen auctionarias, quibus Ciceronis fortunæ sub hasta venibant, ducta es, ut quando opes nostræ incolumes & salvæ esse non possent, res tuas vel doti datas conservares*. eam *tabulam Valeriam*
C appellavit: L. enim Valerius Flaccus interrex legem ante tulerat, ut eorum bona venirent, qui proscripti erant. Unde pro S. Roscio Amerino: *Verum ego hoc queror, qui potuerint ista ipsa lege, quæ de proscriptione est, sive Valeria, sive Cornelia, bona S. Roscii venire: scriptum enim ita dicunt esse, ut eorum bona veneant, qui proscripti sunt, quorum in numero S. Roscius non est*. Ex iis lumen accipit alter Ciceronis locus: *Volo*, inquit [3], *uti mihi respondeas, cum M. Bibulum consulem non dicam bene de Repub. sentientem, ne tu mihi homo potens irascare, qui ab eo dissensisti: sed hominem certe nusquam pro-*
D *gredientem, nihil in Repub. molientem, tantum animo ab actionibus tuis dissentientem: cum eum tu consulem in vincula duceres, & a tabula Valeria collegæ tui mitti juberent: fecerisne ante rostra pontem continuatis tribunalibus, per quem consul populi Romani moderatissimus & constantissimus, sublato auxilio, exclusis amicis, vi perditorum hominum incitata, turpissimo, miserrimoque spectaculo non in carcerem, sed ad supplicium & ad necem duceretur*. hactenus Cicero. Cum enim in tabulas proscriptorum scelere Vatinii & injuriis, Bibulus relatus esset, innocentis famam & fortunas conservari studebant Vatinii collegæ, nomenque M. Bibuli de proscripto-
E rum tabulis, utpote quem Reipub. amicissimum, minimeque hostem cognoscebant, mitti atque eximi volebant. Hujus tabulæ auctionariæ proferendæ non una ratio fuit. Justiniani verba Latine facta ea sunt [4]: *Ære alieno oppressæ venerabilis domus dispensatores per viginti dies scriptum aliquod in publico civitatis loco proponunto, & eo modo rem immobilem emere volentes provocanto, ut qui plus præbiturus est, is cæteris præferatur*. Altera vis hujus programmatis Impp. Diocletiani & Maximiani lege sancita est [5]: *Si eo tempore, quo prædium distrahebatur, programmate admoniti creditores, cum præ-*
F *sentes essent, jus suum executi non sunt, possunt videri obligationem pignoris amisisse*. Quam legem hypothecæ, pignorisque finibus, quibus continetur, terminamus: non enim hastis, possessionis aut dominii jura labefactantur, cujus dominii controversiam post addictum pignus moveri posse Ulpianus respondit [6]. Possessionis vero jacturam illis auctionibus nullam fieri, nisi nominatim possessor sit vo-

1 Cicero epist. fam. lib. 14. 2 Arist. in œconom. 3 Cic. in Vatinium. 4 Justinian. novell. 120. 5 l. *si eo tempore*. C. *de remiss. pignor.* 6 l. *a divo Pio*. §. *si post*. ff. *de re judicata*.

catus, Alexander Immol. [1] pluribus confirmavit. A Accedat Senatus Burdigalenſis auctoritas, quam multorum ſententiis antepono: cum Helis Palarda intercedens executioni addictionis quorundam pignorum, eorum poſſeſſione ſe frui aſſeveraſſet, qua exturbari non poſſe contendebat, apparitor ſine illius interceſſionis damno, ut dicebat, Johannam & Helionoram Cuculeanas, quibus Senatus pignora addixerat, in illorum poſſeſſionem collocavit: quod Senatus Burdigalenſis correxit, decernens Palardam poſſeſſioni prius reſtituendam, quæque ipſa jure ſuo, quo ante executionem erat, frueretur, traditura ſcripto ſuæ interceſſionis cauſſas. Placitum ex tempore pronunciatum die 2. B Decembris, An. D. 1544. Et ſuper jure dominii bonorum addictorum, etiam poſt executionem appellationis via, quæ fuit in oppoſitionis beneficium commutata, nihil incommodantibus haſtis & auctionibus, audita fuit in eodem Senatu Margareta Valentia contra Ludovicum Chauvinum, quæ dominii controverſia inficialiter fuit conſtituta, die 23. menſis Januarii, An. D. 1547. Quo jure colonus partiarius pro fructuum parte, quæ ſibi competit, niſi ſit nominatim vocatus, recipitur intercessor, antequam re ipſa judicium executioni mandetur: quod & voluit noſtri amantiſſimus D. Ferronus [2], ſupræmæ Burdigalenſium C curiæ ſenator, eloquentium jurisperitiſſimus, juriſperitorum eloquentiſſimus, quam ſententiam alia ratione confirmo, quod locationem a debitore factam, prætor hic ſervare pollicetur. Habenda etiam abſentis creditoris ratio, cujus hypotheca auctionibus nihil detrimenti capit, vel ipſius legis verbis [3]. Quare exteri poſt addictum pignus, ſuæ hypothecæ jus perſequuntur, quæ haſtis nulla parte infirmata, neque debilitata fuit: ita in gratiam Gulielmi Hierlii Angli contra Joannem & Franciſcum Douzonos fratres ſenatui Burdigalenſi placuit, die 7. Septembris, D An. D. 1527. Succurritur etiam minori, cujus hypotheca, haſtarum impetu atque incommodis debilitata, reſtitutionis auxilio confirmatur, vireſque recipit: idque Burdigalæ deciſum fuiſſe, Boerius teſtis eſt [4]. Et cum minorum jure eccleſiæ nitantur, ſyndicus ædis ſacræ majoris Burdigal. reſtitutionis beneficio poſt pignus addictum, ſuam hypothecam incolumem ſervavit, ejuſdem ſenatus graviſſimo judicio die 19. Januarii, An. D. 1531. Satis tamen eſt creditori auctionibus factis intercedere, ante addictum pignus, cujus haſtam atque auctiones creditor impedire non poteſt, ſi Ulpiano [5] credimus. Unde haſtas poſitas, E auctioneſque factas, creditorem expectare debere, neque ante intercedere Guido Pap. [6] jureconſultus nobilis reſpondit. Non eſt ſilentio prætereundum haſtam atque auctiones, addictionem denique ipſam nihil incommodare ejuſdem pignoratoris hypothecæ, ſi qua altera illi eſt. Quapropter cum diſquiſiſſet creditor debitorem non eſſe ſolvendo, ob idque in tertii poſſeſſoris bona advolaſſet, quæ pignori capta haſtis poſitis, ac voci ſubjecta præconis creditori addicta a ſenatu fuiſſent, dum in gratiam creditoris apparitor ſenatus placitum exequeretur, poſſeſſor æs alienum, cujus cauſſa pignora F addicta fuerant, numeravit, obtulit, conſignavit, petens a creditore ſibi jura cedi: creditor reluctabatur, dicens alia ſibi ab eodem obærato debita, maxime expenſas nondum æſtimatas litis ac controverſiæ, qua debitum illud fuerat perſecutus, atque obtinuerat, præter haſtarum ſumptus: quæ omnia ſi poſſeſſor diſſolveret, ei, non alias, jura ſua ceſſurum, non recuſabat: cauſa ad ſenatum [1] Burdig. relata die * An. D. 1551. cenſuit ita demum pignoratorem ſua jura cogi cedere, ſi omnia debita, non id ſolum, cujus gratia pignus addictum fuerat, poſſeſſor diſſolveret. De haſtarum ſolennibus magnus locus, forenſique exercitationi proprius, quique tractari a nobis uberrime poteſt: ſed in animo eſt, leviter tranſire, ac tantummodo locum perſtringere. *Solenne* voco *fieri & obſervari ſolitum*. Poeta [2]:

> *Annua vota tamen, ſolenneſque ordine pompas,*
> *Exequerer, ſtrueremque ſuis altaria donis.*

Plinius [3]: *Solemne eſt mihi, domine, ea, de quibus dubito, ad te referre*. Eraſmus *ſolenne* dictum autumat, *quod ex more fit*. Cicero *ſtatas*, *ſolenneſque ceremonias* dicit *conſtitutas*, *obſervatas*, & *fixas*. hoc liberius dico quod ſolemnitatis verbum Latinum neſcimus. Creditor igitur hypothecas ſive pignus cum proſcribit, auctionis diem denuntiabit debitori, ejuſve domum, Alexandri imperatoris lege [4] quod more majorum obſervari [5] Cicero voluit, ne ſub gratioſa auctione fraus debitori fiat. Quæ auctio non in tenebris ac ſolitudine, ſed in conſpectu populi facienda eſt, ſi veterum ſcriptis credimus. [6] *Venire veſtras res proprias, & in perpetuum a vobis alienari, in Paphlagoniæ tenebris, atque in Cappadociæ ſolitudine licebit? Cenſoribus vectigalia locare niſi in conſpectu populi Romani non licet: his vendere, vel in ultimis terris licebit? at hoc nequiſſimi homines conſumptis patrimoniis faciunt, ut in atriis auctionariis potius, quam in triviis aut in compitis auctionentur, hic permittit ſua lege decem viris, ut in quibus commodum ſit tenebris, ut in qua velint ſolitudine bona Pop. Romani poſſint divendere? unde proximo emporio, aliove celebri loco auctionari videmus*. Ex quo fit, loco & tempore auctiones perturbari atque infringi. Cicero [7]: *Opinor eſſe in lege, quam ad diem proſcriptiones, auctioneſque fiant: nimirum ad Calendas Junias. aliquot poſt menſes & homo occiſus eſt, & bona veniſſe dicuntur*. Idem: *Horti quam ad diem proſcripti ſint, velim ad me ſcribas*. Item: *Hæreditas tanti non eſt, & tamen obire auctionis diem facile potero: eſt enim III. Idus. Auctionis diem obire*, eſt ad *auctionis diem adeſſe*. Hora etiam auctionis conſtituenda. [8] *Tum Nævius ipſe pueros circum amicos dimittit, ipſe ſuos neceſſarios ab atriis Liciniis, & faucibus macelli corrogat, ut ad tabulam Sextiam ſibi adſint hora ſecunda poſtridie*. Quarto autem trinundino auctionem futuram inclamatam oportet, & juſtos dies proſcriptam, antequam ultima licitatio committatur, quam protinus ſequitur addictio. Singulis auctionum diebus apparitor debiti quantitatem, ob quam pignora capta ſunt, palam ſignificat & denunciat: omnes commonet, ut ea licitentur: pretium ab unoquoque oblatum deſcribit: poſtremo ubi jam nullum pluris licitari cernit, promulgat eam primam auctionem eſſe: ſecundam in octavum adhinc diem, vel moribus laxiorem rejicit, niſi divini cultus feriæ id prohibeant: atque tunc proximo profeſto die ſequens auctio celebratur: quam diſciplinam in cæteris auctionibus præco conſectatur. Quod ſi auctio una aut altera minus ſolennis fuerit, neque ex more facta, non univerſa infringuntur, ſed peccans auctio iteranda decernitur, ut nos Senatus docuit die 2. Decembris An. D. 1542.

1 Alex. conſil. 5. lib. 2. 2 Ferron. in Append. 3 l. *in venditione. § ſi quis fructus ff. de bon. auct. jud. poſſid.* 4 Boerius, quæſt. 142. 5 d. l. *a divo Pio. § quod ſi res.* 6 Guid Pap. conſil. 46. numer. 6.

1 Ex noſtris comment. 2 Virgil. Æn. lib. 5. 3 Plin. ad Trajan. Eraſm. lib. 2. Epiſt. divi Hiero. adverſus Jovin. Cic. de Aruſ. reſp. 4 l. *creditor*. C. *de diſtr. pign.* 5 Cicero pro Quint. 6 l. *ſi quos*. C. *de reſc. vend.* l. 2. C. *ſi propt. pub. penſit.* 7 Cic cont. Rull. ad Pomp. & in Senatu. Cic. pro Roſ. Amer. & lib. 10. & 13. epiſt. fam. 8 Cicero pro Quintio.

Juſti autem illi auctionum dies, quibus debitor nummos conficere, & pignus liberare poteſt, contrahi non poſſunt. an autem poſſint prorogari, controverſum vidimus, in nobili haſtarum controverſia, qua unam auctionum in quartum aut quintum menſem creditor protulerat, quas debitor ob id oppugnabat: quod tutelæ, ubi auctiones celebratæ erant, in decimum quintum diem pro more fierent: creditor vero id ſine debitoris fraude factum, ejuſque maxima utilitate defendebat: quo cum non ſummo jure uti volebat, ſed debitori gratificari, cum pignoris fructus interea æs alienum imminuerent, ac debitor nummos conficere poſſet, ſeſeque ac pignus liberare. Curia igitur Burdigalenſis ſuprema, probatis auctionibus, pignora pluris licitanti addixit, die 11. Septembris An. D. 1543. litigatoribus magiſtro Bernardo *du Perier* pigneratore, & Giliberto a ſancto Aniano debitore: quæ ſententia ante Bartoli [1] fuit, & prius Ciceronis [2]: *Dices igitur vel amico tuo vel Octoni cohæredi meo, vel Labeoni noſtro, paulum proferant auctionem. Auctionem proferre* dixit, prorogare diem conſtitutæ auctionis. Quod intellige, modo auctionis inſtitor ejus prorogationem debitori ſuo tempore denuntiaverit: cujus areſti nolui oblivisci, ne quis ad vivum reſecaret Franciſci regis conſtitutionem [3]: qua præconia, proſcriptiones atque auctiones ad formulam & conſuetudinem judiciorum exacta & approbata eſſe oportet, in quibus locis ipſa pignora ſita ſunt: idque rite ac moribus factum eſſe, renunciari debet, antequam addictio licitantibus fiat: alioquin nec rite, nec ordine proſcripta pignora eſſe cenſentur. Quæ comprobatio de pragmaticorum ſententia fit faſto altercatorioque die, mediis cauſſarum actionibus, poſtquam auctiones illic perlectæ fuerint. Cæterum propter abjectam mobilium poſſeſſionem, illa paucioribus auctionibus diſtrahuntur: ſi ea tamen mobilia

1 Bart. in l. *ſi tempora*. in fine. *de jure haſtæ fiſc.* lib. 10.
2 Cic. lib. 13. epiſt 3 Franc. art 79

A ſimul cum immobilibus in cauſſam judicati pignori capiantur, auctiones quatuor omnium venditio deſiderat, graviſſimo Senatus Burdigalenſis teſtimonio, quod recitatum fuit die * An. D. 1542. [1] in gratiam Petri & Arnaldi Vincentiorum, qui creditores erant contra Raymundum Martinum debitorem, uti ſi res mobilis & immobilis ſimul poſſidentur, mobilis non niſi tempore, quo immobilis uſucapitur. cujus rei divitias locupletiſſimus auctor A. Tiraquellus [2] congeſſit. Et quod ad auctionum renunciationem comprobationemque attinet, in quæſtionem veniſſe ſcimus, an a Provinciæ præſide, an ab ordinario judice probatas eſſe oporteret. Cumque in præfectu- B ra non alii mores opponerentur, a præſide auctionibus confirmatis, Senatus Burdigalenſis pignora addixit die 11. Septembris, An. D. 1543. Ab ordinario vero judice probatas, idem Senatus confirmavit 2. Decembris, An. D. 1541. in cauſſa Cardoni Gulielmi pigneratoris, & Joannis Gulielmi debitoris. Quamque auctionum renuntiationem moribus factam, poſtquam debitor in jus vocatus fuit, ut pignorum addictioni adeſſet, Senatus ipſe comprobavit, die 23. Julii, An. D. 1541. in haſtarum judicio, quod controverſum erat inter Joannem *de Mombrun* provocantem a ſuppræfecto Xantonum, & D. C Andream *de Mombrun* Archiaci patronum. De licitatione autem, quæ ipſa eſt pretii majoris oblatio in auctione facienda, *l'enchere*, illud dixiſſe ſatis erit, licitationem a Senatu approbari, donec pignus a judice addictum fuerit, etiamſi ipſe pignerator licitetur, ut eidem Senatui viſum fuit, die 7. Junii, 1543. *Addictionis* autem verbum, pignorum adjudicationem ſignificat, quam *decreti interpoſitionem* pragmatici vocant. Qui locus graviora requirit, quæ in haſtarum conflictum rejecimus: quo nomine inſcriptum librum lector brevi accipies, ſi hæc qualiacunque procemia æqui, bonique conſulueris.

1 l. *longe*. ff. *de diver. & temp. præſc.* l. *eum qui*. ff. *de uſuſcap.* 2 Tiraq. des retraict. lign. §. 1. gl. 7. num. 81

F I N I S.

FRANCISCUS ROBORTELLUS UTINENSIS, DE MAGISTRATIBUS IMPP.



UETONIUS in Aug. de ipsius consulatib. num. 26. ita scribit: *Secundum consulatum post annos* IX. *tertium anno interjecto; sequentes usque ad undecimum continuavit; multisque mox cum deferrentur, recusatis, duodecimum magno, id est, septemdecim annorum intervallo, & rursus tertium decimum biennio post ultro petiit, ut C. & L. filios amplissimo præditus magistratu suo quenque tyrocinio deduceret in forum*. Cassiodorus quidem aliter consulatus recenset in sua Chronologia, nec satis scio, quem secutus fuerit. Suetonii autem probabilior hæc est, & verior ratio; nam cum marmoribus antiquis, & cum numismatibus, ut ostendam, convenit. De consulatu II. mentio est in numismatibus. Vide in argenteis numis, numero 23. COS. ITER. ET III. DESIG. ubi lituum videas, gutturnium, pateram, & aspergillum sacrum. In his consulatibus Aug. considerandum, quid de more, quid contra morem majorum fit. Primum quod secundum consulatum gesserit post annos IX. sciendum hoc tempore interjecto fuisse illum Triumvirum Reip. constituendæ in annos V. mox in alios V. Quod etiam annotatum fuit in ipsis marmoribus Rom. item in numism. Arg. num. 9. Lepidus Pont. Max. III. VIR. R. P. C. & in aliis *Reip. causa constituendæ*, additum fuit, ut differant ab aliis triumviris, qui erant A. A. A. F. F. nam & iis licebat suum apponere nomen in numis. Legem sciendum fuisse olim latam a Cornelio Sylla de non continuandis magistratibus, ut ne quis consul fieret, nisi post X. annos, vide App. lib. I. Ideo Marius solutus fuit lege, ut ante decennium petere posset. vide Plutarch. in Mario. Sed multo ante etiam legi potest apud Liv. ab Ur. cond. lib. 7. continuari magistratum fuisse contra Remp. Idem lib. 3. *Tribuni refecti altero anno*. hoc contra legem. & eodem lib. *Quintius Cos. se renuntiari noluit contra S. C. cum plebs vellet illum reficere*. De continuatione magistratuum Liv. lib. eod. Sic enim veteres loquebantur, *de non reficiendis iisdem Coss. de non continuandis magistratibus*. Cor. Tac. lib. primo non longe ab initio Augusto jam mortuo ita ait: *Numerus consulatuum etiam celebrabatur, in quo Valerium Corvinum & Marium simul æquaverat*. Vellejus lib. posteriore: *Consulatus tantummodo usque ad undecimum, quem continuare Cæsar cum sæpe obnitens repugnasset, impetrari non potuit*. Ex quibus intelligi potest continuationem consulatuum fuisse contra morem in consulatibus Impp. Illud etiam contra morem, quod consulatum gerebant, quamdiu vellent, & alterum, quod pro suo arbitratu suffici volebant. Ideo Suetonius ait, cæteros consulatus partim novem mensibus tantum, partim quatuor, partim tribus, partim paucissimis horis cum gessisset, abiit magistratu. Hoc florente Rep. nunquam

A leges factum, nisi si aliquid incidisset, propter quod vitio diceretur creatus; sic enim abdicabat. Valerius Max. lib. primo de auspiciis multa exempla habet itidem. vide sæpe apud Livium, & in marmoribus Rom. annotatum. Quod si mortuus esset, itidem suffici solitus est alter, ut in primo consulatu ab Ur. C. Liv. lib. 2. refert, & formula solemnis est in marm. Rom. hæc IN M. M. E. in E. L. F. E. Tertium contra leges veteres & illud fuit, ut absens crearetur, & in provincia iniret magistratum. Ne absentium haberetur ratio, legem tulit Pompejus. Suet. in Julio Cæsare. B Plutarch. etiam in Cæsare: *Sed cum edictis jam comitiis ratio ipsius haberi non posset, nisi privatus urbem introisset, & ambienti, ut legibus solveretur, multi contradicerent, coactus est triumphum, ne consulatu excluderetur, dimittere*. Sed Impp. tempore hæc servari solita non sunt. vide Suet. in Caligula num. 17. *Consulatus quatuor gessit, primum ex Cal. Januariis per duos menses; secundum ex Cal. Januariis per* XXX. *dies. tertium usque in idus Januarii, quartum usque in* VII. *idus ejusdem. Ex omnibus duos novissimos conjunxit. tertium Lugduni solus iniit*. Idem in Tib. C num. 10. *Magistratus & maturius inchoavit, & pene junctim percucurrit, Questuram, Præturam, Consulatum; interpositoque tempore Cos. iterum, etiam Tribunitiam potestatem in quinquennium accepit*. Possem & alia afferre loca, sed omnia ejusdem sunt generis. Nunc breviter explico, cur Trib. potestatem recipere vellent Impp. Præter alios magistratus, quos Impp. gerere volebant, erat tribunicia potestas, (sic ipsi vocabant) i. tribunatus Pl. Maxima auctoritas in rep. Rom. fuit Tribb. intercedendi, referendi, accusandi, habendi comitia tributa, ferendi rogationes & leges, D de quibus omnibus singillatim alibi est a me dictum. Ideo Sylla rerum potitus imminuit potestatem Tribb. Vide Plutarchum in Sylla, & Asconium in Divin. quam postea restituit Pompejus cum Crasso Cos. Hanc igitur Impp. sibi reservarunt, ut summo essent jure in omnibus rebus agendis. Hinc in numismatibus Impp. videas enumerari annos Trib. Pot. in Augusto ex ære num. 22. Trib. Pot. XXIV. Item & Pont. Max. Sed postea de hac re. Vide Suet. num. 11. in Tib. ubi ait: *Rhodi cum esset, jus tribunitiæ potestatis exercuit in Antisophistam quendam, qui ipsum convitio lacessere erat ausus, quod propensior* E *esset in alterum, & studiosior alterius partis. citatum enim pro tribunali jussit rapi in carcerem*. & ibidem tamen ait, sine lictore ipsum, & viatore prodiisse. Idem Suet. in Tib. num. 9. *Tribunitiam potestatem recepit in quinquennium*. & idem num 16. *data rursus potestas Trib. in quinquennium*. Quod jure potestatis Trib. cogerent Senatum Impp. vide Suet. in Tib. eodem num. 23. *Jure Trib. Pot. coacto Senatu, inchoataque allocutione*. Dion. lib. 53. *Tribb. pleb. noluerunt Impp. creari, quia ad plebem id pertinebat, sed ipsam potestatem tribunitiam retinuerunt*. vide ibi multa, & una cum pot.

Trib. cœpisse dinumerari annos ἀρχῆς ἀυτῆς. quod quam sit verum, quæro. nam Tiberio, (ut ex Suet. patet.) ante mortem Augusti Trib. potestatem est adeptus. de Tribunatu Augusti loquitur Sueton. in vita ipsius n.28. his verbis: *Tribunitiam potestatem perpetuam recepit, in qua semel atque iterum collegam sibi cooptavit per singula lustra*. Qua quidem in re quatuor video præter consuetudinem, & nova. Primum, quod perpetuam hanc recepit potestatem. Alterum, quod unus collega, nec semper. Tertium, quod per singula lustra. Quartum, quod ipse cooptaverit. Tribunos decem fuisse patet ex Cic. lib.3. ad Att. & in or. pro P. Sestio, itidem ex Livio lib.3. ab Ur. cond. bini enim ex singulis classibus creati. Ac sane cum Tribunitiam potestatem nominarent Impp. non ipsos dicerent tribunos pl. argumento est ipsum Imp. solum tribunatus potestatem recepisse, etsi ego ex Suet. in Tib. nominari Trib. pl. ostendo. Nimirum id fiebat, cum ipse Imp. eam potestatem non assumebat. Sed an x. crearentur, non liquet; neque enim id narrant historici. Tribuni florente Rep. erant annui, ut satis est notum, nec refici poterant in alterum annum. vide Plut. in Gracchis. Sed refectos interdum legas per vim. vide Liv. lib.3. Cum vero Suetonius ait, per singula lustra Augustum recepisse potestatem tribunitiam, significat quinquennium. Sic in Tib. legas, num.9. illi tribunitiam potestatem datam in quinquennium. Quod autem ipse collegam sibi cooptasset, & hoc novum; nam alio modo fieri cooptatio Tribb. solita. lex enim erat, ut creati quinque alios collegas sibi cooptarent, si propter dissensionem alii creari non possent. Liv. lib.3. Censuram etiam gerebant Impp. Dion id refert lib.52. postquam rerum potitus est Aug. & Imperatoris nomen sibi assumpsit in V. Consulatu his verbis: *μετὰ ταῦτα τιμητεύσας σὺν τῷ Αγρίππᾳ ἄλλά τε τινὰ διώρθωσε, καὶ τὴν βουλὴν ἐξήτασε. πολλοὶ μὲν γὰρ ἱππεῖς, πολλοὶ δὲ καὶ πεζοὶ παρὰ τὴν ἀξίαν ἐκ τῶν ἐμφυλίων πολέμων ἐβούλευον. Nam in eum ordinem multi equites ac plebeii indigni adsciti erant bellis civilibus*.

Ibi vide ab ipso Cens. Senatum expurgatum. Senatores enim tum mille forte erant. Vide Suet. num.35. de hac re loquentem.

Notam inustam indignis Senatoribus, & patritios allectos permittente Senatu, idem Dion ibid. prodidit, ut & Consulares fecisse duos, qui Coss. non fuerant ante, *καὶ ἀυτῶν ἠτίμωσε μὲν οὐδένα. τὰ δ' ὀνόματα τῶν δευτέρων ἐξέθηκε. At infamia quidem horum neminem notavit, posteriorum tamen nomina publice proposuit*.

Suetonius etiam in Augusto num.37. ait *Censores creari desitos longo intervallo creavit*. Quare miror, cur Censores hujus ætatis & lustra non apposuerint nonnulli in suis fastis, cum historici de ipsis faciant mentionem. Cur autem sibi Censorum nomen, & potestatem assumerent Impp. refert Dion lib.53. his verbis. *ἐκ δὲ δὴ τοῦ τιμητεύειν τοὺς μὲν καταλέγουσι καὶ ἐς τὴν ἱππάδα καὶ ἐς τὸ βουλευτικὸν, τοὺς δὲ καὶ ἀπαλείφουσιν, ὅπως ἂν αὐτοῖς δόξῃ. Ex censoria autem appellatione vitam & mores nostros inquirendi, census agendi, in equestrem ac senatorium ordinem adscribendi, aliosque ex iis removendi pro suo arbitrio facultatem consequuntur*. & ibidem sed ante: *τούς τε βίους καὶ τοὺς τρόπους ἡμῶν ἐξετάζουσι, καὶ ἀπογραφὰς ποιοῦνται*. Tu vero Censum intellige.

Ibidem Dion scribit Impp. sua ætate (Severi autem ætate scribebat historiam) Censs. nomen non assumere solitos, sicuti priores usque ad Domitianum.

Οὐ μέντοι καὶ νῦν ἔτι τοῦτο γίνεται. τὸ γὰρ ἔργον αὐτῆς ἔχοντες οὔτε αἱροῦνται ἐπ' αὐτὴν, οὔτε τὴν πρόσκλησιν αὐτῆς πλὴν ἐν ταῖς ἀπογραφαῖς κτῶνται. Nunc vero non amplius fit. Cum enim rem ipsam nostri temporis Imperatores habeant, neque deliguntur ad censuram gerendam, neque ejus magistratus nomen præterquam in agendo censu ferunt. Hæc ita refert Dion, sed nota non omnes usque ad Domitianum ab Aug. nam Suet. in D. Claudio ait ipsum revocasse in usum censuram. de Censura, quam gessit Claudius Imp. lege Cornelium Tac. lib.7. itidem in antiquis numismatibus Domitiani ex ære num.34. videas Victoriam cum hac inscriptione:

IMP. XXIV. COS. XVI. CENS. PP. P.

& 50.

Ubi palma est: IMP. XXI. COS. XVI. CENS. PP. P. S. C.

& 56.

IMP. CÆS. DOMIT. AVG. GERM. COS. XV. CENS. PERP. P. P. P.

Vide ut Censor perpetuus dicatur.

In Marmorum etiam inscriptionibus, & in Arcu Vespasiani & Titi F. qui adhuc Romæ visitur:

Imp. Cæsar Divi F. Vespasianus Augustus Pontifex Max. Trib. Pot. V. Imp. XVII. PP. Censor Cos. VIII.

De censura Augusti verba hæc profert Suet. *Morum regimen perpetuum recepit*. qua in re tria sunt annotanda, quæ præter consuetudinem, & nova videri possunt. Primum, quod Censor dici noluit. Alterum, quod perpetuam potestatem illam esse voluit. Tertium, quod sine collega. Nam morum regimen ad Censores spectasse, satis constat, etsi causa primum creandi Censores fuit, ut cum Coss. essent bello occupati, ipsi censum agerent, ut Liv. declarat lib.4. ab V. C. & de primo censu in villa publica acto idem loquitur lib. eodem. Census autem differebat a lustro; nam sæpe census agebatur prætermisso lustro, ut ex Livii verbis lib.3. ab V.C. cognosci potest, ubi ait: *Census actus eo anno, lustrum propter Capitolium captum, consulem occisum, condi religiosum erat*. & Dionysius Halic. in secundo consulatu mentionem fecit census, lustri autem non fecit propter mortem alterius Cos. Censuram vero non perpetuam fuisse, sed quinque annorum declarat Liv. lib.4. ubi etiam refert Æmilium Mamercum legem ferre conatum, ut censura esset annua & semestris. Sed a Censoribus ob id tribu motus fuit. Præterea Censores duos creari solitos ibidem cognosci potest. Intelligere jam quilibet potest, opinor, quomodo se censura habuerit ætate Impp. & quando renovatum hoc fuerit nomen; nam quando desierit, incertum est, tametsi conjectura facile quivis assequi potest. nam Cinnanis & Marianis temporibus sublata de medio Censura fuit. Asc. in divin. multa refert de Censoribus, & Censura, quæ illic legi possunt. Hoc unum ad rem nostram spectat, quod ait illic Cic. in tanta libidine nocentissimorum hominum plebem tunc postulasse Censores, *quod nomen tam triste*, inquit Asconius, *& severum Pop. Rom. sic oderat, ut intermissum esset per plurimos. annos*. Crassus quidem de se censore, cum Rhetores Latinos expulit Roma, meminit lib.3. de or. quo loco considerari tempus potest, quo Romæ adhuc erat censura. Augustus igitur tanto post ipsam renovavit, sed rursus intermissa est usque ad D. Claudium. Vide Suet. in ejus vita num. 16. ubi ait: *Gessit & censuram intermissam diu post Paulum Plancumque censores*.

Hæc a me hactenus de censura Impp. dicta sint. Nunc alia quædam percurro, quæ ad illorum magistratus, & potestatem pertinent. Etiam soluti legibus (si quid hoc forte ad magistratus ipsorum spectat) erant Impp. vide Dionem lib. eodem LIII.

A Λέλυνται δὲ τῶν νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ ῥήματα Λατινικὰ λέγει, τοῦτ᾽ ἔστιν ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας εἰσὶ, καὶ οὐδενὶ τῶν γεγραμμένων ἐνέχοντε. *Legibus etiam soluti sunt Imperatores, quod ab iis totidem verbis Latinis dicitur. hoc est, liberi sunt ab omni coactione legum, neque ulla lege scripta tenentur*. Nunc magistratus Tiberii ex Suetonio colligo ordine ita gestos, ut res ipsa perspici possit. Quæstura, Prætura, Consulatus, interposito tempore rursus Consulatus alter, postremo Trib. pl. seu Tribunitia Potestas in quinquennium. Vide Suet. num.9. in Tiberio. Idem designatus Prætor suscepit etiam liberam legationem, num. eod. Nunc dicamus de Comitiis, qua fuerint potestate post eversam Remp. C. Julius Cæsar ita statuit referente Suet. num. 41. *Comitia cum populo partitus est, ut exceptis Consulatus competitoribus, de cætero numero candidatorum pro parte dimidia, quos Populus vellet, pronunciarentur, pro parte altera, quos ipse dedisset. & edebat per libellos circum tribus missos scriptura brevi: Cæsar Dictator illi tribui. Commendo vobis illum, & illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneat*. AUGUSTUS vero etiam comitia retinuit. Suet. num.56. *Quoties magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circumibat, supplicabatque more solemni. Ferebat ipse suffragium in tribu, ut unus e populo*. itidem num. 40. *Comitiorum pristinum jus reduxit, ac multiplici quidem pœna coercito ambitu*. Dion vero lib.53. non ita libera fuisse comitia Aug. ætate significat his verbis: ὅ, τε δῆμος ἐς τὰς ἀρχαιρεσίας καὶ τὸ πλῆθος αὖ συνελέγετο, οὐ μέντοι καὶ ἐπράττετό τι, ὃ μὴ καὶ ἐκείνῳ ἤρεσκε. *Comitia vero populi etsi nihilominus habebantur, tamen nihil præter voluntatem agebatur*. CAJUS autem Caligula de comitiis ita sanxit, ut Suet. testatur in ejus vita, num.16. his verbis: *Tentavit, & comitiorum more revocato, suffragia Populo reddere*. quem locum ita puto intelligendum, ut non quidem sublata comitia fuisse ante dicat a Tiberio, sed non ita libere suffragia ferri solita, ut declaravimus. VITELLIUS autem in hunc modum statuit, ut cognosci ex Suetonii verbis potest, num. 2. *Comitia in decennium ordinavit, seque perpetuum consulem*. quod quomodo sit intelligendum, quia satis patet, plura non dicam. DOMITIANI etiam ætate comitia erant, ut elici potest ex Suetonii verbis, num.10. *Comitiorum die consularem destinatum Flavium Sabinum perperam præco, non Consulem ad populum, sed Imperatorem pronunciavit*. MARCI ANTONINI Philosophi Imp. ætate video comitiorum factam mentionem. Julius Capitolinus pag.191. ita scribit: *Comitiis præterea usque ad noctem interfuit frequenter, nec unquam de curia recessit, priusquam Consul dixisset, Nihil vos moramur*. Cornelius Tacitus gravis auctor historiæ Augustæ lib.1. contra omnium historicorum sententiam asserere videtur a Tiberio sublata comitia, his verbis: *Tum primum e Campo comitia ad patres translata sunt; nam ad eam diem etsi potissima principis arbitrio, quædam tamen tribuum studiis fiebant. neque populus ademptum sibi jus questus est, nisi inani rumore*. hæc ille. Præter Magistratus, etiam Sacerdotia assumebant Impp. nam Pontifices Max. in primis creari soliti sunt. Suet. in Aug. num.31. idem in Tito num.9. & aliis, quod in numismatibus antiquis aperte cognoscitur. Dion causam explicat lib.53. his verbis: ὥπω πάντων αὐτοὶ καὶ τῶν ὁσίων καὶ τῶν ἱερῶν κυριεύουσι. *Eo fit ut omnia sancta & sacerdotes sint in eorum potestate*. Item Procoss. dicti Impp. sed extra pomœrium. ibidem Dion.

Magistratus C. Caligulæ ex Suet. num.17.
Consulatus quatuor.

B
1 Per duos menses
2 Per XXX. dies hunc Lugduni iniit. } hos duos continuavit.
3 Per XIII. dies }
4 Per XII.

Magistratus D. Claudii num.14.
Consulatus super pristinum quatuor.

1 } junctim } per duos menses.
2 } } in tertio suffectus est in locum demortui, quod in principe ante non est factum.
3 quarto quemque anno
4 per sex menses

C

VITELLIUS

Censuram cum patre gessit. } Vide Suet. n.6. in Tito.
Eidem fuit collega in Trib. pot. }
Et in septem consulatibus. }

DOMITIANUS.

Cæsar consalutatus honorem præturæ urbanæ cum consulari potestate suscepit titulo tenus. Suet. num. 8. *Suscepta morum correctione auctor fuit Trib. pl. ædilem sordidum accusandi*. num. 8. Observa fuisse aliquando Tribunos pl. etiam Impp. ætate. Ad Magistratus Impp. etiam hoc spectat, quoſt refert Ælius Spartianus in Hadriano, ipsum in municipiis

D & oppidis tum in Italia, tum extra Italiam magistratus gessisse. ait enim: *In Etruria præturam Imp. egit. per Latina oppida Dictator fuit, Ædilis, Duumvir. apud Neapolim Demarchus, Athenis Archon fuit*. Legem annalem servare non solebant Impp. in Magistratibus, quæ olim servari consueverat. Capitolinus in Antonino Pio, id satis declarat, his verbis: *Verum Antoninum post quæsturam Consulem fecit*. etsi legas interdum, id factum impetrata venia legis. Lampridius in Commodo id confirmat his verbis: *Venia legis annariæ impetrata Consul est factus*. Quod etiam florente Rep. interdum fieri consuevisse scimus; nam soluti hac lege ante tempus interdum Coss. fiebant. Hæc de Magistratibus Impp. a nobis dicta sunt.

FINIS.

FRANCISCUS ROBORTELLUS UTINENSIS, DE GRADIBUS HONORUM, ET MAGISTRATUUM ROM.



ILLUD primum omnium satis constat (ut ab initio repetam) Romanorum pueros prætextam gestare solitos, quam Græci περιπόρφυρον vocant, unde & prætextati dicti. Suetonius in Julio Cæsare num. 1. *prætextato Cossutia desponsata* . itidem & bullam . locus est apud Asc. in 3. in Verrem : *Simul cum prætexta etiam bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea , libertinis scortea, communiens pectus puerile*. Signum igitur erat ingenuitatis bulla aurea; studebant enim Rom. dignoscere ingenuos ab aliis . Quatenus igitur ad liberalem causam attinet, cavit Imp. M. Antoninus Philosophus , ut quilibet liberos suos post tricesimum diem nomine imposito profiteretur apud præfectum ærarii , in provinciis vero apud Tabularios publicos . Julius Capitolinus id narrat. Prætexta deponi solita, & toga virilis statim sumi. Valerius Probus in sua Epitome de nominibus Rom. ait, non ante prænomina imponi solita, quam togam virilem sumerent : nec ista verba , quod credunt quidam , adversantur illis Plutarchi in probl. Rom. ubi ait, nono die maribus imponi solita nomina, & fœminis octavo. nam Plutarch. de nomine gentilitio tantum loquitur illic; Valerius autem Probus de prænominibus . & utrunque verum est. quod autem lustrico die imponeretur infanti gentile nomen , vide Suetonium in Nerone num. 5. de qua re etiam ante locuti sumus. Virilis toga sumebatur solenni die . Sic vocat Julius Capitolinus in M. Antonio Philosopho : *Virilem togam sumpsit quintodecimo ætatis anno, statimque illi desponsata est L. Cejonii filia ex voluntate Hadriani* . Itidem Suetonius in Tiberio num. 53. *Virili toga sumpta adolescentiam omnem transegit*. Idem in Augusto num. 8. *Duodecimum annum agens aviam Juliam defunctam pro concione laudavit , quadriennio post virili toga sumpta militaribus donis donatus est*. hanc *puram* vocat Cicero in ep. ad Att. lib.5. ubi scribit se togam puram Ciceroni dedisse . de ea etiam Catullus in elegia ad Mallium, & hoc *tyrocinium ætatis* vocatur a Suetonio in Aug. ubi loquitur de Cajo & Lucio , & in Nerone num. 6. *deductus tyro in forum*. ubi adnotari potest, consuetudinem fuisse, ut adolescentes, qui togam puram sumpserant, deducerentur in forum. *tyrones* autem dicti , quia tunc incipiebant militare sub annum XVII. ut patet ex Plut. in vita Gracchorum . Toga igitur pura sumpta militare, & stipendia facere sub Impp. incipiebant , ut Pompejus sub Sylla Plut. in Pompeii vita . C. Julius Cæsar sub Thermo prætore in Asia . Suet. num. 2. & 3. & sub Servilio Isaurico in Cilicia . & proavus Augusti sub Æmilio Papo . Suet. num. 2. Cato de se ipso apud Ciceronem in lib. de Sen. ita loquitur : *Quibus miles Punico bello , aut quæstor in eodem bello , aut consul in Hispania fuerim, aut quadriennio post cum tribunus mil. depugnavi apud Thermopylas M. Acilio Glabrione Cos.* Enumerat militiæ suæ gradus , sed miror , quomodo Cicero post consulatum illum trib. mil. fuisse dicat . Plut. χιλιάρχων . nam Livius lib.6. 4 decados , ait legatos consulares ipsum fuisse & Valerium Flaccum Acilii Glabrionis . Legatos vero proxima dignitate fuisse in exercitu consulibus , cognosce ex Livio lib.3. ubi ait, consulem alterum dextrum cornu , alterum sinistrum ; legatum mediam aciem , alterum equites rexisse . & idem lib. 4. dictatorem in exercitu sibi assumpsisse legatos , quos vellet, viros insignes. Tribuni mil. alii ex equitibus, alii ex peditibus creabantur. Polybius in libro de castrametatione , equites , quibus decem essent reliqua stipendia; pedites, quibus sex; hi erant seniores , & numero sex itidem ex junioribus quatuordecim, qui quinque confecissent stipendia . Ibidem . Singulæ autem legiones sex habebant trib. mil. Polybius ibidem de numero stipendiorum. Liv. lib.3. num. 50. ubi ait Oppium VII. & viginti confecisse stipendia. Magis vero honorificum erat militasse equitem , quam peditem. Collige ex Livio libro 3. ubi ait L. Tarquitium patritium, sed qui tum stipendia pedibus propter paupertatem fecisset . Intelligi jam potest , qualis esset militiæ gradus trib. mil. sed illius ductu & auspicio bellum non dicebatur geri . Liv. lib.4. nec milites ab eo poterant solvi religione juramenti. Liv. libro 3. Ætatem si quæris (nam hoc spectat ad rem propositam) collige ex Polybii loco ante recitato; nam si creabant tribb. militum alios, quibus jam essent confecta stipendia sex, patet hos annorum fuisse XXIV. nam ætas militaris incipiebat post XVII. ut ante dixi. hinc illa edicta, *quicunque essent ætate militari* . Liv. lib. 3. Equites vero creabantur tribb. mil. anno ætatis XXVIII. ex priore supputatione , si rem colligas . Obscuri & humiles , qui creari non poterant tribb. mil. alios habebant militiæ gradus; quos enumero ex Livio lib.11. Miles, Ductor ordinum, Centurio, Centurio primi pili. itidem Vexillarius , Optio, Tesserarius signifer, & Aquilifer. vide quid dicat de his Julius Capitolinus in Pertinace , sub initium . Verum de his & aliis omnibus ego alibi copiose disseram. Nunc aliorum honorum gradus declaro in patritiis viris , & plebeiis nobilibus. Postquam militarant, ibant ad petitionem urbanorum magistratuum , & primum quæsturam petebant, anno XXIII. ex lege annali, ut ego alibi copiose exposui. Sed pulchrum censebatur ex castris redire cum laude & donis militaribus. Civicam coronam retulit Julius Cæsar, qua illum donavit Thermus prætor in Mitylenarum expugnatione. Suet. in Aug. n.2. & Octavius triumpho Cæsaris Africano donatus est militaribus donis, quo anno togam sumpsit virilem , quanquam expers belli propter ætatem; nam agebat annum XVI. Quæsturam sequebatur ædilitas interjecto spatio annorum trium . Ædilitatem prætura interjecto biennio. Præturam consulatus interpositis annis itidem

duobus; nam ætatis anno 43. conſulatum gerebant, ſicuti Cicero in Philipp. VI. declarat nominatim. Sed nos de his omnibus alibi copioſe dicemus, cum loquemur de lege annali. Verum quærat aliquis in gradibus honorum plebeii hominis de tribunatu plebis, quo loco, interque quos interjici ſoleret magiſtratus urbanos. reſpondeo, tribunatum pl. quæſturam, vel urbanam, vel provincialem ſequi conſueviſſe. Id patet ex oratione Cic. pro Seſtio ſub initium fere, ubi ait: *Hunc igitur animum ad tribunatum attulit P. Seſtius, ut quæſturam Macedoniæ relinquam*. expoſuerat enim tribunatum militum ante, his verbis: *Poſſem multa dicere de tribunatu militum, ſed mihi obverſatur ante oculos reip. dignitas, quæ ad ſe rapit*. paulo poſt: *Quæſtor hic C. Antonii collegæ mei, Judices, fuit ſorte*. Jam igitur res ſatis patet. Sed etiam ex Aſconio id perſpici poteſt; nam in argumento or. pro Cornelio Balbo de majeſtate ait: *Cor. homo non improbus vir habitus eſt: fuerat quæſtor Cn. Pompeii: deinde tribunus pl. C. Piſone conſule*. Vide, ut trib. pl. ſequatur quæſturam. Atque hoc idem, quatenus ad tribunatum mil. & quæſturam ſpectat, cognoſci poteſt ex Suet. in Julio Cæſ. num.5. *Tribunatu mil. qui primus honor Romam reverſo per ſuffragia pop. obtigit*. ibid. n.6. videbis quæſturam nominari. Hoc me impulerat ante multos annos, ut dicerem epiſtolam illam Cic. lib.11. Ep. fam. ad Curionem: *Nondum erat auditum*. ad Curionem patrem, non autem ad Curionem filium ſcribi; quia cum eſſet adoleſcens, & quæſtor in Aſia, nec dum trib. pl. non illi commiſiſſet Cicero petitionem Milonis tanto ſtudio, ut diceret, *Dux nobis & auctor opus eſt*; idque verum eſſe exiſtimo, etſi nonnulli poſtea conati ſunt hanc meam annotationem temere carpere. De ſacerdotiis reliquum eſt ut quæramus, quo ordine tribui ſolerent. Ac illud tantummodo ſummatim dicam, ſacerdotia mandari ſolita tantum ſenibus. Sed poſtea immutata ratio eſt. Liv. id nominatim docet lib.10. *Conſulares, triumphaleſque viri, quorum honoribus nihil deeſſet, præter ſacerdotia, quæ nondum erant promiſcua*. Idem lib.29. ſub finem, extremis fere verbis immutatam rationem oſtendit: *Gracchus admodum adoleſcens, quod tunc perrarum in mandandis ſacerdotiis erat*, &c. Itidem Suet. in Julio n.13. ante præturam pontificem creatum ipſum narrat. Hæc ita ſeſe habebant florente rep. etſi poſtremo paulum immutata. Sed Impp. ætate omnia confuſa; imo ante ſacerdotia ipſis mandari ſolita. Vide Julium Capit. in M. Antonino Philoſopho: *Illum octavo ætatis anno in Saliorum collegium retulit*. Paulo poſt: *Fuit in eo ſacerdotio, & præſul, & vates, & magiſter, multoſque inauguravit, & exauguravit, nemine præeunte*. Paulo poſt: *Virilem togam* XV. *ætatis anno ſumpſit, eique deſponſata fuit Commodi filia*. Ibidem: *Nec multo poſt præfectus Latinarum feriarum*. Ibidem; XVII. *ætatis anno adoptatus ab Adriano quæſtor eſt deſignatus*. Hæc ita præter conſuetudinem agi ſolita, quamvis lege annali ſæpe ſolutos leges, ut ipſius videretur habita ratio. Hæc a nobis hactenus dicta ſint de gradibus honorum, & magiſtratuum Rom. De cenſura nihil diximus, quia ſatis conſtat ipſam plerumque conſulatum conſequi conſueviſſe.

FINIS.

GUIDO PANCIROLLUS
DE
MAGISTRATIBUS
MUNICIPALIBUS.

CAP. I.

De Decurionibus.



MPERII Romani ac Palatii Principis magiſtratibus officiiſque explicitis, his Decuriones, & civitatum Juridicos atque Curatores addere volui, qui etſi a Principe non crearentur, neque a Notitia dignitatum referantur, ut tamen non tantum Provinciarum, ſed & Urbium adminiſtratio intelligeretur, eos proprio libro ſum complexus. A Decurionibus vero, quibus totius civitatis onus & officia incumbebant, exordiemur. Hi ſuæ patriæ velut Romæ Senatores publica negocia tractabant, dictique ſunt *Decuriones*, quod initio cum coloniæ in aliquem locum deducebantur, earum decima pars conſilii publica cauſa deſcribebatur, *l. pupillus.* 239. *§. decuriones ff. de verb. ſign.* Hanc ob cauſam *civitatum patres* vocantur, *l. unic. C. de ratiocin. oper. pub. & de patrib. civit* & *curiales* a curia, in qua conſulunt, *l. curiales.* 21. *& l.* 39. *l. fi. C. de decur.* vel *poſſeſſores* non ob id ſolum, quod inopes creari non poterant, *l. eos.* 12. *in fi. ff. eo.* ſed etiam quia reipublicæ prædia poſſidebant. quo nomine in jure ſæpe appellantur. Ulpianus *in l.* 1. *ff. de decret. ab ord. facien. Medicorum*, inquit, *conſtituendorum arbitrium non præſidi commiſſum eſt, ſed ordini & poſſeſſoribus cujuſque civitatis.* Ita quoque eos Valentinianus *in l. ut quiſquis.* 6. *C. de om. agr. deſe.* interpretatur. *Si conductor*, ait, *non inveniatur, ad poſſeſſores antiquos, id eſt, decuriones loca revertantur.* Caſſiodorus 2. & 4. *var. honoratos poſſeſſores* curiales Tridentinæ civitatis, & Forojulienſes appellat. Quandoque ſimpliciter *honorati* nuncupantur, de quibus forte intelligit Arcadius *in l.* 1. *C. de offi. civi. jud.* cum ait: *Honorati, qui litem habere noſcuntur, his horis, vel temporibus, quibus cauſarum merita panduntur, reſidendi non habeant facultatem.* ita etiam appellat D. Ambroſius *epiſt.* 33. *ad Marcellinam ſororem. Honoratis*, ait, *multa minabantur graviſſima, niſi baſilicam traderent.* Hæc ille. Græci *βελευτὰς* nominant, velut conſilium rebus publicis præſtantes, & quia primi civitatum, & nobiliores curiales fiebant, ceteri *plebeii* dicebantur. Paulus *in l. honores.* 7. *§.* 2. *eo. tit. Is*, inquit, *qui non ſit Decurio, duumviratu vel aliis honoribus fungi non poteſt, quia decurionum honoribus plebeii fungi prohibentur.* Eorum cætus *ordo* dicitur, *l.* 1. 3 *& pen. ff. de decr. ab ord. faciend. l. generaliter.* 3. *§. ſpurios. eo. de decurio. l.* 1. *in prin. ff. de magiſt. conv.* & *curia*, *l. nemo.* 14. *l.* 17. *l.* 27. *l.* 33. *cum multis aliis ll. C. de decur.* Unde Accurſii, & aliorum error deprehenditur, *in §. ult. Inſti. de nupt. & in l. ſi quis.* 3. *C. de natu. lib.* qui curiam pro aula Principis interpretantur, exiſtimantque ſpurium

A curiæ oblatum legitimum effici, ſi Imperatori tradatur, aut etiam Præſidi, ut illis ſerviat: ſic & Theodoſius A. *in d. l. ſi quis.* 3. curiam, decuriones, & curiales civitatis pro iiſdem ponit. Hi in municipiis ad exemplum Senatus Romani erant inſtituti. Juſtinianus in novellis, *Nov.* 38. *περὶ βελευτῶν. Veteres*, inquit, *qui rempubl. ordinarunt ad exemplum Regiæ urbis in qualibet civitate nobiles congregandos, Senatumque conſtituendum eſſe cenſuerunt, qui publica negocia tractaret, ac recte cuncta diſponeret. Quæ res ita excrevit, ad eumque ſplendorem pervenit, ut magna virorum multitudine refertæ decurionum familiæ invenirentur.* Hactenus B Novella. Quare Decuriones municipiorum *Senatores* vocantur *in l. omnes.* 33. *C. de decu.* & Caſſiodorus *lib.* 9. *var.* eos minorem Senatum, ac nervos vireſque civitatum eſſe dicit, *idem & majorani Novel. de decurion.* In pluribus enim Romanum Senatum imitantur, cujus exemplo decurionum filii patris originem ſequuntur, *l. exemplo.* 36. *C. eo. l. Senatoris.* 5. *& l. ſeq. ff. de Senato.* ipſorumque nomina, quemadmodum & Senatorum, in tabula ſcribebantur, quæ *album* appellabatur, *toto tit. ff. de albo ſcrib.* Unde ſicut illi Romæ, ita hi *patres civitatum* nuncupabantur, *l. unic. C. de ratioc. op. pub. & patrib. civit.* Primi autem, qui dignitate C præcellebant, deinde alii, prout prius in decurionum numerum erant relati, ſcribebantur, *l.* 1. *&* 2. *ff. de alb. ſcrib.* & qui filios ſuſceperant, prole carentibus præferebantur, *l. in albo.* 9. *C. de decur.* Præterea quemadmodum Romæ Senatus princeps legebatur, qui, ut *in Africano* Plutarchus ſcribit, auctoritate, & rerum geſtarum gloria præſtabat: ſic & qui univerſa civitatis munera expleviſſet, primus curiæ creabatur. Denique ſicut Romæ prius duplex Senatorum ordo fuit, Illuſtrium qui dignitate præſtabant, & Clariſſimorum, *l. ultim. ff. de Senatoribus*, ita inter decuriones, qui honoribus D functi fuerant, *Summates* dicti primi ordinis ſtatuebantur, *l. quinque.* 57. *C. de decurion. l. ſi quis in archiatri.* 10. *C. de profeſſor. & med.* Hi etiam *principales*, *l. militaribus.* 42. *C. de decur.* & Græce *protoſtaſiæ* vocabantur, *l. nec protoſtaſiæ.* 8. *C. de munerib. patrimo. & C. Theod. de protoſtaſia* quaſi cæteris præſtantes. Pro magnitudine vero civitatis, plures, aut pauciores erant: aliquando ſeptem, *dict. l. ſi quis in archiatri.* 10. *C. de prof. & medic. l.* 52. *C. Theo. de hæret.* quandoque decem, unde *Decemprimatus*, *l.* 1. *ff. de muneribus & honoribus. leg.* 54. *Cod. de hæreti.* Græce *δεκάπρωτοι* dicuntur. *l.* 3. *§. Decaprotos*, *l. fin. §. mixta. ff. d. tit. d. l. nec* E *protoſtaſiæ.* 8. *C. de mun. patrim. l. Septitia.* 10. *ff. de pollici.* Nonnunquam viginti fiebant *Icoſaproti* nuncupati, unde *honor Icoſaprotiæ*, *d. l. fi. §. mixta. ff. de munerib. & honor.* Alexandriæ quinque tantum erant Summates, quibus nullibi pauciores fuiſſe puto, *d. l. quinque.* 57. *de decu.* Sententiam vero ſuam prius quiſque decurio, prout honore præcedebat, rogatus dicebat, *d. l.* 1. *ff. de albo ſcribendo. l. Spurii* 6. *in fi. ff. de decu.* Quemadmodum

& in Senatu Romano observabatur, *Aul. Gellius l. 4. c. 10.*

CAP. II.

Qui creari Decuriones possent.

DECURIONES aut nascebantur aut fiebant. Ex ipsis decurionibus geniti, patris conditionem sequi, & inviti curiales esse cogebantur, *l. in filiis. 35. l. seq. & l. decurio. 31. C. eo. ti.* Quod de his intelligendum est, qui vel adoptabantur, *l. 4. C. eod.* vel ex legitimo matrimonio nascebantur: Spurii enim sicut nec in aliis, ita nec in hoc patris conditioni obligabantur, *l. 1. ad fi. ff. ad municipalem. l. nati. 29. C. eo. l. ex liber. 6. C. de suis & legit. hæred.* Non tamen ad rempub. administrandam ante XXV. annum accedere poterant, ut auctor est Ulpianus *l. ad rempublicam. 8. ff. de munerib. & bono.* qui annum cœptum pro completo vult computari, etsi ad alia publica munera obeunda vigesimus quintus annus completus esse debeat. Quod Ulpiani consilium *in d. l. ad rempublicam. 8.* secutus Michael Hospitalius nomine, Franciæ Cancellarius, anno. 1563. Rothomagi, probavit Carolum IX. Gallorum Regem anno 14. ætatis suæ incipiente, puberem esse.

Ex Decurionibus nati etiamsi religionis prætextu monasticam vitam elegissent, ad publica munera subeunda retrahebantur, *l. quidam. 26. C. de decurion.* quod de his Bart. & alii intelligunt, qui se monachos fingunt.

Fiebant vero decuriones, a curia Senatoribus orbata in curiales allecti, quod munus civibus etiam invitis probabilem excusationem non habentibus deferebatur, *l. 2. §. ult. ff. eo.* Si vero extranei, quod raro fiebat, decuriones declarati consensissent, semel susceptum munus deserere non poterant, *l. 3. C. eo. tit.* & ejus loci civitatem consequebantur, id est, cives fiebant. Diocletianus A. *in l. cives. 7. C. de incolis, & ubi quis domicilium hab. vid. Cives,* inquit, *origine, manumissione, & allectione, vel adoptione fiunt.* Allectionem, ubi quis in curiam legitur, vocat: quod Ulpianus *in ordinem allegi* dixit, *in l. generaliter. 8. §. spurios. ff. eo.* Lex tamen Pompeja ex aliena civitate decurionem legi prohibebat, quam desuetudine antiquatam Trajanus restituit, ut *in ult. lib. epist. 80. & seq.* Plinius nepos est auctor. Aliqui vero decuriones creari prohibebantur, ut libertini, qui ad decurionatum aspirare non poterant, & minus servi. Diocletianus, *in l. 1. C. si servus, aut libert. ad decurion. aspiraver. Si libertus,* inquit, *vel jus aureorum annulorum adeptus non est, vel natalibus suis non restitutus, præses provinciæ, non tantum curiæ participare non permittat, sed juxta legis severitatem congruenti pœna ulciscatur.* Sed nec minor annis 25. nisi ex causa decurio creabatur, vel creatus suffragium non ferebat, *l. spurii. 6. §. 1. l. non tantum. 11. ff. eod. d. l. ad rem publicam. 8. de muner. & honor.* Nec major annis 55. invitus curialis eligebatur, *l. 2. §. fi. & d. l. non tantum. 11. ff. eo.* nec infames, *dict. l. spurii. 6. §. qui judicii.* neque inopes, *l. ad subeunda. 45. & l. eos. 12. in fi. ff. eod.* meritis enim & facultatibus dignissimi eligebantur, *d. l. ad subeunda. 45. & l. eos. 12. in fi. ff. eo.* Artifices vero, & qui negociabantur, modo facultatibus abundarent, etsi expertes literarum, decuriones creari poterant, *d. l. eos. 12. l. expertes. 6. C. eo.*

Census decurionum erat centum millium nummum, quæ summa efficit circiter mille aureos illius temporis. Plinius, *in epistol. ad Romanum. Esse autem,* inquit, *tibi centum millium censum satis indicat, quod apud nos decurio es. Igitur ut te non decurione solum, verum etiam equite Romano perfruantur, offero tibi ad implendas equitis facultates trecenta millia numum.* Census enim equestris erat quadringentorum millium.

Decuriones nec militiam, nec præfecturam, tabellionisve officium exercere, *l. omnes. 150. l. si quis decurio. 55. l. universos. 15. C. eo.* non vectigalia, nec prædia etiam civitatis conducere, procuratorisve officio fungi poterant, *l. 2. §. 1. ff. de administ. rer. ad civit. pert. l. curiales. 21. l. si quis procurationem. 34. C. h. t. d. l. spurii. 6. §. de curia. ff. eo.* Quæ & Romæ Hadrianus Senatoribus interdixerat.

Multi tamen ad hoc munus vocati se excusabant, ut milites, *l. 1. C. de his qui sponte pub. mu. sub. l. militares. 16. C. de re milit.* aut veterani, navicularii, *l. pen. §. fi. ff. de jure immun.* fabricenses, *l. fabricenses. 32. C. h. t.* & alii, qui a curiæ fortuna, etiam curiales nati, liberabantur, de quibus infra suo loco dicetur.

CAP. III.

Quando & quomodo Decuriones eligebantur.

KALENDIS Martiis novi decuriones nominari consueverant, *l. 28. C. T. eo.* curia a duumviris solemniter, id est, pro civitatis more & per publicum nuncium convocata. *l. 2. C. eod.* Nec enim placet quod de tuba & campana Accursius tradit, quæ eo tempore nondum inventa fuerat: etsi hodie hunc morem usu plerisque in locis receptum observari non inficior. Duas quoque saltem partes curiæ adesse oportebat, *l. 3. ff. de decret. ab ord. faciend. l. nominationum. 46. C. h. t.* & Præses provinciæ nominationibus seu electionibus adhibebatur. *l. 1. §. sed etsi præses. ff. quand. appel. sit.* Tum Duumviri aut Censores, *Plin. epi. 78. ad Trajanum, & epi. 80.* pro more civitatis hominabant, quem decurionem creari volebant, & ob id *nominationes* hujusmodi electiones vocantur, *l. 2. & de l. nominationum. 46. C. eo. l. 4. l. hi qui. 7. l. cives. 11. l. nominationes. 27. C. de appellationib.* Hoc acto, suffragiis nominatum comprobari oportebat, *l. spurii. 6. §. fi. ff. eo.* qui receptus intelligebatur, si major curialium pars in eum consensisset, *d. l. nominationum. 46. C. eo. l. quod. major. 19. ff. ad municip. l. 3. & seq. ff. quod cujusque univers. nom.* Demum a Præside confirmabatur, *l. si quos. 59. C. h. t.* qui per nuncium publicum nominato electionem factam significabat, *d. l. 2. C. eo.* Ille vero, si nominari se non potuisse prætendebat, ad Præsidem appellabat, & nominator injuste nominasse convictus in litis sumptibus condemnabatur, *dict. l. 2.* Nominati, qui alios suffragiis superassent aut plures liberos habuissent, cæteris in dicendis sententiis præferebantur, *d. l. spurii. 6. §. ult. ff. eod.* Papinianus, *Eorum,* inquit, *potior causa habetur in sententiis ferendis, qui pluribus eodem tempore suffragiis, jure decurionis decorati sunt; sed & qui plures liberos habet, in suo collegio primus sententiam rogatur, cæterosque honoris ordine præcellit.* Postremo in albo decurionum nominati scribebantur, *l. 1. & 2. ff. de albo scribendo.* Herennius, *l. Herennius. 10. ff. h. ti. Sola,* ait, *albi proscriptione decurionem minime factum respondi, qui secundum legem creatus non sit:* ita enim legendum, non *salarii perceptione.*

Tenebatur creatus decurio pro introitu aliis cu-

rialibus honorarium quoddam solvere. Plinius nepos ex Ponto & Bithynia, quibus ipse cum imperio præerat, ita ad Trajanum scribit, *epist.* 78. Decuriones qui supra legitimum numerum, Cæsaris indulgentia adjecti fuerant, singula millia denariorum, & quandoque bina millia curiæ pro introitu intulisse, quæ summa fere ccxx. nostros aureos efficit; postea subjicit, ab Anicio Maximo Proconf. eos, qui a censoribus legerentur, aliud aliis jussos fuisse inferre. Consulit itaque Trajanum, an in omnibus civitatibus, qui decuriones leguntur, certam quantitatem pro introitu dare debeant; ille locorum servandam esse consuetudinem rescribit. Nummi a novis curialibus pro curiæ ingressu soluti, & inter decuriones divisi, *sportulæ* appellabantur. Ulpianus, *in d. l. spurii.* 6. *§. fi. ff. eo. Minores*, inquit, *viginti quinque annis decuriones facti, sportulas decurionum accipiunt*, id est, honorarium illud, quod inter curiales distribuitur, capiunt: *sed interim suffragium inter cæteros ferre non possunt*. Idem *in l.* 5. *si mulier. ff. de donat. inter vir. & uxor. Si mulier*, ait, *acceptam a marito pecuniam in sportulas pro cognato suo ordini erogaverit, an donatio valeat? & ait valere*. Aliquando etiam pecunia inter decuriones dividenda, decurionibus legabatur, Marcianus *in l. cum quidam*. 23. *ff. de annuis legat. Decurionibus*, inquit, *divisiones dari voluit, die natalis sui. Divisiones* appellat pecuniam inter curiales dividendam.

CAP. IV.

De officio Decurionum.

TOTIUS civitatis cura sibi commissa decuriones, imprimis prædia publica civitatis administrabant, quorum redituum tertiam partem in mœnia urbis & balnea instauranda impendebant *l. ne splendidissimæ*. 11. *C. de oper. publ.* reliquos in alendos professores, & alios usus publicos erogabant. Medicos quoque, qui ægrotantes curarent, certo ipsis salario præstituto conducebant; neque in hoc Præses provinciæ interveniebat, sed curiales ipsi, quos morum probitate & artis peritia spectatos cognovissent, eligebant, quibus suam ipsi, & liberorum vitam committebant, *l.* 1. *ff. de decre. ab. ord. facien.* Hi sunt qui *archiatri*, id est, principes medicorum vocantur, *l. archiatri*. 9 *C. de profes. & medic. l. archiatros.* 8. *C. de metatis*. Grammaticos etiam & Rhetores, ac Sophistas, seu Philosophos, qui juventutem erudirent, publico salario alebant, *l.* 2. *l. magistros.* 7 *C. de profes. & medic. l.* 4. *in fin. ff. de decret. ab ord. faciend.* quos etiam quandoque immunitate promissa invitabant, *l. nec intra. §. & l. seq. C. de prof. & med.* Quælibet enim civitas destinatam professoribus liberalium artium pecuniam habebat, quam Justinianus Imperator, cum ei ad plurium templorum ædificia pecunia non sufficeret, omnibus urbibus ademit, unde disciplinis homines destituti rudes permanserunt, ut in eo Zonaras scribit. Minores civitates non nisi quinque medicos, & ternos docentes habebant. Majores septem tantum, qui curarent: & quatuor qui utramque doctrinam docerent. Maximæ vero decem medicos, & rhetores, aut grammaticos quinque tenebant, *l. si duas.* 6. *§.* 1. *& seq. ff. de excus. tut. d. l.* 1. *de decre. ab ordine facien.* His centena sestertia Vespasianus constituit, ut in eo auctor est Tranquillus, quæ summa bis mille & quingentos nostros aureos efficit. Civitates Rhetoribus annonas 24. Grammaticis 12. & quandoque plus solvebant. & fiscus, ubi civitates reditibus carebant, e suo docentes conducebat. Valens & Gratianus ad Antonium P. P. Galliarum, *l.* 11. *C. T. de prof. & med. Oratoribus*, inquiunt, 24. *annonarum, e fisco emolumenta donentur, Grammaticis Latino vel Græco* 12. *annonarum deductior paulo numerus ex more præstetur. Triberorum clarissima civitati uberius aliquid putavimus deferendum. Rhetori ut* 30. *item* 20. *Grammatico Latino & Græco* 12. *præbeantur annonæ*. Erat autem annona impensa ad victum unius hominis, quam Justinianus cohortalibus, qui aliunde lucrabantur, aureis quinque taxat, *in l* 1. *ad fin. C. de offic. P. P. Africæ*. Constantinus Eunomio, ut Augustoduni profiteretur, *sexcenta millia numum* præstitit. efficit ea summa sex millia aureorum; sed vereor, ne legendum sit *sexaginta millia*, qui faciunt aureos DC. Hoc salarium medico aut professori decreto ordinis constituebatur, *toto tit. ff. de decr. ab or. fac.* Quicquid enim a curialibus fiebat, in scripta redigebatur, & ex tabella recitabatur, atque ob id decretum vocatum fuit. Zeno, *in l. fi. C. de præd. decu. sine decr. non alien.* loquens de prædiorum curialium alienatione, *Non ex tabella*, inquit, *decretum recitari decernimus.* Aliis vero quam supra dictis honorarium ex publico constitui non poterat, *l. unic. C. de præb. salar.* & si decernebatur, decretum tamquam ambitiosum, aut in gratiam alicujus factum rescindebatur, *l.* 4. *ff. de dec. ab ord. fac.* aut irritum fiebat. Legum vero professores alibi, quam Romæ in Capitolio, aut Constantinopoli, & Beryti docere non poterant, *in proœ. Digestorum, §. hæc autem tria. l. unica. C. de stud. liber. Urb. Rom.* Cursus quoque publici, seu veredariorum curam quandoque decuriones habuerunt, *l. publici* 14. *C. de curs. publ.* sed præcipue frumenti causa annonæ comparandi, *l.* 2. *§.* 2. *& seq. l.* 5. *ff. de admin. rer. ad civi. pert.* Aquæductuum & circensium solicitudinem gerebat. Spectacula, publicæ viæ munitiones, arcæ frumentariæ, calefactiones thermarum, annonæ divisio, syndici creatio, legationes, patrimonium, descriptio ad decuriones pertinebant, *l.* 1. *ff. de muner. & hon.* Universæ denique civitatis tranquillitati ac commodis studebant. Vectigalia decemprimarii exigebant, *l.* 1. *l.* 3. *§. decaprotos. l. fin. §. mixta. fin. de muneribus & honoribus. l. nec protostasiæ.* 8. *C. de mun. patrim.* & quod deerat, de suo sarcire compellebantur, ob quæ onera ipsis ruri habitare non licebat. *l. unica C. si curial. relicta civi rur. habit. mal.* Pecuniam quoque civitati aut ad certamina, opusve publicum relictam administrabant, *l.* 1. *&* 2. *§. penul. l.* 4. *& ult. §. pen. ff. de admi. rer. ad civi. pert.* Prædia Reipublicæ, aut opera publica per curatores locabant, *d. l.* 2. *in prin. & §. antep.* Civitatis tamen prædia sine decreto alienare non poterant, *l.* 1. *C. de præd. dec. sine decre. non alien.* nec ad Principem legatum sine præsidis consensu mittere, *l. si quis.* 16. *C. eod.* In eo præterea onerabantur, ut qui sine prole decederent, quartam bonorum partem curiæ relinquerent, *l.* 1. *&* 2. *C. quand. & quib. quarta pars*. Quare plerique patrimonia effundebant, rebusque suis abutendo, facultates dissipare malebant, quam aliquid ordini relinquere: conjugiis etiam aliqui abstinebant, ne liberos curiæ obnoxios relinquerent, paucissimique Reipub. curam suscipiebant, *Novell.* 38. Propterea multis beneficiis cives ad curiæ honorem sunt invitati, de quibus infra dicetur.

CAP. V.

De modo tractandi negotia inter Decuriones.

DECURIONES negocia publica eo fere ordine tractabant, quo Romæ Senatores. In primis enim sicut Senatus a Cos. aut Prætore vocabatur, ita & Curia a Duumviris, *l.* 2. *C. de decurio*

Romæ per præconem cogebatur Senatus. Appianus *in 1. de bello civili*. *Eos*, inquit, *alter Opimius nomine, ut in trepidatione mos est, nonnullos cum armis in Capitolium festinare jubet, Senatumque per præconem convocari*. Eadem solennitas in decurionibus observabatur, quam intelligere arbitror Diocl. *in l. 2. C. eo.* scribentem: *Observare oportebit magistratus, ut decurionibus solenniter in curiam convocatis nominationem ad certa munera faciant*. Hæc ille. Coacta vero curia, quisque prout dignior erat, altiore loco sedebat. Plinius junior, *lib. 5. epist. 2. Non denique*, inquit, *dignitas custodiebatur*. Duas autem partes ex tribus curiæ adesse oportebat, *l. nominationum*. 46. *C. eo. l. nulli. 3. & l. seq. ff. quod cujusque univer. nomine.* ut de aliqua re posset deliberari. Tum de eo quod agendum erat, unus ex Duumviris proponebat, & ubi res difficilior occurrebat, nominatim curialium sententias, a digniori semper incipiens, inquirebat. Ulpianus *in l. fin. ff. de albo scriben. In sententiis quoque dicendis*, inquit, *idem ordo servandus est, quem in albo scribendo diximus*. *l. 3. §. restitutus. ff. de decur.* In eo autem digniores præmittebantur, inter quos erat qui plures liberos habuisset, *ut supra dixi*. is enim in collegio primus sententiam rogabatur, cæterosque honoris ordine præcellebat. quod tamen Syracusis non observabatur. Cicero, *in 6. actio. in Verrem. Mos est*, ait, *Syracusanis, ut si qua de re ad Senatum referatur, dicat sententiam, qui velit; nominatim nemo rogatur, & tamen ut quisque honore & ætate antecedit, is primus solet sua sponte dicere, idque a cæteris ei conceditur. si quando taceant omnes, tunc sorte coguntur dicere*. Hæc ille. Rogatis sententiis suffragia dabantur, *l. spurii*. 6. *in fin. ff. eo.* non calculis, ut quidam putant, sed viva voce, aut tabellis, sicut Romæ Senatores faciebant, uti censet Budæus *l. in posterioribus annotationibus in Pandectas*. Zeno *in l. fi. C. de præd. decur. sine decret. non alie. Decernimus*, inquit *cum prædium venditur, non ex tabella decretum recitari, sed curialium, vel majoris partis curiæ relatione currente, sine ulla malignitate referentium*. Sed aliud erat in aliis contractibus. Sententiam soli Summates dicebant, sicut soli Illustres inter Romæ Senatores, *l. fin. in fi. ff. de Senato*. quibus dictis cæteri decuriones discessionem faciebant, & quisque ad eam partem se conferebat, quam sequebatur, & quod majori parti placuisset, in tabulas referebatur, *toto ti. de albo scriben.* & hoc *decretum ordinis* vocabatur. Cicero *in 6. actio. in Verrem. Atque adeo*, ait, *cum jam non solum discessio facta esset, sed etiam perscriptum atque in tabulas relatum*. Hæc ille. Id autem observatum fuit, donec lege tabellaria introductum est, ne amplius discessio fieret, sed scripto tacite vota ferrentur. quod malo exemplo introductum Plinius *lib. 3. epist. ad Messium Maxim. & lib. 4. ad eund.* queritur. Cum vero saltem duas ex trib. partes convenire oportere dixerimus, quod præsentium pars major statuisset, id observabatur, *ut supra dictum est*. Quemadmodum vero placita Senatus Romani his notis scribebantur S. C. ita & decurionum scita his literis D. D. ut ex pluribus marmoribus constat.

CAP. VI.

De privilegiis Decurionum.

Cum totius civitatis curam Decuriones subirent, ac multis oneribus premerentur, æquum fuit aliquibus eos privilegiis frui: quorum præcipuum erat, ne ipsi aut eorum filii a Præsidibus provinciarum, plebejorum tormentis subjicerentur, veluti eculeo, ungulis & fidiculis, *l. Divo. 11. l. decuriones. 16. C. de quæstion. l. 2. §. in filiis. & l. fi. ff. hoc tit.* Publicam tamen pecuniam intervertentes, aut alias graviter delinquentes plumbatarum ictibus verberabantur, id est, plumbeis pilis in tergo feriebantur, *l. quælibet*. 40. *C. eo.* quas *plumbatas* Vegetius *lib. de re mili. 1. c. 17.* vocat. Ob alia vero delicta his non affligebantur, Gratianus *in l. 80. C. T. de decurio. Omnis*, inquit, *ordo curialis a tormentis his, quæ debita reis sunt, & ab ictibus plumbatarum habeantur immunes*. Hæc ille. Falsum etiam instrumentum fabricantes quæstioni subjiciebantur, *l. si quis decurio*. 21. *C. de falsis*. quæ videtur pars *l. universos*. 15. *C. eod.* Alio præterea privilegio decuriones gaudebant, ut ad inopiam redacti ex publico alerentur, potissimum si propter munificentiam in Rempublicam peractam pauperes facti fuissent, *l. decurionib.* 8. *ff. eo*. Cum quis magistratum inibat, vel togam virilem accipiebat, vel nuptias celebrabat, decuriones invitare consueverat, & singulos vel binos denarios cuique dare, *Pli. ad Traja. epist.* 92. Aliqui etiam omnibus civitatis muneribus functi, cum ad summum ordinis gradum pervenissent, primi ordinis comitum dignitate honestabantur, *l. Alexandrinis*. 56. *C. eo*. Præterea spurius a patre curiæ oblatus, legitimus efficiebatur, vel si spuria decurioni in matrimonio fuisset collocata, *l. si quis*. 3. *C. de natural. lib. §. si. Inst. de nupt.* Propriis etiam insignibus a cæteris distinguebantur, ut ex marmore, quod est Veronæ in ædibus D. Georgii Valli Pollicellæ deprehenditur: P. FALERIVS TROPHIMVS ORNAMENTIS DECVRIONALIBVS RESTITVTOR. R. VER. 1. Reipublicæ Veronensis. & in Transylvania ad ripam Marusii fluminis: MINERVÆ AVG. VLP. OMIT. ORNATVS ORNAM. DECVR. Sed quænam hæc fuerint, non constat. Limbo aut aliquo prætextæ genere ii a cæteris forte secernebantur. Certe vestium ornatu a plebeiis distinctos fuisse hæsitandum non est, quemadmodum Romæ Senatores ab aliis lato clavo discernebantur. Bigis in urbe usi fuisse videntur, cum in quodam marmore Urbini apud D. Franciscum legatur BIGA DECVRIONVM, quo privilegio omnes honorati potiebantur, *tit. C. de honorator. vehic.* Verum de hoc nihil certi statui potest. Constat ob lætitiam publicam, veluti ob nunciatam victoriam, vel natalem Principis, eos coronatos incessisse. Tertullianus *lib. de corona milit. Coronant*, inquit, *& publicos ordines laureis publicæ causæ. Magistratus vero insuper aureis, ut Athenis & Romæ*. Hæc ille. Clari Decuriones appellabantur, ut Juven. *Satyr. 3.*

—— Clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicæ summis ædilibus albæ.

Sine speciali Principis jussu decuriones nec Romam, aut Constantinopolim, vel in aliam provinciam litis causa vocari poterant, *l. 1. & ultim. C. de præd. decur. sine decr. non ali.* nec eorum prædia sine decreto alienari, *novell.* 131. Erant & penes aliquos populos collegia quædam *synedria* appellata, in quibus causæ decidebantur, nec extra illa determinari poterant. Scævola *in l. fin. ff. de decret. ab ord. facien. Municipii*, inquit, *lege ita cautum erat, si quis extra synedrium judicaverit, ordine seu synedrio moveatur, & luat ad hæc drachmas mille*. Hujusmodi collegium in singulis civitatibus habebant Judæi, ut Theodosius significat *in l. Judæorum*. 17. *C. de Judæis. Judæorum autem primates, qui in utriusque Palæstinæ synedriis dominantur, vel in aliis provinciis degunt, periculo suo anniversarium canonem de synagogis omni-*

bus, *Palatinis compellentibus*, *exigant ad eam formam*, *quam Patriarchæ quondam coronarii auri nomine postulabant*. Hactenus Theodosius. Unde hi videntur Decuriones fuisse, qui simul sine duumviris judicabant, & res publicas decernebant. Neque enim sub tractatu ordinis decurionum, de synedriis actum esset, nisi decuriones fuissent. Hi autem apud Hebræos a Deo per Moysem 70. instituti esse videntur, *Numeri* 11. qui de lege ac summis rebus statuerent: quibus additi sunt alii duo, & facti sunt 72. & in utraque Palæstina, eos decurionum locum tenuisse puto. In aliorum populorum civitatibus erat simplex collegium.

CAP. VII.

Quomodo desinant esse Decuriones.

DESINEBANT autem esse Decuriones pœna, nimirum si deportabantur, vel relegabantur. Ulpianus *in l.* 2. *in princ. ff. eo. Qui ad tempus*, inquit, *relegatus est*, *si decurio sit*, *desinet esse decurio*. Contra nova superveniens dignitas a nexu curiæ liberabat, veluti si patritius vel ordinarius consul, non autem honorarius factus fuisset, *l. ultim. C. eod.* Honorarius autem dicitur, qui nudam consulis dignitatem, non administrationem consequitur. Justinianus *Novell.* 70. περὶ βουλευτῶν. *Novimus*, ait, *olim quandam præfecturæ speciem fuisse*, *quam honorariam vocant*, *& a codicillis a Principe obtentis provenit*. *Ita autem appellabant*, *quia nihil aliud quam nudum honorem tribuebat*. *Hæc ergo a curiali fortuna decuriones non liberabat*, *nisi revera eam dignitatem administrarent*. Hæc ille. Hæ honorariæ dignitates primo a Cæsare inventæ, postea ab Augusto & aliis Principibus sunt ampliatæ. Magistri etiam militum seu exercitus Imperatores, Præfecti prætorio, Patroni fisci, & Principes agentium in rebus facti, a curiæ nexu eximebantur. Item proximi scriniorum, id est, qui primum post magistros in quatuor scriniis locum tenebant, *ut in d. Novell.* 70. quod a Justiniano est introductum.

CAP. VIII.

De Duumviris, & Alexandriæ Juridico.

SINGULÆ civitates suos magistratus aliquam jurisdictionem exercentes habebant, & ex hoc potissimum urbes a castris & vicis juridicis carentibus discernebantur: præterea basilicam & forum habebant, quibus castra carebant. ita enim Modestinus *in l. si duas*. 6. *§. decet autem. ff. de excus. tut.* a minoribus civitatibus metropoles distinguit. Pausanias *lib.* 10. addit theatrum, gymnasium seu stadium, & balneum. Procopius *libr.* 2. *de ædif. Justin.* porticum seu basilicam. Erant autem hi magistratus, alicubi unus, alibi duo, *Duumviri* dicti: quandoque *Quinqueviri* vocati, variisque nominibus appellantur: Athenis ἄρχοντες, *l. pars literarum*. 48. *ff. de judic.* qui mortuo Codro IX. sunt creati. D. August. de civitate Dei, *lib.* 18. *cap.* 20. Neapoli *Demarchi*, id est, populi principes; in Latio *Dictatores* aut *Ædiles* vocabantur. *in Hadriano* Spartianus: *In Hetruria*, inquit, *præturam agit: per Latina oppida Dictator & Ædilis & Duumvir fuit: apud Neapolim Demarchus*, *in patria sua Quinquennalis*. Hæc ille. Erant & *Quatuor viri*, *l. unic. C. de solut. & liber. debit. civitatis*. Sed ut plurimum Duumviri creabantur. Summus decurionum & civitatis hic erat Magistratus, nisi alia alicujus loci fuisset consuetudo. Ulpianus *in l.* 1. *ff. de albo scriben. Scribantur*, ait, *decuriones eo ordine*, *quo quisque eorum maximo honore in municipio functus est*, *ut puta*, *qui duumviratum gesserunt*, *si hic honor præcellat*. Hæc ille. Nec alii quam decuriones duumviri creari poterant. Paulus *in l. honores* 7. *§. is qui. ff. de decret. Is*, inquit, *qui non sit decurio*, *duumviratu vel aliis honoribus fungi non potest*, *quia decurionum honoribus plebeii fungi prohibentur*. Ulpianus *l.* 3. *in fin. ff. de peculio. & in l.* 1. *§. ult. ff. de magistratib. conveniend. Si filiusfamilias*, ait, *duumvir*, *rem pupilli salvam fore caveri non curavit*, *de peculio pater tenetur*, *nec quicquam refert*, *voluntate patris decurio factus sit*. Nec ex omnibus decurionibus, sed ex potioribus tantum eligebantur. Paulus *in dict. l. honores*. 7. *ff. eod. Honores*, inquit, *& munera*, *non ordinationi*, *sed potioribus quibuscunque injungenda sunt*. *Ordinationem* vocat inferiores, sicut *in ordinem redigi* dicuntur, qui deprimuntur. Cum igitur ex decurionibus Duumviri eligerentur, Alexandrini sub Regibus vivere soliti, Decurionibus carebant, nec Duumviros creabant, sed jus dicentem a Cæsare accipiebant, qui *Juridicus Alexandriæ* vocabatur, *tit. C. de offic. Juridici Alex.* & erat pro aliarum civitatum Duumviris: nam sæpe comparantur, & ideo utrisque, certis casibus, tutores dandi facultas pariter tribuitur, *l. sancimus in curationib.* 30. *C. de episcopali audient. §. nos autem. Instit. de Attil. tuto.* In hoc tamen differebant, quod de omnibus causis civilibus etiam maximis Juridicus cognoscebat, Duumviri minimas tantum judicabant. Strabo *lib.* 17. *Geograph.* enim scribit: *Qui Alexandriam mittitur præfectus Augustalis*, *Regis ordinem gerit*. *Sub eo est* Δικαιοδότης, *id est*, *Juridicus*, *qui maximam in judiciis potestatem habet*. *Nam velut is*, *qui a Cæsare creabatur*, *de omnibus civilibus cognoscebat*. *quod Duumviris non tribuebatur*, *qui ab ordine fiebant*. Hactenus Strabo. Severus vero Imperator Alexandrinis decuriones constituit. Spartianus *in Severo*. *Deinde* inquit, *Alexandrinis jus buleutarum*, *id est*, *curialium dedit*, *qui sine publico consilio*, *ita ut sub Regibus antea vivebant*, *uno judice contenti*, *quem Cæsar dedisset*. Juridicum intelligit, quem *unum* ad differentiam Duumvirorum vocat. Curia itaque Alexandrinis concessa, quinque Summates habere cœpit, qui cunctis civitatis honoribus functi, cæteros dignitate præcellebant, *l. quinque summates*. 57. *C. hoc tit. & l.* 67. *C. eod.* Quædam quoque civitates in Italia, quæ veniente in Italiam Annibale a Romanis defecerant, jure curiæ privatæ, duumviros creare non poterant: sed aliquæ a pop. Rom. quotannis Præfectos suffragiis creatos accipiebant, quæ erant X. Capua, Cumæ, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteoli, Exetræ, Suessula, Atella, Calatia. Aliæ a Prætore urbano, ut Fundi, Formiæ, Cære, & alia relata a Festo, in verb. *præfecturæ*. Sed ut ad Duumviros revertamur, hi sunt qui in jure *magistratus municipales* vocantur, *l. fin. C. de jud. l. in honorariis*. 35. *in fin. ff. de oblig. & action. l. magistratus*. 25. *& l. seq. ff. ad municip.* In quo graviter erravit Accursius, magistratus municipales, castrorum, aut villarum, ut appellat, præfectos esse existimans, *in rubr. C. de magist. munic.* ita magistratuum municipalium tractatum interpretatus. Sed hallucinatur; nullus enim olim in pagis magistratus reperiebatur, cum solæ civitates forum haberent, ut ex Pausania, & aliis supra retuli. & Constantinus civitatibus tantum duumvirilitatem fuisse scribit, *l.* 1. *C. de natur. lib.* Hi etiam simpliciter *magistratus* appellantur, *l.* 1. *&* 2. *Cod. de magistr. munic. l si duas*. 5. alias incipit, *athletæ*. *§. remittuntur. l. spadonem*. 16. *§. si civitatis. ff. de excus. tut.* ut

Theophilus tradit *in §. sed hoc jure. & §. fin Inſtit. de Attiliano tut.* ita etiam D. Lucas 16. *Act. Apoſtolic.* magiſtratus Philippenſium nominat . quandoque ἄρχοντες, *d. l. pars literarum.* 47. *ff. de judic.* dicuntur . Solum Arpinum pro duumviris habuit ædilem. Cicero 13. *epiſt. Ædilem filium meum fieri volui: Is enim magiſtratus in noſtro municipio, nec alius ullus creari ſolet* . Lanuvium dictatores habebat, *Cic. pro Milone* . Spartianus *in Hadriano: Per Latina oppida, dictator, ædilis, & duumvir fuit* . Capua & Conſtantinopolis prætorem, quem *populi prætorem* Juſtinianus appellat. Pro uſu enim locorum, diverſa nomina & officia nanciſcebantur: omnes tamen communi vocabulo magiſtratus appellabantur, quod nomen iis etiam qui imperium habent, tribuebatur, *l. eum qui.* 13. *ff. de jur. omn. jud.*

Eadem forma in eligendis Duumviris, quæ in creandis decurionibus, obſervabatur, hoc excepto, quod Duumviri tribus ante, aut pluribus menſibus, quam magiſtratum inirent, nominabantur; ut ſi forte juſtam recuſandi honoris cauſam habuiſſent, alii eorum loco congruo tempore ſubſtitui poſſent, *l.* 1. *C. de magiſt. mun. l.* 28. *C. Th. de decur.* Kalendis vero Martiis magiſtratum nominabant, inquit Conſtantius, *d. l.* 28. *C. Th. de decur.* ut ſplendidiorum honorum, munerumque principia, primo tempore curentur. Tenebanturque electi fide jubere & rempubl. recte, & ex bona fide adminiſtraturos. *l. ſi ff. ad mun.* & inviti magiſtratus ſubire cogebantur, *l. ſi ad magiſtratum.* 18. *C. h. t.* Unde Arcadius Chariſius *in l. fin. §. judicandi. ff. de muner. & bon. Judicandi*, inquit, *munus perſonale eſt, ad quod vel nolens compellitur*. Et ſi ad magiſtratum vocatus fugiſſet, amiſſione bonorum plectebatur. Præſens vero biennio officio fungi compellabatur, *d. l. ſi ad magiſtratum.* 18. *C. eod.*

Duumviri a numero duorum dicti exemplo duorum Rom. Coſſ. creabantur, quos olim intra propriæ civitatis territorium, lictores, non cum faſcibus ut Coſſ. ſed virgis aut bacillis præibant. Cicero *in Rullum. Nam primum*, ait, *cum ceteris in coloniis duumviri appellentur, hi ſe prætores appellari volebant*. & infra: *Anteibant lictores, non cum bacillis, ſed ut hic Prætoribus anteeunt cum faſcibus duobus*. Hæc Cicero. D. quoque Lucas 16. *Act. Apo.* magiſtratus Philippenſium prætores nuncupatos lictores cum faſcibus habuiſſe ſcribit. Poſtea omnes faſcibus uti cœperunt. Theodoſius, *l. duumvirum.* 13. *C. eod. Duumvirum*, inquit, *impune non licet extollere poteſtatem faſcium extra metas territorii propriæ civitatis*. Duumvirum autem dicit in ſingulari, non Duumviros, quia etſi duo erant, unum tamen magiſtratum adminiſtrabant, ſeu unius judicis vicem ſuſtinebant, *l. magiſtratu.* 25. *ff. ad mun.* aut quia ſicut Coſſ. ſinguli alternis diebus 12. faſcibus utebantur, ita duumviri alternatim duos faſces præmittebant. Prætexta quoque, id eſt, limbo purpureo circumdata toga induebantur. Livius *lib.* 4. *decad.* 4. *Purpura*, ait, *viri utemur prætextati in magiſtratibus in ſacerdotiis, liberi noſtri prætextis purpura togis utentur. Magiſtratibus in coloniis municipiiſque togæ prætextæ habendæ jus eſt: nec tantum vivi ſecum habeant id inſigne, ſed etiam, ut cum eo crementur mortui*. Hæc ille. Tunicam vero albam geſtabant. Juvenal. *Satyr.* 3.

—— Clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicæ ſummis ædilibus albæ.

Creati Duumviri olim populo munus gladiatorum edebant, id eſt, aliquot paria gladiatorum ad certamen committebant, ut ex infra ſcripto Apuleii loco, & marmoribus conſtat. Plinius ad Trajanum
A epiſt. 82. ſcribens auctor eſt, cum inibant magiſtratum, ſolitos fuiſſe ſingulos, aut binos decurionibus denarios elargiri. *Qui ineunt*, inquit, *magiſtratum ſolent totam bulen, atque etiam ex plebe non exiguum numerum vocare, binoſque denarios vel ſingulos dare*. Hæc ille. Olim Duumviri ob dignitatis ſplendorem cum vili abjectaque muliere matrimonium contrahere non poterant, *l.* 2. *C. de natur. lib.* quod hodie eſt abrogatum, *in auth. quibus mod. natu. effic. ſui, ſeu Novell.* 89. *in fin.* Uſque ad certam vero ſummam judicabant, *l.* 4. *§. ſi forte. ff. de damn. infect. l.* 28. *ad mun.* nec ea, quæ magis imperii ſunt, quam juriſdictiones, e-
B xercere poterant, *l. ea quæ* 26. *ff. ad munic.* veluti in integrum reſtituere, aut bona rei ſervandæ cauſa jubere poſſideri, aut dotis ſervandæ cauſa vel legatorum ſervandorum, *d. l.* 26. convenire tamen inter litigantes poterat, ut de re majori apud magiſtratus municipales agi poſſet, *l inter.* 28. *ff. d. tit.* Conſtat etiam *in l.* 2. *C. de magiſtr. mun. l. curent. ff. de teſtib. l. jubemus. C. de defen. civ. l.* 1. *C. de offic. ju. Alex.* eos conficiendorum actorum poteſtatem habuiſſe: *acta* autem nihil aliud ſunt, quam quæ apud judicem, vel cauſa litium, vel probandi ſcribuntur, *gloſ. in l. acta.* 45. *ff. de*
C *re jud.* quæ olim aſtantibus tribus curialibus fiebant, *l.* 51. *C. Th. de decur.* quod Juſtinianus ſuo Codici inſeri noluit, *l.* 2. *C. de magiſtr. mun.* Pignora etiam capi ob rei judicatæ executionem Duumviri jubebant, *l. quemadmodum.* 29. *§. pen. ff. ad leg. Aquil.* Hoc autem judicandi munere quandoque quinquennio fungebantur, qui *Quinquennales* in marmoribus vocantur, quibus ſæpiſſime legitur, II. VIR. I. D. id eſt, *Duumvir juri dicendo*, ut Tergeſti: L. VALERIO PAPIRIO PAPINIANO VII. VIR. I. D. Q. Q. PRÆF. ET TERGESTE FLAM. HADR. PONT. AVGVR. COLLEGIVM FABRVM. PATRONO MERENTI. L. Papirius Duumvir
D quinquennalis, id eſt, integro quinquennio judicaſſe, & Flamen, ſeu ſacerdos Hadriani fuiſſe ſignificatur Idem Corinthi obſervatum fuiſſe Apulejus *in* 10. tradit. *Thyaſus*, inquit, *oriundus patria Corintho gradatim permenſis honoribus quinquennali magiſtratui fuerat deſtinatus, & ut ſplendori capeſcendorum reſponderet faſcium, munus gladiatorum triduanis ſpectaculis pollicitus, latius munificentiam ſuam protendebat*. Hæc ille. Alibi legitur PRÆ. I. D. id eſt, *Præfectus juri dicendo*. In quibuſdam vero municipiis IIII. viri judicabant, ad quos quandoque Alexander Imp. reſcripſit *in l. unic. C. de ſolut. & lib. debi. civit.* Et in vetuſto ſaxo Bergomi
E legitur: C. CORNELIO C. F. VOT. MVNICIANO PRÆF. COH. PRIM. DAMASC. TRIB. MIL. LEG. III. AVG. PRÆF. FAB. CVRATORI REIP. OTESIMORVM IIII. VIR. I. D. PONTIFICI FLAMINI DIVI CLAVDII BERGOMI PATRONO PLEBS VRBANA.

Servos etiam Duumviri, modice tamen, caſtigabant. Fugitivos vero comprehenſos ad officia Præſidum tranſmittebant, *l.* 4. *ff. de ſerv. fugit.* liberos vero puniendi nullum jus habebant, ut aliqui volunt; ſed Accurſius *l. magiſtratibus.* 22. *ff. de juriſd. omn. jud. l. ſi privatus.* 17. *§.* 2. *ff. qui & a quibus man. l. item apud Labeonem.* 15. *§.*
F *adjicitur. & l. ſed ſi unius.* 17. *§.* 2. *de injur. Novella* 15. *cap.* 6. *l.* 17. *ff. ad leg. Aquil.* aliud cenſuit. virgis enim delinquentes cedere, & in vincula duci jubere poterant. nam D. Lucas *in dict. c.* 16. *Act. Apoſt.* a magiſtratibus Philippenſium D. Paulum & Silam virgis cæſos, & in vincula ductos ſcribit, & mane dimiſſos. Itaque carceribus mancipandi, & innocentes dimittendi facultatem habebant. Ulpianus *in dict. l. magiſtratibus. & aliis ſupra citatis. Si fugitivum*, inquit, *meum quis quaſi ſuum a Duumviro, vel ab aliis, qui poteſtatem*

habent de carcere vel custodia dimittendi, *acceperit*, *an is furti teneatur*, *in l. si quis uxore*. 52. *§. si fugitivum*. *ff. de furt. & placet*, *si fidejussores dederit*, *in eos domino actionem dandam*. In actis quoque Martyrum legitur magistratus municipales Christianos in vincula conjecisse, *apud Surium*. 23. *Augu. Lysias*, inquiunt, *sedens pro tribunali*, *dixit*, *Adducantur examini meo Christiani*, *qui hujus urbis magistratibus traditi sunt ab officio*. *Eulalius Commentariensis dixit*: *Juxta præceptum tuum*, *Domine*, *quos hujus urbis magistratus comprehendere potuit*, *Christianos offert tres pueros fratres*, *& duas fœminas*. Hactenus acta. Præterea tutores Duumviri dare poterant, si pupilli facultates quingentos solidos non excedebant, *§. penult. Instit. de Attil. tut. l. 3. ff. de tutor. & curat. dat. ab his l. sancimus in curationibus*. 30. *Cod. de episcop. audient.* Ditioribus vero pupillis tutoribus a Præsidibus datis, satisdationes suo periculo exigebant: si enim minus idonei fidejussores fuissent, de suo damnum pupillis resarciebant, *ff. & C. de magistrat. convenien.* In quibusdam etiam civitatibus vindicta manumittebant, ut manumissos cives Romanos facerent: Nam alio modo manumissi Latini liberti fiebant, *l. ultim. C. de manumis. vind.* Pro civitate præterea Duumviri contrahebant. Paulus *in l. in honorariis*. 35. *in fin. ff. de obligat. & action. In Duumviros*, inquit, *& rempublicam etiam post annum actio datur ex contractu magistratuum municipalium*. Iidem pecuniam civitati relictam exigebant, *l. ult. §. 2. ff. ad municipal. l. fin. C. ut in possess. legator.* quod si neglexissent, de suo resarcire tenebantur. Cum itaque omnibus civitatis negociis impliciti reperirentur, si alicui minori tutores aut curatores dati fuissent, excusabantur, *l. si duas*. 6. alias incipit, *athletæ*. *§. remittuntur*. *ff. de excus. tut.* Dum vero magistratu fungebantur, nec contra alios agere, nec ipsi ab aliis conveniri poterant, ut Græce Hadrianus rescripsit *in l. pars literarum*. 48. *ff. de judic.* qui non de solis Atheniensium magistratibus loquitur, ut Alciatus *in quarto dispunct. lib. c.* 6. credidit; nec de prætoribus, aut præsidibus, ut alii opinantur, sed de omnibus magistratibus municipalibus, qui a Græcis ἄρχοντες vocabantur. Duumviri etsi alicubi quinquennales fiebant, plurimum tamen uno tantum anno magistratum exercebant, sicut & alii qui munera publica obibant, ut susceptores, *l. neminem* 4. *C. de suscept. præpos. & arca*. Quod etiam significat præfatum Hadriani rescriptum *in d. l.* 48. *ff. de judic.* Ἄρχοντες, inquit, *quo anno cum imperio sunt*, *neque propriam*, *neque eorum quorum tutelam vel curam gerunt*, *causam in judicio*, *vel agendo*, *vel defendendo*, *sustinento*. Duumviris infimos civitatum judices comparare possumus, etiamsi non eandem plerisque in locis auctoritatem habeant.

CAP. IX.

De Defensoribus civitatum.

PRIMUS post Duumviros in urbe erat Defensor civitatis, a Justiniano *in Novell.* 15. *d. §. sed hoc jure*. *Instit. de Attil. tut.* & Theophilo *in l.* 1. *§.* 1. *ff. de muner. & honor.* Græce ἔκδικος appellatus Hermogenianus *in l. numerum*. i. *§. personalia*. *ff. dict. tit. syndicum* interpretatur. *Defensio civitatis*, inquit, *id est*, *ut syndicus fiat*, *munus est personale*. Ita etiam nominat Arcadius *in l.* 2. *C. de defensor. civit. Defensores*, ait, *quos Græci syndicos appellant*, *pro republ. agebant & conveniebantur*. Oecumenius *in* 10. *Act. Apostol.* in Asia *agoræos* dictos fuisse scribit. Hi quandam

A antiquorum Tribunorum plebis imaginem referebant, quemadmodum & Duumviri, Consulum, Ex decurionibus enim creari non poterant. Valentinianus *in l. unic. C. de offic. jurid. Alexand. Defensores*, inquit, *civitatum non ex decurionum seu cohortalium corpore*, *sed aliis idoneis personis huic officio deputentur*. Ob idque *defensor plebis* quandoque nominatur; *l.* 4. *C. eod. tit. & in Auth. eod. in princ.* Nam in primis plebem ipsam, ac totam etiam civitatem ab injuriis, & oneribus defendere tenebatur, prout ejus nomen indicabat, *dict. l.* 2. *& §. ult. Auth. eod.* Sed videndum, B qui eligerentur defensores, a quibus, quam auctoritatem haberent, demum quanto tempore in hoc officio permanerent. Ex nobilioribus & ditioribus urbis civibus a decurionibus unus post alium defensores eligebantur, ita ut singuli in orbem sua vice officio fungerentur. Quod etsi olim observatum fuit, cum postea infimi creari cœpissent, renovavit Justinianus *Novell.* 15. ut rursus graviores cives crearentur.

Ad eligendos defensores civitatis Antistes, clerici, curiales, aliique nobiliores conveniebant, & eorum judicio orthodoxus nominatus Defensor a Præfecto prætorio comprobabatur. Theodosius A. C *in l. defensores ita præcipimus*. 8. *C. eod. & in §. inferi. Auth. eod. Defensores*, ait, *ita præcipimus ordinari*, *ut sacris orthodoxæ religionis imbuti mysteriis*, *reverendissimorum episcoporum*, *nec non clericorum & honoratorum*, *ac possessorum & curialium decreto constituantur*: *de quorum ordinatione referendum est ad illustrissimam prætorianam potestatem*, *ut litteris ejusdem magnificæ sedis eorum solidetur auctoritas*. *Honoratos* autem nominat viros, qui honorem aliquem consecuti fuerant. *Possessores*, ditiores cives. Electus defensor civitatis primum jurabat se omnia secundum jura acturum, *§. jusjurandum*. *Auth. eod.* deinde a Præfecto præto-D rio confirmabatur, cui pro codicillis confirmationis, civitas, si ex majoribus erat, quatuor solidos solvebat: si ex minoribus, tres. ipse vero nihil pendebat, quia nullam mercedem officii accipiebat, nisi aliquid ei civitas donare consuevisset, *§. quia vero. in Auth. eod.*

Pecuniarias causas in primis inter rusticos judicabat. Valentinianus *in l.* 3. *C. eod. Utili ratione*, inquit, *prospectum est*, *ut innocens & quieta rusticitas peculiaris patrocinii*, *id est*, *defensoris locorum beneficio perfruatur*, *& apud eum in pecuniariis causis litigandi habeat facultatem*. Sed & pauperum E aliarumque vilium personarum in civitate lites dirimebat, ut D. Jo. Chrysostomus *in* 20. *cap. Act. Apost.* & Oecumenius testantur. Εἶδος, inquit, *τῶν δικαστῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ εὐτελῶν οἱ ἀγοραῖοι, οἵτινες ἐδίκαζον τοῖς πένησι καὶ ἀγγοραίοις ἀνθρώποις. διὸ καὶ ἀγοραῖοι ἐκαλοῦντο, ὥσπερ εἰσὶν ἔκδικοι κατὰ πόλεις τινάς. οἱ δὲ ἀνθύπατοι τῆς τῶν πλουσίων ἢ τῶν ἐγκλημάτων δίκης ὑπήκουν*. hoc est, *Agorei sunt genus vilium judicum in Asia*, *qui pauperes & viles judicabant*, *quemadmodum sunt defensores in quibusdam civitatibus*: *Proconsules autem divitum*, *& criminales causas audiunt*. Hæc illi. Aliorum etiam civium causam olim usque ad quinquaginta F aureos cognoscebant, *l.* 1. *C. eod.* Nec pro hac summa licebat adire Præsidem provinciæ, sed prius apud defensorem agendum erat, & ab eo ad Præsidem appellandum, *§. & judicare*. *in Auth. eod.* Leviora etiam crimina audire, & punire, sed gravius delinquentem tantum in carcerem detrudere poterat, & eum accusatoris nomine plectendum ad Præsidem provinciæ mittere, *l. defensores*. 7. *C. eo. §. audient. auth. eod.* Justinianus ad Menam PP. *in l. neminem*. 11. *C. de episc. audien. quæ est pars l. ult. C. de custo. reor. Neminem volumus*, inquit, *in custodiam conjici abs-*

que jussu illustrium vel clarissimorum magistratuum provinciarum aut defensorum civitatum. Apud eundem testamenta, & instrumenta, donationesque insinuabantur, & judiciorum acta fiebant, quæ ad ejus jurisdictionem spectabant, *l. penultim.* 5. *eod.* §. *nulla. in authen. eod.* Hæc ab exceptore scribebantur, qui ex officio Præsidis provinciæ in urbem mittebatur: peractoque judicio acta in publicum tabularium deferebantur, *archivum* vocatum, cujus Præfectus eorum curam habebat, ne carie exesa, vel alio modo corrupta perirent, §. *præcepta. in auth. ead.* Duo vero apparitores, defensoris jussa exequebantur, §. *& agi. vers. ex provinciali. d. auth.* Præterea sedandi civium tumultus, & defendendæ plebis illi cura incumbebat, §. *deinde. d. auth* Cassiodorus *lib.* 3. *variar.* ait ad eundem spectare curam, ne res carius quam æquum sit, vendantur. Tributorum denique exactoribus adversus eos, qui negligentius solvebant, opitulabatur, & velut Præsidis provinciæ in urbe vices gerebat, *d.* §. *deinde*. Mancipia quoque reipub. atque adeo aliorum fugitiva perquirere, & revocare tenebatur, *l. mancipia*. 5. *C. de servis fug. l.* 1. *C. eod.* Olim defensores integro quinquennio magistratu fungebantur, *l. in defensoribus*. 4. *C. eod.* sed postea statutum est, ut solo biennio in eo officio permanerent, quo finito, alii honestiores cives singuli ordine suo biennio, hoc munus subibant, §. *quæ agitur. in d. auth.* Hodie antiquorum magistratuum forma sublata, hi non sunt in usu; illis tamen quarundam urbium syndicos, aut minores judices, qui usque ad certam summam cognoscunt, comparare possimus.

CAP. X.

De Susceptoribus, Vindice, & Brevibus quadrimestribus.

PRÆCIPUA decurionum cura in exigendis tributis versabatur: & ideo civem eligebant qui tributa exigeret, *susceptorem* vocatum; quod debita publica susciperet. Is creabatur in curia civitatis, eo fere modo, quo & decuriones: unus enim aut plures suo periculo eum nominabant, in quem si curiales consensissent, acta a tabulario curiæ scribebantur, eaque cum nomine susceptoris, & nominantis, qui pro illo tenebatur, ad Præsidem provinciæ mittebantur. Gratianus A. *in l. exactores. C. de susceptor. præp. & arcar. Exactores*, inquit, *vel susceptores in celeberrimo cœtu curiæ, consensu & judicio omnium subactorum testificatione firmentur, provinciarumque rectoribus eorum nomina, qui ad publicum munus officii editi atque obligati fuerint, innotescant, & animadvertant quicunque nominaverint, ad discrimen suum universa, quæ illi gesserint, redundare*. Hæc ille. Illo igitur solvendo non existente, curiales qui eum probaverant, pro illo tenebantur, *l. providendum*. 27. *C. de decurionib. l.* 54. *C. T. eod.* Susceptor autem aut ex decurionibus, aut ex plebe eligebatur. Papinianus, *in l. libertus* 17. §. *exigendi. ff. ad municip. Exigendi*, ait, *tributi munus inter sordida munera non habetur, & ideo decurionibus quoque mandatur*. quasi dicat, id non est necesse, tamen & ipsi solent creari. Primum autem susceptoris officium est, ut præsente defensore civitatis, cujusque jugera & debitum describat, *l. susceptores*. 10. *C. de susceptorib. præp. & arc.* Deinde a quocunque frumenti quinquagesimam, hordei quadragesimam, vini & laridi vicesimam exigat, *l. modios*. 9. *Cod. dict. tit.* quæ in fisci horreis condebantur, *l. frumenta*. 6. *Cod. eod.* ac præpositis horreorum servanda committebantur. Id munus erat personale. Arcadius, *in*

A *l. fin.* §. *qui annonam. ff. de muner. & honor. Qui annonam*, inquit, *suscipit, vel exigit, vel erogat, & exactores pecuniæ pro capitibus, personalis muneris solicitudinem sustinent*. Exigebat enim & quod pro capitibus a singulis solvebantur, & alia quæ pro prædiis pendebantur, *l. cum possess.* 5. *in fin. ff. de censibus*. Quotannis etiam a Principe imperata pecunia hoc modo ab eo capiebatur. In primis, Tabularii civitatum qui civium, & possidentium nomina in pyctatio descripta tenebant, inspiciebant, quis, & quantum solvere teneretur, & contra negligentes apparitores decurionum debitum exacturi mittebantur, *l.* 1. *C. de exactor. tribut. l. missi opi-*
B *natores*. 7. *C. eod.* qui exacta susceptori dabant. Sed etsi varie tributa pro diversitate provinciarum pendebantur, omnes tamen in tribus pensionibus hoc a Principe indictum præstabant, nempe Kal. Januarii, Maii, & sub principium mensis Septembris, quo incipiebat Indictio, ut cavetur Constitutione Græca Codici inserta, *l. fin. C. de annon. & tribut. Tripertito*, ait, *omnia fiscalia inferantur, ea etiam quæ Armeniaca vocant, videlicet kalendis Januariis, & kalendis Maiis, & ad finem indictionis, in tres æquas partes divisa*. Hæc ille. Susceptor accepto tributo chirographum solventi faciebat, in quo sum-
C ma datæ pecuniæ, causa solutionis, nomen solventis, consul, mensis, & dies præstiti tributi continebatur. Honorius A. *in l.* 1. *C. de apoch. public. Sed & aurum*, inquit, *quod ex hujusmodi contributione redigitur, ita debet susceptori aurario consignari, ut securitatibus nomen inferentis, dies, consul, mensis, causa, & summa comprehendantur*. Hæc ille. *Securitas* vocatur apocha, & ipsa solutio plerumque *collatio* appellatur, *l. diu* 8. *C. de suscept. & arca*. Prædia vero tributa pendere negligentia tanquam jure pignoris principi obligata vendebantur. Papianus *in dict. l. cum possessor.* 5. §. *fin. de censib: Pro pecunia tributi, quod sua die non est*
D *redditum, quo minus prædium jure pignoris distrahatur, oblata moratoria cautio non admittitur*. & licet debitor caveat se soluturum, non ob id retardatur prædii venditio. Facta tributorum aut debitarum functionum solutione pecunia arcario committebatur, *l. ultim. C. de suscept. præpos. & arcar.* qui eo modo, quo susceptor eligebatur. D. Paulus *in fin. ad Romanos*. Eristum Corinthi arcarium fuisse scribit Sed in Græco exemplari *œconomus*, a Jureconf. *administrator* vocatur, quales erant curatores, de quibus infra dicetur. Exacta vero pecunia non diu apud arcarium manebat, sed statim ad præfectum thesaurorum, qui unus in sin-
E gulis provinciis residebat, transmittebatur. Gratianus *l.* 1. *C. Th. de canone largit. tit. Diu*, inquit, *minime penes ipsos susceptores maneat facta collatio, sed statim quodcunque a provincialibus fuerit exsolutum, sacris thesauris inferatur*. Item Gratianus *in dict. l.* 1. *C. de can. larg. tit. Omnem*, ait, *summam auri vel argenti, & reliquarum specierum, quæ sacris largitionibus ex more penduntur, statim ut exactio fuerit celebrata, ad thesauros uniuscujusque provinciæ, vel ad proximos referri sub obsignatione tabularii, cæterorumque quos sollicitos esse debere præcedentia jussa decreverunt & thesauro-*
F *rum præpositis consignari præcipimus, ut exinde ad sacrum comitatum integer omnium titulorum numerus dirigatur*. Hæc ille. Nec vero semper aurum in pecunia numerata ad thesauros transmittebatur, sed plerumque in massam conflatum, *l.* 12. *&* 13. *C. Th. eod.* cujus singula libra LXXII. aureis respondebat. Valentinianus *in l. quotiescunque. C. de suscept. Quotiescunque*, inquit, *certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, aut auri massa transmittitur, in septuaginta duos solidos libra feratur accepta*. Vestes vero, quas singulas provinciales pro singulis XXX. quandoque pro XX. jugis ter-

ræ militibus perſolvebant, *l. C. de milit. veſte.* ſuſceptor non exigebat, ſed proconſul, *l. humilioribus.* 14. *C. de ſuſcept.* In annum tantum creabantur ſuſceptores, niſi conſuetudo aut hominum penuria in biennium hoc officium continuare feciſſet, *l. neminem.* 4. *C. dict. tit.* Nec ad hoc munus reverti poterant, niſi prius rationem ante geſtorum redidiſſent, *dict. l. neminem.* 8. Novi vero ſuſceptores non ſolum anni quo creabantur, ſed & reliqua præcedentis debita tributa exigere tenebantur, *l. ſuſceptores.* 3. *C. eod.* Demum hoc colligendorum tributorum onere Anaſtaſius Imperator decuriones liberavit. In qualibet enim civitate exigendis tributis quoſdam præpoſuit, quos *vindices* vocabant, *Evagrius lib. ſacr. inſtit.* 3. *cap.* 42. *Niceph. lib.* 16. *c.* 44. quod officium uſque ad Juſtinianum perſeveravit, *Edictio.* 8. *§.* παντὸς τῆς. Suſceptor aliquam quæſtoris Romani imaginem habebat. Hodie paucis in locis civitatum decuriones tributorum exactores creant, ſed ubique a Principe quæſtores conſtituuntur, vulgo, *Camerlenghi*, aut alio nomine appellati.

CAP. XI.

De Curatore Reipub.

HABEBANT civitates fundos, ædes aut pecuniam; quam in tuto aut apud negociatores collocabant, *l.* 1. *§.* 1. *ff. quod cujuſque univerſ. nom.* quibus aliquem adminiſtratorem præfici oportebat: & ideo ob hanc cauſam a Decurionibus creabatur Reipub. *curator*, aut *procurator* vocatus, qui non fiſci, aut Principis pecuniam, ut ſuſceptor, ſed ipſius civitatis res adminiſtrabat, quod & ipſum munus publicum erat. Hic alio nomine *Logiſta* dicebatur, Gordianus A. *in l.* 5. *C. de mod. multa. Curator*, inquit, *reipublicæ, (qui Græco vocabulo Logiſta nuncupatur) multandi jus non habet.* Hoc autem nomen ſortitus eſt, auctore Suida, *in verb.* λογίςα. quia rerum civitatis arbiter erat, & æſtimator, ſeu cenſor: vel potius quia cum res civitatis adminiſtraret, ſupputandi rationem tenere debebat. Plinius *epiſt.* 18. *lib.* 7. *actorem publicum* appellat: *Agrum*, inquit, *ex meis longe pluris actori publico publice mancipavi, eundem vectigali impoſito recepi.* Is, quemadmodum & alii, ex decurionibus eligebatur, cujus præcipua cura erat, prædiorum civitatis reditus colligere. Arcadius Juriſconſ. *Sed & curatores*, ait, *qui ad colligendos civitatum publicos reditus eligi ſolent, perſonali munere ſubiguntur.* publicorum enim prædiorum cura inter perſonalia munera connumeratur, *in l. fin. §. qui annonam. ff. de muner. & honorib.* Idem prædia civitatis locabat, quod in quinquennium fieri conſueverat, *l.* 1. *§.* 2. *ff. eod.* Res quoque Reipubl. a privatis occupatas vendicare tenebatur, *l.* 3. *§.* 1. *ff. de admin. rerum ad civit. pertin.* & ædes publicas, & balnea, quæ reſtauratione indigebant, redemptoribus ſarcienda locabat, *l. ultim. §.* 2. *ff. eod. tit.* aut ipſe refici jubebat, *l. ultim. §. hi quoque. ff. de muner. & honorib.* damnum enim ſua culpa reipublicæ illatum, de ſuo reſarcire tenebatur. Idem juſtum pretium rebus venalibus ſtatuebat, ut Caſſiodorus memorat, *l.* 2. *§. ad frumenti. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pert.* Curabat & commeatum exercitui ſuppeditari, quem *copias* appellari Duarenus autumat *lib.* 3. *variar. in formulas curatoris civitatis.* Proſpiciebat etiam ne urbs ædificiis deformaretur: collapſa enim civium ædificia reſtiſtitui jubebat. Paulus *libr.* 1. *diſput. cap.* 26. *& in l. ob negocium.* 20. *ff. de compenſat. Ad curatoris*, inquit, *reipublicæ officium ſpectat, ut dirutæ domus a dominis extruantur. Domum in l. ad curatoris.* 46. *ff. de damno infect. ſumptu publico extructam, ſi dominus ad tempus pecuniam impenſam cum uſuris reſtituere noluerit, jure eam Reſpublica diſtrabit.* Hæc ille. Prohibebat præterea, ne publica loca occuparentur, aut devaſtarentur, ipſe vero nemini concedere poterat, *l. prohibere.* 3. *§. plane. ff. quod vi aut clam.* niſi lex municipalis id illi permiſiſſet, *dict. §. plane.* In omnibus denique locis, ita totam civitatem referebat, ut in publico ædificaturus, ſi hoc procuratori denunciaſſet, ipſi Reipublicæ denunciaſſe cenſeretur, *l. aut qui aliter. §. item ait. ff. quod vi aut clam.* Nam quod ei interdicitur, Reipublicæ interdictum eſſe videtur. Sed ob hæc procuranda pleriſque in locis proprius magiſtratus creabatur, *ædilis a* Papiniano vocatus, *lib.* quem de ædificio Græce compoſuit. *l.* 1. *ff. de via public. l. quæ inſulam.* 30. *§.* 10. *ff. l. ultim. §. Irenarchæ. ff. de muneribus & honorib.* Reipublicæ quoque creditoribus debitum ſolvebat. Ulpianus *l.* 2. *§. grani. ff. de adminiſtr. rerum ad civit. pertinent. Grani*, ait, *æſtimationem per injuriam poſt emptionem ablati, quæ rationibus publicis refertur, curator Reipublicæ domino reſtitui jubeat.* Ex quibus verbis aliquam juriſdictionem habuiſſe videtur. Pecuniam denique publicam ipſe collocabat, aut exigebat, non etiam fœnerabatur: quia id præfecti Kalendarii munus erat, *l. fin. §.* 2. *ff. de munerib. & honorib. l. ultim. §.* 7. *ff. de adminiſt. rerum ad civit. pertinent.* Is & alii curatores quotannis adminiſtrationis ſuæ rationem reddere tenebantur, & factas impenſas oſtendere, actis publicis inſignare, *in dict. l. ultim. §.* 8. *de admin. rerum ad civit. pertinent.* & eo modo tutus a moleſtia reddendæ rationis fiebat. Plures aliquando curatores creabantur, cum Papirius Juſtus, *l. ultim. ff. de offic. aſſeſſor.* ſcribat, curatorem Reipublicæ collegæ nomine teneri, ſi eum male agentem prohibere potuit, & non fecit. In expediendis publicis difficultatibus Reipublic. curator, aſſeſſores & jureconſ. vocabat, quorum conſilio utebatur, ne aliquid forte contra jus, vel temere faceret, & ut aliorum etiam opinionem audiret: & iſtud eſt conſilium curatoris Reipubl. cujus Papinianus meminit *l. de his. C. de epiſcop. audient. In conſilium*, inquit, *curatoris Reipublicæ vir ejuſdem civitatis adſidere non prohibetur.* Sed forte intelligit de conſilio civium ad hoc electorum, cum ſervus Reipubl. erat manumittendus. Curatoris Reip. in vetuſtis marmoribus frequens eſt mentio. legitur enim Brixiæ: P. CLODIO P. F. FAB. SVRÆ. Q. FLAMINI DIVI TRAIANI PONTIFIC. II. VIR. QVINQ. TRIB. LEG. II. ADIVTRIC. PIÆ. FIDELIS CVRATOR. REIP. BERGOM. DATVS AB IMP. TRAIANO CVRATOR REIPVB. COMENS. DATVS AB IMP. ADRIANO COLLEGIA FABROR. ET. CENT. Peruſii quoque: C. VRBIO. C. F. L. N. TROGALLO PROCVLEIANO PATRONO ET CVRATORI R. P. VERONENSIVM.

Alexandrum Imperatorem XIIII. Romæ urbis curatores feciſſe Lampridius ſcribit. *Fecit*, inquit, *Romæ curatores urbis XIIII. ſed ex coſſ. viris, quos audire negocia urbana cum præfecto urbis juſſit, ita ut omnes, aut magna pars adeſſet, cum acta fierent.* Curatoris Reipublicæ munera hodie in plura ſunt diviſa, ideo nullus facile ei conferri poteſt. Apud nos judex viarum, & theſaurarius, & ſyndicus, ejus officio funguntur.

CAP. XII.

De Curatoribus annonæ.

CUM victus cauſa, velut civitati perquam neceſſaria, in primis eſſet procuranda, a Decurionibus olim annonæ curator creabatur, qui

qui ejus sollicitudinem haberet, pecuniamque publicam ad hunc usum emendumque frumentum reponebat, quod æquo pretio inter egentes dividebatur. Papirius Justus *in l. ultim. §. item rescripserunt. 5. ff. de admin. rerum ad civit. pertinent. Pecuniam*, inquit, *ad annonam destinatam, distractis rebus curator exigere debet*. Nec modo frumenti, sed olei emendi curam habebat. Hos Græci σιτῶνας καὶ ἐλαιεμπόρυς, vel, ut in Pandectis Florentinis legitur, ἐλαιῶνας appellant. Papirius *in dict. l. ultim. §. item inscripserunt. 6. l. final. §. cura quoque. ff. de muner. & honor. sitonas* vocat. *Quos*, inquit, *indemnes esse oportet, qui non segniter officio functi sunt*. De his Alexander intelligit *in l. 3. de compensation.* cum ait, ex frumenti vel olei publici pecunia non fit compensatio cum his quæ Respubl. debet. Latine *frumentatores* dici possunt. Hoc munus Modestinus *in l. si duas. 6. §. est autem Imperatoris. ff. de excus. tuto. sitoniam* & *elæoniam*, id est, frumenti oleique emendi curam appellat. Ita & Ulpianus *in l. 2. ff. de vacat. & excusat. mun. & est rubrica & l. ultim. Græca. C. ut nemin. liceat in emption. specier. se excu. & de munere sitoniæ.* cum scribit, sextum decimum ætatis annum agentem ad munera sitoniæ vocari non oportere. Inter munera quoque personalia sitoniam Arcadius Jurisconf. *in d. l. fin. §. cura quoque de mun. & hon.* recenset. Hi curatores officium apparitorum habebant, cui præerat centurio vehendi condendique frumenti curam habens, & si cullei ad usum frumenti defuissent, eos etiam invitis civibus auferebat. Scævola *in l. ultim. §. Titius. ff. de pign. action. Culleos*, inquit, *cum Sejus in horreo haberet, missus ex officio annonæ centurio, culleos ad annonam sustulit, ac postea instantia creditoris recuperati sunt*. Hæc ille. Unde annonæ præfectos aliquam ditionem & officium habuisse constat, quod de præfecto annonæ Romæ intelligo, qui etsi antea magistratus non esset, *l. 2. §. hæc omnia. ff. de ori. jur.* postea tamen aucta ejus auctoritate, in negotiatores annonæ, tritici, hordei, vel similium jus dixit, *l. ult. ff. quod cum eo qui in alien. pot.* Quod & ad aliarum civitatum curatores est trahendum. Empto frumento decuriones quosdam ædiles dictos eligebant, qui illud inter plebem dividerent. Papinianus *in l. ideo. 17. de compensat. Condemnatus*, inquit, *quod arctiorem annonam ædilitatis tempore præbuit, frumentariæ pecuniæ debitor non videtur*. Hæc ille. Istud munus personale erat, in quo nulla propriæ pecuniæ impensa facta, personæ tantum laborem curatores sustinebant. Arcadius, *in d. l. fi. §. qui annonam. de muner. & honor. Qui*, inquit, *annonam suscipit, vel exigit, vel erogat, & exactores pecuniæ pro capitibus, personalis muneris sollicitudinem sustinent*. Sed & Hermogenianus *in l. 1. §. 2. ff. de mun. & hon.* annonæ divisionem inter personalia munera recenset. Distracto frumento pecunia statim civitati restituebatur. Ulpianus *l. 2. §. ad frumenti. ff. de admin. rer. ad civita. pertin. Ad frumenti*, inquit, *comparationem pecunia data restitui civitati, non compensari in erogata debet*. Nec frumentum vilius, quam tempus annonæ exigebat, vendi poterat. Paulus *in l. decuriones. 5. de admin. rer. ad civit. pertin. l. ult. ff. ad l. Juliam de annona. l. 8. non debere. ad municip. Decuriones*, ait, *pretio viliori frumentum quam annona temporalis exigit, patriæ suæ præstare non sunt cogendi*. Et si carius, quam temporis conditio postulat, curator vendidisset, multabatur, *l. 2. ff. de annona*. Si aliqua forte magna inopia opprimebatur civitas, alias urbes justo pretio illi frumentum conferre Princeps cogebat, *l. 1. & 2. C. ut nemi. licc. in coempt. specier.* Minor annis 25. ad hoc munus non est eligendus. Ulpianus, *l. 2. de vaca. & excus. mun. Sextum decimum*, ait, *ætatis annum agentem ad munus sitoniæ vocari non oportet. Sed si nihil proprie in patria servatur, de minoribus quoque annis viginti quinque ad munera sive honores creandis justa ætas servanda est*. Sentit his verbis nulla ratione agentem annum XVI. ad id munus vocandum, sed ubi non est contrarium jus vel consuetudo, nec minorem annis XXV. annonæ esse præficiendum. Diu a decurionibus curator est electus, postea placuit, unum ex officio apparitorum præsidis, judicio episcopi & primatum civitatis ad hoc munus creari, *l. ult. C. ut nemini. lice. in emptio. specie se excus.* quæ Græca est constitutio. Hoc officium in pluribus civitatibus minus frequentatur, nisi ubi magnæ penuriæ tempus ingruit.

CAP. XIII.

De Episcopis.

NON minima in urbe cura erat, ut panis aliæque res ad victum quotidianum necessariæ non adulterarentur, & justo pondere aut mensura venirent, & ideo huic muneri ab ordine decurionum civis præficiebatur, quem *episcopum*, id est, inspectorem appellabant. Arcadius *l. fi. §. item episcopi. ff. de mun. & honor. Episcopi*, inquit, *qui præsunt pani & cæteris venalibus rebus, quæ civitatum populis ad quotidianum victum usui sunt, personalibus muneribus funguntur*. Alii erant episcopi quos solebant Athenienses ad subditas civitates mittere, ut auctor est Suidas, qui quid apud quemque populum ageretur, observarent, ac diligenter inspicerent: apud quos summum rerum arbitrium erat. Cic. *ad Atticum lib. 1. Ego negotio præsum, non turbulento. vult enim Pompejus esse, quem tota hæc Campania, & maritima ora habeat* ἐπίσκοπον, *ad quem delectus, & negotii summa referatur*. Hæc ille. Hinc nostri antistites & ipsi episcopi tanquam omnium speculatores sunt vocati. Romæ venalium rerum cura ad ædiles pertinebat, quorum munus erat etiam alia inspicere & curare, id est, ne res mobiles, sive soli, vitiosæ distraherentur, *l. 1. in prin. ff. de ædilit. edict.* Nos hodie hunc præfectum, *judicem victualium* nominamus.

CAP. XIV.

De Curatore Kalendarii & diversorum negotiorum.

PRÆTER prædia habebant & pecuniam publicam singulæ civitates, quam fœneri locabant. Gajus, *l. 1. ff. quod cujusque univers. nom. l. Gajus 11. ff. de usuris. Collegiis*, inquit, *permissum est, ad exemplum Reip. habere res communes, arcam communem, & actorem*. Eam autem pecuniam cum opus erat, in usus publicos convertebant, & sæpe, ne ociosa esset, fœnori dabant. cui negociationi proprius civis præficiebatur, Kalendarii curator dictus. Arcadius Jureconf. *l. ultim. §. de mun. & hono. Kalendarii*, ait, *curatio, & quæstura in aliqua civitate inter honores non habetur, sed personale munus est*. quoniam huic negocio præfecti injunctum munus recusare non possunt. Kalendarii autem nomine hic aliud non intelligitur, quam pecu-

niæ publicæ ſub fœnore locandæ officium. Veteres A enim Kalendarii exercitationem pro nominibus faciendis accipiebant. Africanus *in l. qui filium.* 64. *de legat.* 3. *Cum quis*, inquit, *Kalendarium præſtari alicui voluerit, utrumne nomina duntaxat debitorum præſtari voluiſſe intelligendus eſt, an vero etiam pecuniam, ſi qua ab his exacta, eidem tamen Kalendario deſtinata fuerit. & magis puto. quemadmodum ſi exactæ pecuniæ, & rurſus collocatæ eſſent, permutatio nominum non perimeret, vel minueret fideicommiſſum: ita ipſæ quoque pecuniæ, ſi adhuc Kalendario, id eſt, nominibus faciendis, deſtinatæ eſſent, eidem fideicommiſſo cedere debeant.* B Kalendarium ergo pro nominibus faciendis, hoc eſt, debitoribus comparandis accipitur, *ut in dict. l. ultim.* §. 2. Unde ſervus dicitur debitor domini *ex ratione Kalendarii. l. fin. ff. de peculio.* id eſt, cauſa pecuniæ fœnori datæ. Cujus rei frequens in jure eſt mentio, ubi *Kalendario præponi* dicitur, qui huic negociationi præficitur. Idem Africanus *in l. ejus qui in provinc.* 41. *ff. ſi certum petat. Ejus*, ait, *qui in provincia Stichum ſervum Kalendario propoſuerat, Romæ teſtamentum recitatum eſt.* & Scævola *l. uxorem.* 41. §. *legaverat. ff. de legat.* 3 *Kalendarium exerceri* dicit ab eo, qui hanc artem profitetur. alii *librum rationum* interpretantur, *ut* C *Alciatus lib. 3. diſp. c.* 1.

Dictum eſt autem Kalendarium, quia debitores ſingulis Kalendis pro retenta pecunia uſuras ſolvebant. Hinc in rationum & chirographorum exemplis, mutuo accepta pecunia fere ſemper Kalendis reſtitui promittitur, *l. lecta.* 40. *ſi cert. pet.* & ex multis *ll. ſub tit. de verb. obligat. conſtat.* Hæ etiam menſtruæ uſuræ vocabantur, *d. l. lecta.* 40. Kalendarii curator non ab ordine decurionum, ſed a Præſide provinciæ, facta ejus morum & facultatum inquiſitione creabatur, & ob id nullam cautionem, ut alii, præſtabat. Papirius *in l. ulti.* §. *item reſcripſerunt.* 7. *de adm. rer. ad civi. pert. A* D *curatore*, inquit, *Kalendarii cautionem exigi non oportet, cum ex inquiſitione a Præſide eligatur.* Plinius quoque Bithyniæ præfect. ſe id ex officio ſuo facturum Trajano indicat, *epiſt.* 14. *Pecuniæ*, inquit, *publicæ miniſterio noſtro exactæ ſunt, & exiguntur, quas vereor, ne ocioſæ jaceant. nam & prædiorum comparandorum, aut nulla, aut rariſſima occaſio eſt, nec inveniuntur, qui velint debere Reip. præſertim duodenis aſſibus, quanti a privatis mutuantur.* reſcribit Trajanus Plinio, ut ſub minoribus uſuris pecuniam collocet, *epiſt.* 15. Sed hodie cum jure divino improbatum ſit fœnus, ac pro in- E famia id quæſtus genus vulgo habeatur, hoc lucrum omnino in civitatibus ceſſat.

Alii præter hos curatores extra ordinem, prout uſus exigebat, a Duumviris creabantur, veluti ſi alicujus debitoris bonorum poſſeſſionem Reſpub. juſſu præſidis obtinuiſſet, eorum curator fiebat. Paulus *l. Lucius.* 46. §. *Sempronii. de admin. tutor. Sempronii*, inquit, *qui ex pollicitatione debitor patriæ ſuæ extiterat, bona reſpublica juſſu Præſidis poſſedit; quorum bonorum magiſtratus reipublicæ tres curatores conſtituerunt qui apud Græcos ἐπιμεληταὶ vocantur.* Hæc ille. Si quando opus extruendum, vel reficiendum erat in civitate, ejus curator crea- F batur, quod & hodie fieri conſuevit. Ulpianus *in l.* 4. *in prin. de mun. & hon. Cura*, ait, *extruendi vel reficiendi operis in civitate munus publicum eſt.* & idem ſi aliud publice agendum contigiſſet, obſervabatur. Hi omnes *operum curatores* vocabantur. Arcadius Juriſconſ. *in l. ultim.* §. *hi quoque, de mun. & hon. & l. cum quidam.* 17. §. *eos ff. de uſur. Curatores*, inquit, *ad extruenda vel reficienda ædificia publica, ſive palatia, ſive navalia, vel manſiones deſtinantur, ſi tamen pecuniam publicam in operis fabricam erogent, & qui faciendis vel reficiendis navibus ubi uſus exigit, præponuntur, muneribus perſonalibus adſtringuntur.* Hæc ille. *Manſiones* autem erant hoſpitia publica in quibus veredi manebant, ut alibi eſt declaratum. Hi quoque curatores non a Decurionibus, ſed a Præſide provinciæ creabantur. Ulpianus *l. ſi in aliam.* 7. *de offic. proconſ. & legat.* de proconſule loquens. *Ædes*, inquit, *ſacras & opera publica circumire inſpiciendi gratia, an ſarta tectaque ſint, vel an aliqua refectione indigeant, & ſi qua cœpta ſint, ut conſummentur, prout vires ejus reipublicæ permittunt, curare debet, Curatoreſque operum diligentes, ſolemniter præponere.* Hi curatores etiam hodie, cum opus eſt, fiunt. Erant & qui balnea publica calefieri curabant, quibus ex publico ad hunc uſum pecunia dabatur. Arcadius *d. l. ult.* §. *cura quoque. de mun. & hon. Inter perſonalia*, inquit, *munera in quibuſdam civitatibus numeratur & calefactio publica balnei, ſi ex reditibus alicujus civitatis curatori pecunia ſubminiſtretur.* Hæc ille. Tertia pars redituum civitatis, qui in fundis conſiſtebant, ad mœnium & thermarum reſtaurationem deſtinata earum curatori committebatur. Arcadius, *in l. ne ſplendidiſſimæ.* 11. *C. de oper. publ. Ne ſplendidiſſimæ*, inquit, *urbes vel oppida vetuſtate labantur, de reditibus fundorum juris Reip. tertiam partem reparationi publicorum mœnium & thermarum reſtitutioni deputamus.* Hactenus Arcadius. Curator ergo ædificia balneorum hac pecunia reſarciebat, ligna ad ignem accendendum, & oleum ad lumen præbendum parabat. Ante Alexandrum Imperatorem poſt auroram tantum, inquit Lampridius, balnea aperiebantur, & ante ſolis occaſum claudebantur: ipſe oleum eorum luminibus aſſignavit, ut nocte etiam paterent, & ſylvas ad accendendum in illis ignem, deputavit. Hoc curatore opus non erat, quum thermas publicas Reſpub. locabat. conductor enim ipſe hanc operam præſtabat. Labeo *in l. inſulam.* 58. §. *ultim. locati. Quidam*, inquit, *in municipio balneum præſtandum annuis viginti numis conduxerat, & ad refectionem fornacis, fiſtularum, ſimiliumque rerum centum nummi ut præſtarentur ei convenerat, conductor centum nummos petebat, ita ei deberi dico, ſi in earum rerum refectionem eam pecuniam impendi ſatiſdaret.* Hæc Labeo. Valde autem neceſſarius olim erat thermarum mos, quia cum antiquitus caligarum uſus intra civitates non eſſet, *l.* 2. 3. *& 4. C. Theod. de habit. quo intra urb. uti opor.* & ob id nudis pedibus incedentes ex pulvere aut luto ſordes contraherent, quotidie balnea frequentabant. Seneca *in epiſto.* 56. enim ſcribit veteres quotidie brachia & crura nundinis & ſe totos laviſſe, & ideo in quocunque oppido publicum balneum reperiebatur, quod urbis inſigne fuiſſe Procopius tradit *in lib. 3. de ædific. Juſtinia.* & ubi eorum erat penuria, a teſtatoribus populo exibenda legebantur, ut Tiburtibus relicta fuiſſe Scævola ſcribit, *in l. patronus.* 35. *ultim. de leg.* 3. *Codicillis*, inquit, *ita legavit: Tiburtibus municipibus meis, amantiſſimiſque. Sciatis balneum Julianum junctum domui meæ, ita ut publico ſumptu hæredum meorum & diligentia decem menſibus totius anni præbeatur gratis. Quæſitum eſt, an ſumptus refectionibus neceſſarios hæredes præſtare debeant. Reſpondi, videri teſtatorem ſuper calefactionis & præbitionis onus, de his quoque ſenſiſſe, quæ ad quotidianam tutelam pertineant, quibus balneæ aut inſtruantur, aut denique inter ſolitas ceſſationum vices parari purgarique ut habiles ad lavandum fierent, ſint ſolitæ.* Ex quibus verbis apparet quanta impenſa & labores in balnea fierent, & quam frequens eorum uſus eſſet. Unde & hodie nonnulla caſtra & villæ *balnea* vel *balneola* appellantur, in quibus publice populus lavari conſueverat. Comitibus ac

magistris militum a curiis civitatum lavacra gratuito præbebantur, quod cum etiam rei militaris comites & tribuni poscerent, id illis ab Arcadio & Honorio est negatum, ne tot sumptibus civitates onerarentur, *l.* 1. *C. ne rei milita. comitibus vel tribun. lavacra præstentur*. Pistrinis quoque publicis curatores dari solebant, *dict. l. ultim. §. legati*. Et alii ad compellendos pecuniæ publicæ debitores ut solverent, alii ut vias sternerent aut aquæductus curarent, *d. l.* 1. *& l. ultim. §. cura*. aut alia opera publica facerent, *d. l. ult. §. hi quoque*. vel reficerent, quibus ædiles aut Reip. curatores sufficere non poterant.

Erat & quibusdam in locis quæstor. nam etsi reipublicæ curator ejus publicam pecuniam administrabat, quibusdam tamen in locis proprius minister creabatur, qui illi ad usum publicum conservandæ præficiebatur, & ejus qui olim Romæ fiebat exemplo quæstor dicebatur. quod & ipsum munus publicum fuit. Romani quæstoris officium erat pecuniam publicam inquirere, & exactam conservare, *l.* 2. *§. deinde cum ærarium. de orig. jur.* Id aliquæ civitates, quæ pecunia abundabant, imitatæ, suum & ipsæ quæstorem instituerunt. quod inter munera personalia Arcadius *in d. l. ul.* §. 2. recenset. *Kalendarii quoque*, ait, *curatio & quæstura in aliqua civitate inter honores non habentur: sed personale munus est*. Itaque non in omnibus civitatibus, sed aliquibus hoc officium exercebatur. Hujus loco successit, qui hodie *Thesaurarius* dicitur.

CAP. XV.

De Zygostate.

CUM de probitate auri atque etiam argenti, & pondere plerumque contenderetur, in singulis civitatibus Libripens vir hujus artis peritus & fidelis, quem Græci *Zygostatem* appellabant, erat constitutus, qui de monetis ortas controversias dirimebat. Julianus ad Mamertinum, *in l.* 1. *C. de ponderat*. *Quoties*, inquit, *de qualitate solidorum orta fuerit dubitatio, placet, quem sermo Græcus appellat Zygostatem, per singulas civitates constitutum, qui pro sua fide atque industria neque fallat, neque fallatur, contentionem dirimere*. Hæc ille, qui modum quoque in appendendo auro constitutum tradit, *in l.* 1. *C. Theod. de ponderatio*. *Aurum*, ait, *æqua lance, & paribus libramentis suscipiatur, scilicet ut duobus digitis summitas lini retineatur. Tres reliqui liberi ad susceptorem emineant, nec pondera deprimant, nullo examinis libramento servato, nec æquis aut paribus suspenso statere momentis*.

CAP. XVI.

De Procuratoribus metallorum.

ÆMILIO Lepido & C. Pompilio Lenate Coss. metalla in Macedonia primum instituta fuisse Cassiodorus scribit, quod & in aliis proximis regionibus & Asia postea est actum, ad quæ effodienda delinquentes damnabantur, quibus alii præficiebantur metallorum procuratores dicti. Hi ex decurionum numero in provinciis, ubi metalla fodiebantur, creabantur, *l.* 4. *C. de metall.* Quorum munus erat prospicere, ut effossores debitum vectigal fisco solverent, cui octo scrupulos auri pendebant in *balluca*, id est, in auro rudi, pro ut eximebatur, non purgato. Græci χρυσάμμους appellant, *l.* 1. *C. de metalla*. alibi octo scrupulos

A solvebant, *d. l.* 1. In Macedonia, Dacia, Mysia, Dardania, Ponto, & Asia præcipue metalla effodiebantur, *l.* 5. *C. eo.* Proconnesus quoque Propontidis insula, quam Neuron Plin. appellat, & Gypsus in mari Rubro Cytis a Plinio dicta, æris feraces erant, *Niceph. lib.* 11. *cap.* 28. *& Novell.* 22. *seu auth. de nupt.* in quas ad hunc usum fontes deportabantur. Procuratoribus vero Comes metallorum præerat. ita Valentinianus Cresconium appellat, *l.* 2. *C. eo.* quem in Illyrico fuisse in Notitia Romani Imperii demonstravimus. Sed omnibus Comes sacrarum Largitionum imperabat, ad quem hi proventus deferebantur, ut ex toto tit. *C. de*
B *metall.* constat. quemadmodum in eo disseruimus.

CAP. XVII.

De Syndico.

CUM pluribus ex causis civitates conveniri, & eas contra alios agere oporteret, unus eligebatur, qui vel invitus hoc munus subiret, Latine
C *Actor*, Græce *Syndicus* dictus, Gajus, *l.* 1. *quod cujusque univers. nomine*. *Collegiis*, inquit, *permissum est ad exemplum Republicæ, habere res communes, arcam communem, & Actorem sive Syndicum, per quem tanquam in re publica, quod communiter agi, fierique oporteat, agatur, fiat*. Quæ verba licet alia quoque negocia quam movendarum, excipiendarumque actionum Syndico committere videantur, ob id tamen præcipue creabatur, cum Reipublicæ Curator, ut supra dictum est, alia quotidiana negocia expediret; generaliter autem ad movendas defendendasque Reipublicæ causas constituebatur. Arcadius Jurisc. *in l. ult. §.*
D *defensores. de munerib. & honorib. Defensores*, ait, *quos Græci Syndicos appellant, & qui ad certam causam agendam vel defendendam eliguntur, laborem personalis muneris adgrediuntur*. Iis adstipulatur Hermogenianus *in l.* 1. *ff. eod.* quum ait: *Personalia sunt munera, defensio civitatis, id est, ut Syndicus fiat*. Eodem autem munere fungebatur, quo in privatorum causis procurator, *l.* 1. *in fin. & l. item eorum* 6. *§. ult. quod cujusque univers. nomin.* Dicitur enim Syndicus, quod simul plurium causam agat. Ab universoque ordine decurionum eligebatur. Ulpianus, *l. nulli.* 3. *quod cujusque un. no. Nulli*, inquit, *permittetur nomine Civitatis, vel Cu-*
E *riæ experiri, nisi ei cui lex permittit: aut lege cessante ordo dedit, cum duæ partes adessent, aut amplius quam duæ*.

Quandoque tamen Decuriones solebant Duumviris committere, ut ipsi ad particularem causam Actorem eligerent: & is ab universo ordine electus esse censebatur. Paulus, *l. item eorum*. §. 1. *ff. eod. tit. Si Decuriones*, ait, *decreverunt, actionem per eum movendam, quem Duumviri elegerint, is videtur ab ordine electus, & ideo experiri potest. parvi enim refert, ipse ordo elegerit, an is cui ordo negocium dedit. Sed si ita decreverint, ut quæcunque*
F *incidisset controversia, ejus petendæ negocium Titius haberet: ipso jure id decretum nullius momenti esse, quia non possit videri de ea re, quæ adhuc in controversia non sit., decreto datam persecutionem*. & subjicit: *Sed hæc omnia hodie per Syndicos solent secundum locorum consuetudinem explicari*. Sentit creatum semel Syndicum omnium causarum, quas Resp. habuerit, movendarum auctoritatem habere, uti etiam Accursius & alii existimant.

CAP. XVIII.

De Irenarchis & Limenarchis.

SOLEBANT & veteres in certis urbis aut territorii locis milites collocare, qui ortos tumultus sedarent, latrocinia prohiberent, & factiosos, criminaque patrata præsidi indicarent, & a statione, in qua degebant, *Stationarii* dicebantur, *l. 8. si quis. C. de accusat.* Id primus Romæ & in Italia Augustus invenit. Tranquillus de eo loquens, *Grassatores*, inquit, *dispositis per loca opportuna stationibus inhibuit c. 32.* Ulpia. *in l. 1. §. quies. 12. ff. de off. præf. urb. Quies quoque*, inquit, *popularium & disciplina spectaculorum ad Præfecti urbi curam pertinere videtur. & sane debet etiam dispositos milites stationarios habere ad tuendam popularium quietem, & ad referendum sibi, quid agatur.* Hos frequentiores in Italia Tiberius locavit. Tranquillus *in Tiberio cap. 36. In primis*, inquit, *tuendæ pacis a grassatoribus, latrociniis, seditionumque licentia, curam habuit, stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit.* Idem in provinciis actitatum fuisse, tum ex aliis, tum ex Tertulliani apologetico constat: *Latronibus*, ait, *investigandis per universas provincias militaris statio sortitur.* Idem asserit Constantinus *in l. 1. C. de curiosis.* his verbis: *Curiosi & stationarii, vel quicunque funguntur hoc munere, crimina judicibus nuncianda meminerint: & sibi necessitatem probationis incumbere, nec citra periculum sui, si insontibus eos calumnias nexuisse constiterit. cesset ergo prava consuetudo, per quam carceri aliquos immittebant.* Hæc ille. Tantum enim denunciandi, non etiam custodiæ reos tradendi facultatem habebant. Fugitivos tamen deprehensos in carcerem detrudere poterant, quod & Paulus *l. 4. ff. de serv. fugitiv.* comprobat. *Limenarchæ*, ait, *& stationarii fugitivos deprehensos recte in custodia retinent.* Horum præfecti, *Irenarchæ*, sunt appellati, qui a Decurionibus eligebantur & a Præside probabantur. Latine quasi *pacis auctores* dicti. Honorius A. *in l. uni. C. de Irenarchis. Irenarchæ*, inquit, *qui ad provinciarum tutelam quietis ac pacis per singula territoria faciunt stare concordiam, a Decurionibus judicio Præsidum provinciarum idonei nominentur.* D. Augustinus, *epist. 159. Non*, inquit, *accusantibus nostris, sed illorum notoria ad quos tuendæ publicæ pacis vigilantia pertinebat, præsentati videntur examini.* Quibus verbis significat Irenarchas etiam crimina denunciasse: *notoriamque*, criminis denunciationem appellat. jura *notorium* vocant, *l. 6. §. pen. ad Turpilia. l. 7. C. de accus.* Hi quandoque *curiosi* vocantur: quorum præcipuum officium erat delinquentes capere, & captos de sociis & receptatoribus diligenter interrogare, & interrogationes responsaque cum indiciis & probationibus ad Præsidem mittere, vel ipsi perducere. Sed eorum litteris sine legitimis probationibus non credebatur. Marcianus, *l. Divus 6. ff. de custo. reor. Hadrianus*, ait, *Julio secundo ita scribit, & alias rescriptum est, non esse utique epistolis eorum credendum, qui quasi damnatos ad Præsidem remiserint. idem de Irenarchis præceptum est, quia non omnes ex fide bona elogia scribere compertum est. Sed & caput mandatorum extat, quo Divus Pius, cum provinciæ Asiæ præerat, sub edicto proposuit, ut Irenarchæ, cum apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis & receptatoribus, & interrogationes litteris inclusas, atque obsignatas ad cognitionem magistratus mittant. Igitur qui cum elogio mittuntur, ex integro audiendi sunt, etsi per litteras missi fuerint, vel etiam per Irenarchas perducti. Et ideo cum quis ἀνάκρισιν, id est, quæstionem, inquisitionem faceret, juberi oportet venire Irenarchen, & quod scripserit exequi, & si diligenter ac fideliter hoc fecerit collaudandum*

A *eum; si parum prudenter non exquisitis argumentis, simpliciter denotare Irenarchen minus retulisse. Sed si quid maligne interrogasse, aut non dicta retulisse, pro dictis eum compererit, ut vindicet, in exemplum, ne quid & aliud postea tale facere moliatur.* Hactenus ille. Cum ergo hi grassatores prohiberent, non ab re dictum est *in l. ultim. §. Irenarchæ. 7. de munerib. & honorib.* Irenarchas disciplinæ publicæ, & corrigendis moribus præfici: quorum munus est personale. Hi etiam vectigalia ex mercibus aliunde advectis exigebant. Constantinus, *in l. universi. 5. C. de vectig. & commiss. Provinciales*, inquit, *pro rebus, quas ad usum proprium vel ad fi-*
B *scum inferunt, aut exercendi ruris gratia revehunt, nullum vectigal a stationariis exigatur. Ea vero quæ extra prædictas causas, vel negociationis causa portantur, solitæ præstationi vel pensitationi subjugamus, capitali pœna proposita stationariis, & urbanis militibus, & cæteris personis, quorum avaritia id tentari firmatur.* Hæc ille. Quare his ex publico annonæ pro ipsis alendis, & capita seu pabula pro equis secundum locorum consuetudinem præstabantur, *leg. si per. 9. Cod. de jur. fisci.* Verum postea Irenarchæ tanquam pacis turbatores & moribus corrupti, ab Honorio & Theodosio aboliti fuerunt,
C *leg. 1. C. de Irenarch.* Sed eorum verbis in contrariam sententiam detortis, a Justiniano, qui mandavit compilatoribus, ut suam sententiam *in l. unic. C. de Irenarch.* ponerent, abrogata *d. l. unic. C. Theo. eod.* restituti sunt. His hodie successerunt Præfecti satellitum, qui per civitatum territoria ad perquirendos reos obequitant, & qui in civitatibus commissa crimina denunciant.

Quemadmodum vero in plerisque civitatibus & earum finibus, qua iter frequentius erat, stationarii milites constituebantur, ita & in portubus, ad quos frequentius naves commeabant, custodes locabantur, qui ejus loci curam haberent & ab ho-
D stium, aut piratarum incursionibus, naves tuerentur, fugientes latrones caperent: oleum, vinum, aut liquamina, vel ferrum, ad Barbaros Imperii hostes perferri non paterentur, *l. 1. & 2. C. quæ res export. non deb.* ac tumultus prohiberent. His Limenarcha præponebatur, quasi portus præfectus, quem Græci λιμένα vocant, & muneribus personalibus astringi Arcadius scribit, *dict. leg. ultim. §. hi quoque de muneribus & honoribus.* Hi servos fugientes retinebant. Paulus, *leg. 4. ff. de ser. fugit. Limenarchæ*, inquit, *& stationarii, fugitivos deprehensos recte in custodia retinent.* Idem ab ordine decurionum quemadmodum Irenarchæ, nec nisi libe-
E ri creabantur. Diocletianus, *l. non idcirco. 38. C. de libera. caus. Non idcirco minus*, ait, *quod te Limenarcha creato, nemo contradixit reipublicæ nomine, moveri tibi status quæstio potest.* Dubium autem ibi erat, quia Limenarcha creatus a republica, illum honorem, qui liberorum hominum proprius est, consecutus fuerat, liber esse videbatur. Sed quoniam hominis forte statum ignorans Respublica eum Limenarcham creaverat, non ob id eum vel ingenuum judicasse, vel servum manumisisse censetur. Male autem Accursius *in dict. l. 4. & l. non idcirco. 38.* Limenarcham pro eo, qui Imperii limitibus
F præerat, interpretatur. Hi enim Comites aut Duces cum imperio a Cæsare creabantur, *l. 2. §. pro limitaneis. C. de offic. P. P. Africæ.* Limenarchæ vero a decurionibus portus custodes eligebantur. Rarum præterea est, ut idem vocabulum ex Græco & Latino componatur, inquit Budæus *in dict. §. l. hi quoque* unde quasi *limitis archus* non recte diceretur. Deinde a *limite* non *limenarcha*, sed *limitarcha* vocaretur. Portus autem in jure nominati, olim insignes & frequentati, erant Capua vel Cassiopa in Campania, Dyrrachium in Epiro, & Brundusium in Calabria, quo ultro citroque navigabatur *l. 1. §.*

igitur. de exercitoria. Item Aquileja, quæ nunc A est mediterranea, unde in Cyrenensem oram transmittebatur, *l. penul. §. ultim. locat.* & in Syria Berytum, unde Brundusium navigabatur, *l. qui Romæ. 112. §. Callimachus. de verbor. obligat.* Alexandriæ quoque portus celebratur *l. 1. C. de frumento Alexan.* ubi erat orbis emporium; & portus Romæ seu Hostiæ, *l. 1. C. de can. frumen. urb. Romæ*.

CAP. XIX. B

De Ædilibus.

PRIMUM Romæ Ædiles curules creati sunt, ut plebiscita in Cereris ædem deferri curarent, *l. 2. §. item cum essent. ubi Zasius. de ori. jur.* Sed Theophilus *in §. proponebant. Institut. de jur. nat. gent. & civil.* eos ædium sacrarum curam habuisse scribit, & inde Ædiles appellatos. Postmodum rebus venalibus præpositi, tam mobilibus, quam soli, de vitio venditis jus dicebant, *l. 1. in princ. de ædil. edict.* Ob id *edictum ædilitium* nuncupatum proponebant, quo justo pretio annonam vendi jubebant, *l. ideo. 17. ff. de compensat.* C Mensuras quoque, ut æquæ essent, prospiciebant & quas iniquas deprehendissent, frangebant. Ulpianus, *l. item quæritur. 14. §. si quis mensuras. locat. Si quis*, inquit, *mensuras conduxerit, easque magistratus frangi jusserit: si æquæ sunt, ita demum eum teneri, si culpa ejus id fecit ædilis*. Hæc ille. Mox alii Ædiles Romæ sternendis reparandisque viis a Censoribus sunt præfecti, qui, cum aliis negotiis occupati, huic muneri sufficere non possent, ex SC. Quatuor viri viarum curandarum sunt creati, *d. l. 2. §. deinde cum esset necessarium. de orig. jur.* Rursus cum neque hi sufficerent, duabus tribusve viis singuli curatores sunt præfecti, qui ea- D rum *curatores* vocabantur: sed cum is magistratus incertus esset, & ad tempus, prout res exigebat, constitutus, eum ordinarium Cæsar Augustus fecit. Hæc Romæ, cujus exemplo etiam in municipiis Ædiles ædibus viisque restaurandis sunt præpositi: qui etsi edicendi jus non habuere, res tamen venales curabant, & in vendendis utensilibus delinquentes flagellis cædebant, *l. eos. 12. ff. de decurionibus*. Quorum officium late Papinianus in astynomici libro singulari Græce scripto explicat, *& in l. 1. de via publica.* sed ita Latine versus est: *Ædiles curam gerant per urbem viarum, ut complanentur: neve flumina damnum dent ædibus, & ut pontes sint,* E *quocunque loco opus fuerit. curent etiam, ut privati muri, vel alii, vel ædium, qui in viam publicam feruntur, si ruinosi sint, ædium domini eos, ut oportet, demoliantur, ac reparent. Quod si non demoliantur, neque reparent, eos multent, donec vitium emendaverint. Provideant quoque, ne quis vias publicas effodiat, aut aggeribus obstruat, neve quod in via exædificet. Quod si contra factum fuerit, servus a quocunque, qui eum deprehenderit, cædatur; liber vero ædilibus indicetur, qui in eum lege animadvertent, & factum opus destruent. Præterea, ut ante suas quisque ædes vias publicas reficiat, &* F *aquæductus qui sub dio sunt, purget, ne quid euntem currum impediat. Et qui conductas ædes inhabitant, si earum dominus non reparet, ipsi reparent, & impensam in pensionem imputabunt. Procurent etiam, ne quid ante officinas ponatur, nisi fullo vestimenta ad auram recreet, vel faber rotas exponat, ita tamen & hi collocent, ne euntem currum impediant. Neque etiam quenquam in via rixari, aut stercora ejicere, vel morticina, pellesve projicere permittant.* Hæc ille. Ex quibus apparet ædiles jus multandi, & viarum, quæ in urbe erant, curam habuisse. Sed & ea quæ in via reposita inveniebant, perdere & concidere poterant. Paulus, *l. lectos. 12. de peric. & com. rei vend. Lectos*, inquit, *emptos Ædilis, cum in via publica positi essent, concidit. si traditi essent emptori, aut per eum stetisset, quo minus traderentur, emptoris periculum esse placet*. Hæc ille. Cum vero maximam curam viarum, extra urbem sternendarum, veteres haberent, tanta eas magnificentia sternebant, ut tria in fabricis Rom. se admirari Dionysius diceret, vias nempe, aquæductus & cloacas. Lapides enim siliceos quadratos ad sternendas vias ab Appio cæsos fuisse Procopius *li. 1. belli Gothici.* scribit, qui tanta firmitate connexi erant, ut non compositi, sed natura sic editi viderentur.

Publicorum etiam balneorum in quibusdam municipiis curam habuisse Ædiles videntur, quæ ipsi quandoque municipibus, ut gratuito lavarentur, præstabant. Alfenus, *in l. qui insulam. 30. §. 1. locati. Ædilis*, inquit, *in municipio balneas conduxerat, ut eo anno municipes gratis lavarentur: post tres menses incendio facto, respondit posse agi cum balneatore*. Hæc ille. Id officium inter personalia Arcadius *l. ult. §. Irenarchæ. de mun. & honorib.* recenset, quæ illos subire dicit, qui ad reficiendas vias eligi solent, cum nihil de proprio patrimonio in hoc munus conferant. Hæc munera plerisque in civitatibus erant Curatoris reipublicæ, qui Ædilis aliis in locis creabatur. In quibusdam uterque magistratus constituebatur, cum unus omnibus his curis superesse non posset. Arpinates solum creabant Ædilem, qui omnium magistratuum munere fungebatur. Cicero *epist. 13. Ædilem filium meum fieri voluit; is enim magistratus in nostro municipio, nec alius ullus creari solet*. Aufidenates, Gabii & Aretini Ædilem & ipsi habebant, Juvenalis *Satyr. 10.* & Pers. *prima*, Spartianus *in Hadriano: per Latina oppida dictator, ædilis, & duumvir fuit*. Ædiles Græci ἀγανορόμυς vocant, a quo munere immunes fuisse Philosophos, Rhetores, Grammaticos & Medicos, Modestinus scripsit, *l. si duas. 6. alias incipit l. sed & reprobari. §. est autem Imperatoris. de excusat. tutor.* qui a Latino interprete male vertitur. immunes enim dicuntur esse ab ἀγορανομιῶν, id est, *ædilitiis curis*, pro quibus alia verba inepte scripta reperiuntur. Hunc magistratum esse opinor, quem D. Paulus in fine epistolæ ad Roman. *Oeconomum* appellat: *Salutat*, inquit, *vos Erastus Oeconomus civitatis, scilicet Corinthi*. D. Hieronymus vertit *Arcarius*, D. Ambrosius *Dispensator*: *Erat*, ait, *quasi Curator qui, dictante justitia, gubernabat civitatem, maxime in pretiis moderandis*.

CAP. XX.

De Archeotis & ædium custodibus.

TABULARIUM locus erat, in quo scripturas publicas reponebant, Græce ἀρχεῖον dictum, ut ait Suidas, id est, *antiquarium*, in quo vetustæ memoriæ res conservabantur. aliqui *cartophylacium* seu *grammatophylacium*, vel *archium* vocant, *l. moris. 9. de pœnis. § 1. novell. 14. seu auth. de his, qui ingred. ad appell.* Qui vero huic loco, & scripturis præscribebatur, *Archeota* ab ipso archivo nuncupabatur, *l. ultim. §. hi quoque. de mun. & honor.* Latini *Antiquarium* appellant. Leo A. *l. hac parte. 10. C. de prox. sacr. scrin. Antiquarios*, inquit, *qui habentur in scrinio memoriæ, nunquam minus esse, quam quatuor volumus*. Hi codices civitatis conservabant, & vetustate corruptos describebant. Valentinianus *l. 2. C. Theo. de stud. libera. urb. Rom. Antiquarios*, ait, *ad bibliothecæ codices componendos, & pro vetustate reparandos qua-*

tuor Græcos & tres Latinos scribendi peritos legi jubemus. Divus Gregorius, *in l. dialog. cap.4. Antiquarios*, ait, *librarios reperi*. His successere qui *Magistri archivi*, alibi *Cancellarii civitatum* appellantur. Ædes, ubi magistratus judicabant, & ipsæ *archia* dicebantur, ut Suidas & Budæus tradunt, quas proprii curabant ministri, *dict. l. ult. §. hi quoque*. Latine *prætoria* vocantur, *l. omnes. §. 1. C. de episc. & cleric. l. lecta. ff. si cer. pet.*

CAP. XXI.

De Tabulariis, Logographis & Censualibus.

ERANT & plures scriptores in civitate, quorum aliqui *Tabularii*, quidam *Scribæ*, nonnulli *Logographi*, alii *Censuales* vocabantur: sed omnes generali vocabulo *Scribæ* & *Tabularii*. Illorum vero qui proprie Tabularii dicebantur munus erat, eorum, qui tributa solvissent, nomina in codicem referre. Constantinus, *l. 1. C. de exact. tributor. Ducenarii*, inquit, *& centenarii, sive sexagenarii, non prius debent aliquem ex debitoribus convenire, quam a tabulario civitatis nominatim breves accipiant debitorum*. *Breves* pro scriptura debitorum nomina continente accipiuntur. Arcadius A. *l. missi opinatores. 7. C. eod. tit. Tabularios*, ait, *oportet fideliter providere nomina debitorum*. Constantinus quoque prohibet, *in l. 1. de censibus*. ne civitatum tabularii, tributa, quæ a potentioribus solvenda sunt, inferioribus injungant. Hi & eorum filii, huic oneri erant obnoxii. *l. 1. C. de tabular. l. ultim. §. hi quoque. ff. de muner. & honor.*

Scribæ vero dicebantur, qui magistratuum, seu duumvirorum, aut defensorum civitatum acta notabant: quod & ipsum munus erat personale. Arcadius Jurisconf. *in d. l. ultim. §. mastigophori. de mun. & hon. Scribæ*, inquit, *magistratuum personali muneri serviunt*. Sic Cn. Flavius Appii Claudii Decemviri scriba fuisse dicitur, quia acta coram eo, & ipsius sententias scribebat. In eodem sensu scribas accepisse Constantius A. videtur *d. l. 1. C. de tabular. scrib. l. pen. C. de defensoribus civit.* dum ait: *Nulli omnino ex Tabulariis, vel Scribis, vel Logographis, eorumque filiis, in quocunque officio militent, sed ex omnibus officiis, nec non etiam si intra nostrum palatium militant, necdum impleto quinquennio reperti & retracti, protinus officiis municipalibus reddantur*. Hæc ille. Eorum officium *scribatus* vocatur, *l. 4. C. de appellat. l. 1. §. 2. de munerib. & honorib. Logistas* vero Reipublicæ Curatores vocatos fuisse supra diximus, a quibus *Logographi* differunt. Hi enim rationes tributorum scribebant, *l. prima & ultim. Cod. de tabular.* illi negotia Reipublic. Quanquam Logographos Suidas pro his accipiat, qui judiciorum acta conscribunt.

Censuales vero erant, qui sub magistro census publica monumenta scribebant, apud quem testamenta aperiebantur, & publicabantur, *l. testamenta. 18. l. consulta. 23. C. de testa.* sed in primis patrimonium cujusque describebant, *d. l. 1. §. 2. de mun. & honor.* Arcadius, *in d. l. ult. §. pari modo. Pari modo*, inquit, *qui acceptandis, sive suscipiendis censualibus professionibus destinantur, ad personalis muneris sollicitudinem animum intendunt*. Cæterum Decuriones ipsi inviti Censuales non creabantur; sed sponte hoc onus susceptum, postea relinquere non poterant, *d. l. 1. C. de tabular.* Hi generali vocabulo *Tabularii* vocati, olim servi erant, *l. ultim. de serv. reip. manum.* unde *servi publici* vocantur, *l. non aliter. 18. de adoptionib. l. mutus 43. §. si procurator. de procuratoribus l. 2. rem pupilli salv. fore. §. cum autem. Instit. de adoptionib.* & *servi civitatis*, *l. si. quod cujusque univers. nomine*. Itaque

A errant Accursius & alii, qui servos publicos pro hodiernis Tabellionibus interpretantur, quorum auctoritas olim nulla fuit. Nec extraneis, ut vulgo creditur stipulari poterant; id enim tantum servis publicis, id est, Reipublicæ licebat, tanquam civium mancipiis, non aliis personis liberis. Sed postea cautum est, ut prædicti Tabularii liberi tantum ordinarentur, *l. generali 3. Cod. de tabular.*

CAP. XXII.

B

De Gymnasiarchis.

SOLEBANT Græci in stadiis seu amplis spatiis porticibus circumdatis in palæstra, aut alio modo exerceri. In interioribus vero cubiculis ungebantur & lavabantur, & in exhedris prope sitis philosophi disputabant. Cum enim nondum esset copia librorum, ipsi disputando se exercebant, ut ait Suidas, *in verbo γυμνασία*. His locis præfecti Gymnasiarchi vocabantur, qui prædictas exercitationes ordinabant, & eorum curam gerebant. Ab eo munere Philosophos, Rhetores, Grammaticos, Medicosque immunes esse Modestinus scribit, *in l.*
C *si duas 6. alias. l. sed & reprobari. §. cum similiter. de excusat. tut.* Cicero, *in Verrem*, loquens de signis, *Demoliendum*, inquit, *curavit Demetrius Gymnasiarchus, quod is ei loco præerat*. Quia vero in his gymnasiis & Philosophi versabantur, & rei literariæ gymnasium *Diatriba* est appellatum, de quo Anton. Aug. *in dict. l. si duas. 6. §. Philosophos.*

CAP. XXIII.

De Xenoparochis & Camelariis.

D LEGATIS in urbem venientibus, sal, ligna, cætera quoque ad usum & victum necessaria ex publico subministrabantur, cui muneri præfectus *Xenoparochus* vocabatur, ut Acron, Budæus, & alii tradiderunt: quod & ipsum munus personale censebatur, *d. l. ultim. §. hi quoque. de mun. & hon.* Onus vero hospitem in domibus recipiendi munus non personæ, sed patrimonii est, *l. & qui originem. 3. §. munus. dict tit.*

Erant & *Camelarii*, qui camelorum curam habebant. Nam si exercitus impedimenta ob expeditiones publicas comportanda erant, camelis utebantur, quibus & Camelariis ex publico cibaria præ-
E stabantur. Sed camelorum curam habentes, plurimi in albo descripti erant, qui ordine singuli sua vice citabantur, ut hoc personale munus subirent: nec nisi corporis infirmitate excusari poterant. Arcadius, *d. l. ult. §. camelasia. ff. d. tit. Camelasia*, inquit, *similiter personale munus est. nam ratione habita & alimentorum, & camelorum, certa pecunia camelariis dari debet, ut solo corporis ministerio, obligentur*. Unde constat camelorum curam, quæ *καμηλασία*, *d. l. 1. §. de mun. & honor.* seu *camelasia* appellatur, inter personalia munera connumerari. Qui hæc curabat, *Camelarius* dicebatur, *d. l.*
F *1. §. 2. & l. ult. §. camelasia.*

Erat aliud huic simile personale onus, tyrones vel equos ad exercitium perducendi, vel res alio modo quam per camelos pervehendi, ut annonam, vel pecuniam fiscalem, aut vestem militarem persequendi. Arcadius, *in d. l. ult. §. Tyronum*, inquit, *sive equorum productio, & si qua alia animalia necessario producenda, vel res pervehendæ sive persequendæ sunt, vel pecuniæ fiscales, sive annona, vel vestis, personæ munus est. Cursus vehicularis solicitudo, item angariarum præbitio personale munus est*. Hæc ille. Ubi enim arma, aut aliæ

res ad exercitum erant transmittendæ, Magister officiorum Præfectum prætorio monebat, ut singulas civitates, naves, equos, aut plaustra, prout usus exigebat, ex publico exhibere juberet, *l. ult. C. de fabricensib.* quod oneris genus *angaria* vocabatur, & pro locorum proximitate res transmittebantur, *l. pro locis.* 6. *l. mediterraneæ.* 9. *C. de annon. & trib. l. sicut.* 4. *C. de erogat. milit. annon.* Conferebant autem provinciales buccellatum panem, vinum, acetum, laridum, carnem vervecinam, & paleas, quas ultra viginti milliaria vehere non cogebantur, *l.* 1. 2. *& sequentibus, imo tot ti. C. de eroga. mil. ann.* Idem erat in vestibus militibus exhibendis, *l.* 1. *C. de mil. veste*, quibus unus præficiebatur, qui eas exciperet. Arcadius quoque *in d. l. ult. §.* 1. *de mun. & bon.* vehicularis cursus sollicitudinem munus personale esse scribit. intelligendum est, cum quis vehicula publica ad currendum destinata curabat: ut pabula equis præberentur, & mansiones restaurarentur. quæ omnia sunt munera personalia, ob utilitatem publicam excogitata.

CAP. XXIV.

De Nyctostrategis.

ARCENDIS incendiis, quæ plurimum nocte oriri solent, olim cum familia publica Triumviri præerant *nocturni* vocati. Paulus, *l.* 1. *ff. de offic. præf. vig. apud vetustiores*, inquit, *incendiis arcendis præerant, qui ab eo quod excubias agebant, nocturni dicti sunt.* hos Græci νυκτοςρατηγὺς appellant, quod & ipsum munus personale fuit, in municipiis frequentatum, Arcadius, *in d. l. ult. §. legati. de mun. & bono. Sed & Nyctostrategi, & pistrinorum Curatores personale munus ineunt.* Legendum enim est *Nyctostrategi*, ut Florentiæ, non *Nycostrategi*. Romæ vero Præfectus vigilium fuit; nam pluribus uno die ortis incendiis, Augustus septem cohortibus opportunis locis constitutis his septem tribunos, & omnibus præfectum vigilum præfecit, *l.* 2. *&* 3. *de offic. præf. vigil.* Postea Constantinopoli antiquo vocabulo abolito, Prætorem populi Justinianus instituit, *l. Novella* 13. de quo supra latius dixi.

CAP. XXV.

De Agonothetis & Mastigophoris.

SACRIS certaminibus *Agonotethæ* præerant, *l. Septicia.* 10. *de pollicitat.* qui aliquando βραβευταὶ, Latinis, & Ulpiano *Designatores* vocantur. hos comitabantur *lictores*, a Græcis μαςιγοφόροι, nominati, qui ad submovendam turbam flagra gerebant, & inde nomen habuerunt, quasi *flagriferi* dicti; qui & ipsi inviti hoc munus subire compellebantur. Arcadius, *d. l. ulti. §. mastigophori. de mun. & honor. Mastigophori quoque*, inquit, *qui Agonothetas in certaminibus comitantur, & scribæ magistratus, personali muneri serviunt.* ita legitur Florentiæ. alii codices habent *sacris certaminibus*, quæ in Græcia erant quatuor Nemæa, Pythia, Isthmia, & Olympica, de quibus alibi dixi. Sed ego hic malo de certaminibus quæ in diversis civitatibus fiebant, intelligere: & licet Suidas Agonothetas proprie velit esse, qui scenicis ludis præsunt, de aliis tamen certaminibus quæ in Circo fiebant, aut pugillatu, Arcadius sentit. Currentium equorum spectaculis iidem præficiebantur, de quibus alibi legitur, *in l.* 1. *eo tit.*

CAP. XXVI.

De Legatis.

AB ordine Decurionum Legati plerumque ad Principem etiam inviti mittebantur hi, qui trium superstitum filiorum numero excusati non fuissent, *l.* 1. *C. de legatio. lib.* 10. vel qui biennio post aliam susceptam legationem non vacavissent, *l.* 3. *C. eod.* ob leves causas olim Legati ad Principem mittebantur. Nam Byzantii quotannis ad salutandum Trajanum cum viatico seu legativo duodecim millium nummum destinabant, quod Princeps prohibuit. Plinius *epist.* 3. *ad Trajan. Requirenti*, inquit, *mihi Bysantiorum Reipub. impendia indicatum est legatum ad te salutandum omnibus annis cum psephismate mitti, eique dari nummum duodena millia.* erant ejus temporis CXX. aurei, ex nostris plus CLXXX. Hæ legationes ut superfluæ, sunt arctatæ, & statutum, ut nonnisi ex necessaria causa mitteretur ad Principem, & causam comprobaret Præses, qui suis literis Legatum comitabatur, ut Honorii & Theodosii rescripto cavetur, *l. ult. C. eod.* quod etsi de Alexandrinis loquitur, Juris tamen Interpretes ad alias civitates extendunt. Idem est, si provincia ad Imperatorem Legatum destinare velit.

Nam Præfectus Prætorio, cui illa subest, causam examinare debet, an sit mittendus, *l. per. C. eod.* Civitas vero in primis Legatum eligere, & decretum de eo mittendo scribere, cui Decuriones subscribunt. *d. l. ult.* & hoc Græce *psephisma* vocatur, *ead. episto.* 3. *& Cicero pro Flacco.* Nemo vero proprio ære legationem suscipere cogitur, sed a Repub. viaticum vel legativum constituitur, *l.* 2. *in fin. l. filio. ff. eo.* Arcadius, *in l. ulti. §. legati. ff. de mun. & honor. Legati*, inquit, *qui ad sacrarium Principis mittuntur, quia viaticum, quod legativum dicitur, solent accipere, personale munus ineunt.* Hujus legativi & Ulpianus meminit, *in l.* 2. *ff. de legati.* Legationes quomodo ordinarentur, Honorius ad Monaxium P. P. scribens his verbis explicat, *in leg. quoties.* 15. *C. Theod. eo. t. Quoties legatio destinatur, universos Curiales præcipimus, qui intra urbem constituunt, si non ægritudine vel alia excusabili necessitate impediuntur, in locum curiæ convenire, & decreta sua propria subscriptione firmata viro spectabili Præfecto Augustali insinuare, ut ejus relatione tuis virtutibus intimata, & sub examine tuo perpensa, venire necne legati debeant, ordinetur, nulli pœnitus legatione libera committenda.* Creabantur & ad census accipiendos Legati, quod & ipsum munus personale erat. Hermogenianus, *in l.* 1. *de legati. Ad census*, inquit, *accipiendos Legati creari videbantur, quum ad debita Reipub. vectigalia accipienda mittebantur.* In eligendis Legatis hic etiam ordo servabatur, ut prius his, qui ætate, dignitate, & loco præcedebant, hoc munus demandaretur, & ordine sequentes per vices vocarentur, nisi forte rei magnitudo primores eligi desideraret: tunc enim ab hoc ordine receditur, *l.* 3. *§. præses. ff. de mun. & bono. l.* 4. *§. pen. ff. eod.* Quo tempore quis fungitur Legatione, neque alienis, neque propriis negotiis interponere se debet, *l. Paulus. in fi. ff. eo.* Numerus quoque Legatorum est præfinitus, ne plures quam tres mittantur, *l.* 4. *in fi. ff. eo.* Proprium vero & personale munus est Legationis, quod per alium quam filium perfici non potest, *d. l.* 4. *§. legati.* Privilegium habent Legati, ne conveniantur in causis civilibus, tempore quo legatione funguntur, ne a ministerio & officio sibi injuncto avocentur, *l. si quis in legatione. l. non alia. §.* 1. *&* 2. *cum l. seq. ff. de jud. l.*

non diſtinguemus. *§. item ſi quis. ff. de arbitr. l. cum qui. §. de conſti. pecun. l. 3. & 5. ff. eod.* Si tamen in legatione deliquerint vel ipſi vel eorum ſervi. Romæ puniuntur, *d. l. non alias.* Debitores Reipub. aut infames Legati fieri non poſſunt, *l. 4. in princ. & §. 1. ff. eo.* Veredis curſus publici legati etiam civitatum vehebantur, ſiquidem Valerianus, eos qui ex cauſis minus neceſſariis venerint, cum injuria animalibus propriis ad provinciam reverti juſſit, *l. 6. C. Thе. de legat.* Gratianus, cum univerſa Diœceſis unum vel duos Legatos ad Principem mittendos elegerit, unius rhedæ curſus publici illis evectionem concedit. Provinciarum vero Legatis ſingulas angarias permittit, *l. 9. C. Thе. de legat.* id eſt, ſingulos equos. Cum univerſa Diœceſis de Legato ad comitatum Imperatoris mittendo conveniebat, nullum requirebatur decretum, nec alicujus judicis negociorum examinatio, ſed quod majori parti primatum civitatum placuiſſet, obtinebat, *d. l. ſive. 9. C. Theo. eod.* Si vero Provincia Legatum deſtinare volebat, cujuſque Provinciæ curiarum primates in Metropolim conveniebant, in cujus loco publico de occurrentibus negotiis tractabant, & quod major pars probaſſet, fiebat, *l. ſi quod. 12. & ſeq. C. Theo. eod.* modo P. P. aſſenſus interveniſſet, *l. 14. C. Theo. eod.* Cum ad Principis comitatum Legati perveniſſent, prius in Præfecti prætorio auditorio eorum petitiones, nulla tamen facta determinatione, examinabantur; deinde in Principis Conſiſtorio ab epiſtolaribus recitabantur, qui ex ſententia Principis reſponſum ſcribebant, *l. quotieſcunque. 10. C. Thе. eod.*

Solium vero, in quo Legatos Princeps audiebat, Corrippus Africanus *lib. 3. in laudem Juſtini minoris.* ita deſcribit:

A *Atria prælargis extant altiſſima tectis,*
Sole metallorum ſplendentia, mira paratu,
Et facie plus mira loci, cultuque ſuperba.
Nobilitat medios ſedes Auguſta penates,
Quatuor eximiis circumvallata columnis.
Quas ſuper ex liquido præfulgens cymbius auro
Immodico ſimilans convexi climata cœli,
Immortale caput, ſoliumque ſedentis obumbrat
Ornatum gemmis, auroque, oſtroque ſuperbum.
Quatuor in ſeſe nexos curvaverat arcus
Per lævam dextramque tenens victoria partem.
Altius erectis pendebat in aere pennis,
Laurigeram geſtans dextra fulgente coronam.
B *Mira pavimentis, ſtratiſque tapetibus ampla*
Planicies longoque ſedilia compta tenore.
Ut lætus Princeps ſolio conſedit in alto,
Membraque purpurea præcelſus ſede locavit,
Legatos Avarum juſſos intrare Magiſter
Ante fores primus divinæ nunciat aulæ,
Orantes ſeſe veſtigia ſacra videre
Clementis domini: quos voce & mente benignus,
Imperat admitti.
Verum ut contracto patuerunt intima velo
Oſtia, & aurati minuerunt atria tecti,
Cæſareumque caput diademate fulgere ſacro,
C *Ter gazis ſuſpexit Avar, ter poplite flexo*
Pronus adoravit, terræque affixus inhæſit.
Hunc Avares alii ſimili terrore ſecuti
In facies cecidere ſuas, ſtratoſque tapetes.
Fronte terunt, longiſque implent ſpacioſa capillis
Atria, & Auguſtam membris immanibus aulam.
Ut clemens Princeps legatos ſurgere juſſit
Officii ſtratos juſſu monituque jubentis,
Erexere viros. Quod poſcitis ore ſereno,
Clementer regnator ait, memorate, docete,
Et veſtri regis, quæ ſit legatio, ferte.



DE
CORPORIBUS ARTIFICUM.

PRæter Magiſtratus, & alios diverſa officia obeuntes, erant & corpora Artificum, quæ perſonalium onerum immunitate gaudebant, & hos numero XXXII. Taruntenus Paternus recenſet, *in l. ulti. C. de jur. immu.* Conſtantinus vero ad Maximum XXXV. nominat, *in l. 2. C. Theodoſ. de excuſat. artif. l. 1. C. eo.* Sunt autem ſequentes:

1 ARCHITECTI. Hi ſunt, qui ædificiorum membra diſponunt. & eorum formam deſcribunt. Conſtantinus ad Leontium P. P. *in l. 3. C. Theodoſ. eod. Architectos*, inquit, *qui diviſiones partium omnium, inciſioneſque ſervant, menſuriſque & inſtitutis operam fabricationi ſtringunt, immunitatibus gaudeant, & ſuſcipiant docendos, qui docere ſufficiunt.* Hi prius liberalibus literis imbuebantur, quam hanc artem diſcerent. Conſtantinus ad Felicem Proconſ. Africæ *in l. 1. C. Theodoſ. eod. & in l. ult. C. eo. Architectis*, inquit, *quam plurimis opus eſt: ſed quia non ſunt, ſublimitas tua in provinciis Africanis ad hoc ſtudium eos impellat, qui ad annos ferme duodeviginti nati, liberales literas deguſtaverint. quibus ut hoc gratum ſit, tam ipſos quam eorum parentes ab his, quæ perſonis injungi ſolent, volumus eſſe immunes, ipſiſque qui diſcent, ſalarium competens ſtatui.* De Architectura libros x. ad Auguſtum M. Vitruvius ſcripſit, in quorum initio ſic ſcribit: *Architectura eſt ſcientia pluribus diſciplinis, & variis eruditionibus ornata, cujus Judicio probantur omnia, quæ a cæteris artibus perficiuntur opera*. & ſubdit, Architectum, litteratum eſſe oportere, peritum graphidos, eruditum geometriæ, optices, arithmeticæ, philoſophiæ & muſicæ, hiſtorias plures, & reſponſa Juriſconſultorum noſſe, & aſtrologiam cœlique rationes cognitas habere. Quare non mirum, ſi cæteris architecti ut digniores præponuntur.

2 MEDICI. Hi quarto loco in codice Theodoſiano locantur. Accurſius legit, *mulo-medici*, pro medicis omnium brutorum. neque enim de medicis hominum loquitur, qui non ſunt artifices. In codice Theodoſiano ſeparatim Medici locantur, & poſt alios Mulo-medici. In Baſilicis ſcriptum eſt, *medici, & equorum medici*. Medicos hic Cujacius chirurgos eſſe putat. Hos Paternus *veterinarios* vocat, *in d. l. ult.*

PICTORES. Iſti cenſum capitis etiam ſervi non pendebant, *d. l. ult. C. Theo. eod.* hoſpites recipere non cogebantur, *l. archiatros. C. de metatis. d. l. ul. C. T. eo.* pergulas & officinas in locis publicis ſine penſione tenebant, in civitate, quam elegerant, morabantur, aliiſque privilegiis gaudebant, *d. l. ult.*

4. STATUARII. Qui hominum marmoreas effigies formabant, ut omnibus eſt notum.

5. MARMORARII. Qui non ſtatuas, ut præcedentes, ſed alia marmorea ſecant, expoliunt, & exculpunt.

6 LECTICARII ſeu ARCARII. ita Accurſius & Alciatus. Lecticarii ſunt, qui faciunt lecticas. ita hos Pomponius *in l. ſi ex toto. 8. §. 2. de leg. 1.* & Martianus *in l. legatis. 65. §. 1. de leg. 3.* appellant. Alii legunt, *Lectarii*, qui lectos faciunt, *ſeu Laccarii*, qui puteos fodiunt. Sed hi inter ſe longe diſtant, cum tamen eos pro affinibus illa dictio, *ſeu*, ponere videatur. In codice Theodoſiano, *in d. l. leg. 1. C. The. de excuſ. artif.* omiſſis lectariis, legitur, *laquearii*, qui laquearia fabricant, & ita forte reponendum, *Tectoris ſeu Laquearii*.

7 CLAVICARII. Qui claves efficiunt. In codice Theodoſiano omittuntur.

8 QUADRATARII. ita etiam legitur in codice Theodoſiano, non *Quadrigarii*. Illi ſunt, qui marmora ad amuſſim quadrant, quos Græci λιθοθήκτας appellant; & ex vitis quatuor Coronatorum Accurſius & Alciatus Quadratarios vocari arguunt.

9. STRUCTORES, ideſt, ædificatores ſeu fabri murarii; unde *canales ſtructiles* a Vitruvio *lib. 8. cap. 7.* & *ſtructilis forma* Palladio *lib. 9. cap. 11.* appellantur, qui calce ligatis lateribus fabricantur. A Paterno *in d. l. ulti. de jur. immu. bucularum ſtructores* vocantur.

10. SCULPTORES ligni, qui in ligno imagines hominum & brutorum effingunt. In codice Theodoſiano hi ſimpliciter *ſculptores* nominantur.

11 MUSARII. In codice Theodoſiano legitur, *Muſivarii*. Sunt qui emblemata ſeu opus vermiculatum ex teſſellis marmoris varii coloris in homines, & varias animalium formas effingunt, vulgo *muſaicum* vocant. Spartianus in Peſcennio Nigro, *Nunc*, inquit, *in Commodianis hortis in porticu curva pictum de muſivo inter Commodi amiciſſimos videmus ſacra Iſidis ferentem*.

12 DEAURATORES. Qui vaſa, arma, aliaque inaurant. ita & in Theodoſiano nominantur.

13 ALBINI, quos Græci κονιάτας appellant. In codice Theodoſiano *Albarii* dicuntur, & forte rectius. Sunt qui incruſtant & dealbant parietes, *tectores* ab Ulpiano dicti *in l. ſi ſervus ſervum. 27. § item. ad l. Aquil.* ita etiam vocat Tertullianus de idololatria, *Scit*, inquit, *albarius tector & tecta ſarcire, & tectoria inducere, & ciſternam liare.* κονιᾶται, inquit Suidas, οἱ τὰς τοίχυς. παραχονιῶντες, id eſt, *muros dealbantes*.

14 ARGENTARII ſunt, qui vaſa argentea fabricant. *Vaſcularii* aut *fabri argentarii* a Jureconſultis vocati, *in l. penult. in princ. de aur. & arg. lega. l. ulti. de act. & obli.*

15 BARBARICARII. *Ex auro coloratis filis*, inquit Donatus in 11. Virg. *exprimunt hominum formas, & animalium, aliarumque ſpecierum*. iidem caſſides & buculas auro argentoque inducunt, ut ſupra diximus.

16 DIATRETARII. *Diatritarii* in C. Theod. & minus recte. Sunt qui vaſa aurea argenteaque cælant, id eſt, ſigna & imagines imprimunt. Ulpianus *in d. l. 27. ſi ſervus ſervum. §. ſi calicem. ad l. Aquil. Si calicem*, inquit, *diatretum faciendum dediſti, ſi faber imperitia fregit, damni injuria tenebitur*. Poſſet & de his intelligi, qui pocula ad ſigna inſigenda excavant & perforant.

17 ÆRARII FUSORES. Qui æs fundunt, & æreas imagines conflant. Sed in Cod. Theod. tribus interpoſitis artificibus, ærarii a fuſoribus ſeparantur; illi enim ſunt, qui ex ære plura fabricant, ut lebetes, cacabos, ahena, & alia. Fuſores vero, qui fundunt. Paternus *ærarios* hos ſimpliciter nominat, *in d. l. ulti. de jur. immu.*

18 SIGNARII. in Cod. Theod. non reperiuntur, ſed horum loco ſunt *ferrarii*. Signarii parva ſigna & ſigilla faciebant. Scævola *in l. Titia §. ult. de aur. & argen. legat. Jubeo*, inquit, *ſignum Dei ex libris centum in ſacra æde & patria ſtatui cum ſubſcriptione nominis mei*. id eſt, ſtatuam & idolum. Ulpianus, *in l. quæſitum. §. Papinianus. de fund.*

instruct. Sigilla, ait, *& statuæ affixæ instrumento domus non continentur*.

19 FABRI. Horum loco in Cod. Theodof. sunt *Tignarii*, qui tigna & tecta fabricant, sed alio non adjecto fabri a Paterno appellantur, *in d. l. ulti. de jur. immu.* proprie enim fabri sunt lignarii secundum Vallam, licet Suidas Græcum nomen τέκτονες ipsis cum lapidariis commune esse velit.

20 BRACARII. Pro his in Cod. Theod. legitur *Blaticarii*, qui sericum purpura tingunt, *l. lotas. C. de murilegul.* blattam enim purpura attinctum vocat Martianus, *in l. ult. §. species . de publica*. sed *Bracarii* sunt, qui bracas faciunt, quibus Arcadio imperante intra urbem uti non licebat, *l. 2. C Theo. de habitu, quo uti oport. intra urb.*

21 AQUÆ LIBRATORES. *Hi sunt*, inquit Constantinus, *in l. ult. C. de excusat. artific. qui aquarum ductus inventos, & modos docili libratione ostendunt, ac derivandæ aquæ & dividendæ rationem tenent*. Paternus *aquilices* vocat, *in d. l. ult. de jur. immu.* quasi aquam elicientes.

22 FIGULI. Qui Græce dicuntur κεραμεῖς. ex creta amphoras, lateres, dolia, tegulas, imbrices, patinas, aliaque vasa formant. unde apud Paulum *in l. veluti. de servi. rustic. prædior. Figulinæ* sunt loca, in quibus ars figuli exercetur. *Figlinas* Jabolenus vocat, *in l. fund. 25. §. 1. de fundi. instru.* Cum vero hæc ars valde esset necessaria, Numa Pompilius rex septimum collegium figulorum instituit, *Plin. libr. 35. cap. 12.*

23 AURIFICES. Qui annulos vasaque aurea faciunt, *in l. scribit. 34. de aur. & arg.* Hi & cæteri artifices a Plauto in Aulularia recensentur.

24 VITRIARII. vasa vitrea conflantes.

25 PLUMARII. Ex plumis avium vestimenta conficiunt, secundum alios acu pingunt. Nonius clavatam vestem, aut ex clavis contextam a Plauto dici putat in Epidico, scena 4. *Vestes*, inquit, *quotannis nomina inveniunt nova, tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsicium, cumatile, aut plumatile*. D. Hieronymus in Chronicis scribit anno salutis 345. Macedonium artis plumariæ in locum Pauli ab Arianis episcopis subrogatum. Posset & de his intelligi, qui culcitras plumis infarciunt. In Codice Thc. horum loco scriptum est, *Plumbarii*, qui plumbeas pilas, & alia ex plumbo faciunt. Corippus Africanus in carmine in laudem Justini minoris, de ejus inauguratione loquens, ait,

Auratum scandens solium, sedemque paternam,
Constructam plumis, pulchrisque tapetibus altam,
Aspexit lætos populos.

26 SPECULARII. Qui specula faciunt, non qui specularibus fenestras muniunt, quia speculariarii vocarentur. Specularios etiam appellat Paternus, *in d. l. ulti. de jur. immu.*

27 EBORARII. *Eburarii* in Codice Theodof. qui ex ebore sellas, lectos, & alia faciunt.

28 PELLIONES. qui pelles & coria conficiunt, & tentoria, quæ pellibus tegebantur, *leg. 3. ff. de supell. lega.* Hinc forte emendandus locus Paterni *in d. l. ulti. de jur. immu.* ubi legitur *polliones* pro pellionibus etsi a *polliendo polliones* possent appellari

29 FULLONES. qui lavant, curant, poliuntque vestimenta. Justinianus *in §. item si fullo. Instit. de*, A *obligat. quæ ex deli. nasc. §. 1. Instit. mand. Si fulloni*, inquit, *polienda curandave dederit vestimenta, nulla mercede constituta, mandati competit actio.* Hinc *Fullonica* ars fullonis, *l. 3. in princ. ff. de aqua plu. arcen. l. si cujus. §. ulti. de usufr.* Præcipue vero pannos lavando maculas emundabant. Unde jocus Fausti Syllæ filii in sororem apud Macrob. li. 2. Saturnalio. Cum enim duos eodem tempore illa mæchos haberet, Fulvium fullonis filium, & Pompejum cognomine Maculam, mirari se dicebat sororem suam habere maculam, cum fullonem haberet. Poliebant vero interpolando & renovando vestimenta, quæ *interpola* vocabantur, *l. Labeo. ff.* B *de contr. emptio. l. præcipiunt. de ædili. edict.* Plures olim in civitatibus erant fullones. Hodie pauci hanc artem exercent.

30 CARPENTARII. Carpentum genus est vehiculi a Carmente Evandri matre dictum, ut Ovidius in Fastis opinatur hoc carmine:

Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant,
Hæc quoque ab Evandri dicta parente reor.

Auctor est Tranquillus in Caligula cap. 15. Caligulam Agrippæ matri carpentum, quod in pompa duceretur, decrevisse. Id duobus rotis vehebatur, quemadmodum in ejus numismatis cernitur. Messa- C linæ quoque uxori Claudii concessum fuisse Dion scribit, ut carpento vehi posset. Carpenta fabricantes a Constantino *in d. l. 1. C. de excus. artifi.* & Paterno *in d. l. ulti. de jur. immu. carpentarii* sunt appellati. Vegetius *lib. 2. ca. 11. Habet*, inquit, *legio fabros tignarios, instructores, carpentarios, ferrarios, pictores, reliquosque artifices ad hybernorum ædificia fabricanda*. Græci videntur interpretari, qui clitellas camelorum faciunt.

31 SCULPTORES. Qui animalia in marmore aliasque effigies formant.

32 DEALBATORES a Paterno in Codice Theod. omittuntur. Ab Albinis vel Albariis differre pos- D sunt, quod illi parietes, isti vasa figulina vel quid aliud dealbant.

33 CUSORES linarii. Qui lina cudunt. In Cod. Theo. pro *cusores*, perperam scriptum est *casores*.

34 TIGNARII. qui tigna dolant, & tectis imponunt. Paulus *in l. ferri. 235. in fin. de verb. signific. Fabros*, inquit, *tignarios dicimus non eos duntaxat, qui tigna dolarent, sed omnes qui ædificarent*. Tigni vero appellatione in lege 12. tabular. omnis materia continetur, ex qua ædificia constant. Sed hic de iis, qui trabes proceresve dolant, & ædificiis imponunt, intelligi arbitror, cum alii propria habeant vocabula. Hos aliqui putant esse, qui a Constanti- E no *in l. 1. C. Theo. de centonariis, & dendroph.* & Valentiniano *in l. 2. C. The. eod. fabricentonarii* appellantur, quorum corpori Constantinus jubet dendrophoros inseri; *in l. 1. C. T. de centonar.* Hos esse puto, quos Paternus sylvam infindere scribit *in l. ult. de jur. immu.* & cæsas arbores ad centonarios dolaturos deferre. Proprium templum, in quod conveniebant, quemadmodum & alii corporati habebant, propriumque patronum cooptabant, qui eorum causas tueretur, & quæ ad suos artifices spectabant, procuraret. Tabula ænea de iis Regii inventa est, quam hic inferendam esse censui. Aliæque de centonariis plures alibi extant inscriptiones, sed hanc cæteris antecellere existimo.

INSCRIPTIO.
IMP. CÆS. AVRE-
LIO, ANTONINO
AVG. PIO.

FELICE VIM PETRONIO SEPTIMIA-
NO COS.

X. KAL. APRIL. i. e. *circa an. Domini* 191. IN TEMPLO COLLEGI FABRVM ET CENTONARIORVM REGIENSIVM.

QVOD REFERENTIBVS P. SÆNIO MARCELLINO ET C. AVFIDIO DIALOGO QVÆSTORIBVS V F. i. e. *Verba fecerunt*.

IVSILIVM IVLIANVM VIRVM ET VITA ET MODESTIA ET INGENITA VERECVNDIA ORNATVM ET LIBERALEM OPORTERE COLLEGI NOSTRI PATRONVM COOPTARI. VT SIT CÆTERIS EXEMPLO IVDICI NOSTRI TESTIMONIVM.

QFPDERIC. i. e. *Quid fieri placeret, de ea re ita censuerunt*.

SALVBRI CONSILIO TAM HONESTA RELATIONE A QVÆSTORIB. ET MAGISTRIS COLLEGI NOSTRI FACTAM ET SINGVLI ET VNIVERSI SENTIMVS ET IDEO EXCVSANDAM POTIVS HONESTO VIRO IVLIANO HVIVS TARDÆ COGITATIONIS NOSTRÆ NECESSITAT. PETENDVMQVE AB EO LIBENTER SVSCIPIAT COLLEGI N. i. e. *Collegii nostri Patronalem*. PATRONAL. HONOREM TABVLAMQVE ÆREAM CVM INSCRIPTIONE HVIVS DECRE. N. i. e. *Nostri*. DOMO EIVS PONI CENSVERVNT.

35. BRACTEARII, id est, πεταλουργοί, auti laminas ad inaurandum attenuabant. D. Hieronymus ad Fabiolam: *Auri laminæ*, id est, *bracteæ mira tenuitate tunduntur*. Hi a Paterno & Cod. Theod. præmittuntur.

Alii quidam a Paterno *in d. l. ult. de jur. immu.* a personalibus muneribus immunes nominantur, quorum aliqui sunt artifices, aliqui non: inter eos sunt gubernatores navium. Unde apud Jabolenum *in l. Sejus Saturninus. ad Trebellia.* Archigubernus pro eo, qui totam classem regit, ponitur. Ex artificibus naupegi, navium ædificatores, ballistarii, scandularii, qui scandulas tecta tegentes fabricant. Gladiatores pro his, qui gladios faciunt. Tubarii tubarum artifices, cornuarii, arcuarii, item qui calcem coquunt, & sylvam infindunt, carbonem cædunt ac torrent, id est, ligna ad parandum carbonem sternunt, & postea in carbones torrent, quemadmodum alibi Ulpianus declarat. Lanii, venatores, victimarii, præco, buccinator. Alii præterea a Paterno nominantur, quos pro artificibus non habeo, & eos recenset, qui militiæ inserviebant; ejus enim lex ex lib. 1. militarium est decerpta.

36. INTESTINARII in Cod. Theod. adduntur, qui intestina fabricant. Est autem *intestinum* opus ex ligno ad ornatum ædium. Varro lib. 3. de rustica: *Cum villas haberes opere tectorio & intestino, ac pavimentis nobilibus lithostrotis spectandam, parum putares esse, nisi tuis quoque literis exornati parietes essent*.

TESSELLARII, qui tessellas, id est, parva quadra pavimentis infigunt. Scribit Tranquillus in C. Cæsare *cap.* 45. ipsum in expeditionibus tessellata & sectilia pavimenta circumtulisse. Pavimentorum quoque tessellatorum atque sectilium Vitruvius meminit.

Hi sunt in jure nominati artifices, quorum, prout distinctæ erant artes, ita propria separataque erant collegia, *corpora* nuncupata; quæ cum maximam plebis partem, & ferme totam continerent, & civitatibus essent necessaria, prætermittenda non esse duxi.

Hæc erant municipiorum sub Imperio Romano munera, ex quibus scire licet, quanta industria civitates regerentur. Ego hoc breviarium magistratuum officiorumque municipalium Notitiæ dignitatum utriusque Imperii addendum putavi, ut quemadmodum ibi Provinciarum & Palatii gradus, ita hic Civitatum munera cognoscerentur.

FINIS.

FRANCISCUS ROBORTELLUS UTINENSIS, DE MENSIUM APPELLATIONE EX NOMINIBUS IMPP.



AUSAS quatuor reperio fuisse, propter quas olim Impp. Rom. menses de suo nomine appellari voluerint; vel propter insignem aliquam victoriam; vel in memoriam mortui alicujus, quem ipsi diligerent; vel quod eo mense essent ipsi nati; vel quod eo tempore imperium suscepissent. Sextilem Imp Augustus appellavit *Augustum*, quia eo mense insignes victoriæ ipsi obtigerant, ut Suetonius testatur, potius quam Septembrem quo fuerat natus. ex quo patet altera causa, ficuti superius exposui. Nonnulli tamen Impp. tales rejiciebant appellationes, etiamsi S. C. fierent, id factum a Tiberio scribit idem Suet. num. 26. his verbis: *Et ne mensis September Tiberius, October Livius vocarentur, intercessit*. *Livium* enim a matris ipsius nomine dici volebant. Altera causa explicatur ab eodem num. 15. in Cajo, ubi ait: *In memoriam patris Septembrem mensem Germanicum vocavit*. Tertiam A vero, & quartam cognosce ex eodem num. 13. in Domitiano, ubi ait: *Septembrem mensem & Octobrem ex appellationibus suis Germanicum, Domitianumque nominavit, quod altero suscepisset imperium, altero esset natus*. Etiam Antoninus Pius S. C. tale de se fieri vetuit. Vide Julium Capitolinum. Menses Septembrem, atque Octobrem *Antonium*, & *Faustinum* appellandos decrevit Senatus; sed id respuit Antoninus. De tertia, & quarta causa itidem lege Vopiscum in Tacito. Hic idem mensem Septembrem *Tacitum* appellari jussit, quod eo mense & natus & Imperator factus esset. Nullus vero B plures appellationes mensibus indidit, quam Commodus Imp. Nam pro Augusto mense appellavit *Commodum*; pro Septembri *Herculem*: pro Octobri *Invictum*: pro Novembri *Exuperatorium*: pro Decembri *Amazonium* appellavit. Vide Ælium Lampridium, qui ita scribere etiam solitos tunc omnes testatur, *Idibus Herculeis, Calendis Exuperatoriis, Calendis Amazoniis*. Neque vero hæc nomina S. C. indita, sed potius ex adulatione nefariorum hominum.

FINIS.


ONUPHRII PANVINII
IN
SEXTI RUFI LIBRUM
DE
REGIONIBUS URBIS ROMÆ
PRÆFATIO.



EX. Rufus vir consularis, qui Valentiniani & Valentis Imperatorum temporibus floruit, multa ingenii sui monumenta reliquit, quæ omnia præter admodum pauca temporum injuria, & barbarorum immanitate omnino periere. Ex his enim superest parvus liber, quem de origine & incrementis imperii Romani ad Valentinianum Augustum edidit, qui excusus est, & vulgo in manibus habetur. Scripsit & aliud opusculum de regionibus urbis Romæ eadem propemodum ratione, qua P. Victor, in quo quum singulas urbis regiones enumerasset, omnia, quæ in singulis erant memoratu digna, tam publica quam privata ædificia brevissime & accuratissime digessit. Qui libellus & ipse interciderat, atque usque ad nostra tempora tenebris vetustatis oppressus latuerat, quibus, litteris majusculis venerandæ vetustatis scriptus inventus est. Ceterum nec ille, quamquam exiguus, temporis edacitatem effugere potuit, aliquot enim pagellis truncato, quum pleraque in aliis locis, tum tres quoque extremæ urbis regiones, id est, Piscina publica, Aventinus, & trans Tiberim integræ desiderantur. Eum tamen quemadmodum ad manus venit accurate exscriptum, accuratiusque excusum antiquitatis studiosis legendum trado. Cujus mihi copiam vir integerrimus, & doctissimus, atque de omni litterarum genere bene meritus, Antonius Augustinus, domo Cæsarea Augusta Episcopus Allifanus, & XII. vir stlitibus judicandis, quos Romæ Rotæ auditores vocant, quinquennio ante libentissime fecit. Vale.

SEXTI RUFI. V. C.
DE
REGIONIBUS URBIS LIBER.

REGIO. PRIMA. PORTA. CAPENA.



ICUS honoris & virtutis
Vicus Fortunæ obsequentis
Vicus Sulpici citerioris
Vicus Drusianus
Vicus Sulpici ulterioris
Vicus Pulverarius
Vicus Trium ararum
Vicus Fabrici
Ædes Martis
Ædes Minervæ
Ædes Tempestatis
Ædes Mercurii
A Ædes Apollinis
Area Mercurii cum ara
Area Spei
Area Galliæ
Area Isidis
Area Pinaria
Area Carsuræ
Lacus Promethei
Lacus Sanctus
Lacus Vespasiani
Lacus Sudans
Lacus Torquati
Lacus Publicus
Lacus Bivius
Lacus Spei

Lacus Gratiæ
Lacus Mamertini
Lacus Salutaris
Lacus LXXI. fine nomine
Balineum Torquati
Balineum Vetti Bolani
Balineum Abafcantiani
Balineum Mamertini
Balineum Mettiani
Balineum Antiochiani
Thermæ Commodianæ
Thermæ Severianæ
Arcus Drufianus
Arcus Veri Augufti
Arcus Trajani
Arcus Bifrons
Mutatorium Cæfaris
Almo Fluvius
Ara Ifidis
Templum Ifidis
Templum Serapidis
Templum Fortunæ viatorum
Vici IX
Ædiculæ X
Vicomagiftri XXXVI
Curatores II
Denuntiatores II
Infulæ IV ∞ CCL
Domus CXXI
Horrea XIV
Balineæ privatæ LXXXII
Piftrina XII
Regio in ambitu continet pedes XIV ∞ CCXXII

REGIO. COELIMONTIUM.

Templum Bacchi
Templum Fauni
Templum divi Claudi
Campus Martialis
Campus Fontinarum
Macellum magnum
Lupariæ
Antrum Cyclopis
Caftra peregrina
Caput Africæ
Arbor fancta
Domus Vitelliana
Domus Philippi
Regia Tulli cum templo
Manfiones Albanæ
Mica aurea
Armamentarium
Cœliolum
Spolium Samarium
Ludus Matutinus
Ludus Gallicus
Campus Cœlimontanus
Thermæ publicæ
Domus Parthorum, Laterani
Cohortes V. vigilum
Subura
Vici VIII
Ædiculæ VIII
Vicomagiftri XXXII
Curatores II
Denuntiatores II
Domus CXXIII
Horrea XXIV
Balineæ privatæ XX
Piftrina XXII
Lacus fund. XI. fine nomine
Regio in circuitu continet pedes XIII millia CC

A

REGIO. ISIS. ET. MONETA

Amphitheatrum Flavi
Ludus Magnus
Ludus Mamertinus
Ludus Dacicus
Tribus Gratiæ areæ
Domus Brytiana
Summum Choragium
Prætura præfentiffima
Thermæ Titi Cæfaris
Thermæ Trajani Augufti
B Lympheum Claudii Augufti
Lacus Paftoris
Schola Quæftorum
Schola Galli
Porticus Liviæ
Templum Concordiæ
Caftra Mifenatium II
Caput Suburæ
Vici VIII
Vicus Albus
Vicus Fortunæ vicinæ
Vicus Anciportus
C Vicus Baffianus
Vicus Structorum
Vicus Afellus
Vicus Lanarius
Vicus Primigenius
Ædiculæ VIII
Bonæ Spei
Serapidis
Sangi Fidoni
Minervæ
Ifidis
Veneris
Æfculapii
D Volcani
Vicomagiftri XXIV
Curatores II
Denuntiatores II
Infulæ II mill. DCCCVII
Domus CLX
Horrea XIX
Balineæ privatæ XXC
Lacus XXV. fine nomine
Piftrina XXIII
Regio continet pedes XII ∞ CCCCL

E

REGIO. TEMPLUM. PACIS.

Templum Pacis
Templum Remi
Templum divæ Fauftinæ
Templum urbis Romæ, & Augufti
Templum Veneris
Templum Telluris
Templum Solis
Templum Lunæ
F Templum Concordiæ in porticu Liviæ
Bafilica Conftantini
Via Sacra
Bafilica Paulli
Sacriporticus, alias Sacriportus
Forum Tranfitorium cum templo divi Nervæ
Balinea Daphnidis
Volcanale
Porticus abfidata
Bucena aurea
Apollo Sandalarius
Horrea Teftaria

Sacellum Strenuæ
Sororium tigillum
Meta sudans
Caput Lynco
Carinæ caput
Domus Pompei
Avita Ciceronum
Æquimælium
Area victoriæ
Arcus Titi
Vici VIII
Vicus Sceleratus
Vicus Eros
Vicus Veneris
Vicus Apollinis
Vicus Trium viarum
Vicus Anciportus minor
Vicus Fortunatus minor
Vicus Sandaliarius
Ædiculæ VIII
usarum
Spei
Mercurii
Juventutis
Lucinæ Valerianæ
Junonis Lucinæ
Mavortii
Isidis
Vicomagistri XXXII
Curatores II
Denuntiatores II
Insulæ II ∞ DCCLVII
Domus CXXXIIX
Horrea XIIX
Balineæ privatæ LXXV
Lacus LXXIX
Pistrina XXIII
Regio in circuitu continet pedes XVIII millia

REGIO. EXQUILINA. CUM. COLLE. VIMINALI

Templum Jovis Viminei
Ædes Veneris Erycinæ
Horti Plantiani
Lacus Promethei
Macellum Livianum
Nympheum Alexandri
Station. cohor. VII. vigilum
Horti Mæcenatis
Regia Ser. Tullii
Amphitheatrum castrense
Tres tabernæ
Campus Viminalis sub aggere
Campus Esquilinus
Lucus Pœtilinus
Lucus Fagutalis
Templum Junonis Lucinæ
Domus Aquilii Jureconsulti
Ara Jovis Viminei
Minerva Medica pantheum
Isis patricia
Templum Silvani
Templum Æsculapii
Thermæ Olympiadis
Lavacrum Agrippinæ
Vici XV
Vicus Sucusanus
Vicus ursi pileati
Vicus Minervæ
Vicus ustrinus
Vicus Palloris
Vicus Sejus
Vicus Silvani

A Vicus Capulatorum
Vicus Tragœdus
Vicus unguentarius
Vicus Paullinus
Vicus Pastores
Vicus Caticarius
Vicus Veneris placidæ
Vicus Junonis
Ædiculæ XV
Seja
Veneris placidæ
Castoris
Palloris
B Silvani
Apollinis
Cloacinæ
Herculis
Mercurii
Martis
Lunæ
Serapidis
Vestæ
Cereris
Proserpinæ
Vicomagistri LX
C Curatores II
Denuntiatores II
Insulæ III ∞ DCCCL
Domus CLXX
Lacus LXXIX
Horrea XXVII
Balineæ privatæ LXXV
Pistrina XXVII
Regio continet pedes XV millia DCCCCL

REGIO. ALTA. SEMITA

Vicus Bellonæ
D Vicus Mamurei
Circus Floræ
Templum Floræ
Templum Salutis
Templum Serapeum
Templum Fidei
Templum Apollinis, & Clatræ
Templum Salutis in colle Quirinali
Ædes divi Fidii
Templum Fortunæ liberæ
Templum Fortunæ statæ
Templum Fortunæ reducis
Forum Salustii
E Templum Veneris in hortulis Salustianis
Statua Mamuri
Ædes Fortunæ publicæ in colle
Statua Quirini alta pedes XX
Templum Quirini
Domus Attici
Domus Flavi
Malum Punicum
Templum Minervæ
Senaculum mulierum
Thermæ Diocletianæ, & Maximianæ
Balineum Paulli
F Decem tabernæ
Ad Gallinas albas
Area Callidii
Cohortes III. vigilum
Vici XII
Vicus Albus
Vicus Publicus
Vicus Floræ
Vicus Quirini
Vicus Flavi
Vicus Mamuri
Vicus Fortunarum

Vicus Paccius
Vicus Tiburtinus
Vicus Salutis
Vicus Caſlidianus
Vicus Maximus
Vicomagiſtri XLVIII
Curatores II
Denuntiatores II
Ædiculæ XVI
Fortunæ Parvæ
Genii liberorum
Genii Larum
Dianæ Valerianæ
Junonis Juliæ
Spei
Sangi
Silvani
Veneris
Herculis
Victoriæ
Matutæ
Liberi patris
Saturni
Jovis
Minervæ
Inſulæ III ∞ DV
Lacus LXXVI
Domus CXLV
Horrea XIX
Balineæ privatæ LXV
Piſtrina XXIII
Regio continet in circuitu pedes XV millia DC

REGIO. VIA. LATA.

Vici XL
Vicus Ganymedis
Vicus Gordiani minor
Vicus Novus, alias Novos
Vicus Caprarius
Vicus Solis
Vicus Gentianus
Vicus Sangi, alias Sanci
Vicus Herbarius
Vicus Manſuetus
Vicus Sugillarius minor
Vicus Solatarius
Vicus Fortunæ
Vicus Spei majoris
Vicus Novus ulterior
Vicus Libertorum
Vicus Publii
Vicus Novus citerior
Vicus Statuæ Veneris
Vicus Archemorium, alias Archemonium
Vicus Æmilianus
Vicus Piſcarius
Vicus Cælatus
Vicus Victoriæ
Vicus Vicinus
Vicus Græcus
Vicus Lanarius ulterior
Vicus Pomonæ
Vicus Caput Minervæ
Vicus Trojanus
Vicus Peregrinus
Vicus Caſtus
Vicus Minor
Vicus Putealum
Vicus Scipionis
Vicus Junonis
Vicus Sellarius
Vicus Iſidis
Vicus Tabellarius

A Vicus Mancinus
Vicus Lotarius
Lacus Ganymedis
Lacus Pertuſus
Arcus Gordiani
Arcus novus
Arcus Veri & Marci Auguſtorum
Nympheum Jovis
Ædicula Capraria
Campus Agrippæ
Templum Solis
Caſtra Gentiana
Caſtra Gypſiana
B Porticus Conſtantini
Templum novum Spei
Templum novum Fortunæ
Templum novum Quirini
Sacellum Genii Sangi
Cohortes VII. vigilum
Equi ænei Tyridatis
Forum Suarium
Forum Archemorium
Horti Argiani
Pila Tiburtina
Lapis Pertuſus
Inſulæ III millia CCCLXXXV
C Domus CXX
Horrea XXV
Curatores II
Denuntiatores II
Vicomagiſtri CXX
Balineæ privatæ LXXX
Piſtrina XXVII
Lacus LXXVI
Regio continet in circuitu pedes XIII. millia DCC

REGIO. FORUM. ROMANUM.

D Roſtra populi Romani II
Fides Candida
Ædes Victoriæ
Ædicula Victoriæ
Templum Romuli
Templum Concordiæ
Templum Veſpaſiani
Templum Minervæ
Templum Veſtæ
Templum Saturni
Templum Juli
Templum Auguſti
E Templum Junonis Martialis
Templum Caſtorum
Senaculum aureum
Puteal Libonis
Comitium
Schola Xantha
Liviæ porticus
Arcus Fabianus
Lacus Curtius
Regia Numæ
Templum deum Penatium
Templum Larum
Forum Cæſaris
F Vicus Ruminalis
Vicus Jugarius, alias Ligurius
Via nova
Lucus Veſtæ
Ajus Locutius
Delubrum Minervæ in foro
Baſilica Paulli
Templum Jani
Forum Piſcarium
Forum Boarium
Carcer

Forum

Forum Augusti
Forum Trajani
Capitolium cum arce
Curia Calabra
Templum Jovis Capitolini
Asylum
Templum Jovis Feretrii
Templum Veneris calvæ
Curia Hostilia sub veteribus
Delubrum Larum
Ædes Junonis
Ædicula matris Rumæ
Columna divi Juli
Equus æneus Domitiani
Columna magn. ludi sæcul.
Ara Saturni
* *multa desunt*
Templum Veneris & Anchisæ
Jani publici
Equa cernens quattuor satyros
Vicus Novus
Ludi litterarii
Vicus Unguentarius minor
Vicus Tuscus
. . . . Tusco
* *multa desunt*
Basil. . . . .
Macell. . . . .
Vici XII
Vicomagistri XLVIII
Curatores II
Denuntiatores II
Insul. . . . . il. DCCCLXX
. . . . . *reliqua hujus regionis desunt*
*

REGIO. CIRCUS. FLAMINIUS.

Circus Flaminius
Ædes antiqua Apollinis cum colosso
Lavacrum Apollinis
Stabula quatuor factionum
Herculi magno custodi
Porticus Philippi
Ædes Volcani in circo Flaminio
Mimitia vetus
Theatrum Balbi
Crypta Balbi
Porticus Corinthia Cn. Octavii
Theatrum lapideum
Mimitia frumentaria
Lucus Mavortianus
Minerva vetus cum luco
Lucus Pœtilinus major
Fons Scipionum
. . . . tis
* *desunt multa*
Sepulchr. . . . . .
Ædes Apollinis
Thermæ Hadriani
Villa publica
Theatrum Pompeii
Equiria
Stadium
Amphitheatrum Tauri Statili
Juppiter Pompejanus
Theatrum Marcelli
Delubrum Cn. Domitii

A Carcer C. Virorum
Horti Lucullani
Campus Martis
Septa Trigaria
Ædes Neptuni
Ædes Juturnæ ad aquam Virginem
Templum Bruti Callaici
Lucus Victoriæ vetus
* *desunt multa*
. . . . M. Agrippæ
Horti & Thermæ Agrippæ
Domus & circus Alexandri Pii imperatoris
Lacus Thermar. Neron. . . . .
B *
Reliqua hujus regionis desunt.

REGIO. PALATIUM

tota deest.
*

REGIO. CIRCUS. MAXIMUS

Apollo Cœlispex
Salinæ
C Porta Trigemina
Lucus Semelis minor
Ædes Portumni ad p. Sublicii
Ædes Ditis patris
Ædes Cereris
Ædes Proserpinæ
Templum Mercurii
Templum Herculis
Herculis triumphalis
Circus maximus
Hercules Olivarius
Ara maxima
Templum Castoris
D . . . . Mur. . . .
Basilica Cai & Luci
. . . Pud. . . . . .
. . . Juno . . . . .
* *desunt multa.*
Ædes Consi
Vicus Consinius
Vicus Proserpinæ
Vicus Cereris
Vicus Argæi
Vicus Piscarius
Vicus Parcarum
Vicus Veneris
E Vicus Sanctus
Forum Olitorium
Columna Lactaria
Ædes Pietatis
Ædes Matutæ
Velabrum majus in foro Olitorio
Sacrarium Saturni cum luco
Area sancta
Ædiculæ XII
Veneris
Junonis
V. . . . . . * *reliqua omnia*
F *desunt.*
REGIO. PISCINA. PUBLICA.
REGIO. AVENTINUS.
REGIO. TRANS. TIBERIM.
Integræ desunt

SEX. RUFI. FINIS.

IN P. VICTORIS LIBRUM
DE
REGIONIBUS URBIS ROMÆ.
PRÆFATIO.



. Victor eisdem temporibus, quibus Sex. Rufus sub Valentiniano & Valente imperatoribus vixit, qui & ipse, meliori tamen fato quam Rufus, librum brevem de urbis regionibus digessit: illius enim liber & diu occultus fuit, & nunc imperfectus prodiit, Victoris autem longe ante ab Aldo Manucio primum publicatus est, deinde ab aliis sæpe excusus, postremo nunc longe emendatior, centum & amplius locis auctus, mea opera in publicum exit; quod ex utriusque libri collatione facile intelligi poterit. Hic eadem propemodum ratione qua Rufus, urbis regiones descripsit. Multa tamen sunt in Rufo, a Victore omissa, multaque e contrario Victor enumerat, quæ Rufus præteriit. Hic unus libellus est, cujus potissimum ope omnes, qui hactenus de urbis Romæ antiquitate scripserunt, mirum in modum sublevati sunt. Cujus etiam vel male intellecti, vel concisi occasione, multos passim errores in universa Romana antiquitate commiserunt. Quare ejus nunc cum Rufo restituti auxilio, multa vel in melius restituta sunt, vel omnino immutata, de quibus satis supra verba feci. Porro autem hic liber ex eadem prodiit, qua Rufus officina: erat enim & ipse iisdem litteris, quas majusculas vocant, descriptus. Quem, ut ab antiquitatis studiosis aliquam gratiam inirem, cum ipso Rufo meæ urbis Romæ descriptioni integre accurateque excusum, addere institui, ut omnes & P. Victorem integrum tandem in manibus habeant, & per quos ego in hoc opere profecerim intelligant.

P. VICTORIS
DE
REGIONIBUS URBIS ROMÆ
LIBER.

REGIO. PRIMA. PORTA. CAPENA.



ICUS, & ædes Camœnarum
Vicus Drusianus
Vicus Sulpici ulterioris
Vicus Fortunæ obsequentis
Vicus Sulpici citerioris
Vicus Honoris, & Virtutis
Vicus Pulverarius
Vicus Trium ararum
Vicus Fabrici
Aedes Martis
Aedes Minervæ
Aedes Mercurii
Aedes Tempestatis
Area Apollinis
Area Spei
A Area Thalli, sive Galli, sive Galliæ
Area Isidis Aelianæ
Area Pinaria
Area Carsuræ
Lacus Promethei
Lacus Vespasiani, alias Vipsani
Balineum Vetti Bolani
Balineum Torquati
Balineum Mamertini
Balineum Abascantiani
Balineum Mettiani Secundiani
Balineum Antiochiani
Thermæ Severianæ
B Thermæ Commodianæ
Arcus Drusi Neronis
Arcus D. Veri Parthici
Arcus D. Trajani
Arcus Bifrons
Mutatorium Cæsaris
Almo Fluvius

Ara Mercurii
Ara Isidis
Templum Isidis
Templum Serapidis
Templum Fortunæ viatorum
Vici IX
Aediculæ X
Vicomagistri XXXVI
Curatores II
Denuntiatores II
Insulæ IV millia CCL
Domus CXXI
Horrea XIV
Ballineæ privatæ LXXXII
Lacus fund. LXXXIII
Pistrina XX
Regio in ambitu continet pedes XIII millia CCXXIII. alias XII millia CCXXII

REGIO. II. COELIMONTIUM

Templum Claudii
Templum Bacchi
Macellum Magnum
Campus Martialis
Lupariæ in Subura
Antrum Cyclopis
Templum Fauni
Castra Peregrina
Caput Africæ
Arbor Sancta
Domus Philippi
Domus Vitelliana, alias Vectiliana
Regia Tulli Hostili, Templumque is in cur. alias Templumque, quod is in Curiam redegit, ordine a se aucto, id est, patribus minorum gentium.
Mansiones Albanæ
Mica aurea
Armamentarium
Cœliolum
Spolium Samarium
Ludus Matutinus
Ludus Gallicus
Campus Cœlimontanus
Domus Laterani
Thermæ publicæ
Cohortes V. vigilum
Vici XIII
Ædiculæ VIII
Vicomagistri XXIV
Curatores II
Denuntiatores II
Insulæ III ∞ CVI. alias III ∞
Domus CCXXXIII
Horrea XXIV
Balineæ privatæ LXXX
Lacus LXV
Pistrina XXIII
Regio in ambitu continet pedes XIII ∞ CC. alias XII millia CC

REGIO. III. ISIS. ET. SERAPIS. MONETA.

Amphitheatrum quod capit loca LXXVII millia. alias LXXXVII millia
Ludus Magnus
Ludus Dacicus
Ludus Mamertinus
Domus Bryttiana
Summum choragium
Prætura præsentissima
Thermæ Titi Cæsaris Augusti
Thermæ Trajani Cæsaris Augusti
A Thermæ Philippi Cæsaris Augusti
Lacus Pastoris
Schola Quæstorum
Schola Capulatorum
Porticus Liviæ cum templo Concordiæ virilis
Castra Misenatium
Castra Misenatium vetera
Suburæ caput
Domus Pompejani
Vici VIII
Ædiculæ VIII
Vicomagistri XXIV
Curatores II
B Denuntiatores II
Insulæ II millia DCCCVII
Domus CLX
Horrea XXIX. alias XIIX
Balineæ privatæ LXXX
Pistrina XXIII. alias XII
Lacus LXV
Regio in circuitu continet pedes XII millia CCCCL

REGIO. IV. TEMPLUM. PACIS.

C Templum Remi
Templum urbis Romæ
Templum Veneris
Templum Faustinæ
Templum Telluris
Templum Solis & Lunæ
Via Sacra
Basilica Constantini
Basilica vetus Paulli Aimilii
Porticus Liviæ cum templo Concordiæ
Sacriporticus, alias Sacriportus
Forum Transitorium
D Balineum Daphnidis
Porticus Absidata, alias Asidata
Ara Volcani cum Volcanali. Alias Area Vulcani cum Vulcanali, ubi Lotos a Romulo sata, in qua area sanguine per biduum pluit.
Buccina aurea, alias Buccinum aureum
Apollo Sandaliarius
Horrea Cantharia, vel Testaria, alias Tastaria
Sororium tigillum
Colossus altus pedes CIIS. habens in capite radios VII singulos pedum XXIIS
E Sacellum deæ Strenuæ
Meta sudans
Carinæ caput
Domus Pompeii
Avita Ciceronum domus
Arcus Titi
Vici VIII
Ædiculæ VIII
Vicomagistri XXXII
Curatores II
Denuntiatores II
Insulæ II ∞ DCCLVIII
Domus CXXXVIII
F Horrea XVIII
Balineæ privatæ LXXV
Lacus LXXVIII
Pistrina XIV
Regio in ambitu continet pedes XIV millia. alias XIII millia

REGIO. V. EXQUILINA. CUM. TURRI. ET. COLLE. VIMINALI.

Lacus Promethei secund.
Macellum Liviani

Nymphæum Alexandri, alias D. Alexandri
Stat. cohortis VII. vigilum, alias cohortes VII. vigilum
Ædes Veneris Erycinæ ad portam Collinam
Horti Planciani, vel Plautiani
Horti Mæcenatis
Regia Ser. Tullii
Hercules Silvanus, alias Sullanus
Amphitheatrum Castrense
Campus Exquilinus, & Lucus
Campus Viminalis sub aggere
Tres tabernæ
Lucus Petilinus
Templum Lucinæ, alias Junonis Lucinæ
Lucus Fagutalis
Domus Aquillii jureconsulti
Domus Q. Catuli, & M. Crassi
Ara Jovis viminei
Minerva Medica
Isis patritia
Templum Silvani
Templum Æsculapii
Lavacrum Agrippinæ
Thermæ Olympiadis
Vici XV
Ædiculæ totidem
Vicomagistri LX
Curatores II
Denuntiatores II
Insulæ III millia DCCCL
Domus CLXXX
Lacus CLXXIX
Horrea XXIII
Balineæ privatæ LXXV
Pistrina XXII
Regio in ambitu continet pedes XV millia DCCCCL. alias XV millia DCCCC.

REGIO. VI. ALTA. SEMITA.

Vicus Bellonæ
Vicus Mamuri
Templum Salutis in colle Quirinali
Templum Serapium, alias Serapeum
Templum Apollinis, & Clatræ
Templum Floræ, & circus Floralia
Capitolium vetus
Ædes divi Fidii in colle, alias
Divus Fidius in colle
Forum Salustii
Templum Veneris hortorum Salustianorum
Statua Mamurii plumbea
Fortuna publica in colle
Statua Quirini
Templum Quirini
Domus Attici
Malum Punicum, ad quod Domitianus. DD. templum Minervæ Flavianæ, alias templum gentis Flaviæ, & erat domus ejus.
Domus Titi Flavi Sabini
Horti Salustiani
Senaculum mulierum
Thermæ Diocletiani
Thermæ Constantinianæ
Balinea Paulli
Templum Fortunæ Sejæ
Decem tabernæ
Ad Gallinas albas
Area Calidii
Cohortes III. vigilum
Vici XII
Vicomagistri LXVI
Ædiculæ XVI
Curatores II
Denuntiatores II

A Insulæ III ∞ DC
Domus CLV. alias CXLV
Horrea XIX alias XVIII
Balineæ privatæ LXXV
Lacus LXXVI
Pistrina XXII. alias XII
Regio in ambitu continet pedes XV millia DC.

REGIO. VII. VIA. LATA.

Lacus Ganymedis
Arcus Gordiani junioris
B Coh. septem vigilum, aliter primorum vigilum
Arcus Novus
Arcus Veri & Marti Augustorum
Nymphæum Jovis
Ædicula Capraria
Campus Agrippæ
Templum Solis
Castra Gentiana, aliter Gypsiana
Porticus Constantini
Templum novum Spei
Templum novum Fortunæ
Templum novum Quirini
Sacellum Genii Sangi
C Equi ænei Tyridatis
Forum Suarium
Forum Archemorium
Horti Argiani
Pila Tiburtina
Ad Mansuetos
Lapis Pertusus
Vici X
Vicomagistri XL
Curatores II
Denuntiatores II
Insulæ III millia CCCLXXXV. alias IV millia CCCLXXXV
D Domus CXX
Horrea XXV
Pistrina XVII. alia XVI
Balineæ privatæ LXXV
Lacus LXXVI
Regio in ambitu continet pedes XIII millia DCC alias XII millia DCC

REGIO. VIII. FORUM. ROMANUM.

Rostra populi Romani II
Ædes victoriæ, cum alia ædicula victoriæ virginis DD. a M. Porcio Catone
E Sacellum Larum
Templum Juli Cæsaris in foro
Victoria aurea in templo J. O. M. alias Victoriæ aureæ statua in templo Jovis opt. max.
Ficus Ruminalis, & Lupercal virginis
Columna cum statua magni ludi, aliter M. Ludii
Græcostasis
Ædes Opis & Saturni in vico Jugario
Miliarium aureum
Senaculum aureum
F Pila Horatia, ubi tropæa locata, nuncupantur curia
Templum Castorum ad lacum Juturnæ
Templum Concordiæ
Equus æneus Domitiani Augusti
Lacus Curtius
Atrium Minervæ
Ludus Æmilius
Julia Porticus
Arcus Fabianus
Puteal Libonis
Jani duo celebris mercatorum locus
Regia Numæ

Templum Vestæ cum atrio
Templum deum Penatium
Templum Romuli
Templum Jani
Forum Cæsaris
Stationes municipiorum
Forum Augusti cum æde Martis Ultoris
Fides Candida
Forum Trajani cum templo, & equo æneo, & columna coclide, quæ est alta pedes CXXVIII. habetque intus gradus C L X X X V. fenestellas XLV.
Basilica Trajani in foro ejusdem
Cohortes sex vigilum
Ædicula Concordiæ supra Græcostasim
Basilica Argentaria
Umbilicus urbis Romæ
Ara Saturni in lacu Curtii
Templum Titi Vespasiani Augusti
Basilica Paulli cum Phrygiis columnis
Vicus Ruminalis in Comitio, ubi & Lupercal
Ædes Vejovis inter arcem & Capitolium, prope Asylum
Vicus Ligurum
Apollo translatus ex Apollonia a Lucullo, altus cubit. triginta, alias triginta duos
Delubrum Minervæ
Ædicula Juventæ
Porta Carmentalis versus circum Flaminium
Templum Carmentale, alias Carmentæ
Capitolium ubi omnium deorum simulachra celebrantur
Templum Jovis optimi max.
Ædes Jovis Tonantis in clivo Capitolii dedicata ab Augusto
Curia Hostilia sub veteribus
Curia Calabra, ubi Pontifex minor dies pronuntiabat
Signum Jovis imperatoris Præneste devectum
Asylum
Templum Veneris Calvæ vetus
Templum Veneris Calvæ novum
Templum vetus Minervæ
Templum Nemesis
Ara vetus Saturni
Horrea Germanica
Horrea Agrippina
Equa cernens quattuor Satyros
Forum Boarium
Sacellum Pudicitiæ patriciæ
Ædes Herculis victoris duæ, altera ad portam Trigeminam, altera in foro Boario rotunda, & parva
Forum Piscarium
Ædes Matutæ
Vicus Jugarius, idem & Thurarius, ubi sunt aræ, alias Areæ Opis & Cereris, cum signo Vortumni
Carcer imminens foro a Ser. Tullio ædificatus media urbe
Porticus Margaritaria
Ludi litterarii
Vicus unguentarius
Ædes Vortumni in vico Tusco
Elephantus Herbarius
Vici XII
Ædiculæ totidem
Vicomagistri XLVIII
Curatores II
Denuntiatores II
Insulæ III millia DCCCLXXX
Domus CL
Balineæ privatæ LXVI
Horrea XXVIII
Lacus CXX

A Pistrina XXX
Regio in ambitu continet pedes XVI millia DCCCLXVII. alias XII millia DCCCLXVII

REGIO. IX. CIRCUS. FLAMINIUS.

Stabula quattuor factionum lud.
Ædes antiqua Apollinis cum lavacro
Ædes Herculi magno custodi circi Flaminii
Delubrum Jovis Statoris
Porticus Philippi
Aedes Metelli
Aedes Volcani in circo Flaminio
B Mimitia vetus
Mimitia Frumentaria
Porticus Corinthia Cn. Octavii, quæ prima duplex fuit
Crypta Balbi
Theatrum Balbi capit loca XXX ∞ XCV. Cl. Cæsar dedicavit, & appellatur a vicinitate
Juppiter Pompejanus
Theatrum Marcelli capit loca XXX ∞. Ubi erat aliud templum Jani
Delubrum Cn. Domitii
Carcer C. virorum, alias CLX. virorum
C Templum Bruti Callaici
Templum Apollinis
Amphitheatrum Tauri Statilii
Villa publica, ubi primum populi census actus est in campo Martio
Campus Martis
Septa Agrippiana
Aedes Juturnæ ad aquam virginem
Septa Trigaria
Equiria
Horti Lucullani
Theatrum Lapideum
Fons Scipionum
D Templum Neptuni
Sepulchum Augusti, alias Augustorum
Ciconiæ Nixæ
Pantheon
Theatrum Pompeii
Basilica Macidii
Basilica Martiani
Templum divi Antonini cum coclide columna, quæ est alta pedes CLXXV. habet intus gradus CCVI. & fenestellas LVI
Thermæ Hadriani
Thermæ Neronianæ, quæ postea Alexandriæ
E Circus Alexandri
Thermæ Agrippæ
Templum Boni eventus
Thermæ Decianæ
Aedes Bellonæ versus portam Carmentalem
Ante hanc ædem columna index belli inferendi
Porticus Argonautarum
Meleagricum
Isaeum
Aedes Minervæ
Serapeum
Minervium
Minerva Chalcidia
Fortunæ equestris vetus
F Trajani porticus in campo Martio
Basilica Antoniniana, ubi est provinciarum memoria
Insula Phelidi, sive Filidis
Vici XXX
Aediculæ totidem
Vicomagistri CXX
Curatores II
Denuntiatores II
Insulæ III ∞ DCCLXXXVII
Domus CXL

Balineæ privatæ LXIV
Horrea XXII. alias XXI
Lacus LXIII
Piſtrina XXXII
Regio in ambitu habet pedes XXX millia DLX. alias XXX millia D

REGIO. X. PALATIUM

Vicus Padi
Vicus Curiarum
Vicus Fortunæ reſpicientis
Vicus Salutaris
Vicus Apollinis
Viçus Hujuſque diei fort æd.
Roma Quadrata
Ædes Jovis Statoris
Sacellum Larum
Caſa Romuli
Viæ novæ
Prata Bacchii, ubi fuerunt ædes Vitruvii Fundani
Ara Febris
Templum Fidei
Ædes Matris deum, huic fuit conterminum Delubrum Soſpitæ Junonis
Ædes Conſi
Ædes Aji Locutii
Domus Cejoniorum
Delubrum Minervæ
Summa Velia
Jovis Cœnatio
Ædes Apollinis, ubi lychni pendebant inſtar arboris mala ferentis.
Aedes deæ viriplacæ in Palatio
Aedes Fortunæ vicinæ
Bibliothecæ II
Aedes Rhamnuſiæ
Pentapylon Jovis arbitratoris
Domus Auguſtana
Domus Tiberiana
Sedes Imperii Romani
Auguratorium
Jovis opt. max. coloſſus alt. p CCL
Ad Mammæam, hoc eſt, Diætæ Mammææ
Ara Palatina
Aedes Jovis Victoris
Domus Dionyſii
Domus Q. Catuli
Domus Ciceronis
Velia
Curia vetus
Delubrum Latonæ
Fortuna Reſpiciens
Septizonium vetus, alias Severi
Victoriæ Germanicianæ
Ædes Dijovis
Lupercal in theatro
Vici octo
Ædiculæ totidem
Vicomagiſtri XXVIII. alias XXIV
Curatores II
Denuntiatores II
Inſulæ ∞ DC. alias II. ∞ DCXLIV
Domus XXCIX. alias LXXXVIII
Balineæ privatæ XV. alias XXXVI
Lacus LXXX
Horrea XVI. alias XLVIII
Piſtrina XII. alias XX
Regio in ambitu continet pedes XI. millia DC. alias XII ∞ DC

A

REGIO. XI. CIRCUS. MAXIMUS

Circus Maximus, qui capit loca CCCXXCV ∞ XII carceres, alias portæ
Templum Mercurii
Ædes Ditis patris
Ædes Cereris
Ædes Proſerpinæ
Ædes Veneris, opus Fabii Gurgitis
Ædes Portumni ad P. Æmilii olim Sublici
Porta Trigemina
Salinæ
B Apollo Cœliſpex
Ædes Portumni
Ædes Herculis Olivari, alias Hercules Olivarius
Ara maxima
Hercules Triumphalis
Templum Caſtoris vetus
Ædes Cereris
Ædes Pompeii
Ædes Portumni vetus
Obeliſci duo, jacet alter, alter erectus
Aedes Murciæ
Aedes Conſi ſubterranea
C Forum Olitorium, in eo columna eſt Lactaria, ad quam infantes lacte alendos deferunt
Aedes Pietatis in foro Olitorio
Aedes Junonis Mutatæ
Velabrum majus
Velabrum minus
Vici octo
Aediculæ totidem
Vicomagiſtri XXXVIII. alias XXXII
Curatores II
Denuntiatores II.
Inſulæ ∞ DC. alias II ∞ CD
Domus LXXXIX
D Balineæ privatæ XV
Lacus XV
Horrea XVI
Piſtrina XII
Regio in ambitu continet pedes XI ∞ DC. alias XI ∞ D

REGIO. XII. PISCINA. PUBLICA

Vicus Veneris almæ
Vicus Piſcinæ publicæ
Vicus Dianæ
E Vicus Cejos
Vicus Triari
Vicus Salientis ſigni, alias Aquæ Salientis
Vicus Laci tecti
Vicus Fortunæ Mammoſæ
Vicus Colafiti paſtoris, alias Colapeti
Vicus portæ Ruduſculanæ, alias Rauduſculanæ
Vicus portæ Næviæ
Vicus Victoris
Horti Aſiniani
Septizonium Severi
Area Radicaria
Caput viæ novæ
F Fortunæ Mammoſæ
Iſis Antenodora
Aedes Bonæ deæ Subſaxanæ
Signum Delphini
Thermæ Antoninianæ
Septem domus Parthorum
Campus Lanatarius
Domus Cilonis
Aedes Iſidis
Cohortes tres vigilum
Domus Cornifici
Privata Hadriani

Vici XXX
Ædiculæ totidem
Vicomagiſtri XLVIII
Curatores II
Denuntiatores II
Inſulæ II millia CDLXXXVI
Domus CXXVIII. alias CXIV
Balineæ privatæ XLIV
Lacus LXXX
Horrea XXVIII. alias XXVI
Piſtrina XXV. alias XX
Regio in ambitu continet pedes XII millia.

REGIO. XII. AVENTINUS.

Vicus Fidii, alias Fidei
Vicus Frumentarius
Vicus Triumviarum
Vicus Cæſeti
Vicus Valeri
Vicus Laci miliari
Vicus Fortunæ
Vicus Capitis Canteri
Vicus Trium alitum
Vicus novus
Vicus Loreti minoris
Vicus Armiluſtri
Ædes Conſi
Ædes Tatii
Vicus columnæ ligneæ
Minervæ in Aventino
Vicus Materiarius
Vicus Mundiciei
Vicus Loreti majoris
Ædes Silvani
Ædes Mercurii
Vicus Loreti majoris, ubi erat Vortumnus
Vicus Fortunæ dubiæ
Armiluſtrum. Caput
Templum Lunæ in Aventino magnum
Templum commune Dianæ
Templum, alias ædes Bonæ deæ in Aventino
Thermæ Varianæ
Templum Libertatis
Doliolum
Privata Trajani
Horrea Domitiani Aug.
Remuria
Atrium libertatis in Aventino
Mappa Aurea
Platanon
Horrea Aniceti
Scalæ Gemoniæ
Porticus Fabaria, alias Fabraria
Schola Caſſii
Templum Junonis Reginæ a Camillo dedicatum captis Veiis
Forum Piſtorium
Emporium
Templum Iſidis
Clivus publicus
Ædes Herculis & Silvani
Fons Silvani
Sepulchrum divi Tati
Area publica
Horrea Varganteii
Area Pinaria
Horreorum Galbianorum Fortunæ
Vici XIX. alias XVII
Ædiculæ totidem
Vicomagiſtri LXVIII
Curatores II
Denuntiatores II
Inſulæ II mil. CDXXCIIX
Domus CIV
Balineæ privatæ LXXIV
Lacus LXXIIX
Horrea XXXVI
Piſtrina XXX
Regio in ambitu habet pedes XVI ∞ DC. CCC.

REGIO. XIV. TRANS. TIBERIM.

Vicus Cenſori
Vicus Gemini
Vicus Roſtratæ
Vicus Longi Aquilæ
Vicus Statuæ Siccianæ
B Vicus Quadrati
Vicus Raciliani majoris
Vicus Raciliani minoris
Vicus Januclenſis
Vicus Bruttianus
Vicus Larum Ruralium
Vicus Statuæ Valerianæ
Vicus Salutaris
Vicus Paulli
Vicus Sex. Lucei
Vicus Simi publici
Vicus Patratilli
C Vicus Laci reſtituti
Vicus Sauſei
Vicus Sergi
Vicus Ploti
Vicus Viberini
Vicus Gajanarum
Ædes Furinarum cum luco Inſula
Aedes Jovis, Fauni, & Aeſculapii
Aedes Iſidis
Naumachiæ
Diæ Corniſcæ
Vaticanus
Hortus Domitii
D Horti cum domo Martialis
Janiculum
Aræ XII. Jano dedic.
Deæ Maniæ ſacellum
Balineum Ampelidis
Balineum Priſcillanæ
Statua Valeriana
Statua Sicciana
Sepulchrum Numæ
Area Vaticana
Cohortes ſeptem vigilum
Caput Gorgonis
E Templum fortis Fortunæ
Area Septimiana
Janus Septimianus
Hercules Cubans
Campus Bruttianus
Campus Codetanus
Horti Getæ
Caſtra Lecticariorum
Hippodromus
Templum Fortunæ liberum
Caſtra vetera
Lucus Publicus
Stadius Publicus
F Vici XXII
Aediculæ totidem
Vicomagiſtri LXXXVIII
Curatores II
Denuntiatores II
Inſulæ III mil. CDIX. alias CCCC ∞ CCCCV.
Domus CL
Balineæ privatæ CLXXXVI
Lacus LXXC
Horrea XXII
Piſtrina XXXII. alias XXII
Regio in ambitu continet pedes YXXIV ∞ CDXXCIX

Senacula tria, in quibus senatus haberi solitus sit
Unum inter Capitolium & forum, ubi nunc est ædes Concordiæ, ubi magistratus cum senioribus deliberant
Alterum ad portam Capenam
Tertium intra ædem Bellonæ in circo Flaminio, ubi dabatur senatus legatis exterarum nationum, quos in urbem admittere nolebant
Quartum matronarum in Quirinali Antoninus Pius Bassiani Severi filius fecit
Bibliothecæ undetriginta publicæ, ex iis præcipue duæ, Palatina & Ulpia
Obelisci magni sex
II. In circo maximo, major est pedum CXXXII
Minor pedum LXXXVIII. semis
Unus in Vaticano pedum LXXII
Unus in campo Martio pedum LXXII
Duo in mausoleo Augusti pares singuli pedum XLII. semis
In insula Tiberis unus
Obelisci parvi quadraginta duo. In plerisque sunt notæ Aegyptiorum
Circi octo, alias novem
Pontes octo
Milvius
Aelius
Aurelius, alias Vaticanus
Janiculensis
Fabricius
Cestius
Palatinus
Aimilius, qui ante Sublicius
Campi octo
Viminalis cum ædicula Fortunæ parvæ
Esquilinus
Agrippæ, ubi sunt septa Agrippiana
Martius
Codetanus
Brutanus, alias Bructanus
Lanatarius
Pascuarius, alias Pecuarius
Unus ultra Tiberim Vaticanus extra numerum Fora XVII
Romanum, quod dicitur Magnum
Cæsaris
Augusti
Boarium
Transitorium
Olitorium
Pistorium
Trajani
Ahenobarbi
Suarium, alias Syarium
Archemorium
Diocletiani
Gallorum
Rusticorum
Cupedinis
Piscarium, &
Salustii
Basilicæ XIX
Ulpia
L. Paulli in foro
Vestini
Neptunnii, alias Neptumii, alias Neptuni
Macidii, alias Matidii, alias Matidiæ
Julia
Marciana
Vascellaria, alias Vastellaria
Filicelli, alias Flofelli, alias Floffelli
Sicini, alias Sicimini
Constantiniana
Porcia, a Porcio Catone facta
L. Paulli vetus

A Argentaria
Opimiana
Æmilia
Fulvia
Mammæa
Antoniniana
Thermæ XVI
Trajani
Titi Cæsaris
Agrippæ
Syriacæ
Commodianæ
B Severianæ, alias Varianæ
Antoninianæ
Alexandrinæ
Diocletianæ
Decianæ
Constantinianæ
Septimianæ
Olympiadis
Philippianæ
Trajanæ privatæ
Thermæ publicæ
Jani Quadrifrontes XXXVI. Per omnes regiones marmoribus incrustati, & adornati insigniis militaribus, & signis
C Duo præcipui ad arcum Fabianum superior, inferiorque
Aquæ XXIV
Appia
Marcia
Virgo
Claudia
Herculea, alias Herculanea
Tepula
Damnata
Trajana
Amnia, alias Annia
D Alsia, alias Halsietina, alias Halsientina, quæ & Augusta
Cærulea
Julia
Algentiana
Cimina
Sabatina
Aurelia
Septimiana
Severiana
Antoniniana
Alexandrina
Anio novus
E Anio vetus
Albudina
Crabra
Viæ XXXI
Appia
Latina
Lavicana, alias Labicana
Campana
Prænestina
Tiburtina, vel Gabina
Collatina
Nomentana, vel Figulensis, alias Ficulnensis
Salaria
F Flaminia
Æmilia
Claudia, alias Clodia
Valeria nova, & vetus
Ostiensis
Laurentina
Ardeatina
Setina
Quinctia
Gallicana
Triumphalis

Pa-

Patinaria
Cimina
Cornelia
Tiberina
Aurelia
Caſſia
Portuenſis
Gallia
Laticulenſis, alias Janiculenſis
Flavia, &
Trajana
Capitolia II. vetus & novum
Amphitheatra II
Coloſſæ II
Columnæ coclides II
Theatra tria, alias quatuor
Macella II
Ludi ſex, alias ſeptem, alias V
Naumachiæ V alias ſex
Stadia II
Nymphea XII. alias XI. alias XV
Equi æneì inaurati octuaginta quatuor
Equi eburnei CXXIV. alias nonaginta quatuor
Equi magni viginti tres
Tabulæ & ſigna ſine numero
Arcus marmorei XXXVI
Lupanaria XLVI
Latrinæ publicæ CXLIV
Coloſſi ænei XXXVII
Marmorei LI
Vici CCCCXXIV
Ædiculæ totidem
Vicomagiſtri DCLXXII
Curatores XXIV
Inſulæ XLVI. millia DCII
Domus mill. DCCXXC

A Balinea DCCCLVI
Lacus mill. CCCLII
Piſtrina CCLIV
Portæ triginta ſeptem
Cohortes prætoriæ decem
Cohortes urbanæ ſex, alias IV
Cohortes vigilum ſex, alias ſeptem
Excubitoria XIV
Vexilla II. communia
Caſtra Peregrina
Caſtra Prætoria
Caſtra Miſenatium II
Caſtra Tabellariorum
B Caſtra Lecticariorum
Caſtra Victimariorum
Caſtra Salgamariorum
Caſtra Salicariorum
Caſtra equitum ſingulorum II
Menſæ Oleariæ LXXIV ∞ alias XXIV. millia. Lucus XIV
Veſtæ Cuperius
Viminei
Loreti minoris
Loreti majoris
Platanorum
C Querquetularius
Cuperius Hoſtiliani, alias Hoſtilianus
Cuperius ſcholæ Capulatorum
Lucus Mavorti
Vaticanus
Furinarum
Poetilinus
Lunæ in Antonino
Lucus Lucinæ, ubi Terentum

P. VICTORIS FINIS.



BARTHOLOMÆI MARLIANI
URBIS ROMÆ
TOPOGRAPHIA.

Cum Notis Ineditis

FULVII URSINI.

FRANCISCO
REGI GALLORUM
URBIS ROMÆ LIBERATORI INVICTO

B. MARLIANUS. S. D.



OMANI *illi prisci, invictiss. Rex, cum majoribus, magisque necessariis rebus animum adjecissent, hujus urbis pulchritudinem contemnere visi sunt. Posteri vero, atque ii præsertim, qui imperatorum memoria fuere, multo labore, summa arte, summaque impensa innumerabilibus, & præclarissimis, ac pæne immortalibus ædificiis eam ornavere. Quæ tametsi majori ex parte injuria temporum (ut in hominum vita nihil est perpetuum) interiere: reliquiæ tamen, ac ruinæ illorum, quæ hodie extant, adeo sunt immensæ, & mirandum in modum se extollunt, ut ab extremis orbis partibus plurimos ad sese visenda jugiter, & alliciant, & attrahant. Qui eas contemplantes, rerum magnitudine ita obstupescunt, ut ab illorum contemplatione vel inviti abscedant, contendantque fieri non posse, ut, aut civium Romanorum opera, aut regum potentia, aut ullis principum divitiis, sed vel gigantum manu, vel divina potius virtute ædificia illa fuerint excitata. Hæc igitur incredibilis tantarum rerum admiratio eo nonnullos jure optimo adduxit, ut de eis justa volumina conscriberent, animadvertentes harum rerum cognitionem exteris hominibus, quibus visendi urbem copia non est, jocunditati futuram, studiosis vero omnibus, & ad varia auctorum loca explicanda necessariam, nedum conducibilem, fore. Scripsere autem illi (quod pace ipsorum dixerim) nullo pæne discrimine vera pariter & falsa, apta atque inepta. Tamen eos, qui primi omnium hanc scribendi provinciam aggressi sunt, ob eam causam non indignos laude existimamus, quod ad plura, utilioraque invenienda, viam posteris ostendisse videmus. Nos tamen viam aliam planiorem, certioremque ingressi hanc secundam editionem eo adduximus, ut non tam de eadem re editionem, quam novum aliquod inventum præstitisse videamur. Sublatis n. aliquibus rebus, quæ minus ad operis institutum facere videbantur, adjectisque quamplurimis, sine quibus opus imperfectum videri poterat, additis etiam ipsius urbis, quorundamque insignium ædificiorum descriptionibus ad exemplar accurate expressis, id effecimus, ut unumquodque ædificium in qua parte positum fuerit, hodieque extet, facile dignosci possit. Quam ob rem hoc opus legens, Rex amplissime, urbem illam cognosces, quam ab hostibus dolo captam, crudeliter direptam, turpiter in servitutem sæpe redactam majores*

tui, tuque ipſe illorum veſtigia ſecutus, in priſtinam libertatem reſtituiſtis. Magno n. exercitu celeriter comparato invitos eos, quippe qui hanc urbem perpetuam ſibi ſedem delegerant, hinc abire coegiſti. Quod beneficium quam magnum ſit, te optime cogniturum, incredibilemque voluptatem capturum exiſtimavimus, ſi ea, quæ ſervaſti, quibus ſalutem dediſti, oculis cerneres. Et quanquam præclari hujus facinoris nulla hic ſit inſignis memoria, tamen nemo eſt, qui non ingenue fateatur, Romam plus tibi, quam Deciis, quam Camillo, quam Fabiis, quam ceteris denique civibus, qui eam conſervarunt, ſe debere. Ii enim pro patria, pro ſuis fortunis, pro conjugibus, ac liberis vitam exponere non dubitarunt: Tu vero pro aliena urbe, pro exteris civibus, pro eorum templis, aris, ac focis, ſola pietate, ſola religione tot labores ſuſtinuiſti, tot pericula ſubiiſti, tantos ſumptus feciſti, ut tuum, magis quam illorum, & majus & præclarius beneficium fuiſſe nemini ſit dubium. Quapropter Chriſtianiſſimi cognomento, quo ſummi, iidemque prudentiſſimi Pontifices majores tuos appellari voluere, jure optimo te nunc appellamus: meritoque nos hoc tibi opus dicamus, præſertim quod (ut a Re. Georgio Arminiaca Epiſcopo Ruthenenſi legato tuo accepimus) ſoles, cum a publicis negotiis, & laboribus bellicis es vacuus, de his præclaris ædificiis doctos interrogare, plurimumque horum cognitione delectari. Ex quo illud profecto apparet, quod ab omnibus fere prædicatur, te ſcilicet omni diſciplinarum genere ornatum eſſe, teque eiſdem vehementer oblectari, atque id propterea te unum ex principibus omnibus hac ætate doctis favere, eoſque ſummopere amplexari. Quo fit, ut non arbitrer (quod nonnulli putarunt) me temere feciſſe, quod te multis laboribus, & curis diſtrictum hoc munuſculo interpellaverim, quoniam accipientis, & ejuſdem prudentis idem ſemper eſt animus: dantis vero non fortunam, ſed meritum potius, & virtutem ſpectare. Tametſi de omnibus rebus tuis optime ſperamus, futurumque brevi confidimus, ut quo magis repentina, & vehemens fuerit tempeſtas, eo citius fracta furorem deponat. Præcipue quod quemadmodum Deus Opt. Max. (ut in ſacris literis legimus) pro piis regibus certare ſolitus eſt, ſic dubitandum non eſt, quin & pro te Chriſtianiſſimo Rege ſit certaturus, qui quidem ejus domicilium, ejus templa, ejus ſacra, ejus miniſtros, ſummum denique Pontificem ex faucibus, non hominum, ſed immanium ferarum ſæpenumero eripuiſti. Poſſemus hic multa alia beneficia, non in hanc ſolum, ſed in multas alias Italiæ civitates a te collata recenſere, clementiam tuam indicare, munificentiam oſtendere, ceteraſque virtutes animi eximias commemorare, verum non eſt præſentis temporis, aut loci: præſertim quod ſi efficiendum eſſet, video me id præſtare nequaquam poſſe. Quoniam (ut Pindarus in Pythiis inquit) ἀρεταὶ δ' ἀεὶ μεγάλαι πολύμυθοι. *Igitur ſatis erit quod attigimus: quo omnes probe norint, me non temere has lucubrationes tibi Regi optimo conſecraviſſe. Quæ ſi tuo judicio exactiſſimo, ſingularique prudentia longe inferiores videbuntur, non munus, ſed meum potius dantis animum conſideres, rogo. Vale.*

BARTHOLOMÆI MARLIANI

EQUITIS D. PETRI URBIS ROMÆ TOPOGRAPHIA.

CAP. I.

De Origine Urbis.



UONIAM in hac urbis deſcriptione de quibuſdam locis, & ædificiis ante urbem conditam excitatis, nonnunquam erit dicendum: operæ precium fore arbitramur, etiam de illis populis & regibus, qui tunc deinceps hanc tenuere regionem, quam paucis fieri poterit, loqui. Sic enim fiet, ut primum a quibus ædificia poſita fuerint, melius intelligamus: deinde a quam parvis initiis urbs Roma originem traxerit, ad eamque creverit magnitudinem, ut nihil illi par, aut ſecundum, in toto orbe terrarum inveniretur. Romanæ igitur urbis regionem Siculi primi omnium tenuere: antea vero habitata ne fuerit, an deſerta, nihil eſt quod affirmare poſſimus. Mox Aborigines, duce Oenotro Lycaonis filio, ex Arcadia ad inquiſitionem agri melioris ſponte huc profecti, illis expulſis, locum occuparunt. Quibus deinde Pelaſgi, & aliorum Græcorum quidam errabundi, profugique ex Theſſalia, admixti, auxilio eis ad bella cum populis finitimis fuere. Permanſerunt autem in his ſedibus uſque ad bellum Trojanum, priſcam illam Aboriginum appellationem ſervantes. Horum autem regem Saturnum fuiſſe memorant: qui cum Cretæ imperaret, habens cum Jove filio de agris contentionem, bello expulſus, in Italiam venit, & cum cultum vinearum, & falcis uſum Janum docuiſſet, ab eo in partem imperii eſt admiſſus. Ceterum Jano defuncto ad eum ſolum imperium pervenit. Annis deinde ſexaginta ante res Trojanas, ferunt Arcades ex urbe Palantio exeuntes, ſedemque duce Evandro quærentes, in hunc locum, ubi nunc Roma eſt, delatos, a Faunoque Aboriginum rege, & benigne ſuſceptos eſſe, & agri portionem accepiſſe: illoſque, colle haud procul a Tiberi electo, ſtruxiſſe caſtellum, Palantiumque a metropoli eorum in Arcadia appellaſſe. paucis vero annis interpoſitis, aliam claſſem Græcam, ducente Hercule, eandem tenuiſſe regionem: ex hiſque quoſdam miſſionem ab eo precatos, in colle, qui tunc Saturnius dicebatur, poſuiſſe ſedem. Hos Peloponenſes &, qui ex Elide profecti fuerant, Phanetas, & Epios fuiſſe comperio. Quibus nullum erat amplius deſiderium reditus, everſa eorum patria ab ipſo Hercule. Hi aliquamdiu rem ſuam ſeparatim adminiſtrarunt. Ceterum haud ita multo poſt victum, leges, ſacra cum Aboriginibus conferentes, ſicuti Arcades, & prius Pelaſgi fecerant, civitatis ejuſdem participes facti ſunt. Secunda vero ætate, poſt Herculis profectionem, Latino ex filia Fauni regnante, Æneas in Italiam venit: qui cum ſtatim prælio fuiſſet exceptus, in aciemque jam exercitum duxiſſet, ad colloquium a Latino fuit vocatus: in quo tantam ſui admirationem præbuit, ut in ſocietatem imperii receptus, Laviniaque ei in matrimonium data, gener aſcitus ſit. Hic deinde Aborigines, Trojanoſque communi nomine Latinos nominavit. Poſt hæc utriuſque bellum adverſus Turnum Rutulorum regem, propter fraudatas Laviniæ nuptias, fuit: in quo Turnus & Latinus occubuere. Quare Æneas ſoceri regnum ſuſcipiens, quarto

A imperii ſui anno, in bello adverſus Mezentium Hetruſcorum regem, e vita migravit. In cujus locum Aſcanius ejus filius ſuccedens, trigeſimo anno poſt Lavinii conſtitutionem, Albam condidit. Anno deinde octavo & trigeſimo, eo mortuo, Sylvius ejus frater, poſt mortem Æneæ ex Lavinia natus, imperium accepit, cumque undetriginta imperaſſet annos, Æneæ Sylvio filio illud reliquit: hic vero poſt unum & triginta, Latino Sylvio: Latinuſque poſt quinquaginta, Albæ: qui undetriginta illud tenuit. Poſt eum Athys quatuor & viginti regnavit annos: deinceps Capys duodetriginta: inde Capetus tredecim, & Tiberinus poſtea octo. Huic ſuccedens Agrippa quadraginta regnavit annos: Romulus deinde


B undetriginta: poſt hunc triginta & ſeptem Aventinus: qui Procæ imperium ipſum per manus tradidit. Hic viginti & tres imperavit annos, Amuliumque, & Numitorem procreavit. Amulius duos & quadraginta annos regnum, quod Numitori fratri ſeniori debebatur, haud jure occupans, Rheam ejus filiam, ne quis vindex regni ex genere Numitoris oriretur, Veſtæ ſacerdotem fecit, quæ duos pueros incerto ſtupro conceptos enixa eſt: quos Amulius exponi juſſit. Sed fortuna origini Romanæ proſpiciens, eos lupæ alendos obtulit: quæ cum ſæpius ad parvulos, veluti ad catulos, reverteretur, rem Fauſtulus paſtor animadvertit, ſubtractoſque fe-

C ræ Accæ uxori nutriendos dedit. Nomina autem pueris alteri Remo, alteri Romo ſive Romulo fuere. Adultis inter paſtores de virtute quotidiana certamina vires & pernicitatem auxere. Igitur cum latrones a rapina pecorum frequenter ſummoverent, Remus ab his captus regi offertur, criminique ei datur, quaſi greges Numitoris infeſtare ſolitus eſſet. Tunc a rege in ultionem Numitori traditur: qui adoleſcentia juvenis permotus in ſuſpicionem expoſiti nepotis adducitur: & cum eum nunc lineamentorum filiæ ſimilitudo, nunc ætas expoſitionis anxium teneret, Fauſtulus cum Romulo ſupervenit: a quo cognita origine puerorum, facta inter ipſos

D conjuratione, Amulium interficiunt, Numitorique avo regnum reſtituunt. Sequenti vero anno regni Numitoris quadringenteſimo trigeſimo ſecundo (ut tradit Cato) poſt Ilium captum, XII. Cal. Majas Romam, ubi expoſiti fuerant, condiderunt. Et quanquam, ut de tempore, ita de conditore, mira inter ſcriptores varietas exiſtit: communis tamen opinio eſt, Romulum Martis filium urbis auctorem fuiſſe. Unde Cic. *Principio*, inquit, *urbis parens Romulus non ſolum auſpicato, ſed ipſe etiam optimus augur fuiſſe traditur*. Romulum autem, non Remum, urbi nomen dediſſe ferunt: quia captatis auguriis Remus prior ſex vultures vidit, Romulus

E mox duodecim. Quæ res, cum unus tempore, alter numero certaret, bellum creavit: in quo extincto Remo, Romulus a ſe Romam denominavit.

Si hanc figuram, & ſequentes, ſecundum naturalem proſpectum attollere voluiſſemus, contigiſſet ut omnibus partibus montium, una excepta, occultatis, ædificia in ſuo ſitu locari non potuiſſent. Quapropter cum melius putaremus utilitati omnium eſſe conſulendum, quam inani pictura quoſdam oblectare, figuras ipſas planas poſuimus: curavimus tamen latera montium ſecundum illorum altitudinem ita inumbrare, ut convalles ab ipſis facile diſtinguantur.



In hac figura, atque in majori, proprium cujusque loci situm ibi esse intelligo, ubi prima ejus dictionis litera collocata est. Neque puto admonendum esse lectorem, in Divorum nominibus templi nomen subintelligi.

Cu. Ro.	*Curia Romuli.*
Cu. Hosti.	*Curia Hostilia.*
Carment.	*Carmentalis.*
D.	*Domus.*
F. Ro.	*Forum Romanum.*
Phe.	*Pheretrii.*
Ru.	*Ruminalis.*
S.	*Sepulcrum.*
Statoris.	*S. Iovis.*

CAP. II.

De urbe Romuli.

1 URBIS novæ figuram quadratam Romulum designasse auctores sunt Plutar. [2] & Dionys. Sed ut de forma certa est opinio apud scriptores, ita de ambitu, quibusve terminis finiretur, incerta & varia. Livius enim refert, *Romulum montem Palatinum primum, in quo erat educatus, munivisse*; & Gellius, *antiquum pomerium ejusdem montis radicibus terminatum*: quorum opinioni recte quadrat quod ait Cor. Tac. Capitolium, Romanumque forum a Tatio Sabinorum rege urbi additum. cujus verba sunt hæc: *Initium igitur, & quod pomerium Romulus posuerit, noscere, haud absurdum reor. Igitur a foro Boario, ubi æreum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi cœptus: ut magnam Herculis aram amplecteretur. Inde certis spatiis interjecti lapides per ima montis Palatini ad aram Consi, mox ad Curias veteres, tum ad sacellum Larium; forumque Romanum & Capitolium, non a Romulo, sed a T. Tatio additum urbi [3] creditur.* Quibus verbis conjicimus, Tatium deducto muro a saxo Carmentali in occasum, ad viam quæ nunc haud procul abest a Tiberi: inde ad circi Maximi partem extremam, ubi fuit ara Consi: [4] conversoque mox in ortum æstivum, parum ultra amphitheatrum Titi, hincque ultra forum Nervæ, & tandem ipsum murum cum altero cornu Capitolii conjungentem, Capitolium ipsum, & Palatinum montem inclusisse. Huic tamen opinioni minime videtur assentiri Strabo, cum inquit: *Prisci namque Capitolium, collemque Quirinalem sic muniere muris, ut venientibus aliunde exterius facilis foret ascensus:*

A *adeo ut T. Tatius primo adventans incursu locorum potitus sit, cum raptarum virginum ulcisceretur injuriam.* Nam si ante Tatii adventum colles hi muniti fuerunt, non oportuit ab alio, quam a Romulo, munitos esse. Hoc idem innuit Diony. cum inquit: *Romulus, & Tatius urbem statim majorem effecerunt, duos ei colles alios adjacentes, Quirinum, & Cœlium; separantesque habitationem alter ab altero in propriis locis utrique vitam agebant: Romulus quidem Palatium occupans, & montem Cœlium Palatio propinquum: Tatius vero Capitolium, quod ab initio cœperat, & Quirinalem rupem.* Si igitur
B ante Sabinorum bellum urbs Romuli cum Palatini montis radicibus terminos habebat: in amplificatione ab ipso Romulo, & Tatio facta, Capitolinus mons propius Palatio, quam Quirinalis, existens, addi prius fuerat necesse. Adde & illud: quod ipse mons Palatinus quadratam non constituisset formam, qualem fuisse a Romulo positam demonstratum est. Iccirco cum constans sit opinio, Carmentalem portam ad radices Capitolii sitam, in nova urbe a Romulo comprehensam; Liviusque in ejusdem urbis ampliatione post Romulum quid, quove tempore additum sit commemorans, nullam de Capitolio, tanquam de primæ urbis par-
C te, faciat mentionem, existimamus urbem a Corn. descriptam, T. Tatio falso attributam, Romuli esse monimentum. nec obstat quod idem Livius dicit, *Romulum primum Palatinum, in quo erat educatus, munivisse*: in eo enim verbo, *primum*, vim esse hanc opinor, ut munito prius Palatino urbem condiderit. Servius autem gram. ait, *alios dicere Romulum septem colliculos ab initio inclusisse: alios velle hos ipsos, qui nunc sunt, a Romulo inclusos, aliis tamen nominibus appellatos, quæ mutata sunt postea*: at verisimile non fit, pastores rebus adhuc angustis tantum campum in tanta hominum pau-
D citate esse complexos, cum Plut. velit mille domos tantum fuisse, Dionysiusque non plures tribus peditum millibus, & pauciores equitibus trecentis ipsis urbis conditoribus affuisse.

1. Taciti verba de initio condendæ urbis Romæ, & quod pomerium Romanum ex lib. XII. *Igitur a foro Boario, ubi æreum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi cœptus, ut magnam Herculis aram amplecteretur. Inde certis spatiis interjecti lapides, & per ima montis Palatini ad aram Consi, mox in Curia vetere, tum ad Sacellum Larium; Forumque Rom. & Capitolium non a Romulo, sed a T. Tatio additum urbi credidere. Mox pro fortuna pomerium auctum, & quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu, & publicis actis præscriptum.* Gell. l. 13. cap. XIV. *Antiquissimum*, inquit, *pomerium, quod a Romulo institutum est, Palatini montis radicibus terminabatur.*

2. Plut. in Rom. Diony. p. ant. 55.

3. *credidere.*

4. Non ad Marliani modum Tacitus quadratam urbis descriptionem reddit.

CAP. III.

De portis urbis Romuli.

URbem *treis portas habentem Romulus reliquit, aut (ut plurimis tradentibus credamus) quatuor*, inquit Plin. Sed earum nec nomina, nec locum ponit. Qui vero treis tantum a Romu-

lo relictas fuisse ferunt: eas Carmentalem, Romanam, & Pandanam appellarunt: Carmentalemque a matre Evandri, sitam sub Capitolio, inter saxum Tarpejum, & Tiberim: *& versus circum Flaminium*, ut inquit Sex. Rufus. Livius enim septimo bel. pu. loquens de vico Jugario clare docet, *Carmentalem sub Capitolio fuisse*. Sed clarius Plut. in vita Camilli: *ad Carmentalem*, inquit, *portam Pontinus contendit, ut quid ageretur, per silentium specularetur: nam huic maxime directo Capitolium incumbit*. Idem docet Solinus, his verbis: *Pars infima Capitolini montis habitaculum Carmentæ fuit: ubi & Carmentale fanum nunc est, a qua Carmentalis porta nomen est*. Eodem modo Sex. Pom. qui *templum Jani fuisse extra ipsam portam, apud theatrum Marcelli*, tradit. Huic autem portæ Sceleratæ postea nomen fuit: quod ea egressi Fabii ad Cremeram, flu. ex lacu attingente sylvas, nunc Bacchani [1] nuncupatas, orientem, omnes interfecti sint: unde idem refert, *religioni esse quibusdam porta Carmentali egredi, & in æde Jani senatum haberi: quod & ea porta Fabii egressi essent, & in ea æde S. C. factum*. Romanam autem portam prope Titi amphitheatrum fuisse innuit idem auctor, cum ait: *Romana porta instituta est a Romulo in infimo clivo Victoriæ: qui locus gradibus in quadraturam formatus est*. Appellata est autem Romana a Sabinis præcipue, quod ea proximus aditus erat Romam. Sunt tamen qui [2] Mutionem portam ibi extitisse dicunt: & quanquam Varro hanc in Palatio fuisse vult, potuit tamen accidere, quod Romulus in urbis extensione Romanam denominaverit, quæ deinde a mugitu boum, qui per eam introducebantur, sortita sit nomen portæ Mutionis, relictæ in priori pomerio. Mugionem autem alteram ab hac fuisse significat Sex. Pom. affirmans appellatam *a Mugio quodam, qui eidem tuendæ præfuit*. Videndum tamen, ne apud Var. *Mugionis* sit legendum, *a mugitu*: *Mutionis* vero apud Sex. Pom. *a Mutio* ejus portæ custode. Pandanæ autem meminit idem Var. nam cum probasset Saturnium oppidum fuisse prope Saturnium montem, sic sequitur: *Ejus vestigia nunc manent tria, quod Saturni fanum in faucibus, quod Saturnia porta, quam Junius scribit ibi, quam nunc vocant Pandanam* [3]: quæ ultima verba innuunt, Pandanam fuisse a Romulo constitutam eo in loco, ubi prius in Saturnio oppido fuerat Saturnia. Ex quibus verbis conjicimus, Pandanam portam non alibi, quam in Velabro sitam, sic appellatam, ut scribit Sex. Pom. *quia semper pateret*. Propterea fortasse novi scriptores *Liberam* etiam dixere, *quod liberum aditum in urbem jugiter præberet*. Qui vero volunt Romulum quatuor urbis portas reliquisse, quartam, Janualem nuncupatam, ad radices Viminalis fuisse dicunt. Quo cum Romuli pomerium (ut plerisque placet) non perveniret: hancque *Palatii* portam fuisse dicat Var. credimus Romulum treis tantum instituisse portas: qui numerus, in urbe adhuc parva, publico usui satisfacere posse videbatur. Hanc autem Janualem ab eventu appellatam scribit Macrob. ejus verba apposui: *Cum bello Sabinorum, quod virginum raptarum gratia commissum est, Romani portam, quæ sub radicibus collis Viminalis erat*, [4] *claudere festinarent: quia in ipsam hostes irruebant: postquam est clausa, mox sponte*

1. Nunc Bacchani. imo si legisses Antonini itinerarium, hoc vetus fuisse loci cognomen cognosceres.

2. Mugioniam portam Solinus in collect. locat supra summam viam novam. Ubi de Tarquinii Prisci domo agit. Hanc Dionysius antiquitatum 2. *πύλας μυκωνίδας* appellat a mugitu secundum Latinam consuetudinem. *μυκάω*, mugio nobis dicitur.

3. Immo *post ædem Saturni Pandanam esse* ait Varro Linguæ Latinæ.

4. quæ postea ex eventu Janualis vocata est.

A *patefacta est: cumque iterum, ac tertio idem contigisset, armati plurimi pro limine, quia claudere nequibant, Custodes steterunt. cumque ex alia parte acerrimo prælio certaretur, subito fama pertulit fusos a Tatio nostros: quam ob causam Romani, qui tuebantur, territi profugerunt. cumque Sabini per portam patentem irrupturi essent, fertur ex æde Jani per hanc portam, magnam vim torrentium undis scatentibus erupisse, multasque perduellium catervas, aut exustas ferventi aqua, aut devoratas rapida voragine, deperiisse. Ea re placitum, ut belli tempore, veluti ad urbis auxi-* B *lium profecto Deo, fores reserantur*. Piso etiam in annalibus memoriæ prodidit, *Janualem dictam ab Jano, & ideo ibi positum Jani signum, & jus institutum a Pompilio, ut esset semper clausa, nisi cum bellum foret*. Sed cum hujus dei templa plura fuisse legamus: sciendum, quod non unius modo, sed omnium fores tempore pacis claudebantur: aperiebantur autem, ut visum est, bello instante. Quo autem nomine hæc porta prius vocaretur, non satis constat.

C

CAP. IV.

De vario urbis ambitu, Regum Consulumque tempore.

URBE nova constituta, dum Romulus, quæ ad deorum religionem, hominumque jura pertinere videbantur, curaret: Romani interim alia atque alia loca appetebant, ut urbs indies amplioribus cresceret munitionibus: cum in spem magis futuræ multitudinis, quam ad id hominum quod tum erat, munirent. Nam composito Sabinorum bello, & ex duabus una facta civitate, etiam hominum copia est aucta. D Deinde Tullus rex *eversa Alba, duplicatoque ex illius ruinis civium numero, Cœlium urbi addidit, Esquiliasque*, auctore Livio, *auxit*. Ex quo conjicimus, aucto numero civium, Romanos etiam extra muros in montibus, vallibusque adjacentibus, ac foro proximioribus domos struxisse. Capto deinde Politorio, omnique multitudine Romam traducta, Ancus urbem ampliavit: novæque multitudini Aventinum concessit. Multis postea Latinis in civitatem acceptis, Janiculum quoque urbi conjunxit, ponte sublicio tunc primum facto: Quiritiumque fossam in planioribus urbis circunduxit. E Tarquinio autem Prisco, qui urbem muro cingere paraverat, defuncto, eam curam Ser. Tullius suscepit, & Viminalem, Quirinalemque quinque collibus addens, urbis ambitum ampliavit. Sed contra Livium sentire videtur Strabo, & Diony. quorum alter dixit, *Quirinalem cum Capitolio, ac Palatio ante adventum T. Tatii fuisse munitum*: alter vero, *eundem Quirinalem, & Cœlium ab eodem Romulo, & Tatio urbi additum*: ubi intelligas oportet, partem illam Quirinalis tantum esse munitam, quam junctam Capitolio Trajanus deinde, ut forum institueret, complanavit: F & in hunc sensum Diony. verba accipias velim, videlicet, Romulum, & Tatium illorum montium quasdam particulas addidisse, [1] Tulliumque regem majorem postea ambitum esse complexum: id enim Livius innuere voluit cum ait, *Esquilias auxit*. Nam si auxit, ergo pars ipsarum intra urbem fuerat recepta: nulla enim alia apparet ratio, qua dubium, quod ex varia auctorum opinione oritur, tollere possimus. Sed ad rem redeamus. Muros urbis ruderibus, vilibusque structuris ædificatos Tarquinius Superbus primus

1. Hic Livius implicatur ab antiquario.

cœpit saxis magnis formatis ad regulam extruere. Ex eo quippe tempore portæ Romuleæ paulatim, & nomen, & usum amisisse videntur: licet Carmentalis diutius suum retinuerit. Et constructio urbis Regum tempore ulterius non processit, non permittente numine, quanquam omnia circum urbem erant habitata. Nam cum antiqui vellent urbis mœnia, quæ Collinam non excedebant portam, ad Milvium pontem usque producere, Aruspices prohibuere: quia nec licebat in urbe comitia facere, nec milites legere. Hinc Cic. XIII. ad Atticum, *Sed casu*, inquit, *sermo a Capitone de urbe augenda, a ponte Milvio: Tiberim duci secundum montes Vaticanos: Campum Martium coædificari: Illum autem Campum Vaticanum fieri quasi Martium Campum*. Hinc constat Campum Martium extra urbem extitisse: sicuti etiam ostendunt verba Appiani: Ait enim, *Syllam ulterius progressum, in eo exercitum, ante urbis portas, statuisse*. Quod vero Livius dicit, *Ancum Aventinum novæ multitudini concessisse*, non propterea eum intra pomerium recepisse significat: nam primo decadis quintæ extra urbem fuisse ostendit, sic inquiens: *Ædiles extra portam Trigeminam, in Aventinum porticum silice straverunt*. & Gellius extra pomerium, cujus sunt hæc verba: *Habebat autem jus proferendi pomerii, qui Populum Rom. agro de hostibus capto auxerat. Propterea quæsitum est, ac nunc etiam in quæstione est: quam ob causam ex septem montibus, cum ceteri sex intra pomerium sint, Aventinus solus, quæ pars non longinqua, nec infrequens est, extra pomerium sit; neque id Ser. Tullius rex, neque Sylla, qui proferendi pomerium titulum quæsivit; neque postea D. Julius, cum pomerium proferret, intra effatos urbis fines incluserint. Hujus rei Messalla aliquot causas videri scripsit. Sed præter eas omneis ipse unam probat, quod in eo monte Remus urbis condendæ gratia auspicaverit, avesque irritas habuerit, superatusque a Romulo in auspicio. Idcirco, inquit, omnes, qui pomerium protulerunt, montem istum excluserunt: quasi avibus obscœnis ominosum. Sed de Aventino monte prætermittendum non putavi, quod non pridem ego in Elidis grammatici veteris commentario offendi: in quo scriptum erat, Aventinum antea, sicuti diximus, extra pomerium exclusum, post auctore D. Claudio receptum, & intra pomerii fines observatum*. Dionys. tamen commemorat, *Ancum collem hunc modice editum, & in orbem stadia* XVIII *ferme complectentem, muro cinxisse*: cui Gellium non adversari, ex verbis Strabonis satis constat, qui ait: *ne colles adeo muniti essent, incumbentia superne tanquam castella, eum clausisse*: ea puto causa, quo multitudo, quam in ipsum capto Politorio traduxerat, ab hostili incursione esset tuta: non ut observaretur intra pomerii fines, aut urbis terminos. Ideo non dixit, urbi addidit, sed muro cinxit. *Cum enim esset malis auspiciis ominosus, non totus habitabatur, sed usque ad M. Valerii, & Sp. Virginei consulatum erat publicus, ac sylvarum plenus*, ut idem Dionys. prodidit. Mœnia autem urbis Regum tempore minorem, quam nunc, orbem esse complexa, ostendit idem Strabo, his verbis: *Quem quidem locorum defectum Servius redarguit: nam supplevit ipse, adjecto Esquilino colle, & Viminali. Ea vero loca adventantibus hostibus facile poterant capi. Quocirca profundiore exterius ducta fossa, & accepto solo stadiorum sex aggerem porrexerunt super fossæ supercilio interiore, murumque cum turribus e Collina porta usque ad Esquilinam imposuerunt*. Aggerem autem, de quo Strabo meminit, Tarquinii fuisse, infra ostendemus. Fossam vero eam dicit, quam Livius *Quiritium* appellat. Si igitur in eo aggere muri cum turribus excitati erant, non dubium est, ambitum urbis angustiorem tunc, quam posterioribus temporibus fuisse: idque clarius ostendunt verba illa: *e Collina porta usque ad Esquilinam*. Quod portarum interstitium si nunc fueris dimensus, non sex, sed potius quindecim stadiorum esse, invenies. Posito igitur altero pede circini in foro Romano, quod in urbis majoris figura est, si alterum ad dictum aggerem extensum circunduxeris, urbis veteris ambitum ferme describes: nisi quod ea non omnino orbicularis erat, sed ut sequens figura tibi demonstrat.

CAP. V.

De vario ambitu urbis sub Imperatoribus.

POST Regum imperium urbs, ut numero civium, ita ambitu valde crevit: tamen usque ad Syllæ tempora ejus incrementi auctorem inveni neminem: neque ab aliquo uno eodemque tempore per totius urbis circuitum mœnia dilatata opinamur: verum ea tantum parte, quæ pro tempore addi magis opportuna, atque necessaria videbatur. Quod ex Strabone conjicere posse videmur. Postquam enim demonstravit Ancum regem Cœlium, Aventinumque urbi addidisse, subjungit: *Colles enim adeo munitos extra muros illis permittere, qui incumbentia superne castella cuperent, nequaquam recte se habebat: totum etiam explere circuitum usque ad Quirinalem minime valuit*. Quantum autem ex variis rationibus colligere licuit, ante Claudii Imp. tempora a Capena porta, usque ad Collinam, mœnia sunt ampliata: deinceps ab ipso Claudio, recepto intra pomerium Aventino; translataque porta Trigemina eo, ubi nunc est, usque ad Tiberim. Et sic sequitur, quod ait Plin. *Mœnia urbis suo tempore M. P. XIII. CC. fuisse complexa*. Quæ mensura licet hac nostra sit plus minus stadiis X major, tamen optime conveniet, si perspexeris, quod [1] Amphitheatrum Statilii Tauri intra mœnia erat inclusum. Nam muri (ut ex vestigiis apparet) exterius producebantur, ampliores que, quam nunc, fines habebant. Quod autem quidam existiment Vopiscum, quia scribit *Aurelianum muros urbis sic ampliasse, ut quinquaginta prope millia eorum ambitus teneret*, a Plin. dissentire: mirum quod non animadverterint, Vespasianum, & Aurelianum non eodem regnavisse tempore, cum CXC anni interfuerint. Eo magis ridiculum videtur, quod dum hoc dubium tollere conantur, Vopisci verba pervertunt, & loco, *murorum urbis*, *ambitum Romæ*, substituunt: atque ex jureconsultorum definitione ajunt, Plin. per *urbem* intelligere *partem tantum mœnibus clausam*: Vopiscum vero, per *Romam*, etiam *continentia ædificia*. Sed hanc verborum inversionem ut concedamus, quid deinde est, ampliare Romam, secundum istos: Nempe hunc, atque illum locum ædificiis occupare. Verum ea non principis, sed privatorum cura est. Quare arbitramur Aurelianum propagasse mœnia, hinc via Flaminia ad portam nunc Primam appellatam, distantem ab urbe, secundum mensuram, antiquam M. P. VIII. Illinc per urbis directum, & extra portam Latinam Flumentanæ oppositam ad totidem millia passus: Quæ utraque milliaria, si simul acceperis, diametrum perficies pas. ad XVI. millia: cujus diametri ambitus erit, ut ait Vopiscus, *M. P. quinquaginta*. Neque tanta urbis amplitudo tibi sit ad-

1 Amphitheatrum Castrense vocat P. Victor in Regione 5. quæ Exquilina dicitur. Hoc insuper in Exquiliis lateritium est, illud autem a Statilio factum in Campo Martio fuit, & lapideum venationibus faciendis constructum, Dion. l. VI. 312.

mirationi: siquidem Suet. memoriæ prodidit, *Neronem destinasse Ostia tenus mœnia promovere, atque inde fossa mare veteri urbi inducere*. Eutropius etiam scribit *Aurelianum ipsum muris validioribus ac laxioribus urbem sepsisse*: licet, quantum ipsos muros promoverit, non exprimat. Verum quia mœnia a Barbaris sæpe alicubi sunt aperta, & demolita, posteriores inter instaurandum orbem minorem complexos esse: & quo minori impensa ea instaurarent, ad fundamenta antiqua reduxisse, eaque majori ex parte super eisdem extare, opinamur. Quam opinionem attigit Strab. hunc in modum locutus: *Addamus & illud: qui etiam deinde ædificia quædam ex parte addiderunt, non sane potiora sua in potestate habuere: verum jactis antea fundamentis servierunt*. Instaurata autem a nonnullis urbis mœnia nemini dubium est. Magnam vero partem Arcadium, & Honorium restituisse ostendit titulus in Tiburtino lapide super portam nunc Ripæ incisus, qui est talis:

S. P. Q. R.

IMPP. CAESS. DD. NN. INVICTISSIMIS PRINCIPIBVS ARCADIO ET HONORIO VICTORIBVS AC TRIVMFATORIBVS SEMPER AVGG.

OB INSTAVRATOS VRBI AETERNAE MVROS PORTAS AC TVRRES EGESTIS INMENSIS RVDERIBVS EX SVGGESTIONE V. C. ET INLVSTRIS

MILITIS ET MAGISTRI VTRIVSQ. MILITIÆ STILICHONIS AD PERPETVITATEM NOMINIS EORVM SIMVLACRA CONSTITVIT

CVRANTE FL. MACROBIO LONGINIANO. V. C. PRAEF. VRBIS D. N. M. Q. EORVM

Animadvertendum est autem, quod versus illorum titulorum, quos propter nimiam longitudinem unico ordine, quemadmodum in marmoribus sculpti fuerant, paginæ latitudo non capiebat, in plures diviserimus, ut quatuor nostri impleant unum marmoris. Item quod si in eisdem titulis aliquid offenderis aliter scriptum, quam nunc in communi sit usu, ne illud, tanquam errorem, emendare cures: quia, ut in hoc volumine scriptum, ita in saxis incisum, invenitur. Ceterum Claudium pomerium propagasse testatur Corn. Tac. cujus verba subjeci: *Pomerium auxit Claudius more prisco, quo iis, qui protulere imperium, & terminos urbis propagare datur*. Et quos tunc Claudius terminos posuerit, facile cognitu, & in publicis actis perscriptum. Quod pomerium propagarit, constat cum ex tabula ænea in Lateranensi basilica sita, cujus rei caput hoc est:

VTIQVE EI FINES POMERII PROFERRE PROMOVERE CVM EX REPVBLICA

CENSEBIT ESSE LICEAT. ITA VTI LICVIT TI. CLAVDIO CAESARI. AVG.

GERMANICO.

tum ex lapide Tiburtino [2] effosso apud cloacam nunc ædis D. Luciæ, cujus titulus est hujusmodi:

TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CAISAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT.
VIIII. IMP. XVI. COS. IIII.
CENSOR. P. P.
AVCTIS. POPVLI. ROMANI
FINIBVS. POMERIVM
AMPLIAVIT TERMINAVITQ.

Quos vero terminos posuerit, nusquam inveni. Pomerii autem etymologia traditur a Livio sic: *Pomerium, verbi vim solum intuentes, post mœnium interpretantur esse. Est autem magis circa murum locus quem in condendis urbibus quondam Hetrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant: ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murus post id, pomerium Romani appellarunt. Et in urbis incremento semper quantum mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur*. Hactenus Livius, cui Vopisc. videtur adversari. Ait enim *Aurelianum adhibito S. C. muros urbis dilatavisse, neque tunc quicquam addidisse pomerio, sed postea: cum non liceret nisi ei, qui agri barbarici aliqua parte remp. locupletavisset, pomerium propagare*. Verum dicimus Livium loqui secundum longitudinem. Nam, quoad murorum ampliatorum circunferentiam, necessario auctis mœnibus pomerium profertur. Vopisc. vero etiam secundum latitudinem. Quæ more prisco non augebatur nisi ab eo, qui imperium propagasset. Sed terminos pomerii, non nisi Augurum jussu poni, mutari, aut restitui potuisse, innuit hic titulus:

COLLEGIVM
AVGVRVM AVCTORE
IMP. CAESARE. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F.
DIVI. NERVAE. NEPOTE
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONT. MAX. TRIB.
POT. V. COS. III. PROCOS.
TERMINOS POMERII
RESTITVENDOS. CVRAVIT

Pomerio autem, ut testatur Var. *auspicia urbana finiebantur*. Hinc Sex. Pompejus dicit, *Postmurum esse pontificale pomerium, ubi pontifices auspicabantur: dictum quasi* [3] *Pomurum id est, proximum muro*. At de hujus, & urbis ambitu tam varia est opinio, ut nemo possit singulis quibusque temporibus proprios fines cognoscere. Hinc Dionys. ait. *Si quis velit Romæ magnitudinem exquirere, nullum habebit signum certum quo cognoscatur quousque sit hæc urbs progressa, aut unde esse non amplius urbs incipiat. Descendit*, inquit Aristides, *hæc usque ad mare, ubi commune emporium, communisque omnium, quæ terra proveniunt, dispensatio. Quacunque in parte ejus urbis constiterit quis, nihil prohibet quo minus sit pariter & in medio*. Et mox: *Quidquid nunc Italiæ restat completum iri uni-*

2 Immo pro pariete domus pharmacopolæ Jacobi Scuti affixo, non inibi effosso.

3 Immo post murum, sicut post meridiem dicitur post meridianum tempus.

niver-

niversa mihi videtur, unaque futura urbs perpetua in Jonium mare protensa.

CAP. VI.

De portis generatim.

QUEMADMODUM ambitus urbis varios terminos est consecutus, eodem modo & portæ. Quarum nonnullæ in pomerii amplificatione in media urbe remanentes & usum, & nomen omisere. Multæ tamen translatæ pristinum retinuerunt. Multæ etiam interpositæ novum adeptæ sunt. Plin. autem *ætate sua XXIV eas fuisse* prodidit. Ejus verba sunt hæc: *Mœnia ejus collegere ambitu Imperatoribus Censoribusque Vespasianis, anno conditæ DCCCXXVIII, Pas. XIII. M. CC. Complexa montes septem. Ipsa dividitur in regiones XIV. [1] Compita Larum CCLXV. ejusdem spatii mensura currente a milliario in capite Romani fori statuto ad singulas portas. Quæ sunt hodie numero XXIV. ita ut XII. portæ semel numerentur, prætereanturque ex veteribus VII. quæ esse desierunt. Efficit passuum per directum XXX. M. DCCLXV. Ad extrema vero tectorum cum castris Prætoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum mensura colligit paulo amplius LXX. M. P. Quod si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari.* Hæc Plin. Cujus verba, quoniam difficilia sunt, singulatim explicabimus. Quod ambitus urbis M. P. XIII. CC. complecteretur, declaratum est. Quod ejusdem montes sint septem, ostendit Var. qui *Romam septimontium esse* dicit, & Virg. hoc carmine,

Septemque una sibi muro circumdedit arces.

Infinitaque alia hujus rei sunt exempla. In regiones autem XIV fuisse divisam indicat inscriptio sequens, quæ adhuc in Capitolio extat:

IMP. CAESARI. DIVI
TRAIANI. PARTICI. FIL.
DIVI NERVAE. NEPOTI
TRAIANO HADRIANO
AVG. PONTIF. MAXIMO
TRIBUNIC. POTEST. XX
IMP. II. COS. III. P. P.
MAGISTRI VICORUM URBIS
REGIONUM, XIIII.

Compita dicta volunt, *ubi viæ competunt. Larum* addit. Quia *in compitis anniversaria sacra fiebant*, hinc Ovidius inquit:

Compita grata lari, compita grata cani.

Ipsis attributus erat dies *Compitaliorum* appellatus: *qui quotannis concipiebatur* auctore Var. *Mensura currente*. Hic Plin. *milliarium aureum* intelligit, de quo suo loco dicemus. Ut autem intelligamus, quod ait esse hodie XXIV portas, necesse est omnia nomina portarum, apud varios auctores reperta, recensere. Quæ sunt hæc:

Carmentalis, quæ & Scelerata	
Romana	
Pandana	
Janualis	
Flumentana	
Collatina	
Collina, quæ & Quirinalis, Agonensisque	
Viminalis, quæ & Figulnensis	
Querquetulana	
Esquilina	Mutionis
Nevia	Ratumena
Cœlimontana	Saginalis
Gabiusa	Labicana
Ferentina	Raudusculа
Capena	Lavernalis
Trigemina	Salutaris
Navalis	Piacularis
Aurelia	Catularia
Fontinalis	Munutia
Triumphalis	Mugiona
Romanula	Stercoraria

Ex dicta autem portarum summa, si septem, quæ Plin. temporibus desierant (quarum quatuor sunt urbis Romuleæ, & duæ Palatii) insuperque & stercorariam Clivi Capitolini, ac Triumphalem extra urbem sitam subduxeris: reliquæ erunt XXIV. Vellem autem eos, qui XXXVII. substituere, illarum apposuissent nomina. Ratio enim illa, quod in antiquis exemplaribus ita scriptum sit, satis frivola videtur. Nam in numerorum scriptura facilis est librariorum lapsus. Neque vero difficile erit & XXXVII. & XII. quas *semel esse numerandas* dicit Plin. invenire, si quis ad nostram portarum summam addiderit: Vejentanam, Tiburtinam, Prænestinam, Valeriam, Ardeatinam, Flaminiam, Salariam, Numentanam, Appiam, Ostiensem, Portuensem, & quasdam alias, a novis scriptoribus traditas. Sed ista omnia viarum vocabula sunt: portarum enim nusquam apud idoneos auctores esse legi: licet & Procopius, improprie tamen, Collatinam, *Pincianæ*: Collinam, *Salariæ*: Esquilinam, *Prænestinæ*: Aureliam, *Pancratianæ*: & Ammianus Trigeminam, *Ostiensis* nomine appellarint. Romanulam autem, ac Mutionem Palatii fuisse portas asserit Var. his verbis: *Laurentalia ab Acca Larentia: hujus sacrificium fit in Velabro, qua in Novam viam exitur, ut ajunt quidam, ad sepulcrum Accæ, qui locus extra urbem antiquam fuit, non longe a porta Romanula.* Et alibi sic inquit: *Intra muros video portas dici, in Palatio Mutionis, a mugitu, quod ea pecus in Bucinatum antiquum oppidum exigebant, Alteram Romanulam, quæ dicta est a Roma, quæ habet gradus in Navalia ad Volupiæ Sacellum. Labicanæ* autem *portæ* meminit Plin. *Ferentinæ* Plut. Ceterarum vero Sex. Pom. Etymologia autem quatuor portarum urbis Romuli posita est. Quindecim vero, quæ nunc extare dicuntur, cum Triumphali extra pomerium sita, mox ordine satis perspicuo tradetur. Illarum autem, quarum locus ignoratur, etymologiam hic ponere, supervacaneum esse arbitramur. Animadvertendum tamen apud prædictum auctorem *Sanqualis* pro *Saginalis*, & *Anci* pro *Sangi* legi. idque ex alio loco conjicimus, ubi sic inquit: *Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia Herculi, aut Sango, qui scilicet idem est deus.* Alii *profecturi viam Herculi, aut Jano sacrificabant.* Est & Janus, secundum aliquos, Sabina lingua Sangus: de quo Plin. ait, *Lanam cum colo & fuso Tanaquilis, quæ eadem Caja Cæcilia vocata est, in templo Sangi durasse prodente se auctore M. Var.* Sed ad reliqua Plin. verba revertamur. *Efficit*, inquit, *passuum per directum XXX. M. DCCLXV.*

[1] De Laverna Arnobius, Ausonius. Acron. in Epist. Horatii. Lucretius. Plautus. & Tacitus lib. xv.

intellige urbis, suburbiique diametrum; Quem si ulterius ad omnium tectorum extrema produxeris, castraque Prætoria eris amplexatus, ejusdem diametri longitudo erit, M. P. LXX. Utervis autem horum diametrorum numerus ternarium multiplicet, suum quisque ambitum efficiet.

CAP. VII.

De situ urbis.

QUONIAM valles, locaque depressa, propter amplissimos fornices superædificatos, ita montibus æquata sunt, ut nonnullorum montium discrimen vix agnosci possit, pauca quædam erunt percurrenda, quo ipsorum divisio facile percipiatur. Viminalis igitur (ut ab eo cujus fines indiscreti maxime sunt, initium faciamus) vico Patricio, deinceps via, quæ secus Diocletiani thermas ad portam Querquetulanam tendit, ab Esquiliis dividitur: a Quirinali vero plana Suburra, & valle Quirinali, ac via quæ ab eadem valle ad portam Viminalem recta progreditur. Quirinalis vero a latere lævo pila Tiburtina, & sequenti valle a colle Hortulorum separatur. Aliqui tamen volunt (quorum opinio est probabilior) viam ad portam Collatinam ducentem, esse utriusque collis terminum. Esquilias autem via Labicana a Cœlio: Cœlium vero a Cœliolo vallis, quam perfluit rivus, qui nunc Appii dicitur: ambos denique ab Aventino via Appia disterminat. Mons Janiculus non ea tantum parte, quæ nunc mœnibus inclusa est, continetur: nam ad ædem S. Spiritus, atque ad vallem, qua laterum fornaces hodie sunt, usque pertinet. Ab ea postmodum valle montes [1] Vaticani ad pontem Milvium usque protenduntur: inter quos, & Tiberim jacens campus montium nomine Vaticanus appellatur. Reliquorum montium discrimina sequenti figura notiora sunt, quam ut expositione egeant. Si quis autem eorundem montium, & convallium, totiusve ambitus urbis longitudinem ac latitudinem scire desiderat, ex eadem figura deprehendet: dummodo non ignoret st. stadium. p. pedem in ea significare: & mensuram, quæ eidem subjecta est, octo stadiorum spatium referre: singulaque stadia pas. CXXV. pas. pedes. V. pes digitos. XVI. sive uncias XII. continere. Itaque juxta hanc rationem deprehendet, totum ambitum, qui nunc mœnibus septus est, pas. XII. M. & quingentos ferme amplecti.

Sed licet situm urbis dimensi fuerimus mensura pedis antiqui, quam in marmore incisam aliquot in locis invenimus, tamen quia deinde in æde XII. Apostolorum vidimus in suprema parte columnæ insculptum ποδῶν θ. hoc est, pedum novem, cujus columnæ longitudo in novem partes divisa cum efficiat mensuram parum ampliorem ea nostra, quam diximus; veremur ne hujus varietatis causa fuerit, quod temporis vetustate marmora detrita sint, vel ne in diversis artibus, vel temporibus, mensura variarit: igitur utriusque exemplum hic posuimus.

2. Et Romæ dicendum erat; nam Roma & urbs diverso modo capiuntur ex Jurisconsultorum sententia. Urbs enim quatenus mœnia, Roma vero quatenus ædificia prætendunt, appellatur.

1. Imo longius procurrunt colles Vaticani.

CAP. VIII.

De Portis nunc extantibus: ac primo de Flumentana.

VARIO urbis ambitu ostenso, atque antiquarum portarum nominibus generatim connumeratis, de portis nunc extantibus, deque earum etymologia locus postulat ut loquamur. *Porta Flumentana, sic appellata*, ut Sex. Pom. placet, *quod Tiberis partem ea fluxisse affirmarent*: non eo loco erat, quo nunc est porta, quæ *Populi* dicitur: alioquin Campus Martius intra pomerium fuisset inclusus: quod nemo mediocriter eruditus asserere audebit. Erat igitur ad Tiberis ripam, e regione murorum quos Ancus rex in Janiculo extruxerat. Quod innuit titulus ille, de ampliatione pomerii a Claudio, superius adductus, & Livius his verbis: *Tiberis infestiore, quam priore, impetu illatus urbi, duos pontes, ædificia multa, maxime circa portam Flumentanam, evertit*. Ad hanc portam lucum Petilinum fuisse, Livius sic testatur: *Ita prædicta die in Petilinum lucum extra portam Flumentanam, unde conspectus in Capitolium non est, concilium populi indictum.*

Post Flumentanam proximo loco est *Collatina, cui a Collatia oppido, in quod aliarum civitatum opes fuere collatæ nomen inditum esse*, scribit Sex. Pom. de ea Livius: *Collatia, & quidquid circa illam agri erat, Sabinis ademptum*. Servat quoque ætas nostra morem appellandi in Collatia quidquid e regione ejus portæ habet ager Romanus. Qui vero extra antiquam urbem Flumentanam, & hanc positam esse ajunt, mœnia, in quibus nunc est, a Belisario condita fuisse putant. Nos vero in ea sententia non sumus: sed ab eo fuisse instaurata, quæ multo tempore antea posita erant: mœnibusque a Collina porta ampliatis, Collatinam eisdem additam, vel certe ex antiquo pomerio cum Flumentana eo, ubi nunc est, translatam, Pincianamque, sicuti nunc, cœpisse appellari, a proximo Pincii senatoris palatio. Aliter enim quomodo Procopius, qui tempore ejusdem Belisarii bello Gotthico interfuit, Pincianam nominavisset, ni prius mœnia fuissent aucta: portaque ab eodem palatio prope extante nomen obtinuisset: aut quo modo Sex. Pom. qui ante Belisarium vixit, etymologiam tradere potuisset ejus portæ, quæ, secundum istorum opinionem, nondum erat.

Quirinalis tertia a Flumentana eo nomine dicta est, *quod ea in collem Quirinalem iretur, sive quod proxime esset Quirini sacellum*, ut refert Sex. Pom. Eadem *Agonalis* est dicta, eodem auctore. sic enim inquit: *Agonia, sacrificia, quæ fiebant in monte: hinc Romæ mons Quirinalis Agonis, & Collina porta Agonensis*. Quam eo nomine appellatam esse dicit, quod inundato circo Flaminio agonales ludi qui in eo celebrabantur, extra ipsam portarentur: ludosque ipsos ideo agonales esse dictos, quia locus in quo initio facti sunt, fuerit sine angulo. Constat igitur, hanc portam apud priscos hæc duo nomina obtinuisse. Ex Quirinali autem in Collinam *a collium varietate* nomen mutavisse vult Varro. Nunc porta Salaria dicitur, *a via; sic dicta, quod ea Sabini sal deferebant*. Sed quod hæc priscis temporibus via Salaria diceretur, ex eo constat, quod nulla alia est rectior euntibus in Sabinos:

nam via Numentana in eam incidit. Hujus etiam rei testis est titulus incisus in altero latere pontis Narsetis, in eadem via, qui eum pontem viæ Salariæ esse testatur. Et Cor. Tac. ingressum militum Vitellii imp. in urbem describens aperte ostendit, Collinam portam esse initium viæ Salariæ. sic enim ait: *Tertium agmen per Salariam Collinæ portæ appropinquabat*. Per hanc portam memorant Gallos Senones urbem ingressos, eamque populatos esse.

Viminalis Quirinali succedit, ejusdem nominis cum monte, in quo extat: ab eoque denominata est. Regum autem tempore in aggere Tarquinii fuisse ait Strabo, his verbis: *In aggere autem medio tertia est porta ejusdem nominis cum colle Viminali*. Tertiam autem dicit, quia Flumentana, & Collina ipsam in ordine præcederet: Collatina enim tunc non erat: quæ postea in urbis amplificatione fuit interposita. Viminali portæ nunc S. Agnetis nomen est.

Quintam, quæ nunc clausa est, licet nostræ ætatis plerique omnes Interaggerem vocarint, tamen ejus nominis nullam probabilem rationem ostendisse videntur. Nec enim ab aggere Tarquinii quam longissime ab ea posito, hoc nomen obtinuisse credendum est. Nam in angustiori ambitu urbis in medio ejus aggeris sita erat Viminalis, ut modo dictum est. Quare hanc illam esse portam crediderim, quam Plin. Querquetulanam appellat. cujus verba hæc sunt: *Lucus fageus fuit, portaque Querquetulana, in colle in quem vimina petebantur*. Si igitur in Viminali colle erat viminum sylva, a qua collis est denominatus: & ejus latitudo, relicto ambitu Vivarii, paulo plus stadiis tribus perficitur, (nam muri prius extendebantur fere recta a porta nunc S. Agnetis ad hanc ipsam clausam, ut fundamenta ostendunt) absurdum est dicere tam brevi spatio portam, quæ Interaggerem vocaretur, lacum obtinuisse inter Viminalem, & Querquetulanam: quarum alteram Strabo, alteram vero Plin. in eodem Viminali fuisse affirmant. Aliqui autem volunt, Querquetulanam in monte Cœlio stetisse, quoniam Cor. Tac. scribit, *montem istum Querquetulanum prius vocitatum*: & Sex. Pom. ait, *Nymphas Querquetulanas appellatas præsidentes Querqueto, quod genus sylvæ erat intra portam, quæ ab eo dicta sit Querquetulana*. Utcunque hoc habeat, illud affirmare possum, apud scriptorem aliquem antiquum non inveniri portam, quæ Interaggerem nominaretur.

Subit porta nunc S. Laurentii, prisco nomine Esquilina dicta. Hanc nonnulli Tiburtinam, non Esquilinam esse contendunt: ajuntque Strabonem scribere, *in campo Exquilinio duas fuisse portas, Tiburtinam, & Esquilinam: Esquilinamque inter Neviam portam, & nunc S. Laurentii positam, tunc fuisse clausam*. Sed ego neque Strabonem, neque quenquam priscorum invenio, portam Tiburtinam nominavisse. Neque verisimile fit, Strabonem Esquilinam portam clausam affirmasse, cum Cic. qui eadem ætate fuit, Cœlimontanam, Esquilinamque invicem prope sitas, apertasque fuisse ostendat. Ciceronis verba hæc sunt: *Cum ego Cœlimontana porta introiisse dixissem, responsione me inimica Esquilina introiisse homo promptissimus lacessivit*. Quod autem Livius non semel ait, *castra inter Esquilinam, Collinamque posita*, non est quod intelligas Ciceroni adversari, interque eas portas, Querquetulanam, Viminalemque non positas fuisse.

Transeamus ad Neviam, [1] hodie portam Majorem appellatam: cui *Nevii cujusdam sylva, quæ in illis fuerat locis*, fecit nomen: ut testatur Var. & Sex. Pom. Hanc nonnulli arbitrantur eandem esse cum Labicana. Nevia autem sit, quæ Major nunc dicitur, mox considerabimus. Hanc sequitur porta, non S. Joannis nuncupata, olim vero Cœlimontana, a monte in cujus margine est sita. *Quam L. Cornelio, & Q. Minutio Coss. tactam de cælo* narrat Livius. Asinariam aliqui appellavere: sed nusquam scriptum invenire est apud idoneos scriptores, quod ulla porta hoc nomine vocetur. Viæ autem Asinariæ mentionem facit Sex. Pom. quam inter Ardeatinam, Latinamque fuisse, sic ostendit: *Cato in ea, quam scribit, cum edissertavit Fulvii Nobilioris censuram, significat aquam eo nomine, quæ est supra viam Ardeatinam inter lapidem secundum, & tertium: qua irrigantur horti infra viam Ardeatinam & Asinariam, usque ad Latinam*. Cum igitur Ardeatina esset inter viam Ostiensem & Appiam, & post Appiam sequeretur Latina, oportuit inter has Asinariam positam esse. Ex quo patet portam nunc S. Joannis, viamque ab ea inchoantem, nullo modo esse Asinariam. Sed portam esse Cœlimontanam illud etiam est argumento: Quod mons ipse nullam aliam, præter hanc, habet portam. Verum hujus, & quarundam prædictarum ordo ex verbis Livii facillime apparebit: ideoque ea hic apposuimus. *Porsenna*, inquit, *primo conatu repulsus, consiliis ab oppugnanda urbe ad obsidendam versis, præsidio in Janiculo locato, ipse in plano, ripisque Tiberis castra posuit: navibus undique accitis, & ad custodiam, ne quid frumenti Romam subvehi finerent, & ut prædatum milites trans flumen per occasiones aliis atque aliis locis trajicerent. Brevique adeo infestum omnem agrum Romanum reddidit, ut non cetera solum ex agris, sed pecus quoque omne, in urbem compelleretur, nec quisquam extra portas propellere auderet. Hoc tantum licentiæ Hetruscis, non metu magis quam consilio, concessum. Namque Valerius Cos. intentus in occasionem multos simul & effusos improvisos adoriendi, in parvis rebus negligens ultor, gravem se ad majora vindicem servabat. Itaque, ut eliceret prædatores, edicit suis postera die frequentes porta Esquilina, quæ aversissima ab hoste erat, expellerent pecus: scituros id hostes ratus, quod in obsidione, & fame servitia infida transfugerent. Et sciere perfugæ indicio, multoque plures, ut in spem universæ prædæ, flumen trajiciunt. P. Valerius inde T. Herminium cum modicis copiis ad II. lapidem, Gabinia via, occultum considere jubet, Sp. Largum cum expedita juventute ad portam Collinam stare, donec hostis prætereat: inde se objicere, ne sit ad flumen reditus. Cos. alter T. Lucretius porta Nevia cum aliquot manipulis militum egressus. Ipse Cœlimontana delectas cohortes educit: bique primi apparuere hosti*. Hactenus Livius. Quibus verbis constare puto, [2] Neviam inter Esquilinam, & Cœlimontanam locum habuisse, Collinamque, ut etiam supra ostendimus esse, nunc Salariam dictam. Flumentanæ autem non meminit: [3] quia licet Hetrusci recta per Campum Martium transire potuissent, tamen quia

1 De Nævia porta non satis constat ubi ponenda sit. Victor eam in regione XII. indicat esse, cum dicit vicus portæ Næviæ.

2 Imo longe procul. vide quæ in exemplo Romæ notavimus.

3. Ergo facilius Hetrusci, quod nullo montium impedimento præpediti infra castra amnem Tyberim trajicere poterant, & ita fecisse credendum est. Tamen & si Livius id aperte minime dicat, tamen ex consulum duorum Valerii scil. & Lucretii aggressione clare indicatur Porsennæ copias infra castra ad prædam abigendam flumen tranasse. Quoniam ii primi ab iis locis unde egressi fuerant, in redeuntes hostes impetu facto irruunt. Sed antiquarium parum perspicacem Livii verba haud ab eo satis considerata fefellerunt. Siquidem Marlianus cum de his aliquando mecum non procul ab Area Floræ dissertaret, acriter contendebat supra castra Tiberim trajecisse Porsennæ milites ex hisce Livii verbis II. ab U. C. lib. Cos. jubet

inter urbis mœnia, abruptosque montes erat iter, ne in aliquod inciderent periculum, & quo propinquiore a navibus cursu ferrentur in pecus, ad eum fere Tiberis locum devenere, qui medius est inter pontem Milvium, & Anienis ostia. Quare non oportuit ad portam Flumentanam milites locare. De Viminali puto non meminisse, quia aliis portis fuerat satis, & struere insidias, & exponere pecus, ac turmas præsidiaque emittere. Sed ad reliquas tandem veniamus.

Post Cœlimontanam autem occurrit in angulo murorum, sub Cœliolo, porta nunc clausa, per quam ingreditur rivus hodie Appii dictus. Hanc *portam Gabiusam* (quam *tactam de cœlo* commemorat Livius) plerique omnes fuisse arbitrantur: sicque dictam, *quod iter aperiret in Gabios*; cujus oppidi jam diu demolīti loco, *Gallicanum* quod hodie vocant, successit.

Sequitur in Cœliolo Latina, quæ quod in Latium mitteret, obtinuit nomen; idque immutatum etiam nunc manet. Et quanquam mille ab hinc annos hoc vocetur nomine, non tamen apud idoneos auctores de ea est mentio. Verum cum Strabo *in via Latina Ferentium urbem fuisse* asserat: crediderim portam hanc eam esse, quam Plut. *Ferentinam* nominavit. Nam Romulus, inquit, *expiationibus civitates expurgavit, quas adhuc etiam Ferentinam ad portam observari tradunt*. Sic vero appellatam opinamur: quod iter ea esset, qui ad Ferentinos Hernicorum populos proficiscerentur.

Post Latinam parvo intervallo se se offert Capena: cujus etymologiam ostendit Solinus. Scribit enim *Italum regem ex Sicilia cum Syracusanis ad Janum venisse, ac ejus consilio auxilioque civitatem juxta Albam condidisse Capenam nomine, & ab ea postmodum Capenam portam denominatam*. Ser. vero Gram. aliam ponit etymologiam. Nam super eo Virgilii loco, *Lucosque Capenos*, ait: *Unde (hoc est a Capenis lucis) & porta Capena, quæ juxta Camœnas est, nomen accepit*. Asconius Pedianus etiam scribit, *extra hanc portam lucum & ædem Camœnarum fuisse*. Propterea que portam Camœnam a nonnullis olim fuisse appellatam. Hanc in via Appia esse ostendit Frontinus, commemorans *Appium viam a porta Capena Capuam usque muniendam curavisse*. Cum autem via, in qua est Septizonium Severi tendens ad portam S. Sebastiani, *via Appia* a Spartiano vocetur, Ciceroque in eadem *templum Martis*, quod fuit extra Capenam, esse dicat, non est quod dubitari possit, portam in via Appia existentem, non esse Capenam. Quam *madidam* appellavit Juvenalis: quia inter ceteras portas depresso esset loco. Sunt qui propter aquæductum ante ipsam derivatum, madidam dictam velint. At Cicero priorem opinionem comprobare videtur, cum ad Q. Fratrem inquit: *Romæ, & maxime Appia, ad Martis mira proluvies. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ, magna vis aquæ usque ad piscinam publicam*. Si quis aquæductus Appiæ causa madidam appellatam esse contendat, propter illud Mar. *Capena grandi qua pluit gutta*: non video cur idem alias portas non etiam madidas appellet, super quibus aquarum ductus, & tunc erant, & adhuc etiam extant. Neque desunt, qui a fontium ubertate *Fontinalis* huic portæ nomen ascribant. Sed de Fontinali inferius erit disceptandum. Est autem Capena quæ hodie S. Sebastiani nuncupatur. Restat ultimo loco citra Tiberim, *Trigemina denominata, quod ea contra Curiatios trigemini Horatii egressi sint*. Nam etsi in castris tunc erant, existimandum tamen est, quod ex iis prius Romam redierint, quam contra eos proficiscerentur. Hanc autem portam prope templum nunc Scholam Græcam nuncupatum, atque ad Aventini radices fuisse, facit ut credamus, quod Livius ait, *Aediles extra ipsam in Aventinum porticum stravisse*: eodemque in loco *Trigeminam* fuisse innuit, cum bello Punico secundo *incendium inter Salinas & portam Carmentalem* describit. Quod incendium omnia ædificia, quæ erant in vico Jugario sub Capitolio, comprehendit, Æquimeliumque, jacens inter rupem Tarpejam & Velabrum: mox extra Carmentalem portam per ripam Tiberis in Fortunæ, ac Matutæ templa debacchatum est. Nam Salinæ, ut suo loco ostendemus, in eadem ripa erant, infra templum nunc D. Stephano consecratum. Hujus autem portæ locum innuit etiam Frontinus, his verbis: *Ductus aquæ Appiæ habet longitudinem a capite usque ad Salinas; qui locus est ad portam Trigeminam*. Et alibi; *Cacus habitavit locum, ubi Salinæ nomen, & ubi Trigemina porta*: & cum dicat, *Rivum dictæ aquæ eductum esse in Naumachiam*, qui locus parum distat a Tiberi, non dubium est Trigeminam portam fuisse, quo loco demonstratum est. Recepto autem Aventino intra pomerium ad radices ejusdem montis, ubi primum ingrederis planiciem Testacii, translata est. hunc locum indicare videtur Livius in bello Mac. dicens, *Aediles alteram porticum extra portam Trigeminam, inter Lignarios, fecisse*. Lignarios enim in eadem planicie habitavisse, infra ostendemus. Et Plin. scribit, *extra hanc portam Po. Ro. statuam posuisse Minutio Augurino, qui ad assem precium farris redegerat*: unde videtur Po. Ro. ad Horrea publica, quæ ibidem fuerant, eam statuisse. Tandem dilatatis tertio urbis mœnibus eo, ubi nunc est, translata fuit. Quæ porta S. Pauli nunc dicitur.

In Janiculum tandem transeuntes, videamus de porta, quæ haud procul a Tiberi est, & porta Ripæ nunc vocatur. Hanc plerique omnes *Portuensem*, quod ad portum a Claudio imp. extructum ducat, appellarunt. Sed quod nomen prius obtineret, ignorare videntur. Nos vero Navalis obtinuisse affirmamus, quoniam de hac Sex. Pom. sic meminit: *Navalis porta a vicinia navalium dicta*. Quibus cum nulla alia sit proprior, Navalem esse nemini dubium esse debet.

Secundum portam Janiculi, nunc S. Pancratii, Aureliam dictam volunt, ab Aurelio viro consulari, vel ab Aurelio imp. vel a via Aurelia, quod est verisimilius: siquidem supra ostendimus nomina viarum per abusionem fere omnibus portis esse attributa. Aliqui vero ajunt viam ipsam a porta nomen accepisse. Quo autem nomine apud priscos vocaretur, non satis constat. Apud Procopium autem legimus *sepulcrum Hadriani extra portam Aureliam jactu lapidis impositum, & ne a Belisario occuparetur, Romanos utrinque deducto muro illud inclusisse, eo modo ut esset eidem portæ tanquam propugnaculum*. Quibus verbis conjicimus, Pancratianam non fuisse Aureliam: hancque sub ipso sepulcro in ripa Tiberis sitam. Dubium est autem a quo nomen adepta sit: nam ab Aurelio viro consulari non potest accepisse, quia hujus temporibus eousque mœnia non extendebantur, neque pons fuerat positus, per quem ad ipsam transitus esset. Igitur videtur ab Aurelio Imp. denominationem accepisse, qui forte eam excitavit, ne per

bet *Sp. Lartium cum expedita juventute ad portam Collinam stare, donec hostis prætereat. Inde se objicere ne sit ad flumen reditus*. Nec Livius, ex cujus verbis male ab antiquario perceptis Etruscum nemo sapiens secus portam Collinam iter fecisse judicabit, sed ab Livio dici, ut cum Lartius hostem processisse ad prædam Romani pecoris abigendam animadvertisset, tum statim cum suis se objiciat. Id quod antea Coss. eosdem fecisse constat quod eadem via, qua flumine trajecto nempe infra castra cedenti Etrusco militi occurrerunt, & mox *statim Herminius a tergo affuit ex insidiis &c.*

pontem hostibus in campum Martium esset transitus: ni mavis Aurelianum eam tunc posuisse, cum urbis ambitum propagavit. Quanquam ab eo Aurelianæ nomen erat derivandum. Si autem volumus Pancratianam ab Aurelio Cos. prius Aureliam nuncupatam, dicemus substituto nomine Pancratianæ, priori jam abolito, ab altero dictorum Imperatorum, huic apud sepulcrum Hadriani sitæ, Aureliæ nomen inditum esse. At nisi in codice Græco bibliothecæ Vaticanæ legissem duobus in locis *Αὐρηλίαν*, *Hæliam* legendum putarem, ab Hælio Hadriano, qui eam extruxerit, vel ea ratione, quam diximus, vel ad ornatum, aditumve ejusdem sepulcri. Tertiæ portæ Janiculi, in ordine omnium ultimæ, Septimianæ fuit nomen, idque etiam nunc servat. Quod a Septimio Imp. referunt B accepisse: quia Spar. ait, *ipsum excitavisse thermas in Janiculo ad portam sui nominis*. Affirmant insuper in ipsius portæ frontispicio Septimii nomen inscriptum, ibique Janum Septimianum Septimianamque aram fuisse, ac prisco nomine Fontinalem nuncupatam, id est, deabus fontium sacram. De hac Sex. Pomp. ita meminit: *Fontinalia fontium sacra: unde & Romæ Fontinalis porta*. & Livius [4] ita: *Aediles alteram porticum ad portam Fontinalem, ad Martis aram, qua in campos iter esset, perducere*. Qui autem volunt Capenam Fontinalem esse, exponunt, *in campos*, ubi pugnarunt Trigemini: qui cum valde ab urbe distarent, probabilior est ratio, ut de Vaticanis intelligamus, ex eo quod Plin. scribit, *Vitellium CC. sextertiis condidisse patinam, cui faciendæ fornax in campis C exædificata erat*: videmusque in Vaticanis etiam nunc fornaces, multamque argillam ad fictilia conficienda aptam, quod esse non constat in Campis Trigeminorum. Præterea crebrior est mentio de Vaticanis. Idem auctor, *Praxiteles*, inquit, *Jovem fecit eburneum in Metelli æde, qua Campus petitur*. Cic. [5] *Campum Vaticanum fieri quasi Martium Campum*.

4. Nota antiquarii acrimoniam, quasi vero quod in Vaticano fornaces, ut ipse appellat, nunc sunt, olim quoque fuisse consentaneum sit. Plane hic Plinium, sicut nec alios rerum scriptores, non intelligit.

5. Epist. ad Attic. x.

A Insuper Livius primo & tertio ab urbe condita, de Capena: quinto vero de bel. Mac. de Fontinali ita loquitur, ut diversas esse intelligam.

Urbis portis tandem descriptis, portæ etiam triumphalis, licet extra pomerium esset, operæ pretium fuerit locum ostendere. Pontem igitur, cujus pilarum fundamenta infra pontem Hælium cernuntur: & Portam, cujus vestigia ad intimam Tiberis ripam olim extabant: Viamque ad Cæs. obeliscum protensam, triumphali nomine appellatas esse, nonnulli opinantur, quoniam Josephus Vespasiani & Titi triumphum describens, ait, *ipsos non in Palatio majori, sed in Isidis templo nocte quievisse, transivisseque ad Octavianas ambulationes: votisque rite celebratis recessisse ad portam, quæ ab eo, quod per illam semper [6] triumphorum pompa duceretur, nomen acceperit*. Quibus verbis constat, Capenam non esse eandem, quæ Triumphalis. Nam ambulationes Aug. fuere ad Mausoleum. Fit igitur verisimile hinc per portam & pontem triumphalem eo profectum esse, ubi nunc est hospitale S. Spiritus. Suet. commemorat *quosdam Senatores censuisse Augusti funus porta Triumphali ducendum*.

CAP. IX.

De Mœnibus urbis.

MOENIA urbis nunc extantia non esse antiqua, sicuti nulli est dubium, ita multis argumentis apparet. Legimus enim partim Belisarium, partim vero nonnullos Pontifices ea instauravisse: unde variam formam obtinuisse videntur, sicut & portæ variam latitudinem. Præterea *mœnia hæc lateritia, illa vero ex saxo fuerant quadrato*, ut Livius significat, & Cassiodorus. Qui scribit *Theodoricum regem Ostrogothorum Romam tunc tenentem S. P. Q. R. cupienti mœnia partim a Visogothis aperta, partim vetustate collapsa instaurare, petentique in ipsa instauratione saxa amphitheatri humi jacentia, concessisse*.

6. Triumphalis portæ mentionem facit Tacitus lib. Annalium. 11. 4.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Capitolio.



QUONIAM superiori libro urbis situm, variumque ejus ambitum descripsimus, murisque, ac portis sumus complexi: reliquum est, ut quid, quove tempore, a quibus singulis in locis ædificatum sit, indicemus. Incipiamus igitur a Capitolio, cujus varia nomina ita refert Var. *Sunt & nomina tot montibus, quos postea urbs muris comprehendit: e queis Capitolium dictum, quod hic, cum fundamenta foderentur ædis Jovis, caput hominis inventum dicitur. Hic mons antea Tarpejus dictus, a virgine Vestali Tarpeja, quæ ibi a Sabinis necata armis, & sepulta: cujus nominis monimentum relictum, quod etiam nunc ejus rupes, Tarpejum appellatur saxum: hunc antea montem Saturnium appellatum prodiderunt*. Eam autem denominationem a Saturno, qui montem ipsum incoluit, accepisse, nemini est, dubium: & Virgilius de Ja-

D niculo & Capitolio loquens innuit, his versibus:

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem;
Janiculumque illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Saturniam fuisse ubi antiqua Roma, Janiculumque in parte ejus, testatur Plin. Et Solinus *portam Castelli, quod Herculis comites excitarunt, Saturniam appellatam esse* tradit. Hunc autem montem muris septum fuisse ostendit Livius, commemorans Tarquinium Priscum bello Sabinorum Capitolium se ædificaturum vovisse: & cum jactis fundamentis E obiisset diem, Superbum capta Pometia ex spoliis hostium absolvisse. Eo autem pulso Horatius Pulvillus consecrationem deinde obiit. Tunc ex saxo quadrato fuisse legimus, vestigiaque hoc idem ostendunt: & nos ex ejusdem Capitolii fundamentis saxa tantæ magnitudinis erui vidimus: ut vere dixerit Plin. *Sed tunc Senes aggeris vastum spatium, & substructiones insanas Capitolii mirabantur*. Limina Capitolii ænea fuere Cn. & Q. Ogulnio Aed. Cur. Tegulas æreas Catulus inauravit: quas Honorius Pont. ad ædem divi Petri tegendam transtulit, ubi nonnullæ adhuc etiam cernuntur. Capitolium turres plurimas habuisse innuit Cic.

in Catilinam: quarum nonnullas de cœlo tactas A fuisse commemorat. Per Mariana bella Scipione & Norbano Coss. igni direptum est: refecit Sylla: dedicavit Catulus: cujus nomen (ut prodidit Plut.) inter tanta Cæsarum opera usque ad Vitellium mansit: quinimmo in eo loco, ubi hodie est pub. Salis receptaculum, adhuc manet. Nam legimus:

Q. LUTATIUM. Q. F. Q. CATULUM COSS. SUBSTRUCTIONEM

ET TABULARIUM DE SUO FACIENDUM COERAVISSE. B

Arsit item Vitelliano bello, ut scribit Cor. Tac. Quod instauravisse Vespasianum asserit Suet. his verbis: *Restitutionem autem Capitolii aggressus ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit*. Tertio cum in Vespasiani morte igni consumptum esset, restitutionis curam Domitianus suscepit, ut idem auctor sic testatur: *Plurima, & amplissima opera incendio absumpta restituit, in queis & Capitolium, quod rursus arserat: sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria*. Cujus instaurationis impensa C XII. M. talentorum excessisse dicitur.

CAP. II.

De Templis Jovis Feretrii, Jovis Custodis, Vejovis, & de Curia Calabra, Senaculo, atque Asylo.

JOVIS Feretrii Templum, primum omnium Romæ consecratum, bello Cenninensium Romulus vovit, votique reus in vertice Capitolini collis, ut inquit Dionys. extruxit, eo in loco (ut plerisque omnes consentiunt) ubi nunc est Aracæli. Feretrii autem cognomen obtinuit, quod cum D Acronem ducem interfecisset, ut votum suum maxime Jovi gratum, civibusque suis jocundum efficeret, spolia ipsius ducis, fabricato ad id ferculo gerens in Capitolium ad [1] quercum pastoribus sacram, in tropæi formam fictam, hostis arma deposuerit, designans simul cum dono templo Jovis fines, cognomenque addens, Jovi Feretrio, *a feriendo hoste*, ut votis petierat, auctore Plut. Sex. vero Pom. *quod pacem ferre putaretur, cum ex ejus templo sumerent sceptrum per quod jurarent, & lapidem Silicem, quo fœdus ferirent, Feretrium denominatum* scribit. *Hoc templum cum vetustate, & incuria de-* E *tectum prolaberetur, admonitu Pom. Attici* (ut in ejus vita testatur Cor. Nepos) *reficiendum Cæs. curavit. ampliatum autem esse prius ab Anco rege* commemorat Livius. Hujus vestigia, ubi majora denum, ubi vero minora quinum pedum ætate sua adhuc extitisse, asserit Dionys. Templum Jovis Custodis Domitianus adeptus imperium excitavit, seque in sinu ipsius Jovis sacravit. Id autem ubi nunc sunt Salinæ, & ubi hodie est carcer Capitolinus appellatus, Jani templum fuisse quidam opinantur: quorum sententiæ adversatur, quod fundamenta ex saxo quadrato, & fornices F in eisdem Salinis, ac vestigia porticus foro superstantia, locum publicum ex iis, quæ mox dicemus, fuisse ostendunt. Nam & de Jano Capitolino apud antiquos scriptores nusquam legimus. Crediderim igitur hoc in loco situm fuisse Curiam Calabram, quam culmis Romulus texerat: in quam vocabatur S. P. Q. a rege Sacrificulo, ut ludorum, sacrificiorumque pernosceret diem: in ea enim *ratio sacrorum tantum gerebatur*. ut scribit Sex. Pom. De hac autem Curia meminit Var.

1. Quercus Capitolina pastoribus sacra.

cum inquit: *Primi dies mensium nominati Calendæ ab eo, quod his diebus calentur ejus mensis Nonæ a pontificibus, quintanæ an septimanæ sint futuræ, in Capitolio in curia Calabra*. Prope hanc autem fuisse Romuli Casam idem Var. est auctor. Eam humilem fuisse, ostendit Vitruvius, his verbis: *Item in Capitolio commonefacere potest, & significare mores vetustatis Romuli casa in arce sacrorum stramentis tecta*. Ad eandem autem, vel ubi illa fuerat, Senaculum stetisse innuit Livius, cum ait, *Censores porticum ab æde Saturni in Capitolium, ac super id Curiam stravisse*. Vejovis Ædem in area nunc Capitolina locum obtinuisse, hæc verba Gellii docent: *Est autem etiam ædes Vejovis Romæ inter Arcem, & Capitolium*. Mox subdit: *Cum Jovem igitur, & Dijovem a juvando nominassent: eum quoque contra Deum, qui non juvandi, sed vim nocendi haberet, (nam deos quosdam, ut prodessent, celebrabant: quosdam, ne obessent, placabant) Vejovem appellaverunt, dempta atque detracta juvandi facultate. Ejus simulacrum, quod est in æde, de qua supra dixi, sagittas tenet, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum. Quapropter eum Deum plerique Apollinem esse dixerunt. Immolaturque illi ritu humano capra: ejusque animalis figmentum juxta simulacrum stat*. Asylum templum in dicta area fuisse, significat Dionys. sic enim inquit: *Lucum umbrosum medium Capitoliique & Arcis, quod vocatur intermontium duorum quercetorum, templum Romulus constituit*. de eodem Strabo: *Romulus Asylum aperiens inter collem, & Capitolium, huc perfugientes civitate donatos designat*. & Livius: *Locum, qui nunc septus densis sentibus inter duos lucos, Asylum appellat. Ex eo finitimus populus, omnis turba, sine discrimine & servus & liber, avida novarum rerum perfugit*. Et hunc locum Ovid. attigit, his versibus:

Romulus, ut saxo lucum circundedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

Ex eo enim nemo extrahebatur. Varios autem terminos habuisse testatur Strabo, his verbis. *Templum & nunc & olim Asylum erat, cujus libertatis termini sunt mutati*. Alexander ad stadium extendit: Mitridati vero dimissa ab angulo Cerami sagitta visum est paululum ipsum stadium transcendere: Antonius huc proxime accessit, & cum eo termino urbis partem comprehendit: postea Cæs. Aug. cum id damnosum existimaret, & nihil aliud esse, quam multis malefaciendi causam exhibere, irritum fecit. Suet. de Tiberio loquens, *Abolevit*, inquit, *& vim, moremque Asylorum, quæ usquam erant*. Primi autem omnium Herculis nepotes timentes insidias illorum, quos avus, priusquam e terris migraret, afflixerat, Asylum instituisse dicuntur, hinc Statius:

Asylum herculeos fama est fundasse nepotes.

Et quia nonnulli ex quibusdam Ovidii carminibus sub rupe Tapeja Asylum stetisse volunt, quid de hac opinione sentiam, ubi de basilica Sempronii erit sermo, dicetur.

CAP. III.

De Clivo, variisque aditibus Capitolii: Domo Milonis: Porta Stercoraria, ac de Templis Jovis Tonantis, & Fortunæ.

CLIVUS autem, per quem in Capitolium fuerat ascensus, qua parte steterit, inter nostri temporis doctiores magnum est certa-

men. [1] Suet. tamen in ea, quæ vergit in Velabrum, fuisse significare videtur, ita narrans: *Gallici triumphi die Velabrum prætervehens pæne curru excussus est axe defracto, ascenditque Capitolium ad lumina XL. elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus*. Et Ovidius locum attigit, his carminibus:

Inde velut nunc est, per quem descenditis, inquit,
Arduus in valles & fora clivus erat.

Ser. tamen dum ait *Saturni templum fuisse ante clivum Capitolinum, ubi ædes Concordiæ*, innuit hunc clivum fuisse forum Romanum versus, ubi erat utraque ædes. Huic sententiæ conveniunt Cic. [2] verba sexta actione in Verrem, quæ sunt hæc: *Tamen cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent*. Nam carcerem sub Capitolio in capite fori fuisse infra ostendemus. Arcus etiam Septimii imp. inibi positus facit, ut credam aditum in hunc collem e regione ipsius quandoque stetisse; præsertim quum paucis ab hinc diebus detecta fuerit via, silicibus strata, ab area Capitolina ad eundem arcum protensa: tamen cum latitudo ejus sit pedum septem tantum, non arbitramur eum esse clivum celebrem, de quo meminit Suet. quando Capitolinum montem plures aditus habuisse affirmat Cor. Tac. quorum hic, qui ad arcum Septimii pertinet, est unus. Alium vero a Concordiæ ad Monetæ templum fuisse, Ovid. testatur, his versibus:

Candida te niveo posuit lux proxima templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus.

Tertius in urbem planam (planam dico urbem quæ hodie habitatur) ut etiam nunc, descensum præbuit: ibi enim nostra ætate detecta fuit porta marmorea. Quartus est de quo nunc agimus. *M. autem Aemilio Cos. hunc Clivum silicibus sternendum Censores curavisse*, memoriæ prodidit Livius, & Cic. *Milonem in eodem domum scutis refertam habuisse*, testatur: hæreditariam an conductam, dubium est, quia superius dixerat, nullum angiportum esse, in quo Miloni non esset conducta domus. In eodem clivo fuit porta Stercoraria nuncupata, de qua Sex. Pom. sic loquitur: *Stercus ex Aede Vestæ XVII. Cal. Julias defertur in angiportum medium fere clivi Capitolini, qui locus clauditur porta Stercoraria*. Idem scribit, *Saturnios eos dictos, qui castrum in imo clivo Capitolino incolebant, ubi Ara dicata ei deo fuerat ante bellum Trojanum*. Jovis autem Tonantis eadem apud Clivum, ubi [3] hoc tempore noxii puniuntur, posuit Augustus, quod liberatus esset periculo, cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque præcedentem exanimasset. *Cum dedicatam ædem hanc assidue frequentaret, somniavit queri Capitolinum Jovem cultores sibi abduci, seque respondisse, Tonantem pro janitore ei appositum: ideoque mox tintinabulis fastigium ædis redimivit, quod ea fere januis dependebant*, auctor est Suet. Refert Plin. Jovis Statuam exemplar æris Deliaci, quo Polycletus est usus, in hac æde fuisse: & ante ipsam Castoris, & Pollucis opus [4] Hygiæ. Quibus vero lapidibus ea ædes extructa esset, alibi sic indicat. *Inter hos primum (ut arbitror) marmoreos parietes habuit scena M. Scauri, non facile dixerim sectos, an solidis glebis positos: sicut est hodie Jovis Tonantis ædes in Capitolio*. Prope hanc ædem fuit & Fortunæ, ut testantur carmina, quæ in ejus templo Præneste quidam se legisse affirmant: quorum principium hoc:

TU QUAE TARPEIO COLERIS VICINA TONANTI
VOTORUM VINDEX SEMPER FORTUNA MEORUM

CAP. IV.

De Rupe Tarpeja, Templis Saturni, Jovis Opt. Max. Junonis, Minervæ, Juventutis, & Fidei.

RELIQUA pars montis, post Clivum, Rupes Tarpeja est dicta: ex qua damnati præcipitabantur. Hinc Cic. ad Atticum: *Quis enim audeat violare* (Brutum scilicet) *proposita cruce, vel saxo*. Et Plin. ait, Metellum ad Tarpejum raptum, ut præcipitaretur. Gellius autem scribit, eodem mortis genere etiam eum damnari solitum, qui falsum testimonium dixisse convictus esset. Dionys. vero, Rupem hanc foro superstetisse, dicit. *Duci*, inquit, *eum jussit in superstantem foro collem: est enim is collis rupes vasta, unde mos est eis dejicere adversarios*. [1] Cui opinioni ne refragari videamur, dicemus totum montem, & arcis, & Tarpejæ rupis nomine, appellari. Saturni Ædes infra hanc rupem steterat: ubi paucis abhinc annis fuerat sacellum cum turri S. Salvatoris cognomento in Ærario, sive in Statera, incumbens hospitali S. Mariæ in porticu nuncupatæ. Fuerit ne ea condita a comitibus Herculis, de qua Solinus meminit: an a T. Tatio, de qua Varro: an a Tullo rege, de qua Macrobius, incertum est quam vero Luctatium posuisse scribit Critolaus; eam esse non arbitramur. In hac autem æde fuit Ærarium, omnium primum institutum, & trutina, ejusque vestigia extitisse suo tempore testatur idem Var. Propterea non ab re nostri in Statera cognominarunt. Volunt autem Publicolam omnium primum ædem Saturni ærarium declaravisse. Et quamvis Saturnii & Opis ædem in vico Jugario fuisse, dicat Sex. Rufus, hanc tamen ipsam opinor eum intelligere: nam etsi in Capitolio erat, ipsi vico tamen subjacenti incumbebat. Dionys. Saturno Aram attribuit, secundum viam qua ex foro in Capitolium ascensus erat, sitam. Jovis Opt. Max. templum, sive Jovis Capitolini, vovit Tarquinius Priscus. Superbus deinde librarum argenti XL. M. in fundamentis impendit. Verum cum ad tectum fere opus pervenisset, consecrationem non obiit, quia tyrannide excidit. Dedicavit hoc Horatius Publicolæ collega, ut sequenti titulo habetur:

[2] M. ORATIUS CONSUL EX LEGE TEMPLUM IOVIS OPTIMI MAXIMI DEDICAVIT ANNO POST REGES EXACTOS A CONSULIBUS POSTEA AD DICTATORES QUIA MAIUS IMPERIUM

1. Hic Suet. nihil minus indicat, quam quod Marlianus affirmat.

2. Hæc Ciceronis verba sunt ex 7. in Verrem. Nihil cum Servii sententia commune habent, quæ hic Cicero indicat; immo aperte significat triumphantium pompam per forum Rom. perduci in Capitolium. Ii enim cum e foro incipiunt deflectere in Capitolium, captivos hostium duces vivos in carcerem duci jubent, neque secum ad Capitolini Jovis ducebant.

3. Suet. in Aug. ait ab Augusto in Capitolio ædem Tonantis Jovis extructam fuisse, non tamen certum ædis locum adjecit. Hinc me subit admiratio, cur antiquarius eam fuisse affirmet apud Clivum, *ubi hoc tempore*, ut ejus verbis utar, *noxii puniuntur*. Atque fortasse minus est mirandum, quod ita factus est homo hic, ut arbitratu suo temere omnia trectet.

4. *Hegiæ* apud Plin.

1. Antiquarius non hunc locum acute, ut reliqua omnia discutit, si Diis placet. de Saturni æde pugnantia scribit.

2. Livius l. VII. Nescio an usquam inscriptionem invenias, quam secutus priores antiquarios hic Marlianus apposuit.

ERAT SOLENNE CLAVI FIGENDI TRANSLATUM EST.

De hoc templo Dionyſ. meminit , his verbis : 3 *Extructum eſt autem ſuper crepidine firmatum alta , octo jugerum in circuitu , ducentorum ferme pedum unumquodque latus habens* . Eſt autem jugerum duplicatus in longitudinem actus , ut ait Plin. Is eſt in quo boves aguntur cum aratur uno impetu juſto , hoc eſt CXX. pedum . Et quia Dionyſii ætate quædam hujus templi extabant veſtigia , ſubdit : *Paucum quiddam variantem invenire poſſet aliquis eminentiam altitudine ne quindecim quidem pedibus integris : a parte quidem , qua frons meridiem ſpectat , comprehenſum triplici columnarum ordine : ab obliquis vero partibus , ſimplici : in eo tria ſunt Sacella æqualia, inter ſe communia habentia latera : medium quidem Jovis : ab utraque parte Junonis , & Minervæ : ſub una aquila , unaque velata tectura* . Hinc Auſonius ait :

Trina in Tarpejo fulgent conſortia templo .

Quod autem Dionyſ. dicit , *Super crepidine alta* , hoc ad naturalem decorem pertinet ; nam ædibus ſacris , quorum deorum maxime in tutela civitas videretur eſſe , ut Jovi , Junoni , & Minervæ , in excelſiſſimo loco , unde mœnium maxima pars conſpiceretur , areæ diſtribuebantur . auctor Vitruvius . Cur autem Tarquinius hæc numina ſub eodem tecto ſtatuerit , oſtendit Macr. his verbis : *Sed qui diligentius eruunt veritatem , Penates eſſe dixerunt , per quos penitus ſpiramus : per quos habemus corpus : per quos rationem poſſidemus . Eſſe autem medium æthera Jovem : Junonem vero imum aera , cum terra : & Minervam ſummum ætheris cacumen . Et argumento utuntur , quod Tarquinius Demarathi Corinthii filius Samothraciis religionibus myſtice imbutus , uno templo , ac ſub eodem tecto , numina memorata conjungit* . Jovem autem propter beneficia , Optimum : propter vim , Maximum Po. Ro. nominabat . auctor Cic. Jovem autem Capitolinum eundem eſſe , qui erat Opt. Max. ex eo conjicimus , quod ante hæc epitheta præponit , *Capitoline* . Erat hujus Dei templum , præter cetera ornamenta , multis ſtatuis exornatum : quarum unam auream X. pedum dicaviſſe D. Claudjum , ſcribit Trebellius . Jovis autem Imperatoris ſimulacrum in eodem templo ſtatutum fuiſſe opinamur . Sic enim Cic. inquit: *Jovem Imperatorem quanto honori in ſuo templo fuiſſe arbitramini* . Victoriæ ſtatuam ibidem fuiſſe teſtatur Plut. Et Plin. ſex pocula murrhina ex triumpho a Pompejo in urbem advecta . Libros autem Sibyllinos in dicto templo ſub terra in arca lapidea conditos eſſe , & a decem hominibus cuſtoditos , prodidit Dionyſ. Polybius vero fœdera cum Carthaginienſibus icta , perſcripta in tabulis æneis , ab Aedilibus hic conſervata . Inibi fuit pallium breve , purpureum , laneſtrum , ad quod cum Aurelianus jungeret purpureas ſuas veſtes , cineris ſpecie decoloratæ videbantur divini comparatione fulgoris . Hoc munus rex Perſarum , ab Indis interioribus ſumptum , ipſi Aureliano dediſſe perhibetur . Habuit hoc templum fiſtulas quaſdam , quibus aqua reliquis templis , ac ſedibus ſuppeditabatur , ut pro Rabirio teſtatur Cic. qui contra Rullum , & pro Domo ſua docet S. C. & orationes in eodem templo ſæpe habitas . Eo ibant novi Coſſ. ſacrificatum : quia Jovi omne debetur initium . Arſit cum ædibus , & ſacellis conjunctis Vitelliano bello , ac Titi Imp. tempore , auct. Plin. Dionyſ. & Cor. Tac. In ea autem parte Capitolii fuit , quæ plateam , nunc Montanariam dictam , deſpicit : ad radices cujus paucis ab hic annis fuerat templum S. Salvatoris , ab illo priſco Jovis templo , in Maximis cognominatum . Erat in eo Jovis templo Cella , hoc eſt, pars ſecretior templi , quam ingredi prophano non licebat . In hac fuere coronæ aureæ duæ : quarum alteram ex XX. M. Philippeis factam , Pamphyliorum legati in Curiam tulerant : alteram Carthaginienſium miſſi gratulatum ob victoriam partam adverſus Samnites . Inter hanc , & Minervæ Cellam , Jovis imperatoris ſignum collocatum fuiſſe , ait Sex. Pom. a T. Quintio Præneſte advectum ; & ante Minervæ Deos Noxios . ejus verba appoſui : *Dii Noxii appellantur tria ſigna in Capitolio ante Cellam Minervæ genibus nixa , veluti præſidentia parientium nixibus . quæ ſigna ſunt qui memoriæ prodiderint , Antiocho rege ſuperato , M. Attilium ſubtracta Po. Ro. deportaſſe , atque ubi ſunt , poſuiſſe* . In hujuſce Deæ delubro fuit tabula , in qua raptum Proſerpinæ Nicomachus pinxit . In Junonis Cella canem ex ære ſuum vulnus lambentem ſe vidiſſe aſſerit Plin. Junonis autem ſacellum fuiſſe a ſiniſtra ſacelli Jovis : Minervæ vero a dexrra oſtendit Livius , his verbis : *Lex vetuſta eſt priſcis literis verbiſque ſcripta , ut qui prætor max. ſit , clavum pangat . Fixus fuit dextero latere Jovis Opt. Max. qua Minervæ eſt templum . Eum Clavum , quia raræ per ea tempora literæ erant , notam numeri annorum fuiſſe ferunt : eoque Minervæ dicatam legem , quia numerus Minervæ inventum eſt* . Juventutis Aediculam prope Minervæ Delubrum ſteтiſſe , ſcribit Plin. idemque libro trigeſimo tertio innuit Concordiæ Templum in Capitolio ſitum fuiſſe , cum inquit : *Inciditque in tabula ærea Concordiæ ædem CIV. annis poſt Capitolinam dedicatam* . Hanc voviſſe Manlium in Gallia quidam memoriæ prodiderunt . Fidei templum apud Jovis Capitolini extitiſſe oſtendit Cic. de nat. deor. his verbis : *Qui igitur jusjurandum violat , is fidem violat : quam in Capitolio vicinam Jovis Opt. Max. (ut in Catonis oratione eſt) majores noſtri eſſe voluerunt* . Plin. *Spectata eſt* , inquit , *& in æde Fidei in Capitolio imago ſenis cum lyra puerum docentis* .

3. Aliter Græca verba apud Dionyſium ſonare videntur.

CAP. V.

De Arce : Templo Junonis Monetæ : ac de Domo T. Tatii , M. Manlii : atque de Saxo Carmentæ .

SATURNIUS mons in Arcem & Capitolium dividitur , ut paſſim apud hiſtoricos , alioſque auctores legimus . Cic. in Cat. *Vobis Arcem , & Capitolium* . Livius : *Exules & ſervi duce Appio Herdonio nocte Capitolium & Arcem occupavere* . Hæc propemodum octavam montis partem occupabat , ut ejus indicant fundamenta in ea parte, quæ ad theatrum Marcelli vergit : ad cujus radices prope ædiculam D. Andreæ in Vinciis nuncupatam , ante annos XX. inventa eſt porta marmorea , ab eaque gradus ad ipſam arcem ferentes . qua porta crediderim , Tarpejam illam Veſtalem hoſtes introduxiſſe : nam Tiberim , ad quem aquatum fuerat profecta , proxime ſpectat . Junonis Monetæ templum fuit in Arce , in ea parte , qua nunc ſunt horti Conſervatorum dicti , ut ex verbis Livii conjectura aſſequi licet , qui ſic inquit : *Damnatum Manlium de ſaxo Tarpejo dejiciunt : adjectæ mortuo notæ ſunt , publica una , quod cum domus ejus fuiſſet , ubi nunc Aedes atque Officina Monetæ , latum ad populum eſt , ne quis patricius in Arce , aut Capitolio habitaret* . Idem alibi ait. Fa-

Fabio Dorſo, & Ser. Sulpitio Coſſ. Dictatorem creatum L. Furium Camillum, Aruncanoque bello inter ipſam dimicationem hoc voviſſe templum: quod Cal. Junii dedicatum fuiſſe aſſerit Macr. de quo templo ſunt hæc Ovidii carmina:

Arce quoque in ſumma Junonis templa Monetæ
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.

Moneta a monendo eſt dicta. Cic. inquit: *Moneta a monendo*. Nam poſt cladem illam maximam a Senonibus Gallis factam, audita vox ex arce Junonis fuit, ex quo illa appellata eſt Moneta. Domus autem Manlii idem Cic. meminit pro domo ſua, cujus verba ſubjeci: *M. Manlius, cum ab aſcenſu Capitolii Gallorum impetum repuliſſet, non fuit contentus beneficii ſui gloria, regnum appetere eſt judicatus. ergo ejus domum everſam duobus locis conveſtitam videtis*. Ibidem autem fuerat antea Domus T. Tatii, ut ſcribit Solinus. In eadem arce fuit ſimulacrum Vejovis. Plin. *Nonne*, inquit, *ſimulacrum Vejovis in arce ex cupreſſo durat, a condita urbe quingenteſimo quinquageſimo primo anno dicatum*. Simulacrum argenteum Anſeris, cujus clangore arx ipſa fuerat ſervata, memoriæ cauſa ibidem fuerat collocatum. de quo Lucretius ſic cecinit:

Romulidarum arcis ſervator candidus anſer.

Et Propertius:

Anſeris & tutum voce fuiſſe Jovem.

Et Plin. *Eſt*, inquit, *& Anſeri vigil cura Capitolio teſtata defenſo per id tempus canum ſilentio proditis rebus. Quam ob rem cibaria anſerum Cenſores in primis locant*. Saxum autem Carmentæ, quod Tarpejæ rupis pars quædam eſt, deſpicit Tiberim, e regione fere pontis Senatorum.

CAP. VI.

De Templis, & quibuſdam aliis ædificiis in Capitolio extructis, quorum certus locus ignoratur.

LAPIDEM informem atque rudem coluere Romani, Terminum appellantes: cujus templum a Tatio rege dedicatum, tradit Var. Plut. vero a Numa conditum. Cum autem Tarquinius Superbus vellet Jovis Capitolini templum ædificare, cœpit captare auguriis, qui mons eſſet aptiſſimus: cumque Tarpejus ex omnibus eſſet inventus, in quo erant diverſorum numinum ſacella, actum eſt, ut exinde ad alia templa numina evocarentur ſacrificiis, quo poſſet libere & ſine periculo templum Jovis ædificare: cumque omnes Dii libenter migraſſent, Terminus, limitum Deus, abſcedere noluit. tunc de hoc ipſo ſacrificatum eſt, & deprehenſum, quod Terminus cum Jove remanens æternum urbi imperium cum religione ſignificaret. Quo loco autem colebatur, ſuper eum foramen patebat in tecto, quod nefas eſſe putarent Terminum intra tecta conſiſtere. Alii vero dicunt primam partem tecti ejus templi patuiſſe, quia ſub dio ei ſacrificabatur: & (ut ait Lactantius) *publice, quaſi cuſtodi finium Deo*. hinc Sextus Pomp. *Termino*, inquit, *ſacra faciebant, quod in ejus tutela fines agrorum eſſe putabant. Terminum qui exaraſſet, & ipſum & boves ſacros eſſe Numa ſtatuit*. Legimus autem apud D. Auguſtinum, Martem quoque & Juventam regi Deorum cedere noluiſſe: quod imperium Romanum nullum terminum eſſet habiturum, nec ſenectam ſenſurum. Mentis autem, & Veneris Erycinæ ædes in eodem Capitolio fuiſſe, teſtatur Livius, his verbis: *Interea Duumviri creati ſunt, Q. Fabius Maximus & Attilius Craſſus ædibus dedicandis: Menti Attilius: Fabius Veneri Erycinæ: utraque in Capitolio eſt*, [1] *canali uno diſcretæ*. De æde Mentis ſunt Ovid. hæc carmina:

Mens quoque numen habet, Menti delubra videmus,
Vota metu belli, perfide Pœne, tui.

Alias ædes ſacras complures in Capitolio fuiſſe, Cic. innuit, cum de templo Fidei locutus, ſic ſubdit: *Quid Opis? quid Salutis? quid Concordiæ? Libertatis? Victoriæ? quarum rerum, quia vis eſt tanta, ut ſine Deo regi non poſſet, ipſa res deorum nomen obtinuit*. Idem in Phil. Opis non ſemel meminit: ad eamque, rurſus ad Att. ait, Scipionem proavum Metelli ſtatuam cenſoriam habuiſſe. Hanc autem ædem vovit Tatius rex, auctore Var. quam Sp. Poſthumio Albino, & Q. Martio Philippo Coſſ. tactam eſſe de cœlo commemorat Livius. Fortunæ autem Primigeniæ & Obſequentis ædes in Capitolio condidit Ser. Tullius. Hanc Deam variis cognominibus a Romanis nuncupatam legimus. Nam publicam appellabant, cum reip. faveret. Maſculam, cum omnibus maribus. Muliebrem itidem, quando mulieribus. Virilem cum jam adultis. Primigeniam, cum primogenitis. Item Fortis Fortunam, quando ex inſperato adeſſet. Equeſtrem vero, quando maxima cum celeritate veniret. Obſequentem, cum ad omnia vota accederet. Parvam, ubi humilem ad maximas opes, ſummoſque honores veheret. Sejam, ubi ſegetes cæteroſque fructus feliciter ad maturitatem perduceret. Et proſperam eam dicebant, quæ ſemper propitia aſſideret. Malam vero, quæ jugiter adverſaretur. Jovis Sponſoris ædem poſuit Tarquinius Superbus, quam Poſthumius nonis Juniis dedicavit. [2] Veneri Calvæ fanum in Capitolio Romani conſtituere in honorem matronarum: quia capta urbe a Gallis deficientibus funibus ex illarum capillis eas feciſſent. Alteram ædem ibi Venerem habuiſſe, oſtendit Suet. in Calig. Veſtæ ædes in eodem colle fuit, ut ſignificat Sex. Pom. de porta Stercoraria locutus. Aram autem Jovis Piſtoris in Capitolio ſitam fuiſſe, innuit Ovid. his verſibus:

Nomine, quam precio celebratior arce tonantis.
Diſcant piſtores quid velit ara Jovis.

Bibliothecam Majorum multis columnis exornatam, Porticuſque duas, Metelli alteram, alteram Conſtantini Capitolium habuiſſe dicitur: Atriumque publicum, quod tactum eſſe de cælo teſtatur Livius. Faviſſæ, quæ ſunt loca ciſternis celliſque ſimilia, ubi reponebantur ea, quæ in templis vetuſtate erant facta inutilia, fuere in area Capitolii, Gellius & Sextus Pompejus auctores. Locumque ſacrum in eodem Capitolio fuiſſe legimus, ex quo ſumebatur verbena, qua corona-

1. Veneris Erycinæ ad portam fuiſſe Collinam Naſo in poſteriore libro de amoris remedio ſignificare videtur his verſibus:

Eſt prope Collinam templum venerabile portam.
Impoſuit templo nomina celſus Eryx.
Eſt illic Letheus amor, qui pectora ſanat,
Inque ſuas gelidam lampadas addit aquam.
Illic & juvenes votis oblivia poſcunt:
Et ſiqua eſt duro capta puella viro.

2. Veneri Calvæ ædem ab Romanis conſecratam fuiſſe Lactant. Firm. ait. lib. 1. cap. 20. At ubi tacet, antiquarius pro arbitratu ſuo hic, ubi locavit, eam fuiſſe ædem falſo conjecit. De qua æde in Matronarum honorem a Senatu excitata Romæ aliquando meminit Vopiſcus in Maximino Juniore, nec tamen ubi condita fuerit, enarrat, fol. 176. 6. in fine. Ceterum P. Victor in fori regione locavit.

bantur Feciales, & Paterpatratus fœdera facturi, vel bellum indicturi: & lapidem silicem, quem tenebant per Jovem juraturi dicentes: *Si sciens fallo, tum me Diespiter, salva urbe arceque, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem*. In eodem Capitolio S. C. haberi solitum asserit Livius, his verbis. *Eo facto, avocatam a se concionem tribunus questus, & in ordinem se coactum, ex Capitolio, ubi erat concilium, abiit.*

CAP. VII.

De Statuis, Imaginibus, & Columnis.

INTER alia multa variaque ornamenta, quibus Capitolium erat insignitum, plurimæ in eo statuæ fuere. Quas cognoscere non erit ab re alienum: siquidem eis cognitis in multorum insignium locorum cognitionem multos devenisse videmus. Harum bonam partem, sicuti columnarum, ex devictis provinciis in urbem Romani deportarunt. quod & Cic. testatur in lib. de nat. deo. qui sic ait: *Etenim fana multa spoliata, & simulacra deorum de locis sanctissimis ablata videmus a nostris*. Ingentem autem numerum fuisse, ex Cor. Tac. verbis perspicitur, quæ sunt hæc: *Sabinus undique statuas decora majorum in aditu objecit, ne hostes in Capitolium penetrarent*. Quæ etsi vera sint, perpaucas tamen videmus literis mandatas. Quæ apud varios auctores sunt repertæ, breviter commemorabo. Jovis igitur tres fuisse legimus: quarum unam de cælo tactam esse, quo tempore Pyrrhus in Siciliam trajecit, asserit L. Florus: de reliquis duabus loquitur Plin. his verbis: *Sp. Carvilius fecit Jovem, qui est in Capitolio, victis Samnitibus sacrata lege pugnantibus, e pectoralibus eorum, ocreisque, & galeis: amplitudo tanta est, ut conspiciatur a latiario Jove*. Idem: *Locras vero Jovem tonantem ante cuncta laudabilem fecit*. Herculis Averion, & Sempronius Coss. alteram, alteram Fabius Max. victis Tarentinis statuas dedicavere, quarum Livius, Plut. & Strabo meminere. Strab. verba subjeci: *Aliqua etiam Romani capto per vim oppido, ut spolia, vindicarunt, e quibus Herculis imago sublimis ex ære in Capitolio fixa est, opus Lysippi*. Apollo autem translatus a Lucullo ex Apollonia Ponti urbe XXX. cubitorum, CL. talentis factus jacet hodie in ædibus nunc Conservatorum confractus. Boni Eventus, Bonæque Fortunæ, Praxitelis opera, atque Nemesis Simulacra Capitolium decoravere: sic & Jani, dextra trecentorum, sinistra sexaginta quinque numerum, ad demonstrandum anni dimensionem, tenens. Fuere insuper in Capitolio Statuæ omnium Regum. Plin inquit: *Nullum annulum habet Romuli in Capitolio statua, nec, præter Numæ, Serviique Tullii, alia, ac ne L. quidem Bruti*. & alibi: *Primas putarem has, & Actii Navii positas ætate Tarquinii Prisci, nisi Regum antecedentium essent in Capitolio*. Statuam Scipionis, qui Antiochum devicit, cum chlamyde, ac crepundiis in eodem Capitolio fuisse, pro Rabirio refert Cicero: Syllæ vero pedestrem, & æneam in Philip. Aemilio autem Lepido puero statuam bullatam, ac prætextatam posuit Senatus, quod hostem in acie interemisset, civemque servasset. Tali honore dignus habitus est Metellus, quod ex æde Vestæ Palladium ab incendio liberavisset: sicut & Trebius, qui in ædilitate sua frumentum Po. Ro. assibus præstitit, auct. Plin. Plut. autem commemorat Fabium Max. suam ipsius statuam, equestrem, ex ære, juxta Herculem statuisse: Brutique illius, qui Tarquinios expulit, a Po. Ro. mediam inter Regum statuas, positam esse. Inibi Africani etiam fuisse, ad Atticum scribit Cic. cujus verba apposui: *At mehercle ego cum in turmam auratarum equestrium, quas hic Metellus in Capitolio posuit, animadvertissem in Serapionis subscriptione Africani imaginem, erratum fabrile putavi*. Domitianum non nisi aureas argenteasque sibi poni permisisse, scribit Suet. & Eutropius. Cornelia Gracchorum mater & ipsa tali honore digna fuit, ut Capitolio statua ei collocaretur. Scipio, de quo superius, victoriæ suæ Asiaticæ Tabulam pictam in eodem Capitolio affixit. Bocchus etiam Syllæ gratiam aucupatus triumphales imagines ibidem collocavit: inter quas inerat aureus Jugurtha ab eo Syllæ traditus. Parrhasius Ephesi natus Thesea pinxit in eodem Capitolio. In quo fuere etiam sejuges a Cn. Cornelio positi: & Clypea XII. aurata, ab Aedilibus P. Claudio, & P. Sulpitio Galba ex pecunia, qua frumentarios ob annonam compressam condemnaverant, ut tradit Livius: qui & Clypeum Martis cum imagine Asdrubalis in eodem fuisse colle, narrat, Columnamque rostratam. cujus sunt hæc verba: *In suspensa civitate ad expectationem novi belli nocturna tempestate Columna rostrata in Capitolio bello Punico tota ad imum fulmine discussa est*. Augustus victor Aegypti multa de navali certamine sustulit rostra ærea, quibus conflatis quatuor effecit columnas: quæ postea a Domitiano in Capitolio sunt positæ: quas etsi Ser. gram. suo tempore ibidem fuisse dicat, hodie tamen in Lateranensi basilica cernuntur. Hæ sunt de quibus Virgilius ait, *Surgentes ære columnæ*.

CAP. VIII.

De Tabulis publicis.

TABULAS, quibus leges & publica acta continebantur, in Capitolio fixas ac servatas esse multi testantur: quorum Cic. pro Sex. sic inquit: *Inspectantibus vobis toto Capitolio tabulæ figebantur*. Et paulo post: *Sed unum egregium de rege Dejotaro Po. Ro. amicissimo decretum in Capitolio fixum*. Et rursus Philip. tertia: *Falsas leges, & falsa decreta in æs incidenda, & in Capitolio figenda curaverit*. Et ærearum tabularum tria millia, quæ cum Capitolio flagraverant, Vespasianum investigatis exemplaribus restituenda curavisse ferunt. Et Plut. testatur, cum Clodius tabulas, quibus res in tribunatu suo gestæ continebantur, in Capitolio affixisset, Ciceronem ab exilio reversum eas vi delevisse. Rursusque Cic. in Catilinam commemorat, æra legum in Capitolio de cælo tacta, & liquefacta. Sic & tabula, quæ has leges a Romulo promulgatas continebat, servabatur.

NE QUID INAUGURATO FACIUNTO.
PATRES SACRA MAGISTRATUSQUE SOLI PERAGUNTO INEUNTOQUE.
PLEBEI AGROS COLUNTO.
SACRORUM OMNIUM POTESTAS SUB REGIBUS ESTO.
SACRA PATRES CUSTODIUNTO.
POPULUS MAGISTRATUS CREANTO.
LEGES DISCUNTO.
BELLA DECERNUNTO.
DEORUM FABULAS NE CREDUNTO.
DEOS PEREGRINOS PRAETER FAUNUM NE COLUNTO.
NOCTURNAS IN TEMPLO VIGILIAS NE HABENTO.

PARRICIDAS OMNES CAPITE PUNIUNTO.
NE QUIS PRAESENTIBUS FOEMINIS OBSCOENA VERBA FACITO.
QUISQUIS DEMISSAM AD TALOS TOGAM IN URBE HABETO.
MONSTRUOSOS PARTUS QUISQUIS SINE FRAUDE CAEDUNTO.
NE QUIS NISI PER PORTAS URBEM INGREDITOR NEVE EGREDITOR.
MENIA SACROSANCTA SUNTO.
MULIER VIRO LEGITIME CONIUNCTA FORTUNARUM ET SACRORUM SOCIA ILLI ESTO. UT DOMUSQUE ILLE DOMINUS ITA HAEC DOMINA.
FILIA UTI PATRI ITA DEFUNCTO VIRO HAERES ESTO.
ADULTERII CONVICTAM VIR ET COGNATI UTI VOLENT NECANTO.
SI VINUM BIBERIT DOMI UTI ADULTERAM PUNIUNTO.
PARENTUM LIBEROS OMNE JUS ESTO RELEGANDI VENDENDI ET OCCIDENDI.

Curatores autem fuisse hujusmodi tabularum indicat sequens titulus:

C. CALPETANUS STATIUS
SEX. METRORIUS M. PERPENNA LURCO
T. SARTIUS DECIANUS CURATORES
TABULARIORUM PUBLICORUM
FAC. CUR.

CAP. IX.

De quibusdam Statuis, aliisque rebus antiquis, quæ hodie sunt in Capitolio.

IN area Capitolina collocata est equestris Statua, ænea, M. Aurelii Antonini pii philosophi: quam ex Cœlio monte paucis abhinc annis A transferri vidimus. In Porticu vero Conservatorum est Commodi Imp. ingens caput, æneum, de quo Lampridius ita meminit. *Colossi caput depressit, quod erat Neronis, ac suum imposuit, & titulum more solito subscripsit*. Ante eandem porticum duo pari forma fluviorum simulacra seminuda visuntur, [1] Nili ac Tigris, ut nonnulli testantur: vel Anienis, & Naris, ut aliis placet. Nos autem de iis nihil certi habemus. In cavedio dictæ domus sunt marmorea signa M. Antonini de triumpho [2] Dacico, sublata ex æde D. Martinæ. E regione, sub porticu, stat templum in marmore incisum, signis perpulchre exornatum. In aula superiori, inter alia, est statua auro superfusa nudi Herculis, B dextra clavam, sinistra vero Hesperidum aurea mala tenentis. Ibidem est & Satyri statua pulcherrima. In porticu interiori prope aulam, æneum Lupæ est simulacrum, ex cujus uberibus pendent Romulus & Remus urbis conditores: de hoc Cic. sic inquit. *Tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit Romulus, quem inauratum in Capitolio parvum, & lactentem uberibus inhiantem fuisse meministis*. Hujus simulacri effigiem ideo subjecimus, ut cerneres quod Virg. & Cic. de iis testantur, quorum alter sic ait, *Ludere pendentes pueros*: alter vero, *Romulum etiam uberibus inhiantem*.

1. Nili. id neque omnino verum esse dixerim, quando ut Nilus ut fluvius effingatur de eo, qui in hortis Vatica- C nis Pontificiis visitur, apertissime declaretur.

2. Capitolinus in Philosopho: *Petiit Lucius ut secum Marcus triumpharet, & ut M. filii Cæsares vocarentur, sed Marcus tantæ fuit moderationis ut cum simul de Parthis triumphasset, tamen post Lucii mortem se Germanicum tantum vocaret, quod sibi bello proprio pepererat*. Marcus post L. fratris obitum solus remp. tenuit, & bellum Marcomannicum summis viribus gessit, & Marcomannis, Sarmatis, Vandalisque, simul & Quadis extinctis . . servitio exemit Nec non Romæ cum Commodo filio, quem jam Cæsarem fecerat, triumphavit. Marcus denique ubi omnium cum benevolentia imperasset, & modo pater, modo frater, modo filius appellaretur, XVIII. anno Imperii sui, vitæ vero LXI. diem clausit extremum. Ad hoc Marcum nullum triumphum Dacici nomine gessisse leges apud Capitolinum, sed Marcomannici.



In eadem aula cernere licet duo Signa ænea juvenili forma; alterum ftans fervi habitu, alterum nudum pueri fedentis, ac curvato corpore fpinam e planta pedis evellere conantis, non abfimilis Batto, quem Theocritus fic loquentem inducit:

Ὤσσαί μ' ὦ Κορύδων ποτὶ τῶ Διός· ἁ γὰρ ἄκανθα
Ἀρμοῖ μ' ὧδ' ἐπάταξ' ὑπὸ τὸ σφυρόν.

Hoc eft,

Afpice o Corydon per Jovem; fpina enim
Nuper me hic percuffit fub talo.

Ibidem, in templo D. Mariæ cognomento Ara cæli multæ funt columnæ, quarum quæ tertia ab ingreffu finiftrorfus occurrit, hunc habet titulum; A CUBICULO AUGUSTORUM. Eft apud eandem ædem parvus Obelifcus: & tres præterea Conftantini Imp. ftatuæ

CAP. X.

De templo Concordiæ, Senaculo, Curia: ac de Tabernis publicis.

QUONIAM defcendentibus e Capitolio primum occurrit vallis inter ipfum & Palatium, par eft ut ejus loca proximo loco annotemus. Aufpicemur autem ab omnium rerum auctrice & confervatrice Concordia: cujus Templum voviffe pofuiffeque Camillum oftendunt Ovidii carmina, quæ equuntur;

Furius antiquum populi fuperator Hetrufci
Voverat, & voti folverat ille fidem.
Caufa, quod a patribus fumptis fecefferat armis
Vulgus & ipfa fuas Roma timebat opes.

Hoc templum in foro fuiffe refert Plut. Varro autem inter Capitolium & forum: cui aftipulatur Sex. Pom. Erat enim aut in foro, aut foro proximum: nam & Val. Max. commemorat Semproniu m Afellionem pro æde Concordiæ facrificium facientem ab ipfis altaribus a creditoribus fugere extra forum coactum. Extant hujus templi porticus octo ingentes columnæ, & in epiftyliis titulus fequens:

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS
INCENDIO CONSVMPTVM RESTITVIT.

Inventus eft autem lapis in quo hujufmodi verba erant incifa:

D. N. CONSTANTINO MAXIMO
PIO FELICI AC
TRIVMPHATORI SEMPER AVGVSTO OB AMPLIFICATAM
TOTO ORBE REMPVBLICAM FACTIS CONSILIISQ.
S. P. Q. R.
AEDEM CONCORDIAE VETVSTATE COLLAPSAM IN
MELIOREM FACIEM OPERE ET
CVLTV SPLENDIDIORE
RESTITVERVNT.

Hinc ad Monetæ ædem multis gradibus afcendebatur. Verum dum Cor. Tac. dicit: *Diverfos Ca-* A *pitolii aditus invadunt, juxta lucum Afylum, & qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur*, an de his gradibus intellexerit, an de illis, qui in arcem ducebant, dubium eft: tamen propter verba illa, rupes Tarpeja, verifimilius eft, vel hos fignificare, vel Clivum publicum. In hoc autem templum per multos gradus erat afcenfus, ut ex dictis columnis conjicere poffumus: & ex verbis Cic. quæ in feptima Phil. funt pofita. ea enim hæc funt: *Occulta enim fuit eorum voluntas, judiciumque de M. Antonio, qui frequentiffimi in gradibus Concordiæ fteterunt*. In eodem templo Bedas fculptor Barton adorantem Apollinem, & Junonem fecit: B Eufranor autem Latonam puerperam, Apollinem & Dianam infantes fuftinentem: Niceratus vero Æfculapium, & Hygiam: at Pificrates Martem, Mercuriumque: Sthenis denique Cererem, Jovem, & Mercurium. In pronao ejufdem templi fuit Victoria: quæ M. Marcello Claudio & M. Valerio Coff. icta eft fulmine. De hujus templi cella Cic. Philippica tertia fic meminit: *Armatos in cella Concordiæ cum Senatum haberet incluferit*. Et Philip. quinta: *In cella Concordiæ collocari armatos, latrones, ficarios: e templo carcerem fieri*. Habebatur præterea in hoc templo & Senatus, & orationes, ut idem pro Sextio, & Lampridius teC ftantur. Sic enim Lampridius inquit: *Cum Senatus frequens in Curiam, hoc eft, in ædem Concordiæ, templum auguratum, conveniffet*. Aedem autem Concordiæ Curiam appellat, quia ibi Senatus publicas curas gerebat: Templum vero auguratum addidit, quia Senatus non poterat haberi nifi in loco per Augures conftituto, quod templum dicebatur. Non enim omnes ædes facra erant templa. Curia augurato condita erat templum: Aedes facræ non augurato conditæ templa non dicebantur, neque in illis poterat haberi Senatus, auctore Var. Qui cum duo Curiarum geneD ra fuiffe oftendit, videlicet Curiam, ubi curarent Sacerdotes res divinas, ut Curiæ veteres; & ubi Senatus humanas, ut Curia Hoftilia, apparet Curiam, & Senaculum idem effe, alterumque a Cura, alterum a Senatu, id eft, *fenioribus publicas res curantibus* dominatum. Et quia in Hoftilia res humanæ tantum curabantur, ideo alibi ait, eam effe quidem templum, fed fanctum non effe. Verum quoniam Sex. Pomp. ex Nicoftrato memoriæ prodidit, Senacula Romæ tria fuiffe. *Unum*, inquit, *ubi nunc ædes concordiæ, inter Capitolium & forum, in quo folebant magiftratus cum fenioribus deliberare: alterum ad portam Capenam:* E *tertium intra ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere nolebant, Senatus dabatur*; fignificat fuo tempore defiiffe S. C. fieri in Concordiæ templo, alioquin *folent*, non *folebant*, dixiffet: & templum, non ædem appellaviffet. Ejus enim verba innuunt, Senaculum diverfis temporibus variis in locis inftitutum. Sed nec te moveat, quod cum ipfe tria Senacula tantum commemorarit, nos quartum ex verbis Cor. Tac. in Capitolio fuiffe oftenderimus, Varroque fupra Græcoftafim, quintum. Nam plerique augent: plerique mutant nomina: & in tam F multis feculis, in tanta etiam rerum varietate, nomina, locaque, & numerus ipforum fæpe eft mutatus. Sub Concordiæ autem templo in capite fori, dum foffores altius terram moliuntur, invenere locum, cujus antæ cum epiftyliis marmoreæ efficiebant veluti porticum, vel apothecas tres, in quibus confifterent, qui publica acta notarent, ac publicarent; ut ex titulis conjicimus. Nam uno [1] epiftylio, interiori parte, legimus hunc:

1. In fumma via facra hæc inventa funt meis temporibus.

A C. AVILIVS LICINIVS TROSIVS CVRATOR
SCHOLAM DE SVO FECIT
BEBRYX AVG. L. DRVSIANVS A. FABIVS XANTHVS. CVR. SCRIBIS. LIBRARIIS. ET PRAECONIBVS AED. CVR. SCHOLAM
AB INCHOATO REFECERVNT MARMORIBVS ORNAVERVNT VICTORIAM AVGVSTAM ET SEDES AENEAS ET CETERA ORNAMENTA
DE SVA PECVNIA FECERVNT.

B Extra vero in eodem epistylio erat hic titulus.

BEBRYX AVG. L. DRVSIANVS A. FABIVS XANTHVS CVR. IMAGINES ARGENTEAS DEORVM SEPTEM POST DEDICATIONEM SCHOLAE
ET MVTVLOS CVM TABELLA AENEA DE SVA PECVNIA DEDERVNT.

Ibidem autem effossus est Cippus, super quo Stilichonis statuam fuisse innuit sequens inscriptio in eo incisa:

C [2] FL. STILICHONI V. C.
FLAVIO STILICHONI INLVSTRISSIMO VIRO
MAGISTRO EQVITVM PEDITVMQVE
COMITI DOMESTICORVM TRIBVNO PRAETORIANO
ET AB INEVNTE AETATE PER GRADVS CLARIS-
SIMAE MILITIAE AD COLVMEN GLORIAE
SEMPITERNAE ET REGIAE ADFINITATIS EVECTO
D PROGENERO DIVI THEODOSI COMITI DIVI
THEODOSI AVGVSTI IN OMNIBVS BELLIS
ATQVE VICTORIIS ET AB EO IN ADFINITATEM
REGIAM COOPTATO ITEMQVE SOCERO D N
HONORI AVGVSTI APHRICA CONSILIIS EIVS
EX PROVISIONE LIBERATA EX S. C.

E

CAP. XI.

De Templis Jovis Statoris, & Vestæ, ejusque Luco: ac de Regia Numæ, & Domo Tarq. Superbi.

JOVIS Statoris Templum fuit in radice Palatii, apud ædiculam nunc D. Mariæ Liberatricis: ubi spondæ murorum altissimæ cernuntur. Conditum autem fuit a Romulo, qui illud in bello Sabinorum vovit, ut habetur apud Livium, cujus verba adjeci: *Jupiter tuis avibus jussus hic, in Palatio prima urbi fundamenta jeci: Arcem jam scelere emptam Sabini habent, inde huc armati superata valle media tendunt.* F *At tu pater deum hominumque hinc saltem arce hostes, deme terrorem Romanis, fugamque fœdam siste. Hic ego tibi templum Statori Jovi, quod monimentum sit posteris tua præsenti ope servatam urbem esse, voveo.* Hujus templi locum innuit Cic. cum, priusquam in exilium iret, immortalem Jovem his precatus est verbis: *Teque,*

2. Est id nunc in ædibus quas Andreas de Valle Cardinalis extruxit, quæque hodie hæreditario jure sunt Cancelli Capranici.

Jupiter Stator, quem vere hujus imperii Statorem majores nostri nominaverunt: cujus in templo hostilem impetum Catilinæ repuli a muris: cujus templum a Romulo victis Sabinis in Palatii radice cum victoria est collocatum, oro atque obtestor, ferte opem pariter reip. cunctæque civitati, meisque fortunis. Idem sentit Ovid. his versibus:

Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora jugi.

In eodem templo non modo conciones, sed & S. C. sæpe agebantur: ut idem Cic. in Catilinam, pro lege agr. & sæpe alias testatur. Quod vero Livius commemorat, templum Jovis Statoris votum bis bello Samnitico, & in pugna ad Luceriam, intelligendum esse videtur de eo instaurando, ætate vel incendio consumptum: vel certe de aliis Jovis Statoris templis, quæ deinde posita fuerint eo in loco, ubi pugnatum est. Hoc autem incendio Neronis exustum esse, scribit Cor. Tac. Et ante ipsum positam esse Domum Tarquinii Superbi asserit Plin. hisce verbis: *Annius fecialis posuit sibi statuam equestrem, quæ fuerit contra Jovis Statoris ædem, in vestibulo Superbi domus.* Templum autem Vestæ fuisse, ubi nunc ædes D. Mariæ de gratiis, innuit Dionys. Quod etiam conjicimus ex verbis Plut. quæ sunt hæc: *Restitere Romani quo nunc loco Jovis Statoris situm est templum. ita confertissimo agmine Sabinos adorti fundunt, fugantque, & usque ad locum, Regiam nunc dictum, ac templum Vestæ palantes agunt.* Etenim si Romani ad radices Palatii restitere, factoque impetu Sabinos, qui ex Capitolio descenderant, ad Vestæ templum fugarunt: oportuit templum ipsum fuisse prope Capitolium, non sub [1] Palatio, ut quidam somniarunt. Huic nostræ opinioni suffragatur etiam Livius, sic locutus: *M. Cœditius de plebe nuntiavit tribunis, se in Nova via, ubi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ, vocem noctis silentio audisse clariorem humana: quæ magistratibus dici juberet, Gallos adventare.* Novam enim viam per mediam dictam vallem, sive per vicum Thuscum protensam esse, paulopost ostendemus: quam non video esse posse supra ædem Vestæ, si erat, ut isti volunt, sub Palatio. Condita autem fuit a Romulo, ut infra demonstrabimus. de hac Ovid. sic meminit: *

Hic locus est Vestæ, qui Pallada servat, & ignem:
Hic fuit antiqui Regia parva Numæ.

Plut. etiam ædem hanc prope Numæ Regiam, atriumque locatam esse voluit: Quod non animadvertit Servius, qui scribit ædem ipsam fuisse atrium Numæ. Lucus autem Vestæ erat prope Statoris templum, a [2] Palatii radice in Novam viam devexus. Ex quo luco, ante urbem captam, exaudita vox est, ut muri & portæ reficerentur: Futurum esse, nisi provisum esset, ut Roma caperetur, auctor Cic. de Div. Ubi lucus fuerat, cum effossa sint sepulcra, putarunt quidam ibi fuisse Vestæ templum. Quasi vero priscis temporibus in templis cadavera sepelirentur: quod tantum abest a vero, ut ne intra urbem quidem, nisi Vestalium, conderentur. quin ea efferri jus non erat, nisi nocturno

1. Immo sub Palatio, si lucum sacrum consideres ex Cicer. Orat. de Divin. Nam lucus & templum Vestæ erant simul, ex eodem Cicerone.

* Dionys. multo aliter, siquidem id a Numa conditum scribit.

2. Cic. de Divinat. quod si sic est, forum erit eo in loco ubi planities est intra Palatium & Capitolium. Contra Cic. de legib. Lege Giraldum.

tempore, ne illorum aspectu sacra polluerentur. Fit igitur verisimile sepulcra illa in eodem stetisse luco, & non in templo.

CAP. XII.

De Templo Quirini: & de Lupercali, & ficu Ruminali.

TEMPLUM [1] Quirini, Dorica (ut inquit Vitruvius) structura, fuit ubi nunc ædes D. Theodori. de quo videtur intellexisse Dionys. cum de Lupercali sic loquitur: *Ostenditur secundum viam, qua itur ad Circum, templumque ei proximum, in quo est lupa præbens pueris duobus ubera, antiquæ operæ, simulacra ærea.* Plin. etiam de eodem ita meminit: *Inter antiquissima namque delubra habetur Quirini, hoc est, ipsius Romuli: sacræ myrti fuere duæ ante ædem ipsam per longum tempus, altera Patricia appellata, altera Plebeja.* Prope hoc templum fuit Lupercal, hoc est, spelunca in qua de capro luebatur: unde Lupercal dictum volunt. Alii vero dicunt, quod ibi lupa infantes nutriverit: alii lucum esse sacratum Pani deo Arcadiæ, cui mons Lycæus est sacratus: Lycæumque Pana nuncupatum, quod λύκους, non sinat in oves sævire: ideoque Evandrum sacrasse locum, Lupercalque nominavisse. Aliorum fama est Lupercalium morem a conditoribus urbis originem traxisse. Facto enim sacrificio, tunc cum lætitia exultantes, quod his Numitor eo in loco, ubi educati erant, urbem condere permiserat, cæsisque capris epularum hilaritate, ac vino largiore provecti, cuncti ovinis pellibus immolatarum hostiarum jocantes gestierunt. Verum, ut de etymologia, ita de loco varia est opinio. Ser. enim in Circo fuisse sic ait: *Rumon Tiberis dictus est: unde ficus Ruminalis, ad quam ejecti sunt Romulus & Remus, quæ fuit ubi nunc Lupercal; hac enim labebatur Tiberis, antequam Vertumno factis sacris averteretur.* Quod Tiberis (ut ait) per Circum laberetur, caret ratione, quia Aventinus ad alteram fluminis ripam esset relictus, nec sequeretur, quod narrat Livius, Herculem trajecisse Tiberim, ac dum fessus procubuisset, Cacum boves furatum in speluncam in Aventino existentem, eos traxisse. Præterea idem Ser. [2] eodem in loco Lupercal, & ficum Ruminalem fuisse vult: cum Lupercal fuerit, ut dixi, ubi D. Theodori est ædes, ficus vero Ruminalis in Comitio. quod probatur ex Cor. Tac. verbis, quæ subjecimus: *Eo anno, quo certatum est inter Hermunduros & Cattos, rumularem arborem in Comitio, quæ supra octingentos & quadraginta annos Romuli Remique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & arescente trunco diminutam, prodigii loco habitum: donec in novos fœtus reviviseeret.* Si autem volumus, quod ait Livius, pueros in proxima alluvie expositos, ubi ficus Ruminalis, secundum Tacitum dicemus, Fluvium forum Ro. alluisse, ferentesque illos in prima exposuisse alluvie. Verisimilius tamen est secundum Dionys. apud Lupercal expositos esse, nutritos vero ad arborem: quod innuit idem Tacitus, cum ait: *Texit infantiam Romuli & Remi.* aut *fluitante scapha in Comitium delatos*, secundum Var. & L. Florum, qui dicit *repertos ad arborem*: quam non fuisse, ubi Lupercal, ostendit Plut. his verbis: *Locum Germalum vocant, sed pridem Germano nomen fuerat, quod germanos fratres vocemus: nec porro longius ficus Ruminalis. Lupercal gelidum* appellat Virgilius, quia esset antrum arbusto contectum, ad boreamque spectaret. Ruminalem autem ficum sunt qui volunt a Romulo, quasi Romularem, denominatam esse: alii a lacte infantibus dato: nam pars gutturis *ruma* dicitur. vel secundum Sex. Pom. quod mamma *rumis* appellaretur. Hujus arboris vestigia usque ad Aug. tempora permansisse, Ovid. sic ostendit:

> *Arbor erat, remanent vestigia, quæque vocatur*
> *Romula nunc ficus, rumina ficus erat.*

1. Id indicat forum esse alibi, quam ubi infra collocavit l. III. capite primo. Quare vel invitus Marlianus forum fatetur esse ea in parte in qua nos collocamus, non ubi nunc est ædes Divi Theodori. Victor etiam in VIII. urbis regione templum Romuli locavit. Quæ fori regio est, ad quod templum Romulum & Remum repositos fuisse scribit Fulvius lib. I. antiquitatum II. f. 52. a.
2. Servius optime sensit de Lupercali & ficu Ruminali, quæ proxime inter se fuerunt.

CAP. XIII.

De Vico Jugario, ac Tusco; & de Via Nova.

JUGARIUM Vicum per radices Capitolii a porta Carmentali in forum Rom. aditum præbuisse, Livius his verbis significare videtur: [1] *Ab æde Apollinis boves fœminæ, duæ albæ porta Carmentali in urbem ductæ. Post eas duo signa cupressea Junonis Reginæ portabantur. Tum septem, & viginti virgines longam indutæ vestem, carmen in Junonem Reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditum, si referatur. Virginum ordinem sequebantur decem viri coronati laurea prætextatique. A porta Jugario vico in forum venere.* Jugarii autem obtinuit nomen, *quod ibi fuerat Ara Junonis Jugæ, quam matrimonia jungere putabant*: auct. Sex. Pom. In hoc vico fuit Domus M. Val. Amerimni, equitis Romani, ut ex ejus filii epithaphio didicimus. Quemadmodum autem vico Jugario patebat accessus in forum a porta Carmentali, ita vico Tusco, per radices Palatii, ab eodem foro in Velabrum erat transitus, sicuti significant ejusdem Livii verba, quæ sequuntur: *In foro pompa constitit, per manus reste data virgines sonum vocis plausu pedum modulantes incesserunt. Inde vico Tusco Velabroque per Boarium forum, in clivum publicum atque in ædem Junonis Reginæ perrectum.* Patet igitur eos aberrare, qui vicum Jugarium alibi fuisse dicunt, vicumque Tuscum appellant, totum id campi, quod jacet inter Capitolium, Palatium, Aventinum, & Tiberim. Quod si ita esset, fuerat satis Livio dixisse: *Inde vico Tusco in vicum publicum, atque in ædem Junonis Reginæ perrectum*: sed a Velabro ipsum cum diviserit, ostendit ibi finem vici Tusci fuisse, ubi Velabrum incipiebat. Hujus vici etymologia est duplex: alteram nominis rationem tradit idem Livius, quem sequitur Sex. Pomp. qui sic inquit: *Tuscus vicus Romæ est dictus, quod ibi habitaverunt Tusci, qui recedente ab obsidione Porsenna remanserant.* alteram Var. his verbis: *In suburbanæ regionis parte princeps est Cœlius mons, a Cœlio Vibenno Tusco duce nobili, qui sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Latinum regem. Hinc post Cœlii obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum, & ab eis dictus vicus Tuscus: & ideo ibi Vertumnum stare, quod is deus Hetruriæ princeps.* In hoc autem vico habitavisse lenones innuit Plautus in Cist. & Horatius cum ait: *Ac Tusci turba impia vici.* Viæ [2] Novæ duæ diversis temporibus fue-

1. Liv. 27.
2. Viam Novam originem habere non dubitatur a Piscina publica, & in fori capite terminari prope Jovem Statorem, ex P. Victore & Livio.

re, de quarum altera meminit Frontinus: altera est antiquior, de qua nunc agimus, quam initium habuisse a foro Romano, testatur Ovidius [3] his carminibus:

Forte revertebar festis Vestalibus illac,
Qua nova Romano nunc via juncta foro est.

Hanc Velabrum versus fuisse productam, significavit Var. ubi dixit: *Laurentalia fieri in Velabro, qua in Novam viam exitur, non longe a porta Romanula.* Et infra ait, *Novam appellari, cum jamdiu vetus esset:* & loquens de ara Aii, *Quæ est*, inquit, *in infima Nova via.* Livii autem verba innuere videntur eam fuisse sub Palatio, quæ sunt hæc: *Ex superiore parte ædium per fenestras in Novam viam* (habitabat enim rex ad Jovis Statoris ædem) *populum Tanaquil alloquitur.* Sed cum ibidem vicum Tuscum positum fuisse ostenderimus, cumque nemo tradat viam Novam in eo stetisse, opinamur [3] per mediam vallem fuisse deductam: ex eo quod idem Livius commemorat, Templum Aii in hac via situm esse, supra ædem Vestæ [4]. Quod si animadverteris, ubi hæc ædes sit posita, hanc opinionem (ut arbitror) non improbabis. Nisi mavis eundem vicum & Tuscum, & Novam viam appellatum fuisse.

CAP. XIV.

De Arcubus Romuli, & de Domo Ovidii.

ARCUS Romuli inter ædes sacras D. Mariæ liberatricis, & de Gratiis, quidam fuisse ajunt, eosque lateritios, Romanosque nunquam in marmoreos commutasse, ne conditoris memoria deperiret: de hisque intellexisse Juvenalem, ubi dixit, Sat. III.

[1] *Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam.*

Quos ego crediderim non dissimiles fuisse illis fornicibus, quales posuisse Sertinium, duos ante sacras ædes Fortunæ & Matutæ, & unum in Circo Max. illisque signa aurata imposuisse, narrat Livius: sive illis, quorum alterum Horatio Cocliti, alterum vero Camillo attribuunt: neque hos habuisse belli & triumphi simulacra incisa, quemadmodum videmus in his, qui hodie extant: nam hunc arcuum usum suo tempore originem traxisse testatur Plin. libro trigesimo quarto, cujus verba sunt hæc: *Columnarum ratio erat attolli supra ceteros mortales: quod & arcus significant novitio invento.* Domus autem Ovidii sub Capitolio fuit, ut ipse sic testatur:

Hanc ego suspiciens, & ab hac Capitolia cernens,
Quæ nostro frustra juncta fuere lari.

Eam in vico Jugario fuisse, prope ædem D. Mariæ de Consolatione hodie nuncupatæ, quidam tradunt.

CAP. XV.

De Palatini montis etymologia: Palatio, ejusque Atrio, & Porta.

QUONIAM Regum Imperatorumque sedes in Palatino monte præcipue fuerat constituta, ii propterea plurima atque magnifica in eo

3. Ovidius his versiculis id quod ait Marlianus minime dicit.
4. Immo secus Palatini radices.
1. Ex hoc Juvenalis carmine arcus Romuli minime demonstratur, ubinam fuerint, eoque tempore arcus hujuscemodi in usu non erat, sed hoc novitium fuisse inventum ait Plin. l. 34. cap. VI. quem hic locum citat Marlianus. vide Blondum instauratæ urbis 2. l. 226.

A extruxere ædificia: quæ etsi injuria temporum penitus sunt collapsa, eorum tamen ruinæ tot tantæque sunt, ut passim ab omnibus summa cum admiratione conspiciantur. At priusquam de iis ædificiis tractemus, de ejusdem montis denominatione agamus. Sed ea ita varia traditur a scriptoribus, ut quem potissimum sequaris nescias. Varro. *Quartæ*, inquit, *regionis Palatium: quod Palantes, qui cum Evandro venere, qui etiam Palatini, & Aborigines ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi consederunt.* Aliqui vero a Palanto proavo Evandri Palatino monti nomen mansisse referunt, ut Virgilius. Livius vero a Palanteo urbe Arcadiæ: B alii a Palatia Latini uxore: alii quod Palanto Hyperborei filia, quæ ex Hercule Latinum suscepit, hunc incoluerit: alii a Palatia Evandri filia ab Hercule vitiata, ibique sepulta: alii a Palante ejusdem Evandri filio, qui & ipse in eodem monte sepulcrum sit consecutus: multi quod pecus ibidem pascens balare consueverit. Tibullus:

Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccæ,
Et stabant humiles in Jovis arce casæ.

unde Nevius Balantium nominavit: vel quod pala- C re, hoc est, errare, armenta solebant [1]. Tremellius autem hunc Romuleum montem appellavit, qui nunc Palatium Majus dicitur: tametsi Palatium, Regum tempore, vix octavam montis partem occuparet. Ipsum autem quis postea auxerit, non satis constat: nisi quod Suetonius scribit, Caligulam partem ipsius ad forum usque promovisse. Gratianum hoc instauravisse Ausonius sic innuit: *Palatium cum terribile acceperis, amabile præstitisti.* Atrium habuit augurato conditum, in quo consulebatur Senatus, arietes immolabantur. Porta hujus Palatii, ad quam bello Sabinorum repulsos esse Romanos commemorat Livius, fuit e regione porti- D cus Faustinæ. In eodem Palatio, supra Jovis Statoris templum, habitavit Ser. Tullius, unus ex Regibus. Quanquam etiam in Exquiliis domum habuisse infra dicemus.

CAP. XVI.

De Græcostasi, Aede Concordiæ, Senaculo, & Basilica Opimii.

E QUONIAM loca quædam, in margine Palatini montis sita, aditum in Comitium habebant, ideo dicuntur supra Comitium, non autem in eo, aut in Palatino monte fuisse: veluti Græcostasis, quæ ipsi Palatio adhærebat: propterea multis gradibus in eam fuerat ascensus: ut Cic. ad Q. Fratrem ostendit. *Repente*, inquit, *a Græcostasi, & gradibus clamorem satis magnum sustulerunt*: & Varro sic ait. *A dextra e Comitio locus substructus, ubi nationum subsisterent legati, qui ad Senatum missi essent. Is Græcostasis appellatur.* Nomen autem a Græcis obtinuit: quia propter artes liberales, quibus præ cæteris nationibus eruditi erant, F eorum legati præcipue, hoc loco, tanquam digniori, excipiebantur. In qua Græcostasi Aedem [1] Concordiæ sitam fuisse testatur Plin. his verbis: *Flavius vovit ædem Concordiæ, si populo reconciliasset ordines: & cum ad id pecunia publica non decerne-*

1. Immo Trebellius, ex codicibus omnibus in Gallieni filii vita, tametsi apud Livium lib. 5. Cn. Tremellius Tribunus legatur. hic ad verbum secutus est l. 11. Fulvium, a quo omnia singillatim prope transcribit, & id quidem haud satis accurate, si quidem sæpe ambo cæcutientes collabuntur.
1. De diversis Concordiæ ædibus lege quæ August. de Civ. Dei lib. III. cap. 25.

retur, ex mulctatitia fœneratoribus condemnatis Aediculam æream fecit in Græcostasi, quæ tunc supra Comitium erat, inciditque in tabula ærea eam, CIIII. annis post Capitolinam dedicatam. Hanc novi quidam scriptores tradidere ab Opimio Cos. summo populi dolore instauratam, noctuque inscriptum: OPVS VECORDIAE TEMPLVM CONCORDIAE FECIT. Appianus vero ait jussu Senatus fuisse excitatam. Sed probabilius videtur de alia Concordiæ æde, quam de hac, quam æneam fuisse ait Plin. hoc intelligi. Concordiæ ædem posuit etiam Livia Germanici mater, ob viri cum ea concordiam: quam Tiberius dedicavit, ut meminit Suet. atque Ovid. his versibus:

Te quoque magnifica Concordia dedicat æde
Livia, quam charo præstitit illa viro.

Sunt autem qui velint hanc fuisse eandem, quæ in Græcostasi: quod ex Plin. falsum esse constat. Alii in area Vulcani collocatam esse dixere: quidam ubi templum Pacis. Quodcunque horum magis probaveris, non longe a Palatino monte, & arcu [2] Vespasiani fuisse, comperies. Quod autem ait Plin. in Concordiæ delubro cornu aureo Augustæ dono fuisse gemmam sardonychem inclusam: Marsyamque religatum, & Cassandram a Theodoro pictam, de quo delubro intelligat, dubium est. Senaculum autem fuisse supra [3] Græcostasim, ubi ædes Concordiæ, & Basilica Opimii, *Senaculumque vocatum, ubi Senatus, vel ubi Seniores consisterent, dictumque γερουσίαν*, auctor est Varro.

CAP. XVII.

De Casa Faustuli: Domo Catilinæ, ac Scauri: quid sit Germalus, & quid Velia.

CASA autem Faustuli fuit supra Comitium, prope Græcostasim, & ficum Ruminalem: Catilinæ vero Domus juxta Basilicam Opimii: Scauri haud longe ab arcu Vespasiani, de qua Asconius sic loquitur: *Demonstrasse vobis memini, hanc domum in ea parte Palatii esse, quæ, cum ab Sacra via discesseris, & in proximum vicum, qui est ab sinistra parte, prodieris, posita est.* Hæc Scauri domus Atrium habuit, cujus columnas miræ magnitudinis fuisse, scribit Plin. admiratusque legem sumptuariam, & Censores tantam impensam dissimulanter tulisse, sic persequitur: *Etiam ne tacuerunt maximas earum, atque adeo duodequadragenum pedum Lucullei marmoris in Atrio Scauri collocari: nec clam illud occulteque factum est: satisdari sibi damni infecti egit redemptor cloacarum, cum in Palatium extraberentur.* Locum autem ubi Faustuli Casam sitam fuisse diximus, Germalum Plut. appellavisse videtur: & Sex. Pom. ait, *Germalum esse locum in urbe sic nominatum.* At M. Var. de Palatii etymologia locutus subdit: *Germalense quinticepseos, apud ædem Romuli: & Velienses sexticepseos in Velia, apud ædem deorum Penatium. Germalum a Germanis Romulo & Remo, quod ad ficum Ruminalem, & hi ibi inventi, quo aqua hyberna Tiberis eos detulerat, in alveolo expositos. Veliæ unde essent plures accepi causas: in* A *queis, quod ibi pastores Palatini, ex quibus ante tonsuram inventam vellere lanam sint soliti*: quibus verbis Varro significat, circa quartam partem Palatini montis, videlicet a Jovis Statoris templo ad [1] Vespasiani propemodum arcum, Germali: inde vero ad Constantini arcum, Veliæ nomen sortitam esse. De cujus loci ædificiis nunc agamus.

2. Immo vero Titi filii, ex arcu enim Tito factum esse non Vespasiano apparet. Sic inibi S. P. Q. R. Divo Tito D. Vespasiani filio Vespasiano.

3. Græcostasis supra comitium erat, ad quam Concordiæ templum, quod inter Capitolium, forumque ab auctoribus classicis locatur.

CAP. XVIII.

B *De Templis Victoriæ, Junonis Sospitæ, Penatium, Orci, Magnæ Matris: ac de Domo Publicolæ, & Ser. Tullii.*

VICTORIÆ Templum fuit in monte Palatino, haud procul ab ea turri, quæ nunc Pallara dicitur: ubi prius P. Valerio Volesi filio [1] Publicolæ inter alios honores Domus de publico erat ædificata. Hanc autem foro imminentem, ob suspicionem regni affectati, [2] Publicola in planum transtulit: propeque turrim modo dictam eam collocavisse arbitramur: eaque mox Subvelia est co- C gnominata. Hanc Victoriæ ædem L. Posthumium Cos. dedicavisse, auctor est Livius. Juxta eam, Victoriæ Virginis Aediculam fecit Cato, biennio postquam vovit. Ad ipsam fuerat Junonis Sospitæ Templum. Sequebatur deinceps Deorum Penatium ædes, de qua idem auctor sic meminit: *De prodigiis deinde nunciatis Senatus est consultus. Aedes deorum Penatium in Velia de cælo tacta erat.* & Dionys. ita ait: *Templum Romæ ostenditur haud procul a foro, in quo sunt deorum Trojanorum imagines inscriptionem habentes, DII PENATES.* Supra hanc fuit locus Palladii: ubi nunc visitur ædes D. Andreæ cognomento in Pallara. Palla- D dium autem fuisse prius in æde Vestæ testatur Plin. his verbis: *Metellus orbam luminibus exegit senectutem amissis incendio, cum Palladium raperet ex æde Vestæ, memorabili causa, sed eventu misero.* Servium autem Tullium, antequam Curiam ædificaret, in hoc loco, ubi Penatium ædem fuisse dictum est, domum habuisse, scribit Solinus. Aedes autem Orci in proximo erat, nec multum distabat ab angulo Palatini montis incumbenti arcui Constantini. Quo in loco Heliogabalus deum Heliogabalum consecravit, eique Templum fecit, studioseque curavit, Matris Deum typum, Vestæ ignem, Palladium, Ancilia, & omnia Romanis veneran- E da, religionemque Judæorum, & Christianorum devotionem in illud transferre: id agens ne quis Deus, nisi Heliogabalus, coleretur, ut Lampridius testatur. Supra Orci fuerat Magnæ Matris ædes: quam faciendam locaverunt M. Livius, & C. Claudius Censs. Dedicavit Junius Brutus, ludique ob dedicationem facti: de quibus Cic. sunt hæc verba: *Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum in ipso Magnæ Matris conspectu Megalensibus fieri celebrarique voluerunt: qui sunt more institutisque maxime casti, solennes, religiosi?* Hanc ædem ideo ædifica- F runt, quod ejusdem Deæ simulacrum Pessinunte advectum ex Victoriæ templo, ubi ad tempus steterant, in eam transferrent.

1. Velia quæ vergit ad occasum, ad ortum locat contra loci situm.

1. Immo Poblicolæ.

2. Domum sibi Poblicolam exædificasse eo in loco ubi planum erat cognomento vicus publicus. Plut. in Valerii Poplicolæ vita.

CAP.

CAP. XIX.

De Templo Fidei, Apollinis, ejusque Bibliotheca: ac de Balneis Palatinis.

TEMPLUM Fidei in umbilico fere Palatini montis erat situm: quod Rhoma Aeneæ neptis, ut Agathocles memoriæ prodidit, vel ut Livius & Dionys. Numa condidit. Vetustate autem prolapsum instauravit Aug. Balneæ, quas Cic. pro Roscio Palatinas denominavit, fuere in dorso montis, ubi spondæ murorum altissimæ adhuc extant. Ad eas pars aquæ Claudiæ erat deducta, ut aquæ ductus vestigia indicant. Ad eam autem partem Palatini montis, quæ vergit ad circum Max. nonnulla Templi Apollinis vestigia cernuntur, ab Augusto ideo excitati: quia cum pars illa esset fulmine icta, aruspices pronunciarunt, eam ab Apolline desiderari. In hoc fuere lychnuchi, de quibus Plin. sic meminit: *Placuere & lychnuchi pensiles in delubris, aut arborum modo mala ferentium lucentes: qualis est in templo Apollinis Palatini.* & idem innuit, ejus Dei simulacrum a Scopa factum, & Dianam a Timotheo in eo templo fuisse. sic enim inquit: *Scopas fecit Apollinem Palatinum*, & rursus: *Timothei manu Diana Romæ est Apollinis delubro, cui signo caput reposuit Aulanius Evander.* De hujus templi Porticu meminit Suet. sed eam laudat Propertius, & fores templi eburneas fuisse dicit: super fastigium vero currum Solis ex auro splendentem: & in Area quatuor boves, hoc est, Prœtidas æneas a Myrione factas. In eadem area fuit locus *Roma Quadrata dictus, ubi reponebantur ea, quæ solebant boni ominis gratia in urbe condenda adhiberi: quod saxo munitus esset in speciem quadratam*, auct. Sex. Pom. In eodem templo Augustus jam senior sæpe Senatum habuit, & decurias judicum recognovit: cui templo addidit Bibliothecam, Latinam, Græcamque: in qua Senatus statuam Numeriano Imp. posuit, subscriptam: [1] D. NUMERIANO ORATORI POTENTISSIMO. Porticum ejusdem templi exornavit statua M. Varronis adhuc viventis, teste Pollione: Bibliothecam vero Apollinis Colossus, quem Plin. ita laudat: *Videmus certe Apollinem in bibliotheca templi Augusti Thuscanicum L. pedum a pollice, dubium ære mirabiliorem, an pulcbritudine.*

CAP. XX.

De Domibus Augusti, Tiberii, Ciceronis, M. Flacci, Crassi, Q. Catuli, & Romuli: ac de Templis Victoriæ, & Libertatis:

TEMPLO autem Apollinis, de quo superiori capite fuit mentio, proxima erat Domus Augustana: in qua natum esse Augustum, sic scribit Suet. *Natus est Augustus in regione Palatii, ad Capita Bubula: ubi nunc Sacrarium habet, aliquanto postquam excessit, constitutum.* Habitavisse autem primo juxta forum super scalas annularias in domo, quæ Calvi Oratoris fuerat, postea Palatio, nihilominus ædibus modicis Hortensianis, neque laxitate, neque cultu conspicuis, idem est auctor. Domus autem Tiberii Imp. non longe hinc aberat, ut innuit Cor. Tac. his verbis: *Otho ex æde Apollinis discedens per Tiberianam domum ad Milliarium aureum pergit.* In hac fuisse Bibliothecam scribit Gellius. Victoriæ Templum, præter id de quo supra diximus, alterum in vertice Pala-

1. Apud Fl. Vopiscum hæc inscriptio sic habetur: *Numeriano Cæsari oratori temporibus suis potentissimo.*

A tini montis ab Arcadibus, qui cum Evandro venerant, erectum fuisse, narrat Dionys. cui Deæ anniversaria fierent sacra. In reliqua autem montis parte, quæ Capitolium e regione habet, quia ejus latus est omnium minimum, magnamque partem occupabat Palatium, pauca privatorum habuit ædificia: sed ex antiquissimis Casam Romuli, qui cum pastoralem ageret vitam cum fratre ex lignis arundinibusque sæpe tabernas struxit: quarum unam scribit Dionys. ætate sua fuisse in angulo ex Palatio in Circum ducente. [1] Angulum intellige, qui imminet Velabro. Domus autem Cic. ad Att. lib. III. quam, acceptis mutuo, ut ait Gellius, a P. B Sylla sextertiis vicies, a L. Crasso emit, fuisse prope Jovis Statoris templum plerique omnes consentiunt, de qua ipse Cic. ita meminit: *In conspectu totius urbis domus est mea.* Ea incendio direpta, ibi P. Clodius Libertatis templum cum porticu struxit. De incendio illo idem Cic. sic conqueritur: *Domus ardebat in Palatio, non fortuito, sed oblato incendio.* Huic prope fuit M. Flacci domus, qua eversa Q. Catulus porticum extruxit. Hanc, & Catuli, & L. Crassi laudans Plin. sic inquit: *Crassus Orator fuit in primis nominis Romani: domus ei magnifica, sed aliquanto præstantior in eodem Palatio C Q. Catuli, qui Cimbros cum Mario fudit.* Quibus verbis constat eos hallucinari, qui has in colle Viminali fuisse dixere. Altera domus Ciceroni fuerat in Ceramio, ut is ad Att. scribens affirmat; ad eamque expugnandam Clodium P. Syllæ domum pro castris sibi sumpsisse ait.

CAP. XXI.

De variis ædificiis, rebusque nonnullis, quæ in Palatino monte olim fuere.

D AEDIFICIA præterea multa habuit Palatinus mons: quorum ne ruinas quidem per vineta, quæ ibi consita sunt, discernere licet. In eo fanum Febris situm fuisse constat ex Val. Max. sic enim ait: *Febrem ad minus nocendum templis colebant: quorum adhuc unum in Palatio, alterum in ara Marianorum, tertium in summa parte vici Longi.* & ex Cic. *Illud*, inquit, *profecto confiteamini longe aliter rem se habere, atque hominum opinio sit: eos enim qui Dii appellantur, rerum naturas esse, non figuras Deorum. Qui tantus error fuit, E ut perniciosis etiam rebus non nomen Deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur. Febris enim Fanum in Palatio videmus.* & Plin. *Ideoque etiam Febri Fanum in Palatio dicatum est.* Aram quoque ejusdem Febris, [2] Ædemque Larum, & Curiam Saliorum, in qua, cum flagrasset, inventus est lituus Romuli illæsus, in Palatio fuisse, idem Cic. testatur: & Deæ Viriplacæ sacellum, in quo viri, & uxores, contentione deposita, concordes domum revertebantur, Val. Max. Jovis Victoris Templum a Q. Fabio bello Sabinorum votum, Livius: præterea Auguratorium, ubi auguria capiebantur, locumque alte- F rum, qui [3] Sicilia dicebatur, & Jovis Cœnatio, Julius Capitolinus: Plateasque pulcherrimas saxis Lacedæmoniis, ac porphyreticis stratas, Lampri-

1. Cur Velabro immineat potius quam Viæ novæ, quæ Palatino propior erat, etsi Velabro in viam novam ibatur.

2. Ædem Larum hic in Palatio reponit contra auctorum fidem. Nam Solinus in summa sacra via ait fuisse cap. 11. ad quam malæ fortunæ aram fuisse scribit Plin. l. 2.

3. Apud P. Victorem, sed mendosum esse censeo. *Sicilia* pro *Subvelia* legitur, tametsi a Capitolino in Pertinaci *Sicilia* scriptum sit. Sunt qui hic *summa Velia* legant.

dius. Domus etiam Cæsaris in eodem Palatio fuit. A Plinius, *Consumptam*, inquit, *eam tabulam constat priore incendio domus Cæsaris in Palatio*. Ibidemque, eodem auctore, fuit Apollo, & Diana manu Lysiæ. sic enim ait: *In magna auctoritate habitum Lysiæ opus, quod in Palatio super arcu D. Augustus honori Octavii patris sui dicavit, in ædicula columnis adornata, id est, Quadriga, currusque, & Apollo, ac Diana ex uno lapide*. Item fuit in eodem monte Statua aurea Britannici a Tito Imp. posita, ut scribit Suetonius. Ibidem etiam erat Laurus nata eo die, quo Augustus: ex qua triumphantes coronabantur, & Arbor ex hasta Romuli, quæ captato augurio ex Aventino in Palatinum ab eo missa terræ fixa dicitur, ac frondes emisisse, crevisseque in arborem. Habuit item [4] Palatinus mons Vicum cognomento Padi: & alterum Fortunæ Respicientis: domumque cujusdam [5] Viturbii, de qua Plin. meminit, & Vani, de qua Livius. In eo etiam celebrabantur feriæ Septimontium, & sacrificium, quod [6] Palatiar dicebatur, auctor Antistius Labeo.

4. Hæc P. Victor in Palatii regione, quæ decima est, locat, non ipsomet monte.

5. Vellicam hæc Marlianus citra rationem in Palatio locat, quæ fortasse in regione fuere potius, quam in monte [illegible].

6. Palatual.

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

De Foro Romano: Templis Cæsaris, Castorum, & Augusti: ac de Rostris.



PERACTA descriptione ædificiorum montis Palatini, consentaneum erit a vicinioribus iis, quæ descripta sunt, initium facere. Igitur a Foro Romano, sive Magno, quod & [1] Latium forum Statius appellavit, exordiamur. Hoc enim ab eo loco, ubi arcum Septimii positum videmus, cœpisse, finemque ad portam Palatii habuisse, innuit Livius narrans, Curtium ab arce decurrisse, egisseque Romanos effusos toto quantum foro est spatium, usque ad portam Palatii: Quod spatium longitudinis passus centum plus minus perficit, latitudinis vero quinquaginta, a Jovis Statoris templo ad Antonini Pii porticum. Ab eadem autem Palatii porta, fere ad arcum [2] Vespasiani, Comitii nomen obtinuit. Quidam vero forum usque ad eundem arcum protensum esse voluere: quorum opinioni videtur assentiri Dionys. memorans, Publicolam in colle foro imminenti domum habitavisse: quam in Velia fuisse, supra dictum est. Contra sentire videtur Suet. qui templum Pacis foro proximum esse dicit: adeo ut a foro id templum excludat, quod tamen ei proximius erat, quam domus Publicolæ. Hoc autem quidquid est discriminis, diluere perfacile est. Nam quæ pars fori Comitium appellabatur, nomen etiam fori obtinebat, Publicolæ præsertim temporibus: quod Plin. etiam significat, qui libro [3] XIV. ait, ficum arborem in foro, atque Comitio coli: cum tamen unica esset arbor, eaque in Comitio. Verum tempore quo primum Annibal in Italiam descendit, cum Comitium tectum esset, ut Livius septimo belli Punici prodidit, a foro cœpit distingui. Cur autem Suetonius non dixerit templum Pacis positum esse in comitio, ea videtur ratio: quia inter utrumque media intercurrebat via Sacra. Sed videamus quæ in foro erant, & primo a dextra Templum D. Julii in medio foro positum fuisse significat Cor. Tac. cum ait, Galbam imp. ante ipsum primo ictu jacuisse, sanguineque suo infecisse Curtii lacum, quem versus aditus templi pa-B tebat. Appianus autem tradit, cadaver Cæsaris in forum delatum, eoque in loco Aram, mox Templum illi erectum esse: in quo Castorum, & Victoriæ Imaginem in tabula pictam posuit Augustus: atque in ejusdem Cæsaris Delubro Venerem e mari exeuntem dedicavit. Castorum autem Ædem, quanquam omnes in foro fuisse affirmant, in qua tamen parte, non conveniunt. Dionys. autem haud procul a Vestæ fuisse innuit, his verbis: *Hujus autem inopinatæ admirabilisque apparitionis cum sint adhuc Romæ multa, tum vero est ædis Pollucis,* C *& Castoris, quam supra forum extruxit civitas, ubi visa sunt illorum simulacra*. & mox: *Specie pugilum, equosque madidos sudore ad scaturiginem, juxta ædem Vestæ manantem, abluere*. Appianus autem commemorat Aselium Prætorem forte sacra Castori & Polluci in foro facientem, cum quidam lapide phialam excussisset, ad Vestæ ædem cucurrisse. Ex quorum verbis apparet, ædem Castorum prope Vestæ, forumque Romanum ita situm, ut a fronte hoc, illam vero a tergo habuerit. Hanc Castoris ædem A. Posthumius Dictator bel-D lo Latino vovit, ejusque filius duumvir creatus dedicavit. Cic. *Nonne*, inquit, *ab A. Posthumio ædem Castori & Polluci in foro dicatam vides?* & iterum pro Domo sua, atque pro Sextio ejus gradus a Clodio revulsos testatur: & S. C. concionesque in eadem sæpe habitas. Asconius vero L. Metellum hanc instaurasse tradit: & Plut. Cecilium Metellum Floræ Simulacro pulchritudine insigni exornavisse. Inerat & tabula monimentum civitatis equitibus Campanis datæ. Ante eandem E ædem fuit Statua equestris togata Q. Marcii Tremuli, qui Samnites bis devicerat, captaque Anagnia populum stipendio liberaverat. Et licet hæc ædes geminis fratribus esset dedicata, tamen Castoris tantum vocabatur: arbitramurque fuisse inter porticum Concordiæ & Cæsaris templum. Illa vero, quam Suet. refert Tiberium Cæsarem suo fratrisque nomine de manubiis Castori & Polluci dedicavisse, nisi de eadem intelligat, ab ipso instaurata, quo in loco fuerit, incertum habemus. In proximo loco erat Augusti Templum, quod a F Tiberio imperfectum relictum Caligula absolvit, ponteque super ipsum transmisso Palatium Capitolio conjunxit. Dehinc autem sequebantur [4] Rostra Nova, ad radices Palatii sita, proxima Jovis Statoris templo. [5] Ser. gram. *Romanum*, inquit, *forum, ubi nunc Rostra sunt*. Sed quia ubi de veteribus Rostris agemus, plura de iis erunt dicenda, horum locum hic attigisse satis erit.

1. Romanum forum in media ea valle, quæ Palatinum inter & Capitolium est, fuisse apertissime docet Dionysius Halicarnasseus l. II. In eoque Vestæ templum a Numa conditum scribit.

2. Immo Titi Vespasiani.

3. Immo libr. 15 cap. 18. ubi non unam eandemque ficum intelligi contenderem, sicut antiquarius censuit.

4. Rostra nova. &c ex Servio. id quod ipse Honoratus Grammaticus nusquam gentium docet.

CAP. II.

De carcere Tulliano, Arcu Septimii, Milliario Aureo, Equo Domitiani, & de Lacu Curtii, Janique Sacello.

CARCEREM [1] Tullianum, cujus auctor Ancus rex, in capite fori, sub Capitolio situm fuisse, sic innuit Cic. *Cum de foro currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent.* & Livius sic: *Fecit carcerem media urbe imminentem foro ad terrorem crescentis audaciæ.* Quod Vitruvii præceptis consentaneum est, qui ait, Ærarium, Carcerem, Curiam foro esse conjungendum. Unde autem Carcer, & unde Tullianum diceretur, docent Varronis hæc verba: *Carcer a coercendo, quod exire prohibentur: In hoc pars, quæ sub terra, Tullianum, ideo quod additum a Tullio rege: quod Syracusis, ubi hac de causa custodiuntur, vocantur Latomiæ, & de Latomia translatum.* De Tulliano Sallustius sic inquit: *Est locus, in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paulum descenderis, depressus ad lævam circiter XX. pedes: eum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus juncta, sed inculta tenebris, & odore fœdo: atque terribilis ejus facies.* Latomias vero de quibus Var. meminit, Cic. in Verrem lib. VII. sic describit: *Latomias Syracusanas omnes audistis, plerique nostis: opus est ingens, magnificum, regum ac tyrannorum: totum est ex saxo in mirandam altitudinem depressum, & multorum operis penitus excisum. Nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septum undique, nihil tam tutum ad custodias, nec fieri, nec cogitari potest.* Extat autem etiam nunc camera, non [2] absimilis ei, quam a Cic. descriptam attulimus, ad cujus lævam per gradus in Tullianum erat descensus: extatque in fronte titulus sequens:

C. VIBIVS. C. FILIVS. RVFINVS. M.
COCCEIVS. M. F. NERVA. COS.
EX. S. C.

Ex quo [3] conjicimus hunc carcerem post Anci, & Tullii regum tempora instauratum, ampliatumque fuisse. Est autem hodie D. Petro cognomento in carcere, dicatus. Arcus Septimii in proximo etiam nunc extat, in quo incisæ sunt alatæ victoriæ cum tropæis, & terrestris navalisque belli simulacra, & in superiori parte a fronte & a tergo titulus qui mox sequitur.

Etsi in urbe plures arcus triumphales sunt, tamen arbitrati sumus ex unius tantum exemplo, quod inseruimus, facile omnium formam intelligi posse. Idem dicimus de columnis, obeliscis, metis, & pontibus.

IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO M. FIL.
SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG.
PATRI. PATRIAE. PARTHICO. ARABICO. ET PARTHICO. ADIABENICO. PONTIF. MAXIMO. TRIBVNIC.
POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET
IMP. CAES. M. AVRELIO. L. FIL. ANTONINO. AVG. PIO. FELICI. TRIBVNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS.
P. P. OPTIMIS. FORTISSIMISQVE.
PRINCIPIBVS
OB REM. PVBLICAM. RESTITVTAM.
IMPERIVMQVE. POPVLI. ROMANI.
PROPAGATVM.
INSIGNIBVS. VIRTVTIBVS. EORVM.
DOMI. FORISQVE.
S. P. Q. R.

[1] Ecquis veterum unquam carcerem Tullianum vocavit.

[2] Immo dissimillimum, quod hoc sit extructum lapidibus quadratis? illo altero in scopulo ex saxo nativo exciso. Latomias Syracusarum carcerem, Cicero a crudelissimo tyranno Dionysio factum fuisse refert in VII. in Verrem.

[3] Insula conjectura, quando alibi est Anci Martii carcer, & hunc apud quem legas carcerem fuisse nusquam invenias.

Milliarium Aureum veluti columna, sive meta, unde principium itineris ad omnes portas, omneque iter capiebatur, fuit ante arcum, de quo modo diximus. de eo Suet. in Othonis vita sic meminit: *Ergo destinata die præmonitis consciis, ut se in foro, sub æde Saturni, ad Milliarium aureum opperirent, mane Galbam salutavit.* Plin. supra, in fori capite locatum fuisse ostendit. Cor. vero Tac. Suetoniusque ante Saturni ædem, omnes recte: erant enim hæc loca invicem prope. Idem Plin. ait Minervam Catulianam, opus Eufranoris, a Q. Catulo dedicatam, fuisse infra Capitolium: &, ut par est credere, ipsum forum spectantem. Equus æneus Domitiani fuit prope eam columnam, quæ unica stat in medio foro, auro superfusus. de quo Papinius ita meminit:

Quæ superimposito moles gemmata colosso
Stat Latium complexa forum.

Cujus sub altero pede erat Rheni fluminis Germaniæ simulacrum, de qua provincia Domitianus triumphaverat. Idem,

Ænea captivi crinem tegit ungula Rheni.

Proximo loco in hortis, columnæ paulo superius memoratæ adjacentibus, fuit Lacus Curtii. cujus etiam idem Papinius mentionem facit, his versibus:

Ipse loci custos, cujus sacrata vorago
Famosusque lacus nomen memorabile servat.

Per quem lacum fuisse Cloacam derivatam refert M. Varro. De eodem lacu sunt Dionys. verba: *Est hic locus repletus, vocaturque ab illo casu lacus Curtius, in medio maxime Romani fori.* De eo autem varia est historia: Cornelius & Lucejus volunt, locum esse fulgure ictum, & ex S. C. a Curtio Cos. septum, & ab eo nomen inditum. Piso autem in annalibus a Metio Curtio Sabino, qui in bello contra Romulum repulso exercitu in hunc locum palustrem secesserit, illæsusque ad suos in Capitolium pervenerit. Porcilius vero a Curtio Romano: qui, cum forte vorago in medio foro esset facta, neque expleri posset, ex vatum responsis pro patria se se devovit, in eamque equo armatus insidens se immisit. Porcilio assentitur Sextus Pom. cujus sunt hæc verba: *Curtilacum appellatur a Curtio, qui eo loco in profundissimum se ob salutem Pop. Rom. projecit hiatum.* In eandem sententiam Plin. sic inquit: *Fortuito satu venit in medio foro, qua fidentia imperii fundamenta ostento fatali Curtius maximis bonis, hoc est, virtute, ac pietate, ac morte præclara expleverat.* Controversiam autem, quæ inter Pisonem, & Porcilium esse videtur, tollit Livius. Nam dicit, lacum hunc a Curtio Sabino prius denominatum esse: postea vero quam Curtius Rom. in hiatum se projecit, a recentiori ejus facinore nomen lacus insignius esse factum, & tanquam prioris Curtii memoria extincta, ab eo lacum Curtium appellari cœpisse. Jani Templum fuisse in medio foro ex adverso Capitolii tradit [4] Procopius. *Erat*, inquit, *Sacellum totum ex ære constitutum, quadrata quadam*

[4] lib. x. de bell. Goth.

dimensione, tantæque amplitudinis, quanta integra Jani statua poterat ænea quinquepedalis capi: capite duntaxat bifrons; portæ utrinque æneæ, quæ pacis tempore claudebantur, instante autem bello aperiebantur; vocabaturque Janus Geminus. Fuit autem prope equum Domitiani.

CAP. III.

De Marfori Statua; Secretario Po. Ro. Templo Saturni, Ærario, ac de Officina Monetæ.

ANTE carcerem Tullianum jacet, veluti in scopulo, marmoreum ingens simulacrum Rheni fluminis, ejus, ut existimo, cujus crinem ungula equi Domitiani premebat. Nihil enim impedit quod marmoreum sit, equus tamen fuerit æneus, cum cippum ei marmoreum subesse par sit credere. Proxime sequitur ædes, nunc D. Martinæ dicata, ubi olim Secretarium Po. Ro. fuisse, indicat inscriptio sequens, quæ in eadem æde extat:

SALVIS DOMINIS NOSTRIS HONORIO ET THEODOSIO VICTORIOSISSIMIS PRINCIPIBVS
SECRETARIVM AMPLISSIMI SENATVS QVOD VIR INLVSTRIS FLAVIANVS INSTITVERAT ET FATALIS IGNIS ABSVMPSIT
FLAVIVS ANNIVS EVCHARIVS EPIFANIVS. VC. PRAEF. VRB. VICE SACRA IVD. REPARAVIT ET AD PRISTINAM FACIEM REDVXIT

[1] Saturni autem Templum id fuit, quod nunc D. Hadriano est dicatum, de quo Macrobius hæc tradit: *Tullum Hostilium, qui bis de Albanis, de Sabinis tertio triumphavit, invenio, Fanum Saturno ex voto consecravisse, & Saturnalia tunc primum Romæ instituta. Quamvis Varro libro VI. qui est de sacris ædibus scribat, ædem Saturni ad forum faciendam locasse L. Tarquinium regem, T. vero Largum dictatorem Saturnalibus eam dedicasse. Nec me fugit Gellium scribere, Senatum decresse, ut ædes Saturni fieret, eique rei. L. Furium tribunum militum præfuisse.* Hactenus Macr. Suetonius vero a [2] Numatio Planco constructum refert. Sed cum plura fuisse Saturni templa, ex iis, quæ citavimus, satis constare videatur; non tamen invenire potui, quo in loco fuerant constructa: præter illud cujus in superiori libro meminimus, & de quo in præsentia est sermo. [3] Ærarium in foro fuisse significat Asconius. *Dum testes, inquit, examinarentur (agebatur enim causa pro rostris) Pompejus ad Ærarium sedens tumultu Clodianæ multitudinis perturbatur.* Quod ideo in hoc templo positum esse Sex. Pom. & Macrobius ajunt, quia sub Saturno nullum furtum fuerit commissum, nec quicquam esset privatum. Plutar. vero, quod sub eodem, nec avaritia, nec improbitas, sed justitia, & fides. Cyprianus autem, quod Saturnus in Italia primus instituerit numos signare, ideo Saturni ærarium vocari. In eo promulgata servabantur. Cic. de legibus: *Qui agent auspicia servanto. Auguri publico parento: Promulgata proposita in ærario cognita agunto.* Servabantur etiam libri elephantini, in quibus XXXV. essent conscriptæ tribus, omnesque publicarum rationum libri. Suet. *Tabulas veteres ærarii & debitorum, vel præcipuam calumniandi materiam exussit Cæsar.* Ibidem reponebantur etiam signa militaria. Livius, *Signa*, inquit, *eo die a Quæstoribus ex ærario prompta.* Asconius ait, veterem diligentiam fuisse, ut quod quisque de subjugata provincia per triumphum apportavisset, perscriptum in tabulis in ærarium reponendis conservaretur. Quod & Cic. in Verrem significat. Præterea Censores in Saturni templo jusjurandum subire cogebantur. In templi hujus fastigio fuisse Tritonas cum buccinis, refert Macrobius. Ante vero Silvani simulacrum extitisse ostendit Plin. libro 15. cap. 18. his verbis: *Ficus arbor fuit & ante ædem Saturni, urbis anno CCLX. sublata sacro Vestalibus facto, cum Silvani simulacrum subverteret.* In proximo autem loco, non longe a templo Antonini, vidimus effodi magnam æreorum numorum copiam: qua re multis visum est non leve argumentum, ibi fuisse Officinam Monetæ, a Capitolio una cum ærario hunc in locum translatam. [4]

1. Nulli idoneo auctori innititur quum affirmat Saturni templum hoc fuisse.
2. Munatio.
3. Anno 1555. inventa est inscriptio exarata in lapide Tiburtino sub rupe Tarpeja e regione S. Salvatoris in ærario, aut, si mavis, ante xenodochium S. Mariæ in porticu, ex qua dignosci potest ærarium ibi potius fuisse. est autem hujusmodi:

L. CALPURNIUS PISO M. SALVIUS PR. ÆR
AREAM. EX. S. C. A. PRIVATIS
PUBLICA PECUNIA REDEMPTAM. TERMINAVER

Quod ad Asconium pertinet ponentem ærarium in foro, potuit esse in alio foro, quam in eo, quod existimat Marlianus.

4. De ærario sanctiore Livius, item de ærario P. R. item alia de ærario omittuntur, quæ afferre poterat.

CAP. IV.

De Basilica Pauli Æmilii, Templo Faustinæ, Arcuque Fabiano.

PAulus, inquit Cic. ad Atticum, *in medio foro Basilicam jam pæne texuit iisdem antiquis columnis. Illam autem, quam locavit, fecit magnificentissimam. Quid quæris? nihil gratius illo monimento, nihil gloriosius.* Plin. libro 36. cap. 15. etiam hanc inter urbis magnifica, columnisque e Phrygibus mirabilem enumerat. Plut. tradit, Paulum Æmilium collegam Caii Marcellii in consulatu mille & quingentis talentis acceptis, Cæsari amicum ac defensorem factum esse, eaque pecunia nobilissimam in foro extruxisse basilicam, quæ Pauli diceretur; licet publicam constituisset, ut testatur Appianus. [1] Fuit inter Saturni & Faustinæ templa, ubi vidimus effodi columnas ingentes marmoreasque tabulas, multaque alia ornamenta diversi marmoris optime cælata. Papinius in descriptione equi Domitiani a sinistra hanc, a dextra Julii Cæs. templum fuisse ostendit, his carminibus:

At laterum passus hinc Julia templa tuentur,
Illinc belligeri sublimis regia Pauli:
Terga pater, blandoque videt Concordia vultu.

Sed basilica illa, quam locavisse ait Cic. Æmilia dicta est: de qua in principio libri quarti erit mentio. Faustinæ autem Templi bona pars in proximo est: & ejus porticus decem ingentes columnæ cum epistyliis, & hac inscriptione:

DIVO ANTONINO ET
DIVAE FAUSTINAE EX. S. C.

De hoc Spartianus sic meminit: *Antoninus inter deos relatus est: habet templum, habet Salios, habet Sodales Antonianos, qui Faustinæ templum: quod ei fundaverat maritus, in quo postea filius hujus Heliogabalus Antoninus sibi, vel Jovi Syrio, vel Soli, incertum id est, templum fecit.* [2] Arcum au-

1. Desideratur idoneus auctor, qui dicat Basilicam Pauli fuisse in via Sacra, & hoc præfinito loco.
2. Arcum Fabianum Asconius in II. contra Verrem dicit fuisse in via Sacra.

tem Fabianum apud hoc templum ſtetiſſe aſſerit Tremellius, cujus reliquias proximis annis vidimus effodi. hunc a Fabio Cens. qui devicit Allobroges, excitatum eſſe ait Aſconius : in quo fuerant ſcuta, & ſigna ejus victoriæ. Ad hunc ſitum erat Tribunal Libonis Prætoris, Puteal dictum, de quo Horatius mentionem ſic facit:

—— Putealque Libonis
Mandabo ſiccis, adimam cantare ſeveris,

& Ovidius hoc carmine:

Qui puteal, Janumque timent, celereſque Calendas.

Fœneratores enim ſtabant ad Janum, & apud fornicem Fabianum jus dicebatur; de quo arcu Cic. pro Plancio ſic inquit: *Equidem ſi quando, ut fit, jactor in turba, non illum accuſo, qui eſt in ſumma ſacra via, cum ego ad Fabianum fornicem impellor.* Eſt apud nos numiſma argenteum, in cujus altera parte Libonis imago eſt cælata, cum inſcriptione, LIBO BONEVEN. in altera vero tribunal, ſupra quod eſt, PVTEAL. infra vero, SCRIBONI.

CAP. V.

[1] *De variis rebus, quæ in foro fuiſſe dicuntur.*

S*Tatæ matris ſimulacrum in foro colebatur, poſtquam id colluſtravit, ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore. magna pars populi in ſuos quiſque vicos retulerunt ejus deæ cultum*, auctor Sex. Pom. In eodem foro ſtatua equeſtris Cæſari erat poſita, & ejus capiti ſydus crinitum adjectum, quale in ejus numiſmatis ſæpe vidimus. Aliam ſtatuam Auguſto a Senatu ibidem poſitam fuiſſe commemorat Cic. in Epiſt. ad ipſum Auguſtum ſcripta. Multis præterea aliis ornatum fuiſſe forum innuit Plin. hiſce verbis: *L. Piſo prodidit M. Æmilio & C. Popilio II. Coſſ. a Cenſoribus P. Cornelio Scipione, M. Popilio ſtatuas circa forum eorum, qui magiſtratus geſſerunt, ſublatas omnes, præter eas, quæ Populi, aut Senatus ſententia ſtatutæ eſſent.* Ex his autem quaſdam hic recenſere poſſemus, verum quia quæ in Comitio atque in Roſtris fuere, in foro fuiſſe ſæpe dicuntur, propriis in locis magis opportune exponentur. Erant inſuper in foro columnæ varii generis. Primam omnium C. Mænio ſtatutam eſſe idem Plin. ſic commemorat. *Antiquior columnarum* ſicut *C. Mænio, qui devicerat priſcos Latinos, quibus ex fœdere tertias prædæ Po. Ro. præſtabat, eodemque in conſulatu ex ſuggeſtu roſtra devictis Antiatibus fixerat, anno urbis CCCCXVI. Item C. Duillio, qui primus navalem triumphum egit de Pœnis, qui eſt etiam nunc in foro.* Columnam aliam ſolidam lapidis Numidici, prope XX. pedum altitudine. Pop. Rom. Cæſari erexit cum titulo PATRI PATRIÆ. de qua Cic. inquit: *Talis animadverſio fuit Dolabellæ, cum in audaces, ſceleratoſque ſervos, tum in impuros, & nefarios liberos: taliſque everſio illius execratæ columnæ.* Et iterum ad Atticum ſe eam ſuſtuliſſe dicit.

Stat adhuc in foro unica columna, cui, ut videtur, nihil erat adjunctum, ideo honoris, virtutiſque cauſa alicui horum poſitam fuiſſe exiſtimamus: præſertim quod in uno latere plinthi cernuntur adhuc quædam literæ, ſed vetuſtate ita conſumptæ, ut nullum percipias ſenſum: & forte ea eſt columna, quam Plin. ſua ætate in foro ſtetiſſe

A ait, cujus exemplum ſuperius adjecit. *In foro*, inquit Dionyſ. *erat petra angularis, ſuper qua poſita fuerant ſpolia Trigeminorum Albanorum, pila Horatia dicta, ſed arma collapſa ſunt vetuſtate.* Noſtra autem ætate ne ipſius quidem pilæ extat veſtigium. Decoravit forum etiam equus Cæſaris, & equus Conſtantini, & atrium Minervæ. Erantque in eodem foro tabernæ novæ, de quibus Livius ſic loquitur: *Eodem tempore ſeptem Tabernæ, quæ poſtea quinque, & Argentariæ, quæ nunc Novæ appellantur, arſere.* & Varro: *Sub novis dicta pars in foro ædificiorum, quod vocabulum ejus pervetuſtum, ut novæ viæ, quæ jam dudum vetus.* Ubi autem
B Var. *ſub novis* dicit, *tabernis* ſubintelligendum puto, neque video quid aliud intelligi poſſit. [2] *Doliola locus etiam erat in foro,* [3] *apud Cloacam, ſic vocatus, quod invadentibus Gallis Senonibus urbem, ſacra ibi doliolis repoſita fuerunt*, ut ſcribit Sex. Pom. Vetuſtior autem memoria eſt, eo in loco myſtica quædam Numæ condita eſſe. Sunt qui putant dictorum Gallorum cineres conditos eſſe. Veneris item Cloacinæ ædes fuit ad Sacram viam, auct. Ovidius in faſtis. Cujus ſimulacrum in cloaca repertum, & quia cujus eſſet effigies ignorabatur, ex loco illi nomen impoſitum eſt. de quo ſimulacro
C Plin. ita meminit: *Quippe ita traditur myrtea verbena Romanos, Sabinoſque cum propter raptas virgines dimicare voluiſſent, depoſitis armis purgatos eo in loco, qui nunc ſigna Veneris Cluacinæ habet. Cluere enim antiqui purgare dicebant.* Exornarunt autem forum & tabulæ pictæ. *L. Hoſtilius Mancinus*, inquit idem Plin. *qui primus Carthaginem irruperat, ſitum ejus expugnationeſque depictas cum in foro propoſuiſſet, & ipſe aſſiſtens populo ſpectanti ſingula enarrabat.* In eodem foro magiſtratus imperium deponere conſueviſſe, auctor eſt Herodianus: & ſpectacula edi, juſque multis in locis dici, idem Plin. oſtendit, cum ait, Cæſarem in munere
D gladiatorio forum texuiſſe: & picum Martium in capite Prætoris urbani L. Tuberonis jura in foro pro tribunali reddentis ſediſſe, ita placide, ut manu eum apprehenderet.

CAP. VI.

De Comitio, Templo Quirini, Columna Mœnia, Baſilica Portia, Curia Hoſtilia, & Veteri, ac de Roſtris veteribus.

E C*Omitiales dies appellabant, cum in Comitio conveniebant, qui locus a coeundo, id eſt, ſimul veniendo eſt dictus*, auct. Sex. Pom. Plut. vero quod illuc T. Tatius, & Romulus coierint, & inter eos fœderis conditiones ſancitæ, firmatæque fuerint, Comitium dictum putat. Aſconius ait eſſe locum, quo coire equitibus, & pop. Rom. liceret. In eo fuit Hermodori Epheſii Statua, legum, quas decemviri ſcribebant, interpretis publice data. Et alia Horatii Coclitis, poſita, quod ſolus a ponte Sublicio hoſtes arcuiſſet. Hanc uſque ad ſua tempora duraſſe aſſerit Plin. ſeque invenire Pythagoræ, & Alcibiadi Statuas in cornibus ejuſdem poſitas fuiſſe. Sed ad ædificia, quæ in ipſo erant, ve-
F niamus. A porticu Fauſtinæ, quam in foro eſſe diximus, proxime ſequitur (ut ſignificat Sex. Rufus) Remi Templum, nunc D. Coſmæ, Damianoque ſacrum. Alii hoc Quirino: quidam utrique attribuunt. Dedicatum autem fuit a Carvilio Cos. victis Samnitibus, ex illorumque ſpoliis exornatum:

1. De fori pulchritudine multa percurrit obiter Ammianus.

2. Livius pulchre lib. 5. de novis tabernis, qui locus fuit prope Cloacinam Liv. lib. III. ubi cæſam virginem fuiſſe ait. Doliolum P. Victor in Aventino locat.

3. Immo ad buſta Gallica Var. & Feſt. locat, nemo eſt qui in foro locat præter Marlianum.

auct. Livius. Prima pars in ipso ingressu est circularis, postrema vero quadrata, sed oblonga, ex saxisque quadratis: valvæ æneæ. Deinceps sequebatur olim Domus Mœnii, Curiaque Hostilia, & Vetus. Sed, qua domus Mœnii fuerat, Cato ex ære publico Basilicam deinde extruxit, vicinam foro, quam Portiam appellavit. Hujus basilicæ Trib. pl. quoniam in illa jus dicere consueverant, columnam, quæ sellam eorum impedire videbatur, tollere decrevisse, scribit Plut. ex quibus verbis constat Basilicas fuisse loca, ubi jus diceretur, negociatoresque frequenter versarentur quod & Vitruvius his verbis testatur: *Basilicarum loca adjuncta foris quam calidissimis partibus oportet constitui, ut per hyemem sine molestia tempestatum se conferre in eas negociatores possint*. Juxta erat Columna, Mœnia appellata: Nam cum Mœnius eam domum venderet Catoni & Flacco Censs. ut ibi Basilica, quam diximus, ædificaretur, exceperat jus sibi unius columnæ, ut super eam tectum projiceret, & provolantibus tabulatis inde ipsi & posteri ejus spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur. ex illo igitur Columna Mœnia vocitata est: de qua meminere Asconius, Sex. Pom. & Cic. pro Sextio. Inter hanc igitur Basilicam, & Curiam veterem, posita erat Curia Hostilia, sicut indicat titulus, ibi in ruinis repertus hujusmodi: IN CVRIA HOSTILIA. Eam sub veteribus Hostilium regem ædificavisse asserit Varro: nam veteres struxit Romulus. Sex. Pom. *Fuerunt*, inquit, *& novæ Curiæ proxime compitum Fabricii ædificatæ: quod parum amplæ erant veteres a Romulo factæ: ubi is populum, & sacra in partes XXX. distribuerat, ut in iis ea sacra curarent*. Plin. literis tradidit M. Val. Max. Messalam primum omnium Tabulam picturæ prælii, quo Carthaginienses & Hieronem in Sicilia devicerat, anno ab urbe condita CCCCXC. proposuisse a latere curiæ Hostiliæ: & ante hanc collocatam esse statuam Actii, cujus basis conflagraverit curia ipsa incensa P. Clodii funere. Cic. & Livius hoc amplius addunt. Ejus cotem, & novaculam ibidem defossam esse, superque impositum puteal. Asconius autem refert, corpus Clodii, ut vulnera videri possent, delatum in forum, & pro Rostris positum, populumque deinde in Curiam tulisse, atque cremavisse, eoque igne Curiam, Portiamque Basilicam, ei conjunctam, conflagrasse. Ante eandem Curiam Rostra instituta esse commemorat Varro. Ipsumque de Rostris veteribus intellexisse significant Asconii hæc verba: *Erant enim Rostra non eo loco, quo nunc, sed ad Comitium, prope juncta Curiæ*. Etenim fuisse Rostra vetera innuit Suet. cum ait Augustum bifariam laudatum, pro æde D. Julii a Tiberio, & pro Rostris veteribus a Druso Tiberii filio. Nam nisi tunc fuissent etiam nova, non addidisset, *veteribus*. Aliqui tamen *Subveteribus* unica dictione legentes, locum quendam Subveteribus nuncupatum fuisse volunt, quod hisce Plinii verbis probare conantur: *Hinc ille jocus M. Crassi agentis sub veteribus*. Sed mihi manifestum videtur Varronem, ubi dixit Hostilium ædificavisse Curiam sub veteribus, intellexisse curiis, videlicet quas Romulus prius posuerat: & ad eundem modum Suet. & Plin. intellexisse existimo: & quia circa forum multa erant tribunalia, ideo ait, Crassum egisse sub veteribus. Quod si cujuspiam loci nomen proprium fuisset, *Subveteribus* unica, non duplici dictione, ut est in omnibus codicibus, legeretur; prætereaque præpositionem addidisset: dicimus enim agere in curia, non curia; in foro, non foro. Hæc obiter dicta sint: ad rem redeamus. Rostrorum igitur denominatio hæc a Livio traditur. *Naves Antiatium partim in navalia Romæ subductæ, partim incensæ, rostrisque earum suggestum in foro extructum adornari placuit: Rostraque id templum appellatum*. In Rostris sedentes magistratus jus dicebant: id Livius multis in locis ostendit. Ferebanturque ibidem leges, auctor Cic. pro Rabirio: & habebantur conciones, idem in Pisonem. Hoc indicat etiam Suet. sic enim inquit: *Cæsar Quæstor Juliam amitam, uxoremque Corneliam defunctas pro Rostris laudavit*. Juxta Rostra tres fuisse Sibyllæ statuas, unam quam Sex. Pacuvius Taurus ædilis plebis restituit, duas quas M. Messala: item Camilli unam: & inter antiquissimas Tullii Cælii, L. Roscii, Sp. Nautii, C. Fulcinii a Fidenatibus in legatione interfectorum singulas, Plin. auctor est. Lepidi item statuam in hoc etiam loco a Cicerone statutam, & ab eodem eversam, idem testatur ad Brutum. Inter has erat & Cn. Octavii statua, sed in oculatissimo loco a Senatu poni jussa: quoniam regem Antiochum daturum se responsum dicentem jussisset respondere, priusquam egrederetur circulo virga, quam forte tenebat, a se descripto, & in ea legatione fuisset interfectus. De hac statua meminit Cic. in Philip. Hic insuper fuit Herculis tunicati statua habitu Eleo, torvaque facie: in cujus basi tres erant tituli, L. Luculli imperatoris de manubiis: alter, pupillum Luculli filium ex S. C. dedicasse: tertius, T. Septimium Sabinum ædilem curulem ex privato in publicum restituisse. *Tot certaminum*, inquit Plin. *tantæque dignationis id simulacrum fuit*. Appianus etiam refert, Syllæ Statuam equestrem, ex auro conflatam, ante Rostra locatam fuisse, subscriptamque: CORNELIO SYLLÆ IMPERATORI FORTVNATO. Capita etiam cæsorum usitatum proponi in Rostris, ait L. Florus: & in eandem sententiam Appianus, Foro in medio ante Rostra caput Marii junioris Syllam appendisse. Quod in loco corpus Faustuli impositum fuisse, Dionys. sic refert: *In præclaro fori Romani loco pro Rostris, super leonem lapideum, impositum fuit corpus Faustuli: qui ibi ceciderat, dum certamen Romuli & Remi dirimere conaretur*. Post Rostra Romuli sepulcrum fuisse, Varro etiam affirmat. Ea autem e regione Græcostasim fuisse, quanquam ex iis, quæ diximus, satis constat, Plin. tamen apertissime indicat, ubi de horologio sic loquitur: *Duodecim tabulis ortus tantum, & occasus nominatur: post aliquot annos adjectus est & meridies, Accenso consulum id pronunciante: cum Curio inter Rostra & Græcostasim prospexisset talem solem*. Ubi intelligendum solem a meridie ita Comitium perlustrasse, ut nusquam umbra Græcostasis, aut Rostrorum, id obumbraret.

CAP. VII.

De Domo Cæsaris, Porticu Liviæ, Pacis Templo, ac de Ficu Ruminali.

CÆSAR Dictator habitavit primo in Suburra modicis ædibus: post pontificatum autem max. in via [1] Sacra, domo publica. Hanc

1. Tandem ubi fuerit C. Cæsaris dictatoris domus, agnitum est ex duabus Gabini inscriptionibus, una nempe in capite domus, aut basilicæ Juliæ; altera in postrema parte collocata cum statua: ubi hæc leguntur in una. GABINIUS NETTIUS . . . . . PROBIANUS VI. PRÆF. UR. STATUM AQUÆ BASILICÆ JULIÆ A SE NOVITER REPARATÆ ORNAMENTO ESSET ADJECIT.

a Julia nepte nimis profuse extructam, Augustus, qui, ut ait Suetonius, *ampla, & operosa prætoria gravabatur, diruit ad solum*: ibique Porticum Liviæ, a Livia Drusilla ejus uxore cognominatam, excitavit. Utriusque Ovidius sic meminit:

> *Disce tamen veniens ætas, ubi Livia nunc est*
> *Porticus, immensæ tecta fuere domus.*

De porticu meminit & Plin. *Una*, inquit, *vitis Romæ in Liviæ porticibus subdiales inambulationes umbrosis operculis opacat; eadem duodenis musti amphoris fœcunda*. Hæc loca primum curia Romuli, & Hostilia, deinde domus Mœnii, & basilica Portia, Cæsarisque domus, atque porticus Liviæ, demumque templum Pacis occupavit. Id a Claudio inchoatum, Vespasianus perfecit. Josephus, *Post*, inquit, *triumphum, & Romani imperii firmissimum statum, Pacis templum Vespasianus ædificavit*. In eo, ut ait D. Hieron. idem Vespasianus vasa, & ornamenta templi Hierosolymitani, triumpho Titi advecta, reposuit, universaque consecravit donaria, Veneremque dicavit. In eodemque fuit Heros absolutissimi operis, a Thimante: Hialysiusque, a Protogene: atque Sylla, a Nicomacho, pictura expressi. Hialysii meminit Cicero ad Atticum. Gellius autem opinatur epistolas Asinii Capitonis viri doctissimi in eodem templo fuisse. Hoc autem templum Commodi imp. tempore incendio exhaustum esse, sic scribit Herodianus; *Nam cum neque imbres, neque nubes, tantumque exiguus terræ motus antecessisset, seu nocturni casu fulminis, seu igni aliquo in ipso terrarum motu veluti extrito, totum de improviso Pacis templum consumptum incendio est*. Quod unum scilicet opus cunctorum tota urbe maximum fuit, atque pulcherrimum. rursus idem Herodianus: *Templorum omnium opulentissimum, egregieque munitum multoque ornatum auro, & argento: quippe universi ferme illuc divitias, quasi in thesaurum, congerebant*. Ficum autem Ruminalem ex Cor. Tac. verbis fuisse in Comitio, superius diximus. De hac arbore Plin. sic loquitur: *Colitur Ficus arbor in foro ipso, ac Comitio Romæ nata, sacris fulguribus ibi conditis: magisque ob memoriam ejus, quæ nutrix Romuli & Remi conditoris appellata, quoniam sub ea nutrita est lupa, infantibus præbens rumen (ita vocabant mammam) miraculo ex ære juxta dicato, tanquam in Comitium sponte transisset, adacto navigio illico arescit, rursusque cura sacerdotum seritur*.

C A P. VIII.

De Arcu Vespasiani: Templis Vulcani, Solisque, ac Lunæ: atque de Via Sacra:

SUPRA Comitium stat Arcus Vespasiani mutilatus, in cujus fronte legitur titulus sequens:

SENATVS
POPVLVSQVE. ROMANVS
DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F.
VESPASIANO. AVGVSTO.

Extructus autem fuit devictis Hierosolymis, in quo intrinsecus ab uno latere sculptæ sunt victoriæ cum arca fœderis præcedentibus XII. fascibus consularibus: ab altero triumphi spolia, aureum candelabrum, tabulæ legis Moysaicæ, vasa templi, mensaque aurea: de quibus plura Josephus. Hujus victoriæ fidem facit marmor, quod in circo nostris temporibus fuit effossum, in quo hic titulus erat sculptus:

1. Immo Titi.

S. P. Q. R.

IMP. TITO CAES. DIVI VESPASIANI
FILIO VESPASIANO AVG
PONT. MAX. TR. POT. X. IMP. XVII.XIII.
P. P.
PRINCIPI SVO QVI PRAECEPTIS PATRIAE CONSILIISQ. ET
AVSPICIIS GENTEM IVDÆORVM DOMVIT ET VRBEM
HIEROSOLYMAM OMNIBVS ANTE SE DVCIBVS REGIBVS
GENTIBVS AVT FRVSTRA PETITAM AVT OMNINO INTENTATAM DELEVIT.

Prope dictum arcum, sub ipsis collibus, ut ait Varro, fuit Vulcani Templum, de quo Sex. Pom. hic meminit: *Statua Ludienis, qui quondam fulmine ictus in Circo, sepultus est in Janiculo, cujus ossa postea ex prodigiis, oraculorumque responsis Senatus decreto intra urbem relata in Volcanali, quod est supra Comitium, obruta sunt*. Idem asserit Dionys. his verbis: *Tractantes in Volcanali templo negotia, quod superstat foro*. idemque addit, Tatium regem id dedicavisse. In eo Lotos fuit ab Romulo constituta, cujus radices in forum usque Cæsaris penetrasse asserit Plin. Haud longe a Pacis templo, eo in loco, quo nunc sunt horti D. Mariæ Novæ, extant duo fornices: quorum alter quoniam ortum hyemalem, alter occasum æstivum spectat, Solis ac Lunæ fuisse, opinamur, Quæ templa a T. Tatio, ut ait Varro, dedicata sunt. Sacræ autem viæ caput a Carinis, [2] Sireniæque sacello oriri, per eamque sacra quotquot mensibus ferri in arcem, & per eandem Augures ex arce profectos inaugurare consuevisse, partemque hujusce viæ solam notam, quæ erat a foro eunti [3] primo clivo, literis prodidit idem Varro. Sex. Pom. [4] dicit: *Quod ne eatenus quidem, ut vulgus opinatur, Sacra appellanda est, a Regia ad domum Regis sacrificoli: sed a Regis domo ad Sacellum Sireniæ: & rursus a Regia usque ad arcem*. [5] Quibus verbis conjicio, viam hanc caput habuisse a Carinis, apud amphitheatrum, protensamque fuisse per [6] hortos D. Mariæ Novæ, Regiam sive templum Pacis a dextra relinquentem, a sinistra Solis, & Lunæ templa: deinde ad Capitolium tendentem, Comitium forumque Romanum. Ita ut via hæc Comitii & fori pars esset, solo nomine ab eis distincta: ob idque quæ in ea erant, etiam in Comitio, & in foro fuisse legimus. Propterea que a Plin. dictum est, Cæsarem Dictatorem totum forum Romanum, viamque Sacram ab domo sua usque ad clivum Capitolinum in munere gladiatorio [7] intexuisse. Hujus viæ alii aliam ponunt etymologiam Sacramque dictam esse, quod in ea fœdus sit ictum inter Romulum & Tatium regem. Hic in summa Sacra via habitavit Ancus rex, prope ædem Larum.

C A P. IX.

De Foro Augusti, Nervæ, & Cæsaris: ac de Templis Martis Ultoris, Jani, ac Veneris Genitricis.

HIS commemoratis ordo videtur postulare, ut ad Capitolium, unde digressi sumus, revertamur, quo nonnulla, quæ ad fini-

2. Streniæ.
3. Imo primore ex ipso Verrone.
4. Perperam Pompeji verba, refert.
5. Horum verba, quod ea nequaquam intellexit, non ad litteram subjecit Marlianus.
6. Immo per Titi arcum.
7. Immo intexisse.

ſtram viæ Sacræ omiſſa ſunt, exponamus. Quorum primo loco eſt Forum Auguſti, quod erat in hortis poſt Marforium nunc poſitis. Id anguſtius ab eo factum ajunt, quia non auſus fuerit extorquere poſſeſſoribus proximas domos. Extruendi cauſa fuit hominum, & judiciorum multitudo, quæ videbatur non ſufficientibus duobus, etiam tertio indigere. Itaque feſtinantius, necdum perfecta Martis æde, quam in eo inchoaverat, publicatum eſt: cautumque ut ſeparatim in eo publica judicia, & ſortitiones judicum fierent. Sanxit ergo ut hic de bellis, triumphiſque conſuleretur Senatus: quique victores rediiſſent, huc inſignia triumphorum inferrent. In celeberrima hujus parte, Aug. poſuit duas Tabulas, quæ belli pictam faciem habebant, & triumphum: duaſque alias ab Apelle pictas, in quarum altera erat Caſtor, & Pollux, cum Victoria, & Alexandro Magno: altera belli imaginem reſtrictis a tergo manibus continebat, ipſo Alexandro in curru triumphante. In eodemque foro Corvini etiam ſtatuam collocavit, ut ſcribit Gellius. Legimus inſuper, ibidem fuiſſe eburneum ſimulacrum Apollinis: de quo videtur Horatius intellexiſſe, hoc emiſtichio: *Sic me ſervavit Apollo*. & Juvenalis, cum ait: *Juriſque peritus Apollo*. Hoc forum Hadrianum inſtauraviſſe auct. eſt Spartianus: cujus porticus duæ fuere, in quibus omnium ſtatuas triumphali effigie Auguſtus dedicavit. Idem præterea cum Templum Martis Ultoris bello Philippenſi, quod pro ultione paterna ſuſceperat, voviſſet, voti reus illud in ea parte ejuſdem fori extruxit, quæ D. Martinæ nunc ædi proxima eſt. Horum meminit Suet. in hunc modum: *Publica opera plurima extruxit, e quibus præcipua forum, cum æde Marti Ultoris*. & Ovid. his carminibus:

> *Victor ad ipſe ſuos cælo deſcendit bonores,*
> *Templaque in auguſto conſpicienda foro.*

Supra forum Auguſti, ad radices Quirinalis, Palatii Nervæ reliquiæ extant: & ejus porticus nonnullæ miræ magnitudinis columnæ. In proximo vero, poſt ædem nunc D. Hadriani, fuerat ejuſdem Nervæ Forum: quod [1] inchoatum eſſe a Domitiano refert Suet. *Novam*, inquit, *ædem in Capitolio excitavit Jovi Cuſtodi, & forum, quod nunc Nervæ vocatur*. Fuiſſe autem columnis variiſque ſtatuis adornatum, teſtatur [2] Spartianus, his verbis: *Statuas jocoſas, vel pedeſtres nudas, vel equeſtres Divis imperatoribus in foro Nervæ, quod nunc Tranſitorium dicitur, locabat, omnibus cum titulis, & columnis æreis, quæ geſtorum ordinem continerent*. *Tranſitorium* autem traxit nomen, quod ab eo in Romanum forum Auguſti & Cæſaris eſſet tranſitus. Extat adhuc pars porticus ipſius fori incendio corrupta cum quibuſdam columnis excelſis, & in earum epiſtyliis titulus truncatus hujuſmodi:

IMP. NERVA CAESAR AVG. PONT. MAX. TRIB.
PONT. II. IMP. II. PROCOS.

Cui titulo quidam ajunt fuiſſe etiam hæc verba, NERVÆ FECIT. In hoc foro Templum Jani fuiſſe teſtatur Ser. Sic enim ait: *Captis Faliſcis civitate Thuſciæ ibi inventum eſt ſimulacrum Jani cum frontibus quatuor (fuerat enim bifrons apud theatrum Marcelli) unde, quod Numa inſtituerat, tranſlatum eſt ad forum Tranſitorium, & quatuor portarum unum templum inſtitutum*. Ad forum Tranſitorium tranſlatum ait Ser. id eſt, eo ubi deinde forum Tranſitorium fuit. Plin. narrat, Auguſtum dedicaviſſe Janum in ſuo templo ex Ægypto advectum, Scopæne, an Praxitelis manu, dubium eſſe: ſed de quo templo Jani intelligat, non ſatis conſtat. Ad Janum ſtabant fœneratores, de quo videtur Horatius intellexiſſe, cum inquit: *Hæc Janus ſummus ab imo perdocet*. & in Sermonibus: *Poſtquam res mea Janum ad medium fracta eſt*. Sequitur parvo intervallo Forum Cæſaris, in ea parte, qua poſt D. Coſmæ, & Damiani ædem horti cernuntur. de eo Appianus ſic inquit: *Poſt victoriam contra Pompejum Cæſar Atrium templo Veneris circunduxit: quod [3] Romanum forum eſſe voluit, non rerum quidem venalium, ſed eorum quæ ad jura conveniirent*. Plinius: *Pyramides, regum miramur opera, cum ſolum tantum [4] forum extruendo ſextertiis mille ducentis Cæſar Dictator emerit*. Quod forum haud procul [5] a Comitio fuiſſe, ſignificaſſe videtur, ubi dixit, loton e Volcanali in forum uſque Cæſaris radices egiſſe. [6] In hoc foro fuit Veneris Genitricis Templum, bello Pharſalico votum, de quo Appianus ſic meminit: *Erexit & Veneri Genitrici templum ut prius ad Pharſalon voverat prælium initurus*. Et quia erat prope viam Sacram, videtur id de quo [7] Dion refert, Apollodorum reſcripſiſſe Hadriano (forte ipſum inſtauranti) ſublime, & concavum fieri oportere, ut ex loco ſuperiori in Sacram uſque viam inſignior proſpectus eſſet, & magis conſpicuum concavum ad excipiendas ludorum machinas, quæ in eo loco latenter compingi, & item ex occulto in theatrum duci poſſent. In eo vero, Ajacis, & Medeæ tabulas a Timomarcho Byzantino pictas, octuaginta talentis venundatas fuiſſe, refert Plin. Idemque pro templi foribus equi ſimulacrum, his verbis: *Nec Cæſaris Dictatoris quenquam alium recepiſſe dorſo equus traditur. Idemque hominis ſimiles pedes priores habuiſſe: hac effigie locatus ante Veneris Genitricis ædem*. In eodem foro Veneris ſimulacrum ab Archeſilao factum: ipſiuſque Veneris ſtatuam loricatam fuiſſe, idem auctor teſtatur.

CAP. X.

De Templo Telluris: & de Domo Sp. Caſſii, & M. Antonii: ac de Sororio Tigillo, Vico Scelerato, atque de Buſtis Gallicis.

TEMPLUM Telluris, quod T. Sempronius vovit, ut L. Florus commemorat, intra Carinas fuiſſe dicit Ser. Id arbitramur fuiſſe prope clivum, qui ducit ad D. Petri cognomento in Vinculis ædem. Quo in loco olim fuerat Domu Caſſii. huic opinioni aſtipulantur hæc Dionyſ. verba: *Poſt Caſſii mortem domus ejus everſa fuit, &* hu-

1. Et his Suetonii verbis, quibus Marlianus forum a Domitiano inchoatum tradit, nihil minus probatur. Imo factum omnino demonſtratur.

2. Lamprid. in Alex. *Alexandrum*, inquit, *ſtatuas coloſſeas vel pedeſtres, vel nudas, vel equeſtres Divis Imperatoribus in foro D. Nervæ, quod tranſitorium dicitur, locaſſe cum omnibus titulis & columnis æreis, quæ geſtorum ordinem continerent exemplo Aug.*

3. *Romanorum*.

4. Immo *foro*. Plin. l. 36. 15.

5. P. Victor in regione fori reponit forum Cæſaris.

6. Hoc Plin lib. 16. cap. 44. ubi hæc ait, haud quaquam indicat id quod Marlianus hic refert. Igitur Plinii verba ipſa ſubſcripſi ex eo ipſo quem citamus locum: *Romæ vero lotos in Lucinæ area anno, qui fuit, ſine magiſtratibus* CCCLXXIX. *urbis condita æde. Incertum quantum ipſa vetuſtior. Eſſe quidem vetuſtiorem non eſt dubium, cum ab eo luco Lucina nominetur. Hæc nunc circiter annum* CCCCL. *habet. Antiquior illa, ſed incerta ejus ætas, quæ capillata dicitur, quoniam Veſtalium Virginum capillus ad eam defertur. Verum altera lotos in Volcanali, quod Romulus conſtituit ex victoria de decumis, æquæva urbi intelligitur, ut auctor eſt Maſſarius. Radices ejus in forum uſque Cæſaris per ſtationes municipiorum penetrant.*

7. Qui Dionis locum penſitate legerit, non id ab eo ſcriptum fuiſſe judicabit, ſed de eo quod Hadrianus excitavit.

hucusque subdialis dimittitur. Is locus extra Telluris ædem est: quam postea extruxit civitas secundum eam viam, qua itur ad Carinas. In qua æde Cic. in Philip. ait S. C. habitum fuisse: & in ea scribens ad Q. Fratrem ejus se statuam locavisse: & alibi, prope eandem Armamentarium fuisse, idem sic refert: *Putant enim nonnulli ad me pertinere, Armamentarium Telluris aperire.* Apud eum locum, ubi postea hæc ædes constituta est, Cassius suam ipsius Statuam posuerat: quæ, postquam regnum affectavisse est dictus, a Cens. fuit conflata. Hinc haud procul fuerat Sororium Tigillum, locus videlicet sacer causa expiationis ab Horatio, ob sororem a se interfectam, in honorem Junonis constitutus. Nam eum locum prope Carinas fuisse testatur Dionys. Ait enim, *locum in quo purgarunt Horatium in angiportum ferente a Carinis deorsum esse iis, qui ad Cyprium pergerent angiportum: ubi aræ manerent tunc erectæ, & Tigillum duobus inter se contrariis parietibus fultum super eas extenderetur.* Quibus verbis intelligimus, tam Sororium Tigillum, de quo agimus, quam Vicum Cyprium, de quo jam dicemus, fuisse prope dictum clivum. Vicum autem Cyprium ex facinore Tulliæ sceleratum appellatum esse, idem auctor tradit. Cyprius enim fuerat dictus a Cypro, quod Sabina lingua bonum omen significat: Tametsi Varro non eundem esse vicum Cyprium, & Sceleratum consentit. Sic enim inquit: *Vicus Cyprus a Cypro, quod ibi Sabini cives additi consederunt, qui a bono omine eum appellarunt. Nam Cyprum Sabine bonum significat: prope hunc vicus Sceleratus, dictus a Tullia Tar. Superbi uxore, quod ibi cum jaceret pater occisus, super eum carpentum mulio ut injiceret, jussit.* Domus autem M. Antonii non longe ab æde Telluris fuit, ut Appianus sic testatur: *Iis peractis decretum nocte perlatum est, Antonium sequenti die in templo Telluris, haud longe ab ipsius domo, Senatum habiturum.* Inter hæc autem loca, & amphitheatrum nunc Colosseum appellatum, fuere Busta Gallica: ubi nunc est ædicula D. Andreæ cognomento ad Busta [1] Gallica. Quæ in media fuisse urbe Livius his verbis ostendit: *Cum esset satis altum Janiculum, ubi Camillus sedens prospectaret hostem, descendit in æquum, atque illo ipso die media urbe, qua nunc Busta Gallorum sunt, & postero die citra Gabios cecidit Gallorum legiones.* Is erat locus, ubi a Camillo interfecti fuerant sepulti. Varro: *Is locus, inquit, ad Busta Gallica: quod Roma recuperata, Gallorum ossa, qui possederant urbem, ibi coacervata, ac consepta.* Tametsi Livius eos morbo interemptos esse dicat. In hoc ambitu fuit Salutis ædes, vota bello Samnitico a C. Junio Bibaculo Cos. ab eodemque Cens. locata, & Dictatore dedicata, eodem Livio auctore.

CAP. XI.

De Theatro Marcelli: Curia, Porticu, & Schola Octaviæ: ac de Templo Junonis, Apollinisque Delubro.

HIS descriptis, ad eam vallem, quæ inter [1] Tiberim, Capitolium, Palatium, & Aventinum jacet, transeamus, agamusque de ædificiis, ac locis insignibus, quorum nonnulla adhuc extant. Theatri Marcelli, quod sub nomine nepotis ex sorore Octavia Augustus excitavit, pars, vetustate igneque corrupta, inter Tarpejam rupem, dictumque Tiberim adhuc cernitur. Capiebat autem loca [2] LXXX. M. Hujus Scena a Vespasiano fuit restituta, in eaque mox ludos edidit. Ante Theatrum Curiam Octaviam fuisse, tradit Appianus: cui juncta erat ejusdem nominis Porticus, quam totum id spatii occupavisse crediderim, quod est ab æde nunc D. Nicolai in Carcere, ad eam quæ S. Mariæ in porticu dicitur. In hac Curia multæ statuæ erant statutæ: sed inter cæteras Apollinis fulmen tenentis. In porticu vero Sauron, & Batrachum templa clausa fecisse, scribit Plin. Artemonaque nobilissimas picturas pinxisse: in iisque Herculem ab Oeta monte exuta mortalitate consensu Deorum in cælum euntem. Intraque eandem porticum fuisse Junonis ædem, & in ea ipsius deæ statuam a Dionysio, & Polycle factam: ac Veneris a Philisco: insuperque Aesculapii, & Dianæ a Cephisiodoro: ad eandemque porticum laudari Apollinem Philisci Rhodii in suo delubro: item in eodem templo Latonam, & Dianam, & novem Musas: & alterum Apollinem nudum, alterumque, qui citharam teneret, Timarchidem fecisse. In Scholis vere esse Praxitelis Cupidinem, objectum a Cicerone Verri, per quem Thespiæ visebantur: & multa in eisdem scholis sine auctoribus placere, veluti erant Satyri quatuor, ex quibus unus Liberum patrem perferebat: & alter Liberum similiter: tertius ploratum infantis cohibebat: quartus cratere alterius sitim sedabat: veluti etiam duæ Nymphæ sua veste velificantes. Easdem autem scholas adornarunt & tabulæ pictæ. Nam, ut idem refert, Antiphilus in eis Hesiona nobilem pinxit, & Alexandrum, ac Philippum cum Minerva. Præterea ait, Veneris statuam eximiæ pulchritudinis manu Phidiæ in Octaviæ operibus esse.

CAP. XII.

De Foro Olitorio: Templis Junonis Matutæ, Spei, Jani, Pietatis, & Carmentæ: ac de Carcere Pl. Ro. Sacrario Numæ: & de Columna Lactaria.

INTER Marcelli theatrum & Capitolium jacet platea nunc Montanaria vocitata, ubi olim fuit Forum [3] Olitorium: quod extra portam Carmentalem fuisse ait Asconius. *Forum Olitorium,* inquit Varro, *erat antiquum macellum, ubi olerum copia. Ea loca etiam nunc Lacedæmonii vocant macellum: sed Iones ostia hortorum.* In hoc fuit Junonis Matutæ ædes, ubi nunc D. Andreæ cognomento in Mentuza, sive in Vinciis: vota, & locata est Gallico bello a Cor. Cos. ab eodemque Censore dedicata, auctor Livius: qui in eodem foro etiam Spei ædem fuisse tradit, eamque fulmine ictam bello Pun. & Q. Fabio consulis filio, ac T. Sempronio Graccho Coss. incendio conflagrasse. Hanc consecravit Collatinus. Cic. de legibus. *Recte,* inquit, *etiam Spes a Collatino consecrata est.* Sed quoniam Cor. Tac. ait, ab Attilio esse votam, & a Germanico sacratam, existimandum est, aut fuisse hanc denuo instauratam, aut aliam esse de qua Tacitus loquitur. In foro Olitorio columnam Lactariam, ad quam infantes lacte alendi deferebantur, stetisse asserit Sex. Pom. In eodem etiam fuit Jani templum circa imum Argiletum, juxta theatrum Marcelli. Hoc Numam regem in duobus brevissimis templis fecisse, eique duas fuisse portas, quas aperire cum bellum esset, in pace vero claudi legitimum foret, scribit Ser. Alii tamen T. Tatium & Romulum facto fœdere templum hoc constituisse volunt: propter eaque Janum duas

1. Pocrogallo.
1. At vallis est quæ terra inter duos montes jacet, non quæ inter montem & amnem.
2. XXX. Suet.
3. Forum Olitorium alibi ex P. V.

facies habere, quasi ut ostendat duorum regum coitionem. Cor. vero Tac. ait, Duilium esse hujus templi auctorem. ejus sunt hæc verba: *Jano templum, quod apud forum Olitorium Cn. Duilius struxerat, dedicavit, Speique ædes a Germanico sacratur.* Alibi commemorat Tiberium Cæsarem Jani templum dedicavisse, apud forum Olitorium, votum a Duilio bello maritimo adversus Pœnos prospere peracto, si modo de hoc eodem intelligunt: nam quod aliud ea ætate fuerit, nobis non constat. Cum autem idem esse Jani templum, de quo Servius & Tacitus loquuntur, dubitari non possit, non video quo pacto utriusque stet sententia: nisi dixerimus, a Numa structum, denuoque a Duilio instauratum, ampliatumque. Id vero prope D. Nicolai ædem, aut certe eo ipso loco fuisse, crediderim. Hic enim locus ad imum Argiletum, & juxta theatrum Marcelli positus est, atque extra portam Carmentalem, quod ait Sex. Pom. ad dextramque Fabiis ea porta ad bellum exeuntibus, quemadmodum Livius & Ovidius voluere. Nam licet hæc porta ad forum Olitorium vergeret, tamen cum secundum muros urbis ad sinistram flectere iter cogerentur, ut per Sublicium pontem, qui tunc unicus erat, transirent. Jani templum ad dextram relinqui fuit necesse. Prope hoc templum fuit sacrarium ipsius Numæ, circa imum Argiletum. Item carcer plebis Romanæ: hujus vestigia apud eandem D. Nicolai ædem extare videntur. Quam carcerem Ap. Claudius decemvir constituit, in eoque reus judicii inclusus sibi mortem conscivit, ut tradit Livius. In hoc [4] carcere fuit templum Pietatis a M. Attilio Glabrione Duumviro dedicatum, ut idem est auctor. Causam struendi templum Plin. sic ostendit: *Humilis in plebe, & ideo ignobilis purpurea supplicii causa carcere inclusa matre, cum impetrasset aditum a Janitore, semper excussa ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam. Quo miraculo matris salus donata filiæ pietati est, ambæque perpetuis alimentis, & locus ille eidem consecratus est deæ, C.* [5] *Quintio & M. Attilio Coss. templo* [6] *Pietatis extructo in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli theatrum est.* Sextus vero Pom. patrem inclusum carcere, non matrem, uberibus filiam clam aluisse, scribit: templumque ipsum eo in loco extructum fuisse, ubi puella antea habitaverat, non in carcere. Hoc templum Cos. Cotta de cælo tactum fuisse testatur Cic. primo de div. Fanum Carmentæ sub Capitolio esse, scribit Dionys. meminit & Gellius libro XVIII. Positum autem fuit apud portam Carmentalem a Carmenta, ut supra diximus, nuncupatam: ubi reliquiæ ædiculæ D. Catharinæ hodie cernuntur. Quod fanum mulieres Romanæ ei deæ ædificarunt gratiam referentes quod vehicula, quibus S. C. privatæ fuerant, ipsis essent restituta. Carmenta enim Evandri mater fuit, Nicostrata prius appellata: quæ, quia carminibus oracula edebat, Carmenta postea est dicta, ab eaque carmina: auct. Plut. in prob.

CAP. XIII.

De Argileto: Domo Sp. Melii, & Africani: & de Æquimelio: Tabernis Bibliopolarum: Basilica Sempronii: ac de Asylo.

ARGILETUM autem a fine vici Thusci, atque a Velabro oriri, invenio: ejusque imum esse ad Marcelli theatrum. Hujus etymologiam Varro duplicem sic ponit: *Argiletum sunt qui scripserunt ab Argo, quod is huc venerit, ibique sepultus sit: alii ab argilla, quod ibi id genus terræ sit.* Priorem etymologiam probat Servius. sic enim inquit: *Evander Argum quendam hospitio suscepit, qui cum de ejus cogitaret interitu, ut ipse regnaret, Evandro hæc non sentiente, socii intellexerunt, qui Argum necarunt: cui Evander & sepulcrum fecit, & locum sacravit, de quo Virgilius meminit hoc carmine:*

Nec non & sacri monstrat nemus argileti.

In ea autem parte Argileti, quæ a dextra occurrit a porta Carmentali ad Velabrum, & non longe ab æde nunc D. Joannis decollati, Æquimelium fuisse, ex verbis Livii conjectura assequi mihi videor. ea hæc sunt: *Substructionem super Æquimelium in Capitolio, & viam silice sternendam a porta Capena ad Martis ædem Ædiles locaverunt.* & rursus: *Lupus Esquilina porta ingressus, frequentissima urbis parte decurrit in forum; Thuscoque vico, atque Æquimelio per portam Capenam prope intactus evasit.* Æquimelium autem unde dicatur, sic ostendit: *Nec satis est Melii sanguine expiatum, nisi tecta parietesque, intra quæ tantum amentiæ conceptum esset, dissiparentur, bonaque cuncta preciis regni mercandi publicarentur. Jubere itaque Quæstores vendere ea bona, atque in publicum redigere. Domum deinde, ut monumento area esset oppressæ nefariæ spei, dirui extemplo jussit: idque Aequimelium appellatum est.* Quod etiam Cic. pro domo sua comprobat. Ad Æquimelium erant opificum multæ tabernæ: laneæ inter alias, & bibliopolarum, de quibus Martialis sic meminit:

Argiletanas mavis habitare tabernas,
Cum tibi, parve liber, scrinia nostra vacent.

Apud ædem nunc D. Georgii fuit domus P. Africani, ubi deinde T. Sempronius Basilicam fecit: de qua Livius quarto decadis quintæ sic loquitur: *T. Sempronius ex ea pecunia, quæ ipsi attributa erat, ædes P. Africani pone veteres ad Vertumni signum, laneasque & tabernas conjunctas in publicum emit: basilicamque faciendam curavit, quæ Sempronia appellata est.* Qui autem volunt Asylum, de quo dictum est, fuisse sub rupe Tarpeja, ut id comprobent, citant Ovidii hæc carmina:

Tum quoque vicini lucus celebratur asyli,
Qua petit æquoreas advena Tibris aquas.

Et quanquam hi versus non faciunt de loco Asyli certam fidem, tamen cum in Capitolio, in quo prius fuerat constitutus, fuissent multa templa, atque ædificia excitata, credendum omnino esse censemus, in alium locum esse translatum, atque in eum, quem dicunt totum id spatii occupavisse, quod est a rupe Tarpeja, hinc ad forum Boarium usque, inde ad pontem Senatorum, & ad radices usque Aventini montis.

CAP. XIV.

De Velabro: Foro Boario: Arcu Septimii: Vertumni Signo: & de Jano quadrifonte: ac de Sepulcro Accæ Larentiæ.

EX eruptionibus Tiberinis olim fiebat sinus in modum lacus, hinc ad forum Romanum fere usque, inde ad Circum max. quo Aventinus a reliquis montibus discludebatur. Itaque qui eo ex urbe ibant, lintribus advehebantur, quadrantemque solvebant. unde lacum ipsum *Velabrum a vehendo* appellarunt: *nam velaturam*

4. Festus aliter.
5. Immo T. Quinctio Flaminio, & M. Acilio Balbo.
6. Plin. VII. 36. Inconstans historia de Pietatis dedicatione.

facere dicebantur, *qui id mercede facerent*, auctor est Varro. quod attigit Propertius cum inquit:

At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua.

& Ovidius:

Qua Velabra solent in Circum ducere pompas,
Nil præter salices, crassaque canna fuit.
Hic, ubi nunc fora sunt, lintres errare videres,
Quaque jacent valles, maxime circe, tuæ.

Lacu ipso postmodum exsiccato atque repleto in ejus parte, quæ a Jano quadrifonte in Aventinum vergit, forum Boarium fuit institutum: quod nomen obtinuisse aliqui volunt ab æreo Tauri simulacro ibi statuto, ubi Romulus sulcum urbis condendæ designare cœpit, de quo Plin. ita meminit: *Proxima laus æri Æginetico fuit insula, & ipsa nec æs gignens, sed officinarum temperatura nobilitata. Bos æreus inde captus in foro boario est Romæ.* Alii ob taurum immolatum interfecto Caco bobusque recuperatis Boarium appellatum tradunt. Utranque opinionem attigit Ovidius, his carminibus:

Pontibus & magno juncta est celeberrima Circo
Area, quæ posito de bove nomen habet.
Immolat ex illis taurum tibi, Juppiter, unum
Victor, & Evandrum ruricolasque vocat.

Sex. vero Pom. Boarium dictum putat, *quod ibi boves venundarentur*. cui astipulatur Varro, cum inquit: *Quo quidem genera conferrent, forum appellatum, additumque ab eo cognomen, ut forum Boarium*. Quod etiam Livius innuit, memorans in eodem foro bovem in tertiam contignationem ascendisse. In hoc foro in honorem L. Septimii & M. Aurelii arcus a negociatoribus & argentariis fuit extructus, qui proximus D. Georgii ædi adhuc extat, cum sequenti titulo insculpto:

IMP. CAES. L. SEPTIMIO. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. ARABIC. ADIABENIC. PARTH. MAX. FORTISSIMO. FELICISSIMO
PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XII IMP. XI. COS. ❧. III. ❧. PATRI. PATRIAE. ET
IMP. CAES. M. AVRELIO. ANTONINO. PIO. FELICI. AVG. TRIB. POTEST. VII COS. III. P. P. PROCOS. FORTISSIMO. FELICISSIMOQVE. PRINCIPI. ET
IVLIAE. AVG. MATRI. AVG. N. ET. CASTRORVM. ET. SENATVS. ET. PATRIAE. ET. IMP. CAES. M. AVRELI. ANTONINI. PII. FELICIS. AVG.
PARTHICI. ❧. MAXIMI. ❧. BRITTANICI. ❧. MAXIMI. ❧.
ARGENTARI. ET. NEGOCIANTES. BOARI. HVIVS. LOCI QVI DEVOTI. NUMINI. EORVM

INVEHENT

Quamobrem in eodem visuntur taurorum immolationes, & instrumenta ad sacrificandum cum victimariis, sacrificolisque. Non longe ab hoc arcu, Vertumni signum fuisse, innuit Cicero, qui sic inquit: *Quis a signo Vertumni in Circum max. venit, quin is uno quoque gradu de avaritia tua commoneretur?* Idem Asconius significat, cum in ultimo vico Thurario (quo nomine Thuscum intelligit) sub ejus basilicæ angulo, quam Semproniam diximus, Vertumni signum fuisse scribit. Quem Deum

A eo nomine appellarunt, quod in rebus vendendis emendisque cogitationes hominum verteret, licet Propertius aliis rationibus id nomen obtinuisse his carminibus tradiderit:

Hac quondam Tiberinus iter faciebat, & ajunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
Postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne Deus.
Seu quia vertentis fructus percepimus anni,
Vertumni rursus credidit esse sacrum.

Sex. Pom. ædem quoque illi Deo fuisse, ostendit B his verbis: *Picta nunc toga dicitur, purpurea antea vocitata est, eaque erat sine pictura: ejus rei argumentum est pictura in æde Vertumni & Consi. Quorum in altera M. Fulvius Flaccus: in altera T. Papirius Censor triumphantes ita picti sunt.* Hanc Vertumni ædem in vico Tusco locatam fuisse scribit Sex. Rufus. In eodem foro extat ædificium marmoreum ad modum porticus quadratæ, quatuor portis, sive faciebus: propterea Jani quadrifrontis esse Templum plerique omnes consentiunt. Quos ut sequamur, inclinat animus: ex eo quod cum Janus tempus significet, portæ illæ significare videntur quatuor anni tempora: & loculi, sive delubra C in singulis frontibus duodecim existentes, menses, in quos annus dividitur. Unde & Varro libro quarto rerum humanarum, Jano XII. aras pro totidem mensibus fuisse dicatas ait. Sic enim ejus simulacrum effingebatur, ut dextera manu trecentorum, sinistra autem quinque & sexaginta numerum haberet, ad anni dimensionem ostendendam. Nonnulli autem tradidere hoc esse templum, quod Livius & Ovidius dicunt fuisse a dextera Fabiis porta Carmentali exeuntibus. quod falsum esse satis constat: cum illud a Numa ad theatrum Marcelli, extra eandem portam positum fuerit, ut supra com- D probatum est: hoc vero in Velabro longe ab eodem theatro distans. Quod hodie non plane integrum omnino extat: quippe cum multis olim columnis, aliisque ornamentis decoratum fuisse dignoscatur: ejus quale nunc licuit exemplum subjeci. Prope hoc forum in Velabro positam esse aram Accæ Larentiæ Cic. in Ep. ad Brutum sic testatur: *Ego enim D. Bruto liberato cum lætissimus ille civitati dies illuxisset, idemque casu Bruti natalis esset, decrevi, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen ascriberetur, in eoque sum majorum exemplum secutus, qui hunc honorem mulieri Larentiæ tribuerunt: vos cujus pontifices ad aram in Velabro sacrificium face-* E *re soletis*. Quæ sequuntur hoc loco nihil ad rem faciunt. Ibi celeberrimo in loco ejus Larentiæ etiam sepulcrum fuisse, scriptum reliquit Antias.

CAP. XV.

De Æde, Ara, & Simulacro Herculis: ac de Templis Pudicitiæ, Matutæ, Fortunæ, & Murtiæ.

ÆDES Herculis in foro Boario erat, & in qua, tempestate Solini, ut ipse testatur, *argumenta, & convivii & majestatis ejus* F *remanebant. Nam divinitus neque muscis illo, neque canibus ingressus erat. Etenim cum visceratIonem sacricolis daret, Myiagrum, id est, muscarum congregatorem Deum dicitur imprecatus: clavam vero in aditu reliquisse, cujus olfactu refugerent canes.* Hanc ædem Macrobius Herculis Victoris appellavit, alteramque ejusdem cognominis fuisse ad portam Trigeminam affirmat. Prior tempore Sisti IV. Pont. Max. solo fuit æquata, ibique reperta ipsius Herculis statua ænea: quam hic accurate expressam apposuimus. Eam in ædi-

bus Conſervatorum nunc eſſe libro ſecundo dictum eſt. Ibi hic etiam deo Herculi titulus invenitur:

DEO HERCVLI INVICTO
C. IVL. POMPONIVS PVDENS
SEVERIANVS. V. C. PRAEF. VRB.

Plin. ait, Evandrum ſtatuam Herculi in foro Boario ſacraviſſe, quæ triumphalis Hercules dicebatur, eo quod per triumphos triumphali habitu veſtiretur. Nec vero arbitramur hanc Herculis ſtatuam illam eſſe, quam Plin. ait Evandrum in foro Boario ſacraviſſe: ſed potius eam quæ M. Fulvio & Cn. Manlio Coſſ. poſita fuerat in ipſius Herculis æde, nobili Pacuvii poetæ pictura celebrata, in qua lectiſternium eſſe non licebat: neque in ejus dei ſacris ſervis, aut libertis intereſſe. Regnante autem Evandro Hercules aram ſolum habuiſſe dicitur. Hujus Virg. Æn. 8. 271. ſic meminit:

Hanc aram luco ſtatuit, quæ maxima ſemper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima ſemper.

C Hanc a magnitudine fabricæ maximam appellatam eſſe ferunt. Ser. *Ingens eſt*, inquit, *ara Herculis, ſicut videmus hodieque*. Fuit autem venerationis inter accolas præcipuæ: quod Hercules ipſe ad eam boum decumas obtulit, dixitque illos vitam beatiſſimam victuros, qui ſibi bonorum decumam dicaviſſent. Quod fecit Sulla, Lucullus, & M. Craſſus. Ab hac ara ſequeſtrari mulieres voluit, nihilque attingere, neque deguſtare, quod ſuper eam immolatum eſſet. Unde Gellius: *Mulieres Herculaneo ſacrificio abſtinent*. Hujus rei ratio hæc eſt. Quia Herculi (cum boves Geryonis per Italiæ agros duceret) ſitienti reſpondit mulier, aquam ſe non poſſe præſtare, quod fœminarum deæ celebraretur dies, nec ex eo apparatu viris guſtare fas eſſet. Propter quod Hercules facturus ſacrificium deteſtatus eſt præſentiam fœminarum. Non procul ab hac ara fuit Pudicitiæ patriciæ ædes, * ab Æmilio condita, auctor Livius. Cujus deæ plures ædes ſacras Romæ fuiſſe, innuunt Propertii hæc carmina:

Templa Pudicitiæ quid opus ſtatuiſſe puellis?
Si cuivis nuptæ quidlibet eſſe licet.

Signum Pudicitiæ, *quam quidam* (ut refert Sex. Pom.) *Fortunam eſſe exiſtimant, fuit in foro Boario, ubi familia ediſſet Herculis*: cujus ſacra non obibant plebejæ. quare in vico longo Pudicitiæ ſacellum a virgine plebeja excitatum eſt, ut in eo ejus deæ ſacra plebejæ peragerent. Fortunæ proſperæ, & Matutæ ſacras ædes conſtituit Ser. Tullius. Fortunæ quidem ideo, quod ea favente ſublevatus fuerat, & ab ancilla matre ad regnum provectus, hincque Fortunæ primigeniæ, & maſculæ templa erexit. auct. Plut. in probl. Erexit & Fortunæ parvæ Sacellum, quaſi docens attendendum eſſe, ne ea quæ accidunt, tanquam parva contemnamus. Hic etiam Matutæ ædem, quam poſuerat, refecit. Narrat Varro, eundem Servium Fortis Fortunæ ædis auctorem extitiſſe, cum inquit: *Dies Fortis Fortunæ appellatus ab Ser. Tullio, quod is Fanum fortis Fortunæ, ſecundum Tiberim, extra urbem Romam, dedicavit*. Etſi Livius commemoret, Carvilium Coſ. ex bello Hetruſco æris gravis tuliſſe in ærarium trecenta nonaginta millia, de reliquo ære ædem Fortis Fortunæ faciendam, prope ædem ejuſdem Ma-

* Immo C. & L. baſilica, ut ex inſcriptionibus nuper inibi effoſſis apparet.

A tutæ, locaviſſe; tamen, aut aliam ab hac, de qua Varro, fuiſſe, aut ea, quæ a Tullio ædificata fuerat, vetuſtate collapſa, Carvilium in ejus locum alteram ſubſtituiſſe, exiſtimandum eſt. Legimus autem apud Plin. Q. Catulum ſigna duo palliata in æde Fortunæ poſuiſſe, & ad eandem ædem Paulum Æmilium Minervam, quam Phidias fecerat, dedicaviſſe: Item Pythagoram Samnium initio pictorem ſigna ſeminuda ibidem ſtatuiſſe. Sed de qua Fortunæ æde intelligat, incertum habemus. Hic non ab re viſum eſt lectorem admonere, quod in hoc ipſo foro gladiatorum munus primum Romæ B eſt datum. Nec longe ab eodem, ad radices Aventini montis, erat Murtiæ Deæ Sacellum. id quod oſtendunt Livii hæc verba: *Tum quoque multis millibus Latinorum in civitatem acceptis, ut jungeretur Palatio Aventinus, ad Murtiæ datæ ſedes*. Hæc enim ſecordiæ eſt Dea. Poſt hæc, ſequitur Circus Max. de quo priuſquam agamus, ad ea quæ ſecundum Tiberim a Marcelli theatro ad radices uſque ejuſdem montis ſunt relicta, revertamur.

CAP. XVI.

De Foro Piſcario: Templis Fortunæ Virilis, & Veſtæ: & de Salinis, atque Arcu Hor. Coclitis.

POST theatrum Marcelli, inter ſacras ædes nunc Divæ Mariæ cognomento in porticu, & D. Mariæ Ægyptiacæ, ad Tiberim, fuit Forum Piſcarium. quod innuere videtur Var. cum ait: *Secundum Tiberim ad Junium forum piſcarium vocant*. Ubi quidam pro *ad Junium*, *ad Janum* legunt: cum tamen in omnibus fere codicibus ſcriptum ſit, *ad Junium*. Unde fit ut credam, ad Junium forum eſſe dictum, eo pacto quo forum Cupedinis ad Cor- D neta appellatum inquit Var. D. autem Mariæ Ægyptiacæ hodie ſacratum, olim vero Fortunæ Virili, templum, pæne integrum etiam nunc extat. De eo Diony. ſic ait: *Duobus extructis templis Fortunæ, altero in foro Boario, altero ad ripas Tiberis, quam appellavit Virilem*. Et quanquam de hoc variæ opiniones ſunt, nemo tamen ſuam ſententiam probato auctore tuetur. In hoc templo fuit ſtatua lignea Ser. Tullii auro ſuperfuſa, quæ orto incendio cæteris concrematis, ſola incorrupta permanſit, auct. Val. Max. Legimus apud Strabonem, Lucullum Fortunæ templum ſtruxiſſe. ejus ſunt hæc E verba: *Lucullus cum ædem Fortunæ conſtruxiſſet, & porticum quandam, ſtatuas, quas Mumius habebat, petivit in eum uſum, ut ædem exornaret ad oſtentationem: mox deinde fore ut reſtitueret. minime reſtituit: ſed eas ut dona deæ poſuit*. De qua autem Fortunæ æde Strabo intelligat, dubium eſt. Proximo loco extat Ædes Veſtæ antiquiſſima, nunc Divo Stephano dicata, cujus forma circularis: extra murum interiorem columnæ XVIII. circularem porticum efficiunt. De hac æde itidem auctores diſſentiunt. Dionyſ. verba noſtræ opinioni conſentire magis videntur. ea ſubjeci: *Sed de conſtitutione templi, quod nunc extat, iſti videntur igno-* F *raſſe: neque enim locum illum, in quo nunc ſacer cuſtoditur ignis, Romulus dedicavit Deæ, cujus rei magnum argumentum eſt, quod is extra eam eſt, quæ quadrata dicta eſt Roma, quam Romulus muro cinxit*. Poſſumus præterea conjicere hanc eſſe Veſtæ, ex eo quod eſt rotunda, & qualis deſcribitur a Sex. Pom. qui ſic ait: *Rotundam ædem Veſtæ Numa rex conſecraſſe videtur, quod eandem eſſe terram, qua vita hominum ſuſtineretur, crediderit: eamque in pilæ formam eſſe, ut ſimili templo Dea coleretur*. Cum igitur hæc ſit extra urbem Romuli, nullaque alia rotunda extra ipſam cernatur, conſtare puto

A ædem Vestæ, quæ inter Capitolium & Palatium obtinuit locum, a Romulo, hanc vero a Numa excitatam. Neque enim video quonam pacto Herculis templum dici possit, ut nonnulli affirmare sunt ausi, cum Corinthia sit structura. Nam Vitruvius scribit, Herculi, Minervæ, & Marti Doricas ædes esse faciendas: quia his diis, propter virtutem, sine deliciis ædificia constitui decebat. Quod autem Horatius dicit:

Vidimus flavum Tiberim retortis
Litore Hetrusco violenter undis
Ire dejectum monumenta regis,
Templaque Vestæ.

B ad templum Vestæ, de quo supra diximus, referendum esse existimo: nam ad hanc, quæ in ripa Tiberis posita est nihil mirum videri poterat, exundantem Tiberim pervenisse.

Haud procul ab hac æde erant Salinæ, de quibus supra meminimus. Horatii Coclitis Arcus, de quo reliquum erat dicere, sunt qui putant ad radices Aventini stetisse, prope eum locum, ubi pons Sublicius fuerat, ibique saxa quædam eruta fuisse dicunt, hoc titulo inscripta:

C P. LENTVLVS CN. F. T. QVINTIVS CRISPINVS
VALERIANVS EX S. C. FACIVNDVM
CVRAVERE IIDEMQ. COMPROBAVERE

Ego vero nihil de eo certi habeo, quod affirmare possim, tamen memoria rei ab ipso Horatio in eo ponte gestæ, horum sententiam approbare videtur.

CAP. XVII.

Circus quid sit: unde dictus; cujus rei causa institutus: & de eo, qui Maximus dicitur.

D CIRCUS locus erat forma circulari, sed oblonga, gradus habens plurimos, in quibus ludos spectaturi sedebant, atque ita ut alter alterius prospectum non impediret. In curriculo duæ metæ pari intervallo utrinque positæ erant, circum quas equi & quadrigæ currebant: quæ in equestribus decursionibus interdum tamen tollebantur, de quibus Suet. ita meminit: *Nam quo laxius dimicaretur, sublatæ metæ, inque earum locum bina castra ex adverso constituta erant.* Idem in Claudii vita: *Circo vero maximo marmoreis carceribus, auratisque metis, quæ utraque tophina, & lignea fuerant, exculto, propria Senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis.* [1] Dictus est autem Circus a circuitu, quod circum spectaculis ædificatis ibi ludi fierent, & quod ibi circum metas ferebatur pompa, & equi currebant. Institutus autem fuerat ad celebrandos ludos, qui in Deorum honorem, templorum locorumque publicorum dedicationem fiebant. [2] In his varia dabantur certamina, ut puta equestria, curulia, venationes, & alia hujusmodi. De equestribus Ovidius sic meminit:

1. Nescit Marlianus quæ Servius de circo in Georg. III.

Centum quadrijugos agitabo ad flumina cursus.

2. Prætores præfuisse ludis Circensibus exhibendis Ovid. indicat lib. elegiarum III. eleg. II.

Maxima jam vacuo Prætor spectacula circo
Quadrijuges æquo carcere misit equis.

Hinc

Circus erat pompa celeber, numeroque Deorum,
Primaque ventosis palma petetur equis.

De curulibus, Plin. his [3] verbis: *Nam in Circo ad currus juncti equi non dubie intellectum adhortationis, & gloriæ fatentur.* Idem ostendit & feras cum hominibus pugnavisse, veluti elephantem Claudii Pulchri ædilitate curuli. ostendit & Gellius, cum ait: *In Circo venationis amplissimæ pugna populo dabatur.* Et Suet. in Calig. *Edidit*, inquit, *& circenses plurimos a mane usque ad vesperas, interjecta modo Africanarum venatione, modo Trojæ decursione, & quosdam præcipuos minio & chrysocolla constrato Circo.* Sed quod ad Circum Maximum pertinet, ejus partes singulas ex Dionys. verbis cognoscere licebit, ideoque ea subjeci: *Extruxit Circum maximum Tarquinius, qui est inter Aventinum & Palatinum, circum eum primus faciens sedilia cooperta: primum enim spectabant stantes sub tabernaculis ligneis, barundinibus aridis fultis. Longitudo Circi est trium stadiorum cum dimidio: latitudo quatuor jugerum. Circum vero secundum majora latera, & secundum unum minorum stagnum in susceptionem aquarum defossum est, altum latumque pedes denos: postque stagnum ædificatæ sunt porticus tectura triplici: harum autem pavimenta habent, ut in theatris parum superstantia, lapidea sedilia, in superioribusque lignea. Conducuntur autem in unum, & conjunguntur invicem majores, & minores ad figuram lunarem, ita ut fiat porticus una circularis ex tribus, quæ ab uno simul omnes verbere recluduntur, octo stadiorum. Reliquum autem minorum laterum apricum, atque habet apertum in modum forficum equorum emissiones, quæ per unum simul omnes stimulum reclu-*

Hinc & Juven. Sat. VIII.

Nec dubitant celsi Prætoris vendere ludis,

Et alibi idem Satyr.

Quid? si vidisset Prætorem in curribus altis
Extantem, & medio sublimem pulvere Circi.

De Circi metis Ovid. eodem in loco his verbis:

Me miserum metam spatioso circuit orbe.
Quid facis? admoto proximus axe subi.
Quid facis, infelix? perdis bona vota puellæ,
Tende, precor, valida lora sinistra manu.

E Hinc Ovid. eod. libro paulo superius:

Nunc stringam metas interiore rota.

Statius:

Flectere si posset circum compendia metæ.

Et Persius:

Aut metæ quam mollis flexus.

Horat. 1. Carm. 1.

Metaque fervidis evitata rotis.

F Nam industriæ & laboris in his ludis erat, ne adeo a meta agitator diversus abiret, ut ipsum inter & metam alius subiret, aut metæ nimium adhærens rotam frangeret. Ad hæc in Circensibus morem fuisse revocandi ignavum cursorem togarum jactatione Ovid. libro eodem, & loco elegiarum superius citato indicat his versibus:

Favimus ignavo, sed eum revocate, Quirites,
Et date jactatis undique signa togis.

& reliqua ibidem.

3. Quibus verbis Plinius non de quadrigis magis, quam singulis equis intelligit. Quod hic Marlianus ignorasse videtur.

duntur . Est autem circa eundem Circum extrinsecus alia porticus , unius tecturæ officinas in se habens , & habitationes super eas , per quam sunt ingressus & ascensus venientibus ad spectaculum juxta quanque officinam : ita ut nihil turbet tot millia ingredientium & abeuntium . Hactenus ille . Cujus verba quia subobscura videbantur , ut facile possint intelligi , ipsius Circi formam hic exprimere volui . Animadvertendumque etiam erit , per stagnum , Euripum intelligere, de quo Suet. in Cæsare sic meminit : *Spatio Circi ab utraque parte producto , & in gyrum Euripo addito .* Non credimus autem Tarquinium hunc Circum in eam amplitudinem posuisse , quam describit Dionys. Nam Dion refert, hunc collapsum Trajanum ampliorem elegantioremque restituisse, cum antea Augustus eum adornavisset . Heliogabalus deinde columnis pulcherrimis auroque illustravit : & pavimentum ex chrysocolla fecit . Sed de columnis , quas diximus , Nazarius in paneg. sic inquit : *Circo ipsi maximo sublimes porticus , & rutilantes columnæ tantum inusitati ornatus dederunt , ut illo non minus cupide conveniatur loci gratia , quam spectandi voluptate .* Partem hujus Circi Aventino contiguam Tiberii tempore deustam esse testatur Cor. Tac. Maximi nomen , a ludorum magnificentia , eum obtinuisse aliqui volunt : alii , quod est verisimilius , quia major esset Flaminio , & Intimo , capax , ut scribit Sex. Rufus , CCLX. M. hominum sedentium . Nam quod Dionys. dicit , CL. tantum , nisi fortasse apud Rufum locus est depravatus , ut apud eundem alii multi , existimarem de ampliato jam post Dionys. tempora Circo , Rufum intellexisse : & Maximi cognomentum , [4] non statim postquam extructus est , fuisse illi inditum , sed longo post Tarquinium tempore , quod innuit Livius , cum ait : *Circus , qui nunc Maximus dicitur . Nunc* enim ait, quasi prius eo nomine careret . Ejus autem longitudinem trium stadiorum , & passuum LX. tamen sine ædificiis fuisse invenio . Etsi Plinius dicit trium stadiorum esse, & Dionysius trium cum dimidio , utrunque tamen recte sentire opinor : illum enim curriculi, hunc cum curriculo sedilium etiam spatium complexum esse, existimo : vel certe , cum stadia tria excederet , nec dimidium integrum contineret , placuisse Plin. tria stadia tantum dicere : Dionysius vero dimidium addere . Nam historicus locorum mensuram ponere non cogitur : id si quando accidit , ut ipsorum laxitatem , altitudinemque demonstret , (quod & nos in aquarum castellorum descriptionibus , & alibi quandoque fecimus) non ita exacta ab eo exigitur , ut ab architecto , cujus ars symmetriis præcipue constat . In Circo sæpenumero pugnarum navalium simulacra fiebant : & ob eam caussam aqua Appia ad hunc Circum replendum deducebatur , ut testatur [5] Frontinus . [6]

4. Immo statim : nam & Virg. Magnos ludos Circenses vocat in Æneid. & Ovid. Eleg l. III. el. II. maxima spectacula Circi appellat hoc carmine:

Maxima jam vacuo prætor spectacula circo ,
Quadrijugos æquo carcere misit equos .

5. Frontinus libr. de aquæd. I. *Rivus* , inquit , *Appiæ sub Cælio monte & Aventino actus emergit , ut diximus infra Clivum Poplicii , & inde eductus est in Naumachiam , nam ejus causa videtur factus .* Locus suspectus videtur , ita ut ambigam an Frontinus velit dicere rivum Alsietinæ aquæ educi in Naumachiam , quæ erat trans Tiberim , ut ait P. Victor. Nam eadem in pagina videtur nescio quid de Trans-tiberina regione dicere . Idem libr. II. *Circus* , inquit , *maximus ne diebus quidem ludorum Circensium nisi Ædilium aut Censorum permissu irrigabatur , quod durasse etiam postquam res ad Curatores transiit sub Augusto apud Atejum Capitonem legimus .*

6. Ovid. de art. amandi:

Nec

CAP. XVIII.

De Templo Consi , ejusque Ara : & de Æde Neptuni , ac Juventutis : atque de Fornice Sertinii .

CONSUS , quem Deum consilii putabant , in Circo Templum habuit , sub tecto . Huic Deo Romulus simulacrum dedicavit , ut initum de rapiendis Sabinis consilium tegeretur . Plutarchus tamen refert , Romulum cujusdam Dei aram conditam sub terra in circo invenisse , eique Deo Consi indidisse nomen , sive a consilio , quod consiliarius foret , vel quod Neptunus equester esset : Aramque ipsam reliquum tempus latere , in equestribus vero certaminibus aperiri : & Dionysius Arcades Neptuno equestri templum , solennemque diem constituisse , Aram autem postea Genio cuidam arcano occultorum consiliorum duci atque custodi constructam esse . Quibus verbis ostendit , Conso aram , Neptuno vero templum fuisse . Tametsi Livius Consualia Neptuno adscribat , eorum puto sententiam secutus , qui Consum & Neptunum eundem esse arbitrantur . Consualia qui ludi essent , ostendunt Varronis verba , quæ subjeci : *Consualia dicta a Conso , quod tum feriæ publicæ ei Deo , & in Circo Maximo ad aram ejus ab sacerdotibus fiunt ludi illi , quibus Sabinæ sunt raptæ .* Nostra tempestate ad montis Palatini radices, juxta D. Anastasiæ nunc templum , inventum est sacellum , quem nos ipsi vidimus , variis conchis marinis adornatum : quod quidem Neptuni fuisse arbitramur : & cum id esset proximum Circo , Ara vero Consi ad extremam ejusdem Circi partem Septizonio proximam , quod significat Cor. Tac. sententiam Dionys. recipiendam esse opinamur . In eodem Circo Juventutis etiam Ædes constructa fuerat , & , ut Livius prodidit , a Licinio duumviro dicata . Idem auctor ait , Sertinium Fornicem ibidem erexisse , ejus sunt hæc verba : *Sertinius ex ulteriore Hispania ne tentata quidem triumphi spe L. M. pondo argenti in ærarium tulit : & de manubiis duos fornices in foro Boario ante Fortunæ ædem , & Matris Matutæ : unum in Circo Maximo fecit , & his fornicibus signa aurata imposuit .* Quod vero Suet. scribit , Neronem diruto Circi Maximi arcu per Velabrum forumque Palatium & Apollinem petiisse : de quo arcu intelligat , non satis exploratum habemus . Erat quoque in Circo Simulacrum Sejæ , sive Segestæ Deæ , a serendo , vel a segetibus appellatæ, auctor Plin.

CAP. XIX.

De Obeliscis : & de eo qui in Circo Max. jacet .

DICTURI de Obelisco , qui in Circo Maximo multa obrutus terra adhuc jacet , ac deinceps de iis , qui in aliis urbis partibus fuerant constituti , ad rem facere arbitramur , nonnulla de iis, ab Ammiano Marcellino tradita præponere , quæ, quid sit obeliscus , & cujus rei caussa inventus , declarant . ejus verba sunt hæc : *In hac autem urbe inter labra ingentia , diversasque moles fingmenta Ægyptiorum numinum exprimentes , Obeliscos videmus plures , aliosque jacentes , & comminutos : quos antiqui Reges bello domitis gentibus ,*

Nec te nobilium fugiat certamen equorum :
Multa capax populi commoda circus habet .

Nam in circo juvenes prope puellas assidebant . Juven. Sat. 3.

Spectent juvenes , quos clamor & audax
Sponsio , quos cultæ decet assedisse puellæ .

aut prosperitatibus summarum rerum elati montium venis, vel apud extremos orbis incolas perscrutantes excisos, erectosque diis superis in religione dicarunt. Et idem mox subdit: *Est obeliscus asperrimus lapis in figuram metæ cujusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, utque radium imitetur, gracilescens paulatim specie quadrata in verticem productus angustum manu lævigatus artifici.* In plerisque enim visuntur literæ hieroglyphicæ insculptæ. De literis hieroglyphicis, quæ in plerisque videntur, idem sic inquit: *Formarum autem innumeras notas hieroglyphicas appellatas, quas ei undique videmus incisas, initialis sapientiæ vetus insignivit auctoritas. Volucrum enim, ferarumque, etiam alieni mundi, genera multa scalpentes, ad ævi quoque sequentes ætates imperatorum vulgatius perveniente memoria, promissa, vel soluta regum vota monstrabant. Non enim, ut nunc literarum numerus præstitutus, & facilis exprimit, quidquid humana mens concipere potest, ita prisci quoque scriptitarunt Ægyptii: sed singulæ literæ singulis nominibus serviebant, & verbis nonnunquam significabant integros sensus. Cujus rei scientiæ in his interim sit duobus exemplum. Per vulturem naturæ vocabulum pandunt, quia nullos mares posse inter has alites inveniri, rationes memorant physicæ: perque speciem apis mella conficientis, indicant regem, moderatori, cum jocunditate, aculeos quoque innasci debere, his signis ostendentes, & similia plura.* Hactenus Marcellinus. De iisdem literis legimus apud Macrobium, Ægyptios bovis figura, terram: & sceptro insculpto, solem significasse. Sed multo plura apud Orum Apollinem de iis literis invenies. Ex quo autem lapide obelisci exciderentur, quis primus instituerit, & a quo hic, qui est in Circo, sit excisus, & Romam perductus, Plin. l. 35. c. 8. & 9. sic ostendit: *Circa Syenem vero Thebaidis Syenites, quem ante pyrrhopæcilon vocabant, trabes ex eo fecere reges quondam certamine, obeliscos vocantes, Solis numini sacratos: radiorum ejus argumentum in effigie est, & ita significatur nomine Ægyptio. Primus omnium id instituit Mitres, qui in Solis urbe regnabat, somnio jussus, & hoc ipsum inscriptum est in eo. Etenim scalpturæ illæ, effigiesque, quas videmus, Aegyptiæ sunt literæ.* Is autem obeliscus, quem D. Augustus in Circo Magno statuit, excisus est a rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Aegypto fuit, CXXV. pedum, & dodrantis, præter basim ejusdem lapidis. Idem Ammianus ait, Augustum duos obeliscos ex Hieropolitana Aegypti civitate Romam transtulisse: eum scilicet, qui in campo locatus erat Martio, & hunc, de quo loquimur *Quem*, inquit, *recens advectum difficultate magnitudinis territus Augustus, nec contrectare ausus est, nec movere. Secutæque ætates alios transtulerunt: quorum unus in Vaticano, alter in hortis Sallustii, duo in Augusti monumento erecti sunt.* Quibus verbis conjicimus obeliscum campi Martii omnium primum Romam perductum, eumque, & reliquos qui in hac urbe cernuntur, Thebis, & ex aliis urbibus Aegyptiis advectos esse.

CAP. XX.

De templis Solis, Floræ, Liberi, Liberæque, Cereris, Veneris, & Mercurii: & de Lupanari, ac Domo Pompeii.

APUD circum Solis, Floræ, Liberi, Liberæque & Cereris sacræ ædes collocatæ erant, ut testatur Cor. Tac. cum ait: *Iisdem temporibus, dum ædes vetustate aut igni abolitas, cœptasque ab Augusto Tiberius dedicavit, Libero, Liberæque, etiam Cereri juxta circum Maximum.* Solis, & Floræ ad eundem Circum fuisse alibi affirmat. Nonnulli tradunt Cassium Cos. Cereris ædem, Liberique & Proserpinæ, quæ erat supra Circi terminos, ultra ipsas emissiones, dedicavisse: cum eas Posthumius adversus Latinos pugnaturus pro urbe iis diis vovisset. Cum autem dicat ultra emissiones ædem Proserpinæ fuisse: conjecturam facimus, eam fuisse, aut in hortis nunc Scholæ Græcæ, aut juxta eos: ubi Circi Carceres stetisse multis constat argumentis. De Cereris æde Plin. ita meminit: *Plastæ laudatissimi fuere Damophilus, & Gorgasus, iidemque pictores: qui Cereris ædem Romæ utroque genere artis excoluerunt.* Aristides pinxit Romæ Liberum patrem, & Ariadnem spectatos in æde Cereris. Veneris quoque Templum prope eundem circum fuisse, ostendit Livius his verbis: *Q. Fabius Gurges Cos. filius aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecunia multavit, ex quo multaticio ære Veneris ædem, quæ prope Circum est, faciendam curavit.* & Ovidius Mercurii Templum eundem spectasse circum ait. Neque enim Vitruvii de constituendis templis præcepta perpetuo observabantur. Nam etsi is præcipit: Mercurio in foro, ut Deo mercaturæ. Libero secundum theatrum, quod ludi scenici ei ascribebantur: Veneri ad portum, eo quod ex maris spuma orta: item Cereri extra urbem, utpote frugum Deæ, templa constituenda esse, tamen omnia hæc apud circum fuisse, ex auctorum, quos citavimus, dictis patet. Ceres tamen quod ædem apud circum habuerit, potest videri non temere factum: quoniam Circenses in ejus quoque honorem, teste Ovidio & Cor. Tac. celebrabantur. Lupanaria apud eundem circum instituta esse significat Juvenalis, cum inquit: *Et ad circum jussas prostrare puellas.* Pompeii Domum ad circum fuisse, in eaque Herculem a Myrione factum, scribit Plin. Hanc crediderim stetisse apud ædem hodie D. Anastasiæ, sub monte Palatino: propterea quod & ibi magnæ ruinæ cernuntur, & cætera loca prope circum, aut sacris ædibus, aut foro Boario, occupabantur.

LIBER QUARTUS.

CAP. I

De Salinis, Lignariis, Vitriariis, Figulis, Venere Mirtea, ac de Circo Intimo, atque de Teſtaceo.



APITOLII, Palatiique, ac convallium ipſis adjacentium, ædificiis tandem deſcriptis, poſcere videbatur locus, ut ad Cælii montis, quod tertius eſſet urbi adjectus, ædificia tranſiremus. Sed cum animadverterimus ex ordine perpetuo quæ declaranda ſunt fore lucidiora, ab ea planicie, in qua monticulus Teſtaceus etiam nunc viſitur, initium facere decrevi. Salinas in hac planicie, propeque Navalia fuiſſe, quidam tradidere: de quibus, quid ſentiamus, ſuperiori libro diximus. Sed harum locus magis patet ex auctorum dictis, quos citavimus, ubi de porta Trigemina ſumus locuti. E regione autem dictorum Navalium fuere Lignarii, & apud ipſos Emporium, ac [1] Porticus Aemilia: idque ex verbis Livii manifeſtum fit, quæ hic appoſui: *Aediles extra portam Trigeminam Emporium lapide ſtraverunt, ſtipitibuſque ſepſerunt, & porticum Aemiliam reficiendam curarunt, gradibuſque aſcenſum ab Tiberi in Emporium fecerunt.* Baſilicam autem Aemiliam, de qua Plin. trigeſimo quarto meminit, ad eam porticum fuiſſe crediderim. Poſt Lignarios proximo loco erat Vitriariorum Vicus: poſt hunc Figuli: inter quos, ſecundum Varronem, erat Venus Myrtea: & Circus Intimus, cujus veſtigia extant in vineis Tiberi adjacentibus. Myrtea vero dicta eſt Venus a Murteto, in quo ejus eſſet Sacellum: quam Plin. Murceam poſtea vocatam eſſe teſtatur. Figuli autem & alibi plurimis in locis. nec mirum: nam fictilium maximus erat uſus apud priſcos, ut Plin. ait: adeo ut Deorum ſimulacra, templorumque ornamenta, & ipſæ parietum incruſtationes ex fictilibus conficerentur, defunctique ſeſe doliis fictilibus condi curarent; & propterea Numam regem ſeptimum collegium figulorum inſtituiſſe. Sed horum omnium maximum aquarum uſu & commoditate in hac planicie recte fuerat conſtitutum, quoniam maxima vaſa hic præcipue fiebant. Cum autem Senatus caviſſet, ne in Tiberim ejus artis purgamenta abjicerentur, quibus ſenſim repletus in urbem reſtagnaret, his locum aſſignavit, quo ea deferrent: quibus coacervatis ingens ſurrexit tumulus, qui Teſtaceus eſt nuncupatus, cujus ambitus tribus ſtadiis vix perficitur, altitudo, ubi maxima, eſt ped. CLX.

CAP. II.

De Horreis Pop. Rom. Sepulcro C. Ceſtii: & de Hylerna luco.

INTER Teſtaceum, Aventinum, & Tiberim fuere Pop. Rom. Horrea CXL. de quibus mentio eſt in marmore ibi reperto, habenti titulum hunc: [2]

[3] NVM. DOM. AVG. SACRVM GENIO CONSERVATORI

A HORREORVM GALBIANIORVM M. LORINVS
FORTVNATVS MAGISTER S. P. D. D.

In parte averſa eadem legebantur verba, niſi quod loco, GENII, erat, FORTVNAE. Plin. etiam in eadem planicie horrea fuiſſe innuit, cum ait, P. Mancino præfecto annonæ extra portam Trigeminam unciaria ſtipe collata, columnam poſitam fuiſſe. Ad portam autem nunc S. Pauli muris urbis includitur moles quadrata, ad modum ignis in acutum tendens, figura metæ, quamobrem
B ἀπὸ τȣ̃ πυρὸς pyramidem appellarunt. Licet Stephanus de urbibus aliam tradat etymologiam, [4] his propemodum verbis: *Pyramides in Aegypto ædificium, in quod feruntur expenſa fuiſſe in cepas, allia, & caſeum talenta X. M. & quingenta: nominatæ ἀπο τῶ πυρῶν, id eſt, a tritico, quod illuc conducens rex penuriam fecit frumenti per totam Aegyptum.* Pyramides excidendi ſtatuendique rationem docet Plin. hoc modo. *Dicantur pyramides in eadem Aegipto regum pecuniæ ocioſa ac ſtulta oſtentatio. Quippe faciendi eas a pleriſque ea cauſa tradi-*
C *tur, ne pecuniam ſucceſſoribus, aut æmulis inſidiantibus præberent, aut ne plebs eſſet ocioſa.* Sed hanc molem, de qua loquimur, fuiſſe Sepulcrum C. Ceſtii VII. viri epulonum, oſtendit titulus in exteriori & interiori latere ejus inciſus. Ab exteriore tantum latere, & literis longe minoribus ſubjicitur:

OPVS. ABSOLVTVM. EX. TESTAMENTO. DIEBVS. CCC. XXX.
ARBITRATV
D PONTI. P. F. CLAMELÆ. HÆREDIS. ET. PONTHI. L. [5]

[6] Hic eſt ille Ceſtius vir conſularis, quem Plin. narrat circumtuliſſe ſignum, ſecumque etiam in prælio habuiſſe. Idemque fuit unus ex epulonibus, quos ita appellatos ait Cic. tertio de oratore: quoniam epulas diis inſtruendi poteſtatem haberent. In hac eadem planicie, apud Tiberim, fuit lucus nomine Hylerna. Ovid.

Adjacet antiquus Tiberinæ lucus Hylernæ,
E *Pontifices illuc nunc quoque ſacra ferunt.*

1. De porticu Æmilia Dion. Hiſt. lib. 49. in fine.
2. Romæ apud Marcellum Capiſuccum.
3. Hæc inſcriptio in eodem lapide eſt geminata, ſed in alte-
altero latere pro *Genio conſervatori*, eſt *Fortunæ conſervatrici*. Si ut Marlianus ait, P. Romani horrea ſunt, cur inſcriptionem adducit, ex qua Galbiana horrea, non Pop. Rom. ea eſſe cognoſcuntur, ut P. Victor ex veteri codice indicat in Reg. Aventini.
4. Male Latine dictum; nam ille Græce ſcribit, cum fuiſſet dicendum *hac ferme ſententia*.
5. Mendoſum eſt, ac reponendum ſub inſcriptione ſuperiore de C. Ceſtio. cujus eſt id ſepulchrum, ad eam Pyramidis partem, quæ ad orientem ſolem vergit.
6. Ut e duobus locis, in quibus Plin. in Nat. Hiſt. libris
F de C. Ceſtio meminit, intelligatur id, quod hic Marlianus affirmat, minime colligi poteſt, neque ex illius teſtimonio Ceſtium hunc, quo de in monumento memoratur pyramidali, eundem eſſe patet. Plin. igitur libr. Nat. Hiſt. 10. caput. 43. *Scipionis*, inquit, *Æmiliani poſt Carthaginem Numantiamque deletas nemo vindicaverat mortem. Hæc geſta M. Servilio, C. Ceſtio Coſ. ad v. Cal. April.* Hæc Plin. loquens inibi de corvi ſepultura. Idem vero libr. 34. cap 8. *Cajus*, ait, *Ceſtius Conſularis ſignum, quod ſecum etiam in prælio habuit*, &c. Ecquis ergo ex Plinii locis tam audacter affirmet, quam Marlianus hic temere, qui eundem eſſe ait Ceſtium. Nam ſi idem hic & ille fuiſſet, non tacuiſſent in ejus epigrammate hominis Conſulatum, ſicut neque Præturam, Tribunatumque plebis, neque Epulonum, illi Septem viratum ſilentio involverent.

CAP.

CAP. III.

De Aventino: Templo Bonæ Deæ, & Herculis: & de Armiluſtro, ac Remoria.

AVentinum, inquit Varro, *aliquot de cauſis dicunt. Nævius ab avibus, quod eo ſe ab Tiberi ferrent aves. Alii a rege Aventino Albano, quod ibi ſit ſepultus. Alii ab adventu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianæ templum ſit conſtitutum. Ego maxime puto ab advectu. Nam olim paludibus mons erat ab reliquis diſcluſus: itaque eo qui advehebantur ratibus, quadrantem ſolvebant.* Sex. Pom. a rege Albano dictum Aventinum confirmat. Alii in gentem Po. Ro. Sabinos a Romulo ſuſceptos ajunt, eumque accepiſſe montem, & ab Avante provinciæ ſuæ fluvio Aventinum appellaſſe. Eorum autem opinionem, qui ab adventu hominum dictum volunt, non ſatis probo: eo quod ante Ser. Tullii tempora, quo templum Dianæ fuit extructum, montem hunc Aventinum appellatum conſtat. Nam prius a Murceæ deæ ſacello, ſub ipſo monte poſito, Murceum vocatum, idem Sex. Pom. aſſerit. Sed & Remurio illi quandoque fuit nomen: quem Romulus neminem paſſus eſt habitare, ſed ſacrum fratri eſſe voluit uſque ad Hylernam. Mons hic a Circo Max. ad portam fere S. Pauli uſque ſic ſcinditur via obliqua, ut duo montes videantur. Propter quod Plin. lib. XIX. cap. IV. in plurali profert. ſic enim ait: *Nemo ſacros, Aventinoſque montes, & iratæ plebis seceſſus circumſpexit.* Sed de ædificiis quæ in eo fuere videamus. In ea igitur hujus montis parte, quæ reſpicit planiciem, de qua ſuperiori capite ſumus locuti, ubi nunc eſt D. Mariæ cognomento Aventinæ ædes, fuit olim Bonæ Deæ templum, in Fatuæ Fauni filiæ caſtiſſimæ honorem a Claudia Veſtali poſitum, ut aliqui tradunt. Hujuſce autem Deæ ſacra a ſolis fœminis peragebantur, neque licebat viris intereſſe: unde Cic. criminatur P. Clodium, quod auſus fuerit ea ſacra, quæ pro ſalute Po. Ro. in Pont. Max. ædibus fiebant, ſua præſentia perturbare, atque polluere. Proxime erat Herculis Templum, apud nunc D. Alexii ædem, vel eo ipſo loco. Quem locum non temere fortaſſis D. Alexio noſtri dedicarunt: quoniam Hercules, ex eo quod defenſor hominum habebatur, ut ait Varro, vel quod mala arceret, a Græcis ἀλεξίκακος eſt dictus. Nam majores noſtri, qui Chriſtiani nominis propagandi curam ſuſceperant, magnam adhibuere diligentiam, ut gentes ſuperſtitioni & idolatriæ deditas ad verum Chriſti cultum ſenſim traducerent, eaſque aliquando nominis, aut rei alterius ſimilitudine allicientes, multum in eo profecerunt. Sic Pantheum omnibus diis conſecrarunt. Carmentæ fanum D. Catharinæ. Romuli & Remi fratrum pariter duobus fratribus Coſmæ & Damiano. Romuli præterea, cujus origo incerta ferebatur, veluti a Deo orti, D. Theodoro: quod nomen Dei donum interpretatur. Cœterum quod Herculis templum ibi eſſet, ea eſt ratio, quia prope erat Armiluſtrum, in quo ludrica fiebant certamina, in quibus ille ſemper viceerat. Simili vero cauſa & ad Circum Max. & Flaminium templa habuiſſe legimus. Quod vero Armiluſtrum juxta Herculis templum fuiſſet, facile cognoſci poteſt ex marmore (quanquam comminuto) in proximis vineis reperto, in quo inſcriptum eſt:

SACRVM
MAG. VICI ARMILVSTRI.

Plut. etiam commemorat, Armiluſtrum locum eſſe in Aventino, ubi Romulus T. Tatium ſepelivit. Varro, *Armiluſtrum*, inquit, *ab ambitu luſtri: locus idem Circus Maximus dictus, quod circum ſpectaculis ædificatis ibi ludi fiunt, & quod ibi circum metas fertur pompa, & equi currunt.* Ubi ſignificare videtur Armiluſtrum, & Circum eundem eſſe: & infra, Armiluſtrum ab eo quod in Armiluſtro armati ſacra facerent dictum eſſe affirmat. Sex. vero Pomp. *Armiluſtrum*, inquit, *feſtum erat apud Romanos; quo res divinas armati faciebant, ac dum ſacrificarent tubis canebant.* Armiluſtrum etiam dicebatur locus, ubi arma publica reponebantur: Romani enim arma privatim non habebant, ſed ad expeditiones bellicas ex Armiluſtro accipiebant, eoque referebant bellis confectis. Hinc Spartianus dicit, Veſpaſianum ex Armiluſtro arma legionibus permiſiſſe. Remoria locus fuit prope Armiluſtrum, dictus quod ibi Romulus Remum ſepelivit: quandoquidem & vivus eum locum ille ſedibus deſtinabat, auct. Sex. Pomp. Idem alibi ait, Remoriam locum eſſe in ſummo Aventino ubi Remus de urbe condenda fuerat auſpicatus.

CAP. IV.

De Templo Dianæ, & Junonis Reginæ: Spelunca Caci: Clivo Pub. ac de Thermis Trajani, & Decii: & de Scalis Gemoniis.

A TEMPLO D. Alexii ad teli jactum, D. Sabinæ nunc eſt ædes, ubi olim fuit Dianæ, ut ſignificat Appianus, memorans Gracchum Dianæ aſcendiſſe templum, atque inde ad alteram fluminis partem per pontem ligneum tranſiviſſe. Templum hoc dedicavit Ser. Tullius, ut Sex. Pom. affirmat, his verbis: *Servorum dies feſtus exiſtimatur Idibus Auguſti, quod eo die Ser. Tullius natus ſerva ædem Dianæ dicaverit in Aventino, cujus tutelæ ſunt cervi, a quorum celeritate fugitivos vocent ſervos.* Commune autem erat omnibus Latinis, quod ideo inſtituiſſe videtur, ut oſtenderet lege naturali ſervos nihil diſtare a cœteris hominibus. Dionyſ. autem Ancum regem auctorem templi Dianæ fuiſſe, ſic oſtendit: *Traductis ex Tellenis, Politorio, aliiſque urbibus, quoſcunque ceperat colonos, ibi collocavit, perſuaſitque ut templum Dianæ ædificarent: adjicerentque ſtatutis temporibus inducias, ut ſi qua facta inter eos offenſio eſſet, per hæc ſacra diſſolverent. Poſteaque rex pecuniis, quas contulerant urbes eæ omnes, extruxit Dianæ Fanum in maximo Romæ collium Aventino collocatum, legeſque in baſe ærea conſcripſit, in delubro Dianæ ſita.* Hactenus Dionyſ. An de eodem uterque intellexerit, dubium eſt. In ea hujus montis parte, quæ Tiberim ſpectat, proximaque portæ Trigeminæ, haud procul a Schola Græca appellata, fuit Spelunca Caci, quod innuit Dionyſ. narrans Herculem, Caco clava mactato, & ſpelunca everſa, aram Jovis Inventoris erexiſſe ei loco proximam, eamque ſuo tempore prope portam Trigeminam extitiſſe. Quod porta Trigemina ibi eſſet, & Caci Spelunca, ac Salinæ, exituſque aquæ Appiæ in Tiberim, primo libro, ubi de hac porta locuti ſumus, demonſtratum eſt. Ex quibus omnibus conſtat, haud verum eſſe quod nonnulli putarunt, hanc Speluncam fuiſſe in ea parte Aventini, quæ ædi Bonæ Deæ ſubjacet, quemadmodum horum opinionem prius ſecuti in figura urbis locum notavimus: Clivus Publicus, per quem in Aventinum erat aſcenſus, a foro Boario incipiebat: idque ex eo Livii loco patet, quem de vico Tuſco loquentes citavimus. Præterea libro ſexto de bello Mac. ejuſdem Clivi ſic meminit: *Cum commiſſum prælium eſſet, Coſſ. transfugas Numidarum, qui tum in Aventino ad mille & trecentos erant, media urbe tranſire Eſquilias juſſerunt, nullos aptiores inter convalles, tectaque hortum & ſepulcra vacuas undi-*

que vias ad pugnandum futuros rati. Quos cum ex arce, Capitolioque, Clivo publico in equis decurrentes quidam vidissent, captum Aventinum conclamarunt. Ab armilustro ad eum usque locum ubi nunc D. Priscæ est templum, Trajani Thermæ cum privatis ædibus fuisse dicuntur: & ibi non longe Varianæ, Decianæ vero ad templum modo dictum, de quibus Eutropius sic inquit: *Decius Romæ lavacrum ædificavit: harum, illarumque nonnulla adhuc extant vestigia.* Junonis Regiæ Templum, quantum ex Livii verbis conjicere possumus, in summo Clivo publico steterat: quod ex parte Vejentanæ prædæ a Camillo dictatore votum, & ab eodem postea consecratum est. Non longe ab hoc Clivo (ut aliqui arbitrantur) fuere scalæ Gemoniæ: per quas sontes unco trahebantur. Suet. in Vitel. *Tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus, atque confectus, & inde unco tractus in Tiberim.*

C A P. V.

De quibusdam Templis, Ædificiisque aliis, quæ erant in Aventino, quorum certus locus ignoratur.

MULTA autem alia stabant in Aventino ædificia, quibus certum locum assignare non possumus: etenim eorum ruinæ vineis consitis tectæ sunt. Sed erat Victoriæ Templum: quod ab Arcadibus extructum esse, ab eisdemque sacra instituta, commemorat Dionys. Erat & Minervæ; de quo Sex. Pom. Junonis, de quo Val. Max. Lunæ, de quo Ovid. meminere. Ovidius sic:

Luna regit menses, hujus quoque tempora mensis
Finit Aventini Luna colenda jugo.

Sic etiam Livius: *Atrox cum vento tempestas forem ex æde Lunæ, quæ in Aventino est, raptam tulit.* Idem etiam de Libertatis, & Matutæ ædibus sacris meminit: & hanc bello Vejentium a Camillo dictatore votam, atque ab eodem postea consecratam, ait. Illam autem ex multatitia pecunia cum æreis columnis, & statuis a patre T. Gracchi & conditam, & dedicatam, cujus Atrium ab Hælio Pæto, & Cor. Cethego fuit refectum, & ampliatum. Quod vero Suet. tradit, Asinium Pollionem Atrium Libertatis extruxisse, de alio atrio intelligendum esse existimo: propterea quod multo tempore post fuit Asinius Pollio. Cui opinioni assentiri videtur Livius libro V. dec. V. ubi inquit. *Hæc inter ipsos disceptata, postremo eo descensum est, ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur.* Junonis Monetæ etiam in Aventino Templum fuisse invenimus. Item Jovis Elicii Aram, a Numa rege dicatam: quæ ab eliciendo, secundum Varronem, nomen adepta est. Fuit & Murtiæ vetus Ara. In eodem Aventino fabulantur fuisse Fauni, & Pici Antrum, fontemque ex quo bibebant. hinc Ovidius:

Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra,
Quo posses viso dicere, numen adest.
In medio gramen, muscoque adoperta virenti
Manabat saxo vena perennis aquæ.

Manant & hodiæ fonticuli ex radicibus ejusdem montis in Tiberim cadentes. In eo sita Laurentum sylva Jovi sacra, in qua Valentinianus II. Constantini, & Gallæ Placidiæ filius, fuit interfectus, & T. Tatium regem sepultum fuisse, scribit Sex. Pom. Ab hac Sylva nomen sumpsisse videtur via Laurentina, quæ fuerat inter Ostiensem & Ardeatinam;

A de qua meminit Gellius, & de Laurento Macrobius. nisi mavis Laurentinam appellatam esse, quod in Laurentum agrum duceret. M. Cato memoriæ prodidit, Italum regem Aventinum coluisse. In eo monte Vitellius imperator domum habuit, atque Faberius scriba, de qua Vitruvius de minii temperatura agens, sic inquit: *Cum alii multi, tum etiam Faberius scriba cum in Aventino voluisset habere domum eleganter expolitam, peristyliis parietes omneis induxit minio, qui post dies triginta facti sunt invenusto varioque colore.* Fuit in eodem monte apud Dianæ templum etiam Phyllidis cujusdam domus, ut hoc carmine ostendit Propertius:

B

Phyllis Aventinæ quædam est vicina Dianæ.

C A P. VI.

De Arcu Constantini: & de Septizonio Severi Imp.

QUONIAM Cœlius mons convalle, in qua viam Appiam esse testatur Spartianus, qua parte septentrionem spectat, a Palatino, quaque C ad occasum, ab Aventino, dirimitur: priusquam in eum veniamus, quæ in hac convalle sint, fuerintve summatim indicemus. In capite igitur viæ Appiæ stat arcus Constantini triumphalibus ornamentis excultus, cum tropæis victoriisque alatis: quem, superato ad pontem Milvium Maxentio, Senatus posuit. Arcus enim hujusmodi erigebantur in honorem eorum, qui rebus Po. Ro. feliciter gestis, victoriam triumpho dignam reportassent; a quo triumphales denominantur. In his autem simulacra belli, oppidorum, fluviorum, navium illorum, quos devicerant, incidebant. In hoc autem sunt quædam mira arte sculpta, quædam non satis probantur: D ideo multi volunt, illa ex arcu Trajani destructo ad hujus ornatum translata, hæc vero illis addita. In utroque frontispicio autem est titulus hujusmodi:

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO
P. F. AVGVSTO S. P. Q. R.
QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS
MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO
TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS
E FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS
REMPVBLICAM VLTUS EST ARMIS
ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

A fronte autem quæ ad ortum solis vergit, legitur a dextra:

VOTIS X. a sinistra: VOTIS XX.

Ab altera vero fronte quæ occasum spectat, a dextra:

SIC. X. a sinistra: SIC. XX.

F In interiore autem parte fornicis majoris ab una parte sculptum est:

LIBERATORI VRBIS. ab altera: FVNDATORI QVIETIS.

In eadem autem convalle, apud Circum Max. cernitur Sepulcrum Severi imp. *septizonium* appellatum, quod in via Appia ab ipso Severo extructum esse, sic ostendit Spartianus: *Funus Getæ illatum est in majorum sepulcro, hoc est, Severi: quod est in Appia via euntibus ad portam dextera, specie septizonii extructum: quod sibi ille vivus ornaverat.* & idem rursus: *Cum septizonium faceret, nihil aliud co-*

gitavit, quam ut ex Africa venientibus suum opus occurreret. Alterius autem septizonii meminit Suet. qui commemorat Titum apud septizonium cubiculo perparvo & obscuro natum III. Cal. Jan. *Septizonium*, inquit, *manet adhuc & ostenditur*. Septizonii Severi supersunt tres ordines columnarum invicem superimpositarum: alios autem quatuor insuper fuisse quidam putant, & ideo septizonium dictum, quod septem ordinibus columnarum jungeretur, veluti septem zonis. Sed tanta est trium horum altitudo, ut majorem habuisse, non fiat verisimile. Propterea Julius Capitolinus *Septodium* vocat: quod ibi septem viæ concurrerent. Alii vero *Septisolium* a septem solariis: nam inter columnas, quæ a tribus lateribus efficiunt veluti porticum, est breve ædificium, ex saxo quadrato, ab imo ad summum: hoc divisum in septem veluti solaria etiam nunc videmus, quibus moles ipsa connexa firmior efficitur. In Zophoro legitur hic titulus truncatus:

C. TRIB. POT. VI.
COS. FORTVNATISSIMVS NOBILISSIMVSQVE

Hujus septizonii formam quod paucos hactenus eam intellexisse animadvertimus, etsi dimidia tantum parte extet, conati tamen sumus integram reddere: nam dimensis singulis quæ extant partibus, universam rationem deprehendimus.

CAP. VII.

De Thermis, & Palatio Antonini Caracallæ.

IN radicibus Aventini, apud D. Balbinæ ædem, parietes amplissimi ex reliquiis thermarum Antonini Caracallæ, spectantur & columnæ miræ magnitudinis diversorumque lapidum jacentes, atque comminutæ. De his thermis Spartiani sunt hæc verba: *Romæ reliquit thermas sui nominis eximias: quarum cellam solearem architecti negant posse ulla alia ratione fieri, nisi qua facta est. Nam ex ære vel cupro cancelli subpositi esse dicuntur, quibus concameratio tota concredita est: & tantum est spatii, ut id ipsum aliter fieri potuisse negent docti mechanici.* Eutropius. *Opus*, inquit, *egregium fecit lavacri: quæ Antonianæ appellantur*. Lampridius vero refert, has ab Antonino inchoatas, Severum perfecisse, atque exornasse: quibus pars aquæ Appiæ serviebat. Sub eisdem autem thermis Antoninus dicitur Palatium nobilissimum posuisse. Sed quia de thermis sæpe erit mentio, ab re non erit de ipsis generatim aliquid dicere. *Thermon* igitur Græcum nomen calidum significat. Hinc loca publica lavandi, & sudandi usibus constituta, eodem modo Latini, quo Græci, thermas appellant. Priscis namque lavandi usus prope quotidie fuit: quo vel pulverem sordesque abluerent, vel sudorem provocarent, valetudinis voluptatisve causa. Præterea multa balnea, etiam privata Romæ fuisse non est dubium. Hinc Cic. Terentiam monet, ut curet labrum in balneo ne desit: certioremque facit Q. Fratrem de balineis, quas in Arpinati extrui curabat. Sed quo modo genere differant a publicis Varro ostendit his verbis: *Item reprehendunt analogias, quod dicantur multitudinis nomine publicæ balineæ, non balinea: contra quod privati dicunt unum balineum, quod plura balineas dicant. Quibus responderi potest, non esse reprehendendum, quod scalæ, & aquæ caldæ, pleraque quæ cum multitudinis vocabulis sint appellata, neque eorum singularia in usum venerint. Idemque, item contra primum balineum novum & Græcum introiit in urbem, publice ibi consedit, ubi bina conjuncta essent ædificia lavandi causa: unum ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur.* Hæc Varro. Nam esse in balneis lavacra muliebria a virilibus distincta, apertissime Vitru. ostendit. Lavabantur tamen aliquando mulieres in balneis virilibus: ut in oratione Gracchi de legibus promulgatis scriptum esse, testatur Gellius. Balnea pensilia primus omnium Sergius Orata facere instituit: sicuti Valer. Maximus & Macrobius commemorant. Re postmodum ad principum luxum & fastum producta, cœpere lavacra in modum (ut ait Ammianus) provinciarum extruere, quas thermas appellarunt: quæ infinita propemodum habebant loca, variis usibus & voluptatibus statuta: Quædam ad calefaciendam aquam, ex quibus per siphones fistulasque balneis sive lavacris, nedum in solo expositis, verum etiam pensilibus calidam ministrabant: quæ post lotionem inutilis per canales in partem inferiorem, inde subterraneis meatibus in cloacas mittebatur. Alia, *Apodyteria* dicebantur, in quibus balnea ingressuri vestes deponebant, ut ostendit Plin. in epist. Insuper erant areæ amplissimæ porticibus circundatæ, concamerataque ædificia in circuitu habentes, in quibus erant diversi coloris marmoreæ ingentesque columnæ: pavimenta lithostrata variis lapidibus conspicua, parietesque marmoreis tabulis in multis vestiebantur. Erant & xysti, & nemora, & natatoria populi ludis deliciisque exposita: quibus adductus frequenter eo conveniebat. Quin & principes ad id insaniæ venerant, ut cum populo promiscue lavarent. Spartianus de Hadriano, *Publice*, inquit, *& frequenter cum omnibus lavit*. M. autem Aurelius lavacra mixta prohibuisse dicitur. Lavandi tanta fuit Commodo imp. voluptas, ut septies in die laverit, in balneisque cœnitaverit. Julius Capitolinus literis mandavit, Gordianum juniorem septies in æstate, hyeme bis lavisse: qui cum mulieres pulchras, & puellas, & cum his vetulas deformes admitteret, se jocose id facere dicebat. In thermis autem Alexander imper. sylvas deputavit, oleumque luminaribus addidit: cum antea non ante auroram paterent, & ante solis occasum clauderentur.

1. *Non longe* potius scribe.

CAP. VIII.

De Templis Isidis, Honoris, Virtutis, Quirini, & Dianæ: ac de Cœliolo.

TEMPLUM Isidis Antoninus inter viam Appiam & thermas, quas fecerat, collocavit: apud ædem nunc D. Nereo sacratam, ubi marmor effossum est, cum hac inscriptione:

SAECVLO FELICI ISIAS SACERDOS ISIDI SALVTARIS CONSECRATIO.

In altero marmoris frusto legebantur hæc verba:

PONTIFICIS VOTIS ANNVANT DII ROMANAE REIP.
ARCANAQ. VRBIS PRAESIDIA ANNVANT QVORVM
NVTV ROMANO IMPERIO REGNA CESSERE.

Virtutis [1], & Honoris ædem apud portam Capenam M. Marcellus dedicavit, anno XVII.

1. De Virtutis & Honoris æde, Val. l. 1. cap. 1. Liv. lib. 29. Vicus Honoris & Virtutis in regione Capenæ erat, ut P. Victor scribit in Reg. prima.

postquam a patre ejus, primo consulatu, in Gallia citeriori ad Clastidium, fuerat vota: de qua meminit Cic. de nat.[2] Deorum. Hanc Cor. Pinus & Actius Priscus, Vespasiano Augusto restituente, pinxerunt, auct. Plin. Ad portam autem fuerat extructa, quasi monitos esse vellent ad bella proficiscentes, nisi per virtutem aditum ad honorem & gloriam non patere. Hinc est quod D. Augustinus ait, Neminem honoris ædem potuisse ingredi, ni prius Virtutis esset ingressus. Sex. Pom. scribit, *C. Marium*[3] *ædem Honoris, & Virtutis fecisse summissiorem* * *cæteris, ne si forte officeret auspiciis publicis, Augures eam demoliri cogerent*: quibus verbis indicat, alias fuisse Honoris, & Virtutis sacras ædes. Hujus, quam posuit Marius, meminit etiam Vitr.[4] his verbis. *Non solum scripta a Cossutio sunt desideranda, sed etiam a C. Mutio; qui magna scientia confisus ædes Honoris, & Virtutis, Marianæ cellæ columnarumque, & epistyliorum symmetrias legitimis artis institutis perfecit*. Id vero si marmoreum fuisset, ut haberet, quemadmodum ab arte, sic a magnificentia, & impensis auctoritatem, in primis, & summis operibus nominaretur, Viam autem Appiam a porta Capena principium habuisse, ait Sex. Pom. Inquit enim, *initium est principium, sed alias quo quid incipiat, ut viæ Appiæ porta Capena*. Cui sententiæ adversatur Spartianus, qui, ut supra dictum est, vult Septizonium Severi in ea esse via. Ab hac via Appia parum ultra dictum Septizonium, diverticulo dextrorsus, incipiebat via Nova: non ea, quam inter Capitolium & Palatium fuisse supra demonstravimus: hæc enim ducebat ad dictas thermas, rursusque in viam Appiam incidebat, haud longe a porta Capena. Templum Quirini prope eandem fuerat Capenam: Servius enim sic inquit. *Martis duo templa: unum Quirini intra urbem, prope portam, quasi custodis, & tranquilli: alterum in via Appia, extra urbem, quasi bellatoris, & gradivi*. A sinistra Appiæ, surgit Cœliolus mons: de quo Martialis ita meminit: *Major Cœlius, & minor fatigat*. In eo autem fuisse templum Dianæ testatur Cic. de resp. aruspicum. Quare arbitramur D. Joanni, cognomento ante portam Latinam, cessisse: nam in proximis vineis effossa sunt fictilium multa fragmenta, in quibus imago Lunæ erat impressa: & marmor, in quo erat venator sculptus, equo insidens, copulaque tenens canem, præeunte rustico baculum gerente. Piscina publica fuit in valle dividente Cœlium a Cœliolo, de qua supra libro primo mentionem fecimus. De ea existimo Sex. Pom. intelligere, ubi inquit. *Piscinæ publicæ hodieque nomen manet, ipsa non extat: ad quam & natatum, & exercitationis alioquin causa veniebat populus*. Fluviolus autem, qui ingrediens per portam Gabinam eandem vallem perfluit, moxque viam Appiam dissecans in Naumachiam descendit, indeque in Tiberim labitur, ex agroque fluit Lucullano, Appii rivus hodie dicitur. Eum aquæ Appiæ partem esse arbitramur, vel rivum Herculaneum, quem sub Cœlio fuisse innuit Frontinus, Hunc Almonem esse quidam falso existimant: cum eum ante portam

2. Cicero de Nat. Deor. lib. II. *Vides*, inquit, *templum Honoris a M. Marcello renovatum, quod multis ante annis bello Ligustico a Q. Maximo dedicatum*. Honori capitibus nudatis veteres sacra faciebant, cum aliis tecti operarentur. Plutarch. in Quæstionibus. Plin. de viris illustrib. *Fabius*, inquit, *Rullianus primus instituit, ut equites Romani Idibus Quintilibus ab æde Honoris equis insidentes in Capitolium transirent*. id etiam annotarunt alii.

3. De manubiis Cimbricis & Teutonicis. ex marmorea tabula in via Flaminia reperta. Meminit hujus ædis Marianæ Plut. in com. de Rom. Fortuna.

* Sex. Pomp in *summissiorem aliis æde*, &c.

4. Lib. VII. in Præfatione & lib. III. cap. pr.

Capenam fluere Papinius asserat. De eodem sunt Ovid. hæc carmina,

Est locus in Tiberim quo lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.

In hoc Cybele deorum mater singulis annis Cal. Aprilis a Gallis sacerdotibus abluebatur.

CAP. IX.

De Cœlio monte: Curia Hostilia: Mansionibus Albanorum: Templis Fauni, Veneris, & Cupidinis: Castris peregrinis: Domo Lateranorum: & de Amphitheatro Statilii Tauri.


COELIUM montem Querquetulanum prius appellatum esse, scribit Cor. Tac. quod talis silvæ frequens fœcundusque esset: mox Cœlium a Cœle Vibenna, qui dux gentis Hetruscæ auxilio Romulo venit adversus Sabinos, ut ait Sex. Pom. aut contra Latinum regem, ut Varro testatur: & cum in eo monte sedem habuisset, cognomen illi fecit. Post Cœlii autem obitum, Hetruscos, quod nimis munita tenerent loca, neque sine suspitione essent, deductos in planum ajunt; & ab eis vicum Thuscum denominatum. Cœlianos autem, qui a suspitione liberi essent, traductos volunt in eum locum, qui vocatur Cœliolus. Tiberius mutata appellatione jussit Cœlium Augustum vocari, auct. Suet. quo nomine appellatum esse alibi non legi. In hoc autem multa ædificia fuere, verum omnium ruinæ ita confusæ sunt, ut perpauc s certum locum assignare liceat. De notioribus in hoc capite agemus. Curiam Hostiliam alteram, ubi postea templum Pacis fuit, collocatam fuisse, dictum est supra: alteram deinde eundem regem excitavisse, ubi nunc D. Joannis & Pauli est ædes, ostendit Livius, his verbis. *Tullus rex in Cœlio monte templum ordini ab se aucto Curiam fecit: quæ Hostilia usque ad patrum nostrorum ætatem appellata est: & quo frequentius habitaretur, eandem sedem regiæ cœpit*. Haud ita multo post, sub aquæ Claudiæ ductu, cernitur castellum aquarum, ferme integrum; cujus parietes per ambitum sunt latitudine pedum VI. interius vero III. operti tectorio crassitudine digitorum III. Omnium autem concamerationum longitudo pedib. XXI. constat. Latitudo varia est, ut in ipsius castelli figura facile est videre.


Mansiones autem Albanæ, quantum ex Sex.[1] Rufi verbis conjicere possumus, fuere ubi nunc D. Mariæ in Dominica est ædes. In proximo est templum circulari forma, multis per ambitum columnis adornatum, D. Stephano nunc sacratum, olim vero Fauno, ut ex titulo quodam ibi reperto omnes consentiunt. Castra peregrina ab Augusto in ea Cœlii parte, in qua Sanctorum Quatuor Coronatorum est ædes, quæque Carinas spectat, constituta fuisse plerique omnes affirmant. Domum vero Lateranorum, ubi nunc basilica D. Joannis cognomento Lateranensis, de qua domo Julius Capitolinus ita meminit. *M. Aurelius educatus est in eo loco: in quo natus est, in domo avi sui, juxta ædes Laterani*: & Juvenalis.

Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors.

Palatium Fl. Constantini prope hanc basilicam versus portam Gabiusam collocatum fuisse dicunt. Sesoriani vero Palatium inter portam Neviam & ædem nunc Sanctæ Crucis, olim Veneris & Cu-

1. Id minime probatur ex P. Victore.


SEVERVS AVG. PART. MAX.
Ichnographia Septisonii Severiani.


VIII
XVI
XIIII
XIII
XII. S.
IX. S.
ICHNOGRAPHIA CVRIÆ HOSTILIÆ.
TVLLVS. HOSTILIVS

pidinis In proximo loco extant [2] Statilii Tauri amphitheatri reliquiæ ; quod Statilius posuit , Augusto cives Romanos hortante , ut pro viribus quisque conaretur urbem exornare , auct. Suet. Qui etiam commemorat Caligulam munera gladiatoria in Statilii amphitheatro , partim in septis aliquot egisse . Quid autem sit amphitheatrum Cassiodorus ita docet . *Hoc Titi potentia principis divitiarum profuso flumine excogitavit ædificium fieri* . & *cum theatrum , quod est hemispbærium , Græce dicatur , ampbitheatrnm quasi in unum juncta duo visoria , recte constat esse nominatum : quod speciem ejus arena concludat , & ut currentibus aptum daretur spatium , & spectantes omnia facilius viderent , dum quædam prolixa rotunditas universa collegerat* . Quibus verbis tametsi significare videatur [3] Titum omnium primum amphitheatrum posuisse , tamen Cor. Tac. testatur , C. Cæsarem amphitheatri molem in Campo Martio extruxisse ; quam ab illo destinatam Augustus , ut auct. est Suet. Mausoleum ædificaturus mox destruxit . Quin etiam idem Suet. in ejusdem Cæs. vita commemorat amphitheatrum , priusquam a Tito , ab eodem Statilio unum excitatum esse : alterum deinde a [4] Tiberio inchoatum , sed non perfectum . In amphitheatris autem multi spe præmii cum bestiis pugnabant . Capite vero damnati cum eisdem bestiis certare cogebantur . Itaque Claudius imp. pacatis Ægyptiis , cum militum non parva manus rebellasset , partem illorum occidit , partem cum bestiis pugnaturam Romam misit.

CAP. X.

De Aquis urbis , earumque ductibus .

QUONIAM locus postulat ut de aquæ Claudiæ ductu loquamur : operæ precium videbatur prius , per quos , quo tempore , ex quibus locis , a quoto milliario , aquæ duci cœpissent . Præterea altitudinem , erogationesque , & quantum extra urbem , quantum intra , quantum publicis usibus , & quantum privatis deretur : quæ bonitas , quod vitium cujusque esset , ponere . Sed quoniam de his omnibus suis locis erit dicendum , in præsentia de aquis , earumque ductibus in universum agemus . Quæ & si Frontinus satis abunde declaravit , tamen quia is alicubi truncatus est , & mendosus , nonnullis erroribus sublatis , quæ utiliora & magis necessaria videbantur , in compendium conferre placuit . Romani igitur ab urbe condita per annos CCCCXLI. contenti fuere usu aquarum , quas aut ex Tiberi , aut ex puteis , aut ex fontibus hauriebant . Verum urbe & ambitu & hominum multitudine aucta , paulatim a fluvio fontibusque circa ipsum scaturientibus cum magna pars recessisset , neque hæ aquæ in montes possent deduci , longo intervallo easdem petere cogebantur : ex quo fiebat , ut neque hortos irrigare , neque aliis usibus , sine magno incommodo , valerent subvenire , hinc ductus excogitare coacti fuere . Quæ quidem res ad urbis etiam salubritatem plurimum contulit , ut idem Front. sic testatur . *Sentit banc curam imperatoris piissimi Nervæ principis sui regina , & domina orbis in dies* .

2. Immo e regione Circi Flaminii . De hoc credendum est , esse amphitheatrum castrense , quod Victor in Exquiliis exponit , & Statili amphitheatrum . erant in Campo Martio . Sic enim ait P. Victor manuscriptus , cujus mihi copiam fecit Pyrrhus Lygorius Pictor & Antiquarius insignis .

3. Immo Vespasianum , qui amphitheatrum urbe media ut destinasse compererat Augustum fecit .

4. Hic deceptus est falso Alex. ab Alex. testimonio lib. 4. Genial. cap. 25.

A *quæ terrarum Dea consistit , cui par est nihil , & nihil secundum : & magis sentit salubritas ejusdem æternæ urbis , aucto castellorum , operum , munerum , & lacuum numero : nec minus ad privatos commodum ex incremento beneficiorum ejus diffunditur . Illi quoque , qui timidi illicitam aquam ducebant , securi nunc ex beneficiis fruuntur : nec pereuntes quidem aquæ ociosæ sunt . Nam immundiciarum facies , impurior spiritus , & causæ gravioris cœli , quibus apud veteres urbis infamis aer fuit , sunt remotæ* . Hæc Frontinus . Ex eodem de aquarum libra nunc quædam excerpam . Aquæ omnes diversa in urbem libra proveniebant ; inde fiebat ut quædam altioribus lo- B cis servirent , & quædam ire & niti in eminentiora non possent : nam & si colles erant , propter frequentiam incendiorum ruderibus excreverant : unde ii soli ductus in urbem fluebant , qui juxta æquilibrio per congruentia loca poterant deduci : siquidem quinque erant ductuum altitudines : quarum duæ in omnem partem urbis attollebantur : sed ex reliquis aliæ majore , aliæ leviore pressura cogebantur . Altissimus erat Anio novus : proxima Claudia : tertium locum tenebat Julia : quartum Tepula : dehinc Martia , quæ capite etiam Claudiæ libram æquabat ; sextum tenebat locum Anio vetus : sequebatur hujus libram Virgo : deinde Appia : o- C mnibus humilior Alsietina erat , quæ Transtiberinæ regioni , & maxime subjacentibus locis , serviebat . Ex his autem aquis sex via Latina intra septimum milliarium contentis piscinis excipiebantur , ubi , quasi respirante rivorum cursu , limum deponerent : modus quoque earum mensuris ibidem positis inibatur . Nec Virgo , nec Appia , nec Alsietina conceptelas id est piscinas habebant . Quæ vero nimis turbidæ interdum signino purgabantur . De signino nonnulla scribit Vitruvius , idemque etiam præcipit , ut ad mœnia fiat castellum , quo in ipsum per emissarium aqua recipiatur . Ejusdem D de aquarum ductu hæc sunt verba . *Si medii erunt montes inter mœnia & caput fontis , specus fodiantur sub terra ad libram præcedentis ductus : si erit tophus , aut saxum , in eo canalis excidatur : sin autem terrenum , aut arenosum solum , parietes cum camera in specu struantur , puteique fiant inter duos actus* . Et paulo inferius rationem reddens cur ductibus geniculatis & flexuosis aquas interdum deducere sit necesse , sic inquit . *Namque vehemens spiritus in aquæ ductione solet nasci , ita ut etiam saxa perrumpat . nisi primum leniter & parce a capite aqua immittatur , & in geniculis , aut versuris alligationibus , aut pondere saburra contineatur* . Cum E autem quinariarum , septenariarum , cœterorumque modulorum in aquis dividendis constituta esset mensura : videamus quid Front. de eorum origine sentiat . *Aquarum moduli* , inquit , *aut ad digitorum , aut ad unciarum mensuram antiquitus instituti erant . Est autem digitus sexta decima pars pedis : Uncia vero duodecima . Digitus aut est quadratus , aut rotundus . Quadratus in longitudine & latitudine est æqualis , tribus quartis decimis suis rotundo major . Rotundus tribus undecimis suis quadrato minor : quia anguli deteruntur . Postea modulus nec ab uncia , nec ab alterutro digitorum ori-* F *ginem accipiens inductus , ut quidam putant , ab Agrippa , ut alii , a plumbariis per Vitruvium in usum urbis exclusis prioribus venit appellatus quinario nomine . Qui autem Agrippam auctorem faciunt , dicunt : quod quinque antiqui moduli exiles , & veluti puncta , quibus olim aqua cum exigua esset dividebatur , in unam fistulam coacti sunt : qui vero Vitruvium , & Plumbarios , ab eo quod plumbea lamina plana quinque digitorum latitudinem habens , circumacta in rotundum , hunc fistulæ modum efficeret* . Hæc Front. Qui Vitruvii sententiam eo incertam esse vult , quoniam lamina cum circum-

gitur, ſicut interiore parte attrahitur, ita per illam, quæ foras ſpectat, extenditur. *Itaque*, inquit, *maxime probabile eſt quinariam dictam a diametro quinque quadrantum: quæ ratio in ſequentibus quoque modulis uſque ad vicenarium durat: diametro per ſingulos adjectione ſingulorum quadrantum creſcente: ut in ſenaria, quæ ſex ſcilicet quadrantes in diametro habet: & ſeptenaria, quæ ſeptem: & deinceps ſimili incremento uſque ad vicenariam. Omnis autem modulus colligitur aut a diametro, aut perimetro, aut ex recto menſuræ, ex quibus & capacitas apparet. Differentiam autem unciæ, digiti quadrati, & rotundi, & ipſius quinariæ ut dignoſcamus, utendum eſt ſubſtantia quinariæ. Unciæ ergo modulus habet diametri digitum unum & trientem digiti: capiebat plus quam quinariæ octava, hoc eſt, ſeſcuncia quinariæ, & ſcrupulis tribus, & beſſe ſcrupuli. Digitus quadratus in rotundum redactus habet diametri digitum unum, & digiti ſeſcunciam ſextulam capiebat quinariæ dextantem. Digitus rotundus habet diametri digitum unum: capiebat quinariæ ſeptuncem ſemunciam ſextulam. Ceterum moduli, qui a quinaria oriebantur, duobus generibus incrementum accipiebant. Unum, cum una cum ipſa multiplicabantur, ideſt, eodem lumine plures quinariæ includebantur. &c. alterum genus erat, quoties non ad quinariarum neceſſitatem fiſtula incrementum capiebat, ſed ad diametri ſui menſuram: ſecundum quod & nomen accipiebat, & capacitatem ampliabat, ut puta Quinaria, cum adjectus erat ei ad diametrum quadrans, ſenariam faciebat, nec jam inſolidum capacitatem ampliabat. capiebat enim quinariam unam quincuncem ſicilicum. & deinceps eadem ratione quadrantibus diametro adjectis creſcebat ſeptenaria, octonaria, uſque ad vicenariam. Subſequitur illa ratio, quæ conſtabat ex numero digitorum quadratorum, qui area, ideſt, lumine cujuſque moduli continebatur, a quibus & nomen fiſtulæ accipiebant. Nam quæ habebat areæ, id eſt, luminis in rotundum coacti digitos quadratos XXV. vicenumquinum appellabatur: ſimiliter tricenaria, & deinceps per incrementum digitorum uſque ad centumvicenum.* Expletis iis, quæ ad modulos pertinebant, ſequitur ut indicemus, quod jus eſſet deducendæ aquæ. Apud antiquos omnis aqua in publicos uſus erogabatur, legeque cautum fuerat, ne quis privatus aliam duceret, quam quæ ex lacu humi accederet, id eſt, ex lacu abundaret, quam caducam aliqui vocarunt: & hæc ipſa non in alium uſum, quam in balnearum aut fullonicorum dabatur: eratque vectigalis ſtatuta merces, quæ in publicum penderetur. Dandæ vendendæve aquæ jus erat apud Ædiles: interdum & Cenſoribus permiſſum. Poſtea vero ipſarum numero aucto, copia permittente, cœpit etiam privatis precio, vel principum beneficio erogari: non tamen ſine illorum litteris. Propterea S.C. cavebatur, ne quis ſine literis Cæſ. id eſt, ne quis aquam publicam non impetratam; & ne quis amplius quam impetrata fuerat, deduceret. Quinimmo ne caducam quidem ſine impetratione derivari poterat, præſertim tempore Nervæ, cujus erat hoc edictum: *Caducam neminem volo ducere, niſi qui meo beneficio, aut priorum principum habent. Nam neceſſe eſt ex caſtellis aliquam partem aquæ effluere, cum hoc pertineat non ſolum ad urbis noſtræ ſalubritatem, ſed etiam ad utilitatem cloacarum abluendarum.* Illud etiam animadvertendum, quod jus aquæ impetratæ, neque ad hæredem, neque ad emptorem tranſibat, neque ullum novum dominum prædiorum ſequebatur. Balneis tamen, quæ publice lavarent, ſemel data aqua perpetuo manebat. Vacantes in commentarios redigebantur, qui reſpiciebantur, ut petitoribus ex vacuis dari poſſent. Qui igitur aliquam aquam impetraſſet, oportebat a principe epiſtolam ad Curatorem afferre, Curatoremque ipſum beneficio Cæſaris præſtare maturitatem; & ad Procuratorem ejuſdem officii libertum Cæſaris protinus ſcribere, ne quandoque negligentiam aut fraudem ſuam ignorantiæ colore defenderet; Procuratoremque calicem ejus moduli, qui fuerat impetratus, adhibitis libratoribus ſignare, ad lineamque aliorum collocare. Inferior enim plus trahit, ſuperior vero minus ducit: nam curſus aquæ ab inferiore rapitur. Deinde animadvertere ne alii caſtello, quam epiſtola principis juberetur, fiſtula ſubjiceretur: quæ & ipſa erat ſignanda, & longe a caſtello publico per pedes quinquaginta ponenda, ſicut S.C. cavebatur hujuſmodi. *Quid de ea re fieri placeret, de ea re univerſi cenſuerunt; Ne cui privato aquam ducere ex rivis publicis liceret, utique omnes ii, quibus aquæ ducendæ jus eſſet datum, ex caſtellis ducerent; animadverterentque Curatores aquarum quibus locis intra extraque urbem apte caſtella privati facere poſſent, ex quibus aquam ducerent, quam ex caſtello communem accepiſſent a Curatoribus aquarum. Ne qui eorum, quibus aqua daretur publica, jus eſſet intra quinquaginta pedes ejus caſtelli, ex quo aquam duceret laxiorem fiſtulam ſubjicere, quam quinariam.* Hoc ideo inſtitutum erat, ne rivi aut fiſtulæ publicæ frequenter lacerarentur. Fiſtulæ autem quæ calicibus non induebantur, ſolutæ vocabantur: & pro arbitrio aquariorum poterant laxari & coarctari. Calix autem, quem diximus, erat modulus æneus, qui rivo aut caſtello induebatur: huic fiſtulæ applicabantur. Longitudo ejus ad minus habebat digitos XII. lumen, ideſt, capacitatem, quanta erat impetrata. Excogitatus videtur, quoniam rigor æris non temere poteſt laxari, aut coarctari. ſed & ipſe ad libram erat collocandus: nam ſi ad aquæ curſum erat oppoſitus devexuſque amplius rapiebat: ad latus vero prætereuntis aquæ converſus, & ſupinus exiguum ſumebat. Caſtellum autem, quod dictum eſt, a Ulpiano ita definitur: *Caſtellum eſt receptaculum, quod aquam publicam ſuſcipit.* Ab antiquis etiam *dividiculum* eſt appellatum: ex quo a rivo communi quiſque aquam in ſuum deduceret fundum, ut inquit Sex. Pom. Huic Caſtellarium præfuiſſe, oſtendit ſequens epith.

D. M.
CLEMENTI CAESAR
VM. N. SERVO CASTE
LLARIO AQUAE CL
AVDIAE FECIT CLAV
DIA SABBATHIS ET SI
BI ET SVIS.

Cum igitur ductus aquarum ad viarum divortia, vel regionum urbis fines perducti erant, ubi ſtabat caſtellum, ab aquariis dividebatur aqua, eo modo, quo in ſingularum erogatione dicetur. In ſolo erant etiam lacus, hoc eſt, alia aquarum receptacula, ex quibus aliqui volunt, quod cum Romanæ plebis fullonicorum, coriariorum, aliorumque opificum neceſſitatibus ſatisfactum eſſet, tum horti irrigarentur. Quantopere autem curæ fuerit, ne quis violare ductus, aquamque non conceſſam derivare auderet, cum ex multis apparere poteſt, tum ex hoc, quod Circus maximus ne diebus quidem ludorum, niſi Ædilium, aut Cenſorum permiſſu, irrigabatur. Præterea agri, qui aqua publica contra legem eſſent irrigati, publicabantur. Illis vero, qui dolo malo aquam, ubi publice ſaliebat, oletaſſent, ſextertiorum X. millium erat mulcta. Primus autem omnium M. Agrippa, poſt ædilitatem quam geſſit, conſularis, operum ſuorum & munerum veluti perpetuus cu-

rator fuit: qui jam copia permittente, descripsit quid aquarum publicis operibus, quid lacubus, quid privatis daretur. Habuit & familiam propriam, aquarum quæ tueretur ductus, & castella, atque lacus. Hanc Augustus hæreditatem sibi ab eo relictam, publicavit. Familiæ autem erant duæ, hæc publica, quæ habebat homines circiter CCXL. altera Cæsaris a Claudio, cum aquas in urbem perduxit, constituta. Hæc numero hominum CCCCLX. constabat. Utraque in aliquot ministeriorum species diducebatur, in villicos, castellarios, curatores, silicarios, tectores, aliosque opifices. Commoda publicæ familiæ ex ærario dabantur: quod impendium exonerabatur vectigalium reditu ad jus aquarum pertinentium. Ea constabant ex hortis, ædificiisve, quæ erant circa ductus, aut castella. Qui redditus prope sextertiorum CCL. millium fuisse traditur. Cæsaris familia ex fisco accipiebat commoda. Unde & omne plumbum, & omnes impensæ ad ductus, & castella, & lacus pertinentes erogabantur. Sed circa ductuum curam erant & alii Curatores, quos senatus eligebat. Horum officium erat, extra urbem ductus circuire, animadvertereque an vitio aliquo laborarent, & quibus partibus succurrendum; ac etiam beneficia recognoscere, ne quis non concessam surriperet aquam; dareque operam, ut in castellis salientibus sine intermissione aqua flueret, ut ex S.C. apparet, cujus verba sunt hæc. *De ea re quid fieri placeret, de ea re ita censuerunt. Placet huic ordini eos, qui aquis publicis præessent, cum ejus rei causa extra urbem essent, lictores binos, & servos publicos ternos, architectos singulos, & scribas, & librarios, accensos, præconesque totidem habere, quot habent ii, per quos frumentum plebi datur. Cum autem in urbe ejusdem rei causa aliquod agerent, ceteris apparitoribus iisdem. præterquam lictoribus, uti.* Tutelam autem singularum aquarum solitam locari invenio, positamque redemptoribus necessitatem certum numerum circa ductus extra urbem, & certum in urbe servorum opificum habendi: & quidem ita ut nomina quoque eorum, quos habituri erant in ministerio, per quasque regiones in tabulas publicas deferrent; eorumque operum probandorum curam fuisse per Censores, aliquando & Ædiles, interdum etiam Consulibus eam provinciam obvenisse. Et ne ad hujusmodi tutelam aditus præcluderentur, S.C. fuerat cautum. quod S.C. apposui: *Quia fieri placeret, de ea re ita censuerunt. Cum ad reficiendos rivos, specusque, per quæ & opera pub. corrumpuntur, placere circa fontes, & fornices, & muros utraque ex parte vacuos centenos quinos pedes patere & circa rivos, qui sub terra essent, & specus intra urbem, & extra urbem continentia ædificia utraque ex parte quinos pedes vacuos relinqui. Ita ut neque monumentum in his locis, neque ædificium, post hoc tempus, ponere, neque conserere arbores liceret. Si quæ nunc essent arbores, intra id spatium extirparentur, præterquam si quæ villæ continentes, & inclusæ ædificiis essent. Si quis adversus ea commiserit in singulas res in dena millia damnas esset. Ex quibus pars dimidia præmium accusatori daretur, cujus opera maxime convictus esset, qui adversus hoc S.C. commisisset, pars altera media in ærarium redigeretur, de ea re judicarent, cognoscerentque curatores aquarum.* Erat & S.C. quo cavebatur, ut cum ductus reficerentur, liceret redemptoribus ex agris privatorum omnia, quibus ad eam rem opus esset, tollere, perque illorum agros sine injuria eorum duci. Eam autem, quam diximus, circa ductus aquarum curam, non jugiter adhibitam esse ex eo conjicere possumus, quod etiam Nervæ imp. tempestate, quosdam, aut vetustate corruptos, aut vi tempestatum, aut culpa malefacti operis collapsos fuisse, scribit Front. Illorumque partes maxime ruinæ obnoxias fuisse, quæ arcuationibus sustinebantur, aut montium lateribus erant applicatæ, ubi etiam arborum radicibus concamerationes, & latera solvuntur. Et ex arcuationibus eas præcipue partes interiisse, quæ per flumen trajiciebantur. Minus vero ruinam passos esse ductus subterraneos, nec gelicidiis, nec caloribus expositos: sed aliud illis accidisse nocumentum, limo concrescente, & in crustam obdurescente aquam ita coarctavisse corrupisseque tectorium, ut inde secutæ essent manationes, quibus latera rivorum & substructiones vitiatæ erant. Quare non mirum videri debet, ab ea ætate, ad hanc nostram usque in tanta rerum & principum varietate aquarum ductus ad has, quas videmus, reliquias devenisse. Neque a Gothis, ut vulgus dictitat, sunt demoliti. Quin immo, si Cassiodoro credimus, Theodoricus horum rex, qui Romam duodequadraginta annos subactam tenuit, plurima ædificia publica instauravit, & inter alia aliquos ductus aquarum. Quosdam autem ductus fuisse duplices apparet ex reliquiis extantibus supra portam Esquilinam & Neviam, & ex hisce Frontini verbis: *Illud nulli dubium esse crediderim, proximos ductus, qui a sexto milliario lapide quadrato consistunt, maxime custodiendos, quoniam & amplissimi operis sunt, & plures aquas sustinent.* Quod sapienter factum esse arbitramus: ne singulorum fundamenta jacere coacti, immensam pecuniam prodigerent. Aquas vero tametsi Sex. Rufus vir consularis, qui fuit Diocletiani tempore XIX. esse commemoret, cui opinioni plerique omnes consentiunt, tamen neque tot fuisse, neque totidem ductibus in urbem receptas facile intelliget, qui animadverterit eum commemorare nomina illarum aquarum sumpta, non tantum a primis inventoribus, sed etiam ab illis, qui priscos ductus instauravere, vel novo addito partem alicujus aquæ alio deduxere: vel a locis, ubi quis eam collegisset aquam, quæ ex veteri ductu dilapso alicubi resedisset. Nam Martiam, quod partem ipsius Trajanus in Aventinum derivarit, Trajanam etiam vocat: Claudiam, Cæruleam: cum eadem sit, nomenque alterum ab auctore deducendi; alterum a fonte, a quo deducebatur, obtinuerit. Aliter enim absurdum videretur multorum aquagiorum, qui extructi fuerant ante Nervæ imperium, adhuc extare vestigia, illorum vero, qui mox sunt excitati, penitus interiisse. Præterea qui erat necesse novas adducere aquas, cum urbs, quo tempore civium multitudine maxime florebat, pluribus, quam necessitas exigeret, abundaret, ut innuit Plin. hisce verbis. *Quod si quis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscias, domibus, euripis, hortis, suburbanis villis, spatioque advenientis arcos extructos, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.* Ex quibus verbis constare potest cui usui essent aquæ, sed in singularum erogatione magis apparebit. Fuere autem in commentariis Nervæ in universum quinariæ XII. mille DCCLV. Fron. mensus capita singularum aquarum invenit circiter quinariis X. millibus ampliorem modum, quam in commentariis contineretur. Sed ad Claudiam transeamus.

CAP. XI.

De Aqua Claudia, ejusque ductu.

CAJUS Cæsar, qui Tiberio successit, cum parum & publicis usibus, & privatis voluptatibus VII. ductus aquarum sufficere videret, altero imperii sui anno duos ductus inchoavit: quod opus Claudius magnificentissime consumma-

vit, dedicavitque. Alteri nomen, quod ex fontibus Cæruleo & Curtio perducebatur, Claudiæ datum: quæ bonitate proxima erat Martiæ. Altera, quoniam duæ Anienis aquæ in urbem fluere cœperant, ut facilius appellationibus dignoscerentur, Anio novus vocari cœpit: & quod illas omnes præcesserat prior Anio, cognomen ei veteris est adjectum. De Claudia Plin. loquitur in hunc modum: *Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a C. Cæsare, & peracti a Claudio: Quippe a lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, ut in omnes urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes: erogata ad id opus sextertia quingenta quinquaginta quinque millia*. Suetonius, *Caligula*, inquit, *inchoavit aquæductum in regione Tiburti, & amphitheatrum juxta Septa: quorum alterum a successore ejus Claudio peractum, omissum alterum est*. Concipiebatur Claudia aqua via Sublacensi ad milliar. XXXVIII. diverticulo sinistrorsus intra passus CCC. ex dictis fontibus amplissimis & speciosis, Cæruleoque, qui a similitudine appellatus erat, & Curtio. Accipiebat & fontem Albudinum, tantæ bonitatis, ut Martiæ quoque adjutorio, quoties opus esset, ita sufficeret, ut adjectione sui nihil ex qualitate ejus mutaret. Quod autem Fron. ait Claudiam concipi ad milliarium XXXVIII. Plin. vero a lapide quadragesimo, intelligendum puto, alterum distantiam capere ab eo fonte, qui ab urbe magis distaret: alterum ab eo loco, ubi ambo jungebantur. Augustæ autem fons in supplementum Martiæ datus fuit, & quia hæc sibi sufficere apparebat, in Claudiam est derivatus, manente nihilominus præsidiario in Martia: ut ita demum Claudiam aquam adjuvaret Augusta, si eam ductus Martiæ non caperet. Claudiæ ductus habebat longitudinem passuum XLV. millium. Ex eo, rivo subterraneo, pas. XXXV. millium: opere supra terram pas. X. millium. Hæc aqua in commentariis habebat non plus quinariis II. millibus DCCCLV. Ad caput Fron. invenit quinarias IIII. mille DCVII. Ex his extra urbem dabantur nomine Cæsaris CCXVII. Privatis CCCCXXXIX. Intra urbem cum Aniene nova confundebatur: & utriusque quinariæ dividebantur per regiones urbis XIIII. in castella XCII. Hujus aquæ ductus cum primum intra urbem pervenit, portæ objicitur Neviæ: ad quam ut liber esset aditus, in eodem ductu altera e marmore extructa est porta, adjectis titulis hujusmodi:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAISAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF. MAXIM.
TRIBVNICIA. POTESTATE. XII. COS. V. IMPERATOR. XVII. PATER. PATRIAE.
AQVAS. CLAUDIAM. EX. FONTIBVS QVI. VOCABANTVR. CAERVLEVS. ET. CVRTIVS. A. MILLIARIO. XXXXV.
ITEM ANIENEM. NOVAM. A MILLIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT.
IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVGVST. PONTIF. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI. COS. III. DESIG. IIII. P. P.
AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSAS. QVE.
PER. ANNOS. NOVEM. SVA. IMPENSA. VRBI. RESTITVIT.
IMP. T. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC.
POTESTATE. X. IMPERTOR. XVII.
PATER. PATRIAE. CENSOR. COS. VIII.
AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA.
A. DIVO. VESPASIANO. PATRE. SVO. VRBI. RESTITVTAS. CVM. A. CAPITE. AQVARVM. A. SOLO VETVSTATE. DILAPSAE. ESSENT. NOVA. FORMA. REDVCENDAS. SVA. IMPENSA. CVRAVIT.

Legimus autem in marmore, apud portam [1] Neviam reperto, M. Antoninum, L. Septimium, & M. Aurelium arcus Cœlimontanos vetustate collapsos a solo sua pecunia restituisse. Haud procul ab æde D. Mariæ in Dominica est arcus ex lapide Tiburtino eidem aquæductui subjectus, in cujus frontispicio legitur hic titulus.

P. COR. P. F. DOLABELLA. COS.
C. IVNIVS C. F. SILANVS FLAMEN. MARTIAL. EX. S. C.
FACIVNDVM CVRAVERVNT. [2] IDEMQVE PROBAVERVNT.

CAP. XII.

De iis quæ in Cœlio erant, sed certus eorum locus ignoratur.

Carnæ Deæ Templum Brutus, qui primus consul factus est, in Cœlio monte extruxit. Hæc dea præerat vitalibus humanis: & quia cordis beneficio cujus dissimulatione *brutus* habebatur, idoneus emendationi publici status extitit, ideo hanc deam templo sacravit, auct. Macrobius. Templum Claudii imp. ibidem cœptum ab Agrippina, deinde a Vespasiano perfectum, a Nerone destructum, refert Suet. Domus Mamurræ Formiani, fabrum Cæsaris in Gallia præfecti, in Cœlio fuit: quam marmoreis crustis primam omnium exornatam fuisse scribit Plin. Domum Claudii Centimali in eodem Cœlio stetisse, commemorat Val. Max. deque ea Cic. sic meminit: *Cum in arce augurium Augures acturi essent, jussissentque T. Claudium Centimalum, qui ædes in Cœlio monte habebat, demoliri eas, quarum altitudo officeret auspiciis, emit Calphurnius Lanarius*. Domus Tetricorum, qui duo ex triginta tyrannorum fuerunt, hodieque extat, inquit Pollio, in monte Cœlio, inter duos lucos, contra Isium Metellinum pulcherrima. Domum Junii Senatoris in eodem Cœlio positam fuisse, ostendit Cor. Tacitus his verbis: *Adduntur sententiæ, ut mons Cœlius in posterum Augustus appellaretur: quando cunctis conflagrantibus sola Tiberii effigies in domo Junii Senatoris inviolatam mansisset*. Habuit Cœlius etiam domum T. Claudii Clypti hymnologi, quemadmodum in ejus epithaphio legimus. Campum Martialem, in quo, si quando aquæ Tiberis Martium campum occupassent, equiria fiebant, in Cœlio institutum fuisse, testatur Sex. Pom. & his versibus Ovidius:

Altera gramineo spectabis equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.
Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda,
Cœlius accipiet pulverulentus equos.

Fuit in eodem monte Macellum magnum, Antrum Cyclopis, Spoliarium, & Armamentarium.

1. Mirar Antiquarium, quod tam temere eam esse portam Neviam existimet, quæ testimonio nullo esse potest
2. A. V. C. DCCLXII.

CAP.

CAP. XIII.

De Meta, quæ Sudans dicta est: de Amphitheatro Titi: & de Templis Fortunæ, atque Quietis.

SUCCEDUNT Cœlio Exquiliæ ab eo divisæ via Labicana, & convalle quatuor jugerum latitudine: in qua ante arcum Constantini Imp. extat Meta lateritia, in cujus vertice Jovis simulacrum olim fuisse proditum est. Hæc Meta [1] Sudans a Sex. Rufo appellatur, quod ex ea aquas manasse dicitur, quibus populus sitim extingueret. Amphitheatri Titi in proximo magna pars adhuc extat. Id autem, ut destinasse compererat Augustum, in media urbe Vespasianus excitavit. Titum deinde ejus filium dedicavisse ostendit Suet. his verbis: *Amphitheatro dedicato, thermisque juxta celeriter extructis, munus apparatissimum largissimumque dedit*. Martialem autem hanc molem Domitiano attribuisse multi opinantur, quod ad eum scribens Cæsareum amphitheatrum appellarit. Itaque per adulationem dictum putant: cum tamen non dubium sit, Domitianum nihil præterea huic operi præstitisse, nisi fortasse incrustatione exornarit, signave in arcubus superioribus addiderit, atque eam ob rem ex more suum titulum apposuerit, sine ulla pristini auctoris memoria. Hoc Colossei nomen obtinuit a Neronis colosso, quem circum ea loca positum fuisse existimandum est: circa quæ & ejusdem Neronis domum, ac stagna stetisse satis constat. De stagnis sunt hæc Mar. carmina:

Hic, ubi conspicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.

De domo vero infra dicemus. Sed de Colosso Plin. sic scribit: *Zenodorus e Gallia Romam accitus est a Nerone, ubi destinatum illius principis simulacrum colossum fecit CXX. pedum longitudine, qui dicatus solis venerationi est, damnatis sceleribus illius principis*. & superius: *Moles quidem excogitatas videmus statuarum, quas colossos vocant, turribus pares*. Colossus autem dictus est a Coleto, a quo primum formatus dicitur, auctor Sex. Pom. Sed de Amphitheatro Ammianus sic meminit: Amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cujus summitatem ægre visio humana conscendit. Loca autem septem & octuaginta millia cepisse, refert Sex. Rufus. Templum Quietis in via Labicana fuisse, ubi nunc D. Petri & Marcellini est ædes, communis est opinio.

CAP. XIV.

De Exquiliis: Carinis: Curia: de [1] Thermis, & domo Titi Imp. ac de Statua Laocoontis: & de domo Balbini, atque Pompeii Magni.

EXQUILIAS, quæ in plures partes a M. Varrone dividuntur, ab excubiis regis dictas multi volunt: alii quod excultæ a rege Tullio essent. Alteri harum opinioni suffragatur Ovidius his carminibus:

Adde quod excubias, ubi rex Romanus agebat,
Qui nunc Exquilias nomina collis habet.

Ut & M. Cato, qui ait Exquilias ab excubiis, sed quas Romulo Lucumo dedit. XII. lictorum, & CCC. armatorum ad corporis custodiam, simulque dignitatem, cum T. Tatius in fide societatis non sine suspicione esse videretur. Alii ab aucupibus Esquilias dictas arbitrantur, quod ibi quisquiliis sparsis aves illuderentur. Ea autem pars Exquiliarum, quæ inter Busta Gallica, Tabernolam, arcum Gallieni, ac Suburram comprehensa est, Carinarum nomen obtinuit, quod innuit Livius cum sexto belli Punici inquit: *Flaccus Cos. media urbe per Carinas Exquilias contendit, ubi unum ab altero dividit*. Erant autem Carinæ, auctore Ser. ædificia facta in modum Carinarum. Curiam veterem in ea parte quæ est inter hortos D. Mariæ novæ, & ædem D. Petri in Vinculis sitam esse, nonnulli multis neque levibus demonstrant indiciis. Quorum illud præcipuum est: quod in Tabellionum monimentis pervetustis ea loca ad Curiam veterem cognominata invenientur. Siquidem eam non eandem esse, quæ a Romulo ædificata fuit, Vetusque appellabatur, argumento est, quod locus, quo hanc statuunt, extra quadratam Romuli urbem est, illam vero intra Romulum posuisse, jam dictum est supra: unde fit ut credam, hanc Veterem appellatam (siquidem vetus appellata est) aliarum comparatione, quæ postea excitatæ sunt. Thermarum autem Titi imp. vestigia extant in eisdem Carinis, juxta amphitheatrum, ut in superiori capite ex Suet. apparet. Quas maxima celeritate perfecisse ostendit etiam Mar. his versibus:

Hic, ubi miramur velocia munera thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.

In his autem duo marmoris frusta inventa sunt, in quorum altero erat flamma sculpta, cum titulo hoc: IOVI. In altero vero, hæc verba: [2] VESPASIANVS AVG. PER COLLEGIVM PONTIFICVM FECIT. Domum ejusdem Titi fuisse prope thermas, eumque locum, quem septem Salas vulgus vocitat, ex eo constat, quod ibi Laocoontis statua est reperta, quam in eadem domo collocatam esse asserit Plin. his verbis: *Laocoon in Titi imperatoris domo opus omnibus & picturæ, & statuariæ artis præferendum: ex uno lapide eum, & liberos, draconumque mirabiles nexus de consilii sententia fecere summi artifices Agesander, & Polydorus, & Anthenodorus Rhodii*. Et quanquam hi ex Virgilii descriptione statuam hanc formavisse videntur, non tamen illam in omnibus sunt imitati: quod viderent multa auribus, non item oculis convenire, & placere. Hæc statua in Vaticano nunc est collocata: quam diligenter expressam hic subjecimus.

IVLIVS FELIX CAMPANIA
NVS VC PRAEFECTVS VRBI
AD AVGENDAM THERMA
RVM TRAIANARVM GRATIAM
CONCILIAVIT.

1. Metam sudantem in IV. urbis regione locat P. Victor. Ad hanc canere tubis & tibiis didicisse innuere videtur Seneca in Epistolis. *Essedas*, inquit, *transcurrentes porro & fabrum inquilinum, & ferrarium vicinum, aut hunc qui ad metam sudantem tubas experitur & tibias, neque cantat, sed exclamat*.

1. Falsa inscriptio de Titi thermis, cum Trajani esse oportuit scriptum ex duabus statuarum basibus, quarum altera in ædibus Maffeorum e Trajani thermis translata, cum inscriptione hujuscemodi:

2. Mendacia mera, quoniam hæc omnia sunt membra Trajanarum thermarum ex inscriptione ibi reperta 1548.

[3] Hæc Titi domus atrium habuit, in quo Polycletus Sicyonius fecit duos pueros item talis nudos ludentes, qui vocabantur Astragalizontes: quo opere auctore Plin. nihil fuit absolutius.


Sed quoniam de septem Salis, de quibus modo facta est mentio: & de loco in thermis Diocletiani [4] *Botte de therme* nuncupato, magna est quæstio, cui usui essent; non ignorandum aquarum A castella fuisse. Nam non modo thermæ publicis usibus deputatæ castella habebant, in quæ juxta moduli erogationem suas accipiebant quinarias, quas balneis, prout usus exigeret, sumministrarent: sed etiam privatis, ut Front. commemorat, castella itidem erant, in quæ ex publico castello aquam, quam accepissent, derivarent, iidemque in usus sibi necessarios distribuerent. Sed cum thermarum Titi castelli concamerationes sint [5] novem, nescio qua ratione vulgus septenario numero eas appellet. Nisi forte quod ex quibusdam ostiis septem duntaxat cernantur. Omnes autem sunt latitudine pedum XVII. cum dimidio, [6] altitudine XII. Longitudo varia est, sed ubi maxima pedes CXXXVII. continet.

3. Hæc simulacra, si vera Plin. narrat, de domo Titi & uno e lapide facta, non sunt ea, quæ erant in Titi domo. Hæc enim sunt e duobus lapidibus, ut a perito artifice, quin & ab aliis, facile dignosci possit. Ad hæc Antoniolus antiquarius fragmenta quædam domi habet draconum Laocontiorum reperta alibi in eo monte, ubi verior est thermarum Titi locus, inde conjiciendum Laocontem, qui nunc est in Vaticani hortis, alium esse ab eo quem in Titi ædibus fuisse Plinius meminit.

4. Hic quæ thermarum dolia vocitantur, erat dicendum

5. Immo plura.

6. Id Latine dictum non est.



B *Domus Balbini*, inquit Lampridius, *etiam nunc Romæ ostenditur in Carinis magna, & potens, & ab ejus familia huc usque possessa*. Domum Pompeii in eisdem Carinis sitam fuisse, testis est Suet. in Tib. & in libris de grammaticis: ubi Lenæus ejusdem Pompeii libertus grammaticam docuit. Domum Q. Ciceronis in Carinis fuisse, testatur M. Cicero ejus frater, cum ad eum scribens sic inquit. *Domum tuam in Carinis mundi habitatores* [7] *Camiæ conduxerunt*. Hanc avitam esse asserit Sex. Rufus. Nam alteram in Palatino monte illi fuisse significat idem Marcus libro quarto ad Atticum: cujus sunt hæc verba. *Expulsi sunt fabri de area nostra. Disturbata porticus Catuli, quæ ex S. C. Coss. locatione reficiebatur, & ad tectum pene pervenerat. Q. fratris domus primo fracta conjectu lapidum ex area nostra, deinde inflammata jussu Clodii*. Area autem, ex qua fabros expulsos ait, fuit ejus domus, quam in palatio combustam esse supra ostendimus.

7. Lamiæ.

CAP. XV.

De Tabernola: Domo Aeliorum: Basilica Caii, & Lucii: Clivo Suburrano: Arcu Gallieni: Trophæis Marii: ac de Thermis, & Domo Gordiani Imp.

Ea autem Exquiliarum pars, quæ ad Cœlium montem vergit, e regione Basilicæ Lateranensis, quæque Merulana pro Mariana dicitur, apud antiquos regio Tabernola dicebatur. Unde Var. Exquilinum lucum esse dicit [1] dexteC riore via Tabernolæ. Domus Aeliorum posita erat ubi nunc sunt Mariana monimenta: &, ut testatur Valerius Maximus Sacellum Marianum. Palatium Licinii fuit ad D. Bibianæ nunc ædem, ad ursum pileatum. Basilica [2] vero Caii & Lucii,

1. Velim scire quo pacto istud sit, cum hoc ædificium tropæorum sit castellum.

2. Basilicam C. & L. quam hic vocat, non puto esse, quoniam in ædificiis nihil habet similitudinis etiam basilica, quam nobis graphice depingit Vitruvius. Neque eo in loco C. & L. basilicam fuisse crediderim, sed eam omnino existimo esse, quam hactenus seu pudicitiæ seu fortunæ virilis ædem falso crediderunt indoctissimi rerum antiquarum enar-

raro-

quam cum porticu sub nomine nepotum Caii & Lucii Augustus extruxit, fuerat inter dictam ædem & urbis mœnia: cujus extat adhuc concameratus fornix pene integer, quo, Pantheonis excepto, nullus major in urbe cernitur. Locum hunc Galutii thermas vulgus appellat. Clivus Suburranus in Exquilias præbens ascensum a fine Suburræ initium capit. Arcus deinde Gallieni Imp. nullis ornamentis insignis apud ædem nunc D. Viti adhuc cernitur, in quo legitur titulus sequens.

GALLIENO. CLEMENTISSIMO. PRINCIPI.
CVIVS INVICTA. VIRTVS. SOLA.
PIETATE. SVPERATA. EST. ET SALONINAE. SANCTISSIMAE. AVGV.
M. AVRELIVS. VICTOR. DEDICATISSIMVS. NVMINI. MAIESTATIQVE. EORVM

Quidam triumphalem arcum esse voluere: sed cum triumphi nulla appareant inditia, neque constet de triumpho, fiatque in eo titulo de Salonina mentio, arbitramur in gratiam ipsorum ob aliquod beneficium ab ipso Aurelio positum: & super eodem statuam Gallieni, & ipsius Saloninæ locata fuisse. Macellum Livianum institutum fuit a sinistra ejus viæ, quæ est ab hoc arcu ad D. Antonii ædem, ubi nuper effossa sunt saxa Tiburtina, & vasa quibus interfectorum animalium sanguis colligebatur, magnaque ossium & cornuum copia. Macellum autem a quodam Macello est denominatum, qui in urbe latrocinia exercebat: quo damnato Censs. Æmilius & Fulvius statuerunt, ut domus ejus publicaretur, venderenturque ibi obsonia, auct. Plut. in probl. Varro, præter hanc, aliam ponit etymologiam. *Hæc omnia*, inquit, *postquam contracta in unum locum, quæ ad victum pertinebant, & ædificatus locus appellatum Macellum, ut quidam scribunt, quod ibi fuerit hortus*. Nam (ut diximus) ubi olerum copia, Lacedæmonii Macellum vocabant. Trophæa Marii Cimbrico bello parta, quæ a Sulla disjecta, & a Cæsare Dictatore instaurata esse commemorat Sueton. a dextra viæ Prænestinæ, propeque D. Juliani ædem extant. Quæ tametsi mutilata, tamen horum in altero thoracem cum clypeis, juvenisque captivi simulacrum brachiis post tergum revinctis, in altero vero varia belli instrumenta adhuc cernuntur. Domus autem, thermæque Gordiani Imp. hinc non procul a dextra scilicet ejusdem viæ fuere: de quibus [3] Capitolinus ita loquitur. *Domus Gordianorum etiam nunc extat, via Prænestina, ducentas columnas uno stilo* [4] *habens, &* [5] *thermas quales, præter urbem, nusquam haberet orbis terrarum.*

ratores. Cujus rei maximum est argumentum nuper effossæ inscriptiones C. & L. his verbis:

C. CAESARI. AVGVSTI. F
PONTIFICI. COS. DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS

alterum:

L. CAESARI. AVGVSTI. F
AVGVRI COS. DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS.

Hæc in lapide Tiburtino visuntur effosso mense Julii anno 1551. Ad hæc adducor, ut sit basilica C. & L. ad credendum, quod Divus Augustus quicquid ædificiorum suis exædificavit, non procul alterum ab altero fecisse videtur.

3. Capitolinus prope finem rerum Gordianorum etiam nunc exstare tradit, verum ubi fuerit, tacet. Villam certe eorum in via Prænestina ponit. Hæc verba ita digesta e Fulvio exscripsit lib. 5. de thermis Gordiani 192. & parum considerate notavit, quæ ab auctore scribantur, quandoquidem ibi nihil de thermis recitatur, præterquam quod paulo post cogitaverat, inquit præterea cum Misitheo, ut post basilicam etiam thermas æstivas sui nominis faceret. Plin. 31. 3.

CAP. XVI.

De Aqua Martia.

POSTQUAM via Prænestina ad portam Exquilinam perventum est, locus postulat, ut de aqua Martia nunc dicamus. Hanc igitur aquam [1] Martiam appellatam legimus ab Anco Marcio rege, qui primus omnium eam in urbem ducere est auspicatus. Quintus deinde Martius rex in prætura deduxit. Longo tempore post restituit M. Agrippa: de qua hæc Plin. sunt verba, *Clarissima aquarum omnium toto orbe frigoris salubritatisque palma, præconio urbis, Martia est, inter reliqua deum munera urbi tributa. Vocabatur hæc quondam Aufeia, fons autem ipse Piconia. Oritur in ultimis montibus Pelignorum: transit Marsos Romam non dubie petens: mox specu mersa in Tiburtina se aperit. IX. M. pas. fornicibus structis perducta*. Subdit deinde. *Et quantum Virgo tactu, tantum præstat Martia haustu*. De hac Frontinus: *Concipiebatur hæc via Valeria, ad milliarium* XXXV. *diverticulo euntibus ab urbe Roma dextrorsus millia passuum trium, villa Sublacensi. & ductus ejus habebat longitudinem a capite ad urbem passuum* LX. *millium* DCCX., *& semis, rivo subterraneo pas.* XLIII. M. CXLV., *& semis, opere supra terram pas.* VII. *millium*. CCCCXLIII. *opere arcuato pas.* II. M. CCCCLXIII. *Propius urbem a* VI. *milliario substructione pas.* CLXXXVIII. *Reliquo opere arcuato pas.* VI. *millium* CCCCLXXI. In commentariis adscriptus erat modus quinariarum. II. M. CLXII. Ad caput vero Front. invenit quinarias. IIII. mille. DCXC. Dividebatur per regiones, primam. III. IIII. V. VI. VIII. IX. XIIII. In castella LI. Augustus in supplementum hujus aquæ quoties siccitates egerent auxilio Juliam aquam ejusdem bonitatis opere subterraneo perduxit usque ad Martiæ rivum. Cujus ductus, donec Martiæ accederet, efficiebat pas. DCCC. Derivatus est deinde in Claudiam, ut dictum est. Martia autem collis Viminalis æquabat libram. Cum esse desiisset a Nerva fuit restituta, atque in Aventinum usque derivata. Eidem Nervæ placuit omnes discerni, tum singulas ita ordinari, ut in primis hæc tota potui serviret: quæ parte sui post hortos Pallantianos in rivum, qui vocabatur Herculaneus, dejiciebat se per Cœlium. In Martiæ autem ductu ante portam Exquilinam extant adhuc tituli, qui sequuntur.

IMP. CAESAR. DIVI. IVLI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS. COS. XII.
TRIBVNIC. POTESTAT. XIX. IMP. XIIII.
RIVOS. AQVARVM. OMNIVM. REFECIT
IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. PARTH. MAXIM.
BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS
AQVAM. MARCIAM. VARIIS. KASIBVS. IMPEDITAM. PVRGATO. FONTE. EXCISIS. ET PERFORATIS

4. Peristylo.
5. Hæ thermæ erant extra urbem in via Prænestina.
1. De aqua Martia vide Frontin. lib. de aquæductibus.

MONTIBVS. RESTITVTA. FORMA. ADQVISITO. ETIAM. FONTE NOVO. ANTONIAN
IN. SACRAM. VRBEM. SVAM. PERDVCENDAM. CVRAVIT
IMP. TITVS. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVG. PONTIF. MAX.
TRIBVNICIAE. POTESTAT. IX. IMP. XV. CENS. COS. VII. DESIG.
RIVOM. AQVAE. MARCIAE. VETVSTATE. DILAPSVM. REFECIT
ET. AQVAM. QVAE. IN. VSV. ESSE. DESIERAT. REDVXIT

Hujus autem aquæ Cor. Tac. ſic meminit. *Luxus cupido infamiam, & periculum Neroni attulit: qui fontem aquæ Marciæ ad urbem deductæ nando inceſſerat.*

CAP. XVII.

De Aqua Julia, & Tepula.

A SUPRA dicta porta Exquilina, ad Marii trophæa progreditur ductus aquæ, ut arbitramur, Juliæ. Quoniam cum Anio novus eſſet omnium altiſſimus, proximumque locum teneret Claudia, & tertium Julia: cumque videamus hunc aquæ ductum poſt Claudiæ ductum cæteris omnibus, qui extant, majorem eſſe, non eſt quod dubitemus Juliæ, ſive Tepulæ eſſe ductum. De quibus Front. ſic loquitur. *Cn. Servilius Cepio, & L. Caſſius Longinus, qui Rivalla appellatus eſt, Cenſſ. anno ab urbe condita* DCCXVII. *M. Plautio Hipſapone & Ful. Flacco Coſſ. aquam, quæ vocatur Tepula, ex agro Lucullano, quem quidam Tuſculanum credunt, Romam, & in Capitolium adducendam curaverunt. Tepula concipiebatur via Latina ad XI. milliarium, diverticulo euntibus ab Roma dextrorſus millium paſſuum duum: inde rivo ſuo in urbem perducebatur, Juliæ poſt mixta ab Agrippa. Juliæ ductus efficiebat longitudinem paſſuum* XV. *millium* CCCCXXV. *opere ſupra terram paſ.* VII M. CCCCXXVI. *Ex eo in proximis urbis locis a* VII. *milliario. ſubſtructione paſ.* M. D. XXVIII. *reliquo opere arcuato paſ.* VI. M. CCCCLXXII. Præter caput Juliæ transfluebat aqua nomine Crabra, de qua meminit Cic. ep. lib. XVI. *Tepulæ in commentariis adſcriptus erat modus quinariarum quadringentarum. Hujus aquæ fontes nulli erant, venis quibuſdam conſtabat, quæ interceptæ fuerunt in Juliam. Caput ergo ejus obſervandum erat a piſcina Juliæ: ex ea enim primum accipiebat quinarias* CXC. *deinde ſtatim ex Marcia quinarias* XCII. *præterea ex Aniene novo ad hortos Epaphroditianos quinarias* CLXIII. *Fiunt omnes quinariæ* CCCCXLV. *amplius quam in commentariis quinariis* XLV. *Tepulæ erogabantur extra urbem nomine Cæſaris quinariæ* LVIII. *privatis quinariæ* LVI. *reliquæ* CCCXXXI. *intra urbem dividebantur, per regionem* IV. V. VI. VIII. *in caſtella* XIV. *ex quibus nomine Cæſaris quinariæ* XLIV. *privatis* CCXXXVII. *uſibus publicis* L. *Ex eo caſtris* II *quinariæ* XII. *operibus pub.* III. *quinariæ* VII. *lacubus* XIII. *quinariæ* XXXI. *Juliæ* autem *in commentariis adſcriptus erat modus quinariarum* DCXLIX. *Ad caput menſura iniri non potuit, quoniam ex pluribus acquiſitionibus conſtabat. At ad* VI. *ab urbe milliarium univerſa in piſcinam recipiebatur, ubi dabat quinarias* M. CCVI. *Accipiebat autem prope urbem poſt hortos Pallantianos ex Claudia quinarias* CLXII. *Erantque Juliæ cum acceptis, quinariæ* MCCCLXVIII. *Ex eo dabat in* A *Tepulam* CXC. *erogabat ſuo nomine* DCCCIII. *Fiebant quas erogabat quinariæ* DCCCCXCIII. *amplius, quam in commentariis habebat, quinariis* CCCXLIV. *minus quam in piſcina* CCXIII. *Fluebant extra urbem nomine Cæſaris quinariæ* LXXXV. *privatis* CXXII. *reliquæ intra urbem dividebantur per regiones* II. III. V. VI. VIII. X. XII. *in caſtella* XVII. Hæc hauſimus ex Frontino.

B

CAP. XVIII.

De Clivo Urbico: Domo Ser. Tullii, & Neronis: ac de Æde Fortunæ Seiæ.

EA autem Exquiliarum pars, quæ ædi D. Laurentii in Fontana incumbit, Clivus Urbicus eſt appellata: ubi fuit lucus Fagutalis, & domus Ser. Tullii. Domus vero Neronis totum id ſpatium occupavit, quod eſt inter Palatium & Cœlium, ab æde nunc D. Joannis & Pauli recta eundo ad Coloſſeum, atque Carinas, quouſque ad aggerem Tarquinii perveniamus, & Mecænatis attingamus hortos. De hac domo Cor- C nel. Tac. ſic meminit. *Eo tempore Nero Antii agens non ante in urbem regreſſus, quam domui, qua palatium, & Mecænatis hortos continuaverat, ignis propinquaret: neque tamen ſiſti potuit, quin & palatium, & domus, & cuncta circum haurirentur:* & infra: *Cæterum Nero nixus eſt patriæ ruinis extruere domum: in qua non tam gemmæ, & aurum miraculo eſſent, ſolita pridem & luxu vulgata, quam arva, & ſtagna, & in modum ſolitudinum hinc ſylvæ, inde aperta ſpatia, & proſpectus.* De hac domo Suet. ita ſcribit. *Nero domum a Palatio Exquilias uſque fecit, quam primo Tranſitoriam, mox incendio abſumtam, reſtitutam-* D *que Auream nominavit: de cujus ſpatio atque cultu ſuffecerit hoc retuliſſe. Veſtibulum ejus fuit in quo Coloſſus* CXX. *pedum ſtaret. Ipſius effigie tanta laxitas, ut triplices porticus milliarias haberet: item ſtagnum maris inſtar, circumſeptum ædificiis ad urbium ſpeciem. Rura inſuper arvis, atque vinetis, & paſcuis, ſylviſque varia cum multitudine omnis generis pecudum, ac ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, diſtincta gemmis, unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, ut flores fiſtulis, & unguenta deſuper ſpargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circum-* E *ageretur. Balneæ marinis & albulis fluentes aquis. Ejuſmodi domum cum abſolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut ſe diceret, quaſi hominem tandem habitare cœpiſſe.* Hujus domus immenſam laxitatem incertus Auctor hoc diſticho feſtiviſſime taxavit:

Roma domus fiet, Vejos migrate Quirites,
Si non & Vejos occupat iſta domus.

De eadem ſic Plin. *Et quota pars ea apparatus fuit aureæ domus ambientis urbem:* & idem alibi ait, ipſum Neronem in domo aurea ædem Fortunæ in- F cluſiſſe, quæ ex lapide phengite translucens, foribus clauſis, claritatem diei intus haberet: hancque deam a Servio rege ſacratam, & Sejam a ſegetibus appellatam. Circa eandem domum fuere quædam horrea, quorum ſpatium cum Nero deſideraret, bellicis machinis, & igni labefactavit, quæ ſaxeo muro conſtructa erant.

CAP. XIX.

De Aggere Tarquinii: Domo Pompeii, & Virgilii: & de Turri, & Hortis Mecænatis: ac de Campo, & Foro Exquilino.

AGGER Tarquinii Superbi ab arcu Gallieni parum ultra thermas Diocletiani protensus adhuc cernitur: de quo Plin. in hunc modum loquitur. *Clauditur urbs ab oriente aggere Tarquinii Superbi, inter prima opere mirabili. Namque eum muris æquavit, qua maxime patebat aditu plano: cætero munita erat præcelsis muris, aut abruptis montibus: nisi quod expatiantia tecta multas addidere urbes.* Turrim autem [1] Mæcenatis sub eodem aggere, haud procul ab eisdem thermis fuisse, plerique omnes consentiunt: ex qua incensam urbem prospectans Nero lætus flammæ (ut ajebat) pulchritudine ἅλωσιν illi decantavit. Cujus incendii initium ab ea parte Circi originem habuit, quæ Palatino Cœlioque montibus contigua est, auctor Suet. Qui hortos etiam Mæcenatianos in Exquiliis fuisse sic ostendit. *Tiberius Romam reversus deducto in forum filio Druso statim e Carinis, Pompeiana domo Exquilias in hortos Mecænatianos transmigravit.* Domum autem Virgilii poetæ apud eosdem hortos stetisse, scribit Servius gram. Hi horti erant in campo Exquilino inter dictum aggerem & mænia urbis sito: ubi prius cadavera sepeliebantur. Locum innuit Sex. Pom. his verbis: *Puticuli sunt appellati, quod vetustissimum genus sepulturæ, ut puteus, fuerit: & dicti puticuli, quia ibi cadavera putrescunt: quem locum publicum ultra Exquilias fuisse prodidit Aelius.* Eundem locum attigit Cic. ubi inquit, *Senatum censere, atque e republica existimare, Ædilium curulium edictum, quod de funeribus habeant Ser. Sulpitii Q. F.* [2] *Lemoniæ Rufi funerie mittere utique locum sepulcro in campo Exquilino C. Pansa Cos. seu quo in loco videtur pedes triginta quaquaversus designet, quo Ser. Sulpitius inferatur: quod sepulcrum ipsius, liberorum, posterorumque ejus sit.* Fuit autem postea consuetudo ut ibidem cadavera comburerentur. Sed cum nidor esset urbi perniciosus, Augustus studens aerem emendare, S. P. Q. R. consensu campum hunc Mæcenati concessit, ubi fecit hortos quos superius demonstravimus. In eodem campo plurima variaque sepulcra effodi vidimus, variis exornata marmoribus. Quædam erant concamerata unica testudine: alia duplici concameratione, ut ex superiore in inferius sepulcrum esset descensus. Erant & pavimenta tessellata vermiculataque: in parietibus per ambitum loculi, in singulis urnæ binæ: extra cameram sepulcri longitudinis latitudinisque inscriptio. Quædam vero sepulcra ex pluribus constabant parietibus, parum invicem distantibus, in quibus urnæ similiter binæ, fere contiguæ, modicoque intervallo, aliæ binæ, & super his totidem: ita ut ex ordine decedentium urnæ additæ novo includerentur muro: hæc pauperum, illa divitum sepulcra fuisse, opinamur. In urnis autem ossa, cineres, & carbones adhuc erant. Erat & vas [3] Ustrinum appellatum, quod in eo cadavera comburerentur: in quo & vitreum vasculum fuit repertum, in eoque suavissimos liquores fuisse multi asserebant, quibus etiam cadavera aspergerentur. In Exquiliis fuit forum Exquilinum. Appianus: *Dum Marius, inquit, & Sulpitius ad Exquilinum forum illi occurrunt.* Basilicam Sesimini civis Rom. apud ædem D. Mariæ majoris fuisse nonnulli affirmant. Fuit etiam in Exquiliis fanum, & malæ Fortunæ ara, auctore Plin. & Cic. de nat. deorum. Fuit & Felicitatis templum: idque postea a Nerone, domum auream extruere parante, combustum. Pars autem Exquilinarum ad Viminalem versa habuit lucum Querquetulanum alterum, alterumque Junonis Laciniæ.

1. MAECENAS per AE in prima. Lege sculptum in lapide in hortis Colotianis Romæ.
2. Immo Lemonia in VI casu Ascon.
3. Atqui Ustrinum, quod a Græcis καῦστρα dicitur, locus est, in quo combustus quis tantummodo, alibi vero sepultus est, ab urendo. sicut Bustum proprie locus dicitur in quo mortuus est combustus, & sepultus, quasi bene ustum. Festus tametsi apud eum ustrina legatur in singulari, tamen in marmoribus ustrinum vidi, ut ad hoc ustrinum applicari non licet. Antiquus lapis:

DIS MANIB.
ANNIUS SOCRATES GAMICENI
SVAE

CAP. XX.

De [1] Suburra: Templo Silvani: & de Testamento Jocundi militis.

[2] SUBURRA, quæ inter Exquilias & Viminalem jacet, principium habuit a foro Romano, sive a foro Nervæ imp. finem vero ad clivum Suburranum: dicta, ut Junius scribit, ab eo quod fuerit sub antiqua urbe. Juvenalis vicum frequentissimum fuisse innuit, cum inquit.

Cedere namque foro, jam non est deterius, quam
Exquilias a ferventi migrare Suburra.

In eadem Suburra meretrices habitasse, significare videtur Martialis sic dicens.

Famæ non nimium bonæ puellæ,
Quales in media sedent Suburra.

Domum Cæsaris Dictatoris fuisse in Suburra, supra, ubi de templo Pacis sumus locuti, demonstratum est. Vicus Patricius oblique Exquilias a Viminali ad Diocletiani thermas prope usque disterminans, a Patriciis est denominatus, qui jubente Tullio rege ibi habitavere, ut si quid adversus ipsum molirentur, ex locis superioribus opprimi possent. Mamilia turris intra Suburræ regionem a [3] Mamilio quodam nomen accepit: auct. est Sextus Pompejus. Hujus vici meminit Maro hoc carmine:

Sed domus in vico Lælia patricio.

Templum Silvani fuisse ad radices Viminalis, qua parte (ut ego puto) mons ipse spectat occasum solis, satis constat ex testamento Jocundi militis in Lusitania reperto, quod sequitur.

IOCUNDI.
EGO GALLVS FAVONIVS IOCUNDUS P.
FAVONII. F. QVI BELLO CONTRA
VIRIATVM OCCVBVI IOCVNDVM ET
PVDENTEM FILIOS E ME ET QVIN-

SVAE FECIT. HVIC MONVMENTO
VSTRINVM APPLICARI NON LICET
L. VERATIO RESTITVTO PATER
FILIO PIO EECIT

de Mausolei ustrino Strab lib. v.

1. In Suburra poma vendi consuesse indicat Martialis lib. x. epigrammate de munusculo pomorum:

Hæc igitur media quæ sunt mihi nata Suburra
Mittimus autumni cerea poma mei.

2. De Suburra secus Varo de L. L.
3. Vide, divinaculum, quam apte omnia interpretare.

TIA FABIA CONIVGE MEA ORTOS A ET BONORVM IOCVNDI PATRIS MEI ET EORVM QVAE MIHI IPSI ACQVISIVI HAEREDES RELINQVO HAC TAMEN CONDITIONE VT AB VRBE ROMA HVC VENIANT ET OSSA HINC MEA INTRA QVINQVENNIVM EXPORTENT ET VIA LATINA CONDANT IN SEPVLCRO IVSSV MEO CONDITO ET MEA VOLVNTATE IN QVO VELIM NEMINEM MECVM NEQVE SERVVM NEQVE LIBERTVM INSERI ET VELIM OSSA QVORVMCVNQVE SEPVLCRO STATIM MEO ERVANTVR B ET IVRA ROM. SERVENTVR IN SEPVLCRIS RITV MAIORVM RETINENDIS SECVNDVM VOLVNTATEM TESTATORIS ET SI SECVS FECERINT NISI LEGITIMAE ORIANTVR CAVSAE VELIM EA OMNIA QVAE FILIIS MEIS RELINQVO PRO REPARANDO TEMPLO DEI SILVANI QVOD SVB VIMINALI MONTE EST ATTRIBVI MANESQVE MEI A PONT. MAX. ET A FLAMINIBVS DIALIBVS QVI IN CAPITOLIO SVNT OPEM IMPLORENT AD C LIBERORVM MEORVM IMPIETATEM VLCISCENDAM TENEANTVRQVE SACERDOTES DEI SILVANI ME IN VRBEM REFERRE ET SEPVLCRO ME MEO CONDERE VOLO QVOQVE VERNAS QVI DOMI MEAE SVNT OMNES A PRAETORE VRBANO LIBEROS CVM MATRIBVS DIMITTI SINGVLISQVE LIBRAM ARGENTI PVRI ET VESTEM VNAM DARI IN LVSITANIA IN AGRO VIII. CAL. QVINTILES, BELLO VIRIATINO [4].

Decem Tabernæ fuere in valle D. Agathæ ædi D subjecta, ut ex inscriptione marmoris ibidem effossi didicimus. Puteus vero D. Probæ fuit juxta ædem D. Mariæ cognomento in Campo, in eadem valle.

CAP. XXI.

De Colle Viminali : Lavacro Agrippinæ : de Thermis Olympiadis, Novati, & Diocletiani : & Bibliotheca Vulpia : ac de Domo Caii Aquilii. E

TErtiæ *regionis*, inquit Varro, *colles quinque ab deorum fanis appellati sunt, e queis nobiles duo: Viminalis a Jove Vimineo: quod ubi aræ sunt, ibi vimina nata fuerunt*. Palatium Decii Imperat. situm fuisse apud ædem nunc S. Laurentii cognomento in panisperna, in ea parte quæ ad Suburram vergit, nonnulli tradidere. Sed de hoc apud antiquos scriptores non memini me legere. Lavacrum Agrippinæ matris Neronis fuit a sinistra, qua parte collis vallem Quirinalem despicit. ubi simulacra duo Bacchi reperta feruntur, & index hujusmodi. F

IN LAVACRO AGRIPPINAE.

Thermæ autem Olympiadis, & Novati hæ eo in loco, ubi nunc D. Pudentianæ est templum, illæ inter has & Deci palatium, in vinea eidem Laurentii ædi proxima, sitæ erant. Et in Potentianæ templo etiam hodie canales fuliginosi videntur. Domum C. Aquilii Equitis Romani illius, quem juris civilis scientia clarissimum fecit, in montis dorso positam fuisse opinamur. Hanc domum pulchriorem fuisse illa Palatina Crassi, & Q. Catuli, testatur Plin. Thermæ Diocletiani in

Long. ped. CCXCIII.
Lat. major. LXXXIIII.
Minor. XXVIII.
Crassitudo muri. V.
Pilarum. XX.

medio fere Viminali sitæ adhuc spectantur: sed majori ex parte dilapsæ: quarum fornices amplissimi extantes, columnæ ingentes, locaque concamerata miræ amplitudinis operis magnificentiam clare ostendunt. Has Diocletianus & Maximianus inchoarunt, in quibus extruendis memorant XL. M. Christianorum in servitium habuisse. Alii vero dicunt Diocletianum Maximianumque eas perfecisse: Constantium deinde & Maximianum Diocletiani filios easdem suis conditorumque statuis exor-

4. Hæc inscriptio aliter legitur apud Aldum in Orthographia.

navisse atque dedicasse, hujusceque rei inditio utuntur, quod in eisdem inventum sit marmor, in quo erant verba quæ sequuntur:

CONSTANTINVS ET MAXIMIANVS INVICTI AVGVSTI SEVERVS MAXIMIANVS CAESARES THERMAS ORNARVNT ET ROMANIS SVIS DEDICAVERVNT.

Harum thermarum ichnographiam habes in figura urbis, propterea hic castellum tantum apposuimus, [1] ex quo & ex superioribus jam descriptis manifestum est, non eandem certam atque constitutam formam castellis fuisse, sed pro locorum natura ea extructa esse: neque enim referebat quali forma essent, dum recipiendi aquam usum præberent.

Bibliothecam autem Ulpiam, in qua libri lintei atque elephantini principum gesta & S. C. continentes servabantur, in his thermis fuisse, testatur Vopiscus sic; *Usus sum præcipue libris ex Bibliotheca Vulpia, ætate mea thermis Diocletiani*. Et alibi: *Bibliotheca Ulpia elephantini pugilares in sexto armario siti*. Palatium etiam Diocletiani prope thermas fuisse opinamur, in vinea sita inter ipsas thermas & vallem Quirinalem: ubi columnarum bases adhuc suis locis stantes effodi vidimus: & sacellum conchis marinis variisque lapillis invicem consertis adornatum. Alterum sacellum marmoreum repertum fuit ad easdem thermas, qua parte ad Altam Semitam septentrionemque spectant, cujus sacelli testudo in modum conchæ marinæ sculpta ex duobus frustis candidissimi marmoris constabat. quod cui deo esset dicatum, nullo potui signo intelligere. Post thermas autem, & aggerem Tarquinii, usque ad mœnia, jacet campus Viminalis, in quo fuit puteus aquæ [2] Salientis, qui dicebatur puteus Vivarii, quia ibi apud antiquos animalia includerentur: quo Vivarii nomine etiam nunc campus ille ab incolis appellatur: extantque veluti ferarum latibula hominum opera extructa.

CAP. XXII.

De Monte Quirinali: Æde Fortunæ, Apollinis, Jovis, Junonis, Minervæ: & de Turri Militiarum: Balneis Pauli Aemilii: Thermis Constantini: ac de Domo Corneliorum.

IN Valle Quirinali fuit Fortunæ publicæ ædes: de qua Ovid. sunt hi versus:

Qui dicit quondam sacrata in valle Quirini,
Hac fortuna die publica, verus erit.

Montem autem Quirinalem a Quirini Fano, vel a Quiritibus, qui cum Tatio Curibus venientes ibi castra posuerunt, denominatum esse affirmat Var. Sed hujus collis ædificia ut ordinate percurrantur, ab ea parte incipiamus, quæ Palatio Nervæ, Foroque Trajani est proximior. Supra hoc igitur stat Turris nunc Militiarum: quod cognomen ex eo inditum est, quia milites Trajani ibi stationem olim habuere. [1] Extat adhuc ejus ædificii bona pars, & ei annexa veluti porticus in Semicycli sive theatri formam; ubi caput ingens marmoreum, quod Trajani fuisse inter omnes constabat, paucis ab hinc diebus repertum est: eodemque in loco effossi sunt orbes marmorei miræ laxitatis, ac multa marmoris

1. Castelli figuram vide pag. præcedente 158.
2. Sic Fulvius lib. 11. fol. 131. a immo Aquisaliens. P. Victor in Regione XII. vicum aquæ salientis reponit. ex Basi. reg. ad porticum conservatorum in Capitolio.
1. Ex Andrea Fulvio lib. 11.

A frusta variis signis cælata: in quorum uno erat hic titulus: POTENTISSIMA DOS IN PRINCIPE LIBERALITAS ET CLEMENTIA. Balinea Pauli Æmilii in proximo fuere, ubi nunc Monialium est habitaculum: locusque dicitur *Bagnanapoli*. In descensu clivi, qui ad Viminalem vergit, a dextra, annis ab hinc duodecim vidimus sacellum variorum piscium marinarumque concharum nobili pictura adornatum: quibus inditiis Neptuni fuisse omnes asserebant. Thermarum autem Constantini imp. reliquiæ magnæ non longe spectantur: in quibus repertus est hic titulus:

B PETRONIVS PERPENNA MAGNVS QVADRANTIANVS V. C. ET. IL. PRAEF. VRB. THERMAS [3] CONSTANTIANAS LONGA INIVRIA ET ABOLENDAE CIVILIS VEL POTIVS [4] FATALIS CLADIS VASTATIONE VEHEMENTER AFFLICTAS ITA VT [5] AGNITIONE SVI EX OMNI PARTE PERDITA DESPERATIONEM CVNCTIS REPARATIONIS ADFERRENT DEPVTATO AB AMPLISSIMO ORDINE PARVO SVMPTV QVANTVM PVBLICAE PATIEBANTVR ANGVSTIAE AB EXTREMO VINDICAVIT OCCASV ET PROVISIONE LONGISSIMA IN PRISTINAM FACIEM SPLENDOREMQVE RESTITVIT.

Domus Corneliorum fuit e regione harum thermarum, qua parte mons urbem planam despicit: in vico etiam nunc Corneliorum nuncupato: in quo Apollodorus prodit fuisse statuas duas collosseas senum semi nudorum, qui cum reliquo corpore jacerent, pectore fuerant erecti, alteraque manu cornu copiæ tenerent: quas Saturno & Baccho adjudicavit: additque in proximis ruinis templa, quorum frontispicium non omnino corruisset, horum deorum extitisse. Has autem colosseas statuas eas esse, quæ hodie in Capitolio cernuntur, crediderim. In proximo autem loco stat Turris dimidiata: hanc quidam geminato errore Mecœnatis, & in Exquiliis esse asserunt: cum neque hic collis sit Exquiliarum, nec ea Mecœnatis turris, quam in Exquiliis fuisse supra demonstravimus. Equi duo marmorei apud prædictas thermas adhuc extant: quorum alterum Praxitelis, alterum Fidiæ opus esse, tituli indicant. Templum Apollinis fuit in ea parte Quirinalis, quæ in portam Flumentanam versa, Mons Apollinis, & Clatræ est dicta. Haud ita multo post surgit alia pars montis: ubi Capitolium vetus: Sacellum Jovis, Junonis, & Minervæ: ea priusquam Capitolium fuerant condita.

CAP. XXIII.

De Domo Pomponii Attici, & Flavi Sabini: Templo Quirini: Alta Semita: Vico, & Statua Mamurri: & de Foro, & Hortis Salustii: atque de Campo Scelerato.

DOMUS Pomponii Attici fuit in ea Quirinalis parte, quæ ædi nunc D. Vitalis incumbit. Hanc domum cognomento Pamphilianam, ejusque amœnitatem non ædificio, sed sylva con-

2. Sic in lapide ipso.
QUADRATIANVS.
3. THERMAS CONSTANTINIANAS.
4. FERALIS.
5. In lapide est AGNITIONEM.

stitisse, & a Q. Cæcilio avunculo ipsi Attico hæreditate fuisse relictam, asserit Cor. Nepos: de qua Cic. ad ipsum Atticum scribens, ita meminit: *Diem natalem reditus mei cura ut in tuis ædibus amœnissimis agam tecum, & cum amicis*. Templum Quirini prope eandem domum fuisse arbitramur: de cujus templi porticu Maro sic mentionem facit: *I nunc, & pete porticum Quirini*. Sed alteram Quirini ædem fuisse, ubi nunc templum D. Susannæ, innuit Vitr. libro septimo: a qua Quirinalem portam, olim prope existentem, denominationem accepisse diximus. Alta Semita a thermis Constantini ad portam Viminalem usque per dorsum Quirinalis erat producta, cujus vestigia sæpe, nec uno tantum loco, vidimus. Et prope eum locum, qui dicebatur, Ad Malum Punicum, fuit Fl. Sabini domus: in qua natum esse Domitianum testatur Suet. consentitque hic titulus ibidem repertus, & adhuc iacens:

INTER DVOS
PARIETES
AMBITVS PRIVAT.
FLAVI SABINI

Est autem ambitus circuitus ædificiorum, patens in latitudinem pedes duos & semissem, in longitudinem idem quod ædificium, auctor est Sex. Pom. In eadem parte collis vergente ad Viminalem, in tabula marmorea, erant superioribus annis tria deorum simulacra, quorum a dextra sedens unum, Genio Cœlimonteis, ut titulus ostendebat, erat consecratum: alterum a sinistra stans, Herculi Julio: tertium, Jovi Cœlimonteis. Eo in loco extant adhuc aquæductus antiqui vestigia aquis limpidissimis, quamquam exiguis, fluentibus. Vicum [1] Mamurri fabri, in quo illi statua fuerat posita, apud prædictam ædem D. Susannæ fuisse, testatur D. Ambrosius. Forum Sallustii eidem ædi fuit proximum: a quo non longe ejusdem Sallustii fuerat domus, cum hortis: qui non solum proximam occupabant vallem, sed ad portam Collinam fere usque secundum urbis menia diffundebantur. horum in medio jacet obeliscus notis sive literis Ægyptiis inscriptus, qui Lunæ fuerat dicatus: inter quem & viam ad eandem portam tendentem, in loco qui nunc Gyrlus dicitur, multæ hydriæ effossæ sunt, propeque multa ossa cadaverum, ac inter ea caput humanum miræ magnitudinis: quod verisimile videtur esse Pusionis, vel Secundillæ: quos gigantea statura in eisdem hortis conditos fuisse, testatur Plin. his verbis: *Procerissimum hominem ætas nostra D. Claudio principe Gabbatam nomine ex Arabia advectum IX. pedum, & totidem unciarum vidit. Fuere sub D. Augusto semipede addito: quorum corpora ejus miraculi gratia in Conditorio Sallustianorum asservabantur hortorum, Pusioni, & Secundillæ erant nomina*. De his hortis Cor. Tac. ita meminit: *Ventitabat Nero ad pontem Milvium, quo solutius urbem extra lasciviret. Igitur regrediente per viam Flaminiam compositas insidias, fatoque evitatas, quoniam diverso itinere Sallustianos in hortos remeaverit*. Meminit & Vopiscus de Aureliano sic loquens: *Displicebat ei cum esset Romæ habitare in Palatio, ac magis placebat in hortis Salustii, vel Domitiæ vivere*. Collem autem, in quo quota pars domus Sallustii cernitur, incolæ Sallustricum appellant, ubi effossum est marmor cum hac inscriptione:

ET M. AVRELIVS. PACORVS
M. COCCEIVS. STRATOCLES
AEDITVI. VENERIS. HORTORVM
SALLVSTIANORVM. BASEM. CVM
PAIMENTO MARMORATO
DEANAE
D. & D

1. Hæc prius a Fulvio.

Campus Sceleratus, in quo Vestales incesti reæ vivæ defodiebantur, totum id spatii obtinuit, quod a dictis Sallustii hortis ad portam Collinam fere usque protenditur, de quo Livius sic inquit: *Eo anno Minucia Vestalis facto judicio viva sub terra ad portam Collinam, dextera via strata defossa Scelerato campo*. Ab incesto id ei loco nomen factum. Meminit & Sex. Pom. ac Plut. Cujus verba, quia ritum Vestales sepeliendi ostendunt, non ab re fuerit ea subjicere: *Sed quæ virginitatem prodiderit viva ad portam, quam Collinam vocant, defoditur. Quo quidem in loco supercilium est intra urbem terrestre porro se intendens, quod Latinorum idiomate vocatur tumulus. Hic structa est subterranea domus haud magna, in quam e loco superiore descenditur. Jacet in ea stratus lectulus, & lucerna ardens, primitiæque rerum earum, quæ necessariæ sunt ad victum, breves quædam, panis, aqua in vase, lac, & oleum: quasi caveat ipsa domus, ne fame ejus corpus intereat, quæ maximis expiation[illegible] dedicata sit. Ipsam vero pœnæ obnoxiam feretro. [illegible] suam, & exterius obtectam, lorisque ligatam [illegible] quo neque vox queat etiam audiri, per forum vehi[illegible]. Silentio accedunt omnes, eamque, sine voce, gravi cum mœrore quodam transmittunt. Neque aliud spectaculum horribilius est, neque alium diem civitas mœstiorem agit. Cum vero ad locum feretrum delatum fuerit, solutis a ministris vinculis, sacerdotum princeps precatus arcana quædam, sublatisque ad eos manibus, unte supplicium educit eam capite opertam, constituitque in scalis in domicilium deferentibus. Deinde ipse cum aliis sacerdotibus avertitur. Cum autem illa descenderit, & scalæ tolluntur, & multa desuper injecta humo domicilium operitur, adeo ut is locus reliquo tumulo æqualis fiat. Sic quidem quæ sacram virginitatem prodidere puniuntur*.

CAP. XXIV.

De Templis Salutis, Fortunæ Primigeniæ: Gentis Flaviæ, Herculis, Honoris, Floræ: & de Senatulo mulierum.

HABUIT Quirinalis multas ædes sacras, sed quo in loco fuerint, exploratum non habemus. Fuit in eo ædes Apis: fuit & Salutis, a Fabio pictore depicta: Claudii imp. tempore incensa: hanc cum Junius Bibaculus dictator de Æquis triumphans vovisset, censor locavit, rursus dictator dedicavit. Fortunæ Primigeniæ ædes in eodem Quirinali a Domitio prætore urbano posita fuit. Herculis vero templum fuit e regione ædis Quirini, ut nonnulli arbitrantur. [1] Templum gentis Flaviæ apud Malum Punicum a Domitiano fuerat extructum. Honoris ædem in eodem colle fuisse asserit Cic. Senatulum mulierum in Quirinali Heliogabalum fecisse eo in loco, in quo antea fuerat conventus matronalis solennibus duntaxat diebus, refert Lampridius. Floræ templum ejusdem deæ Circo, de quo mox dicemus, incumbebat.

1. Aliter infra lib. v. 97. cap. 7. Erat hic mentio facienda de lapide quadrato, & Tiburtino e vinea Sadoletorum, in quo est inscriptio de domo Flavia, quam hisce oculis vidi. De templo Flaviæ gentis Mart. lib. nono epig. 1. decem scazontes scribit. Flavia templa in foro Romano ponit Mart. lib. eodem epig. 3. ad Domitianum scribens sic:

Quid loquar Alcidem, Phœbumque, piosque Lacaenas?
Addita quid Latio Flavia templa foro?

Apud eundem Flavia templa lib. IX. in laudem Domitiani.

CAP.

CAP. XXV.

De Foro Archemorio: Pila Tiburtina: Domo Martialis: Circo Floræ: & de Minii Officinis.

DESCRIPTIS citra Tiberim Romæ ædificiis, reliquum erat, ut in Janiculum transiremus, verum cum collis Hortulorum jam diu intra pomerium sit receptus, hujus, urbisque planæ ædificia par est prius ut recenseamus; in primisque quid fuerit in valle jacente inter ipsum collem Hortulorum & Quirinalem. Forum Archemorii, ubi nunc ædes D.Nicolai de Archemoriis, fuisse plerique omnes affirmant: ducti, ut opinor, hujus ædis cognomine. Pila Tiburtina, locus ita nuncupatus, B magnam partem hujusce vallis obtinebat: apud quam Martialem se [1] domum habuisse testatur, his versibus.

Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ,
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem [2]

Nam Circus Floræ eidem pilæ adjacebat, in valle, quæ a tribus partibus Quirinalis complectitur: ubi ejusdem Floræ deæ ludi Florales celebrabantur: quorum origo hæc traditur. Flora cum magnas opes arte meretricia comparasset, populum Romanum scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, ex cujus annuo fœnore sui natalis dies celebraretur, editione ludorum. Quod quia flagitiosum videbatur, C ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Deam esse finxerunt, quæ floribus præesset, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus bene prospe- A reque florescerent. Officinas minii inter Floræ & Quirini ædem fuisse, scribit Vitruvius. Clivus publicus proximus ad Florales, versus Capitolium vetus extensus erat, auctor est Var.

1. De domo Martialis non audiendus est Domitius in epig. ad Frontinum apud Martial. lib.x. quam Calderinus in Janiculo ponit.

2. Idem alibi, nempe lib.x. ad Frontinum.
Dura suburbani dum jugera pascimur agri.
Vicinosque tibi sancte QVIRINÆ LARES.

CAP. XXVI.

De Colle Hortulorum: Domo Pincii Senatoris: ac de Sepulcro Neronis.

COLLIS autem Hortulorum licet magnum ambitum habeat, tamen, quia erat extra urbem, pauca ædificia memoratu digna continebat. In eo erat domus Pincii Senatoris, templumque Solis, ut nonnulli ajunt, ubi extat moles in Semicycli formam ad mœnia, post ædem nunc Trinitatis. Sepulcrum Neronis haud procul ab æde D.Mariæ de populo positum esse multi opinantur. Fuisse autem in hoc colle ostendit Suet. his verbis. *Reliquias Ægloge, & Alexandria nutrices, cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt: quod prospicitur e campo Martio, impositum colle Hortulorum. In eo monumento solium porphyretici marmoris superstanti lunensi ara circumseptum e lapide Thasio.* Collis autem Hortulorum cognomen hoc obtinuit, quod sub ipso olim, ut etiam nunc, fertilissimi fuerant horti: *Candidatis*, inquit Macrobius, *fuerat usus in comitium nundinis venire & in colle consistere, unde possent ab universis videri: mox autem in campum Martium magistratum petituri descendebant.* Et nos quoque in eundem, urbemque planam descendamus, quo, priusquam in Janiculam transeamus, de ædificiis quæ citra Tiberim sunt, aut fuerant, orationi finem imponamus.

LIBER QUINTUS.

CAP. I.

De Foro, Porticu, Arcu, & Columna Cochlidis Trajani.



IN Urbis planæ ædificiis describendis ut evidentius singula dignoscantur, a Capitolio per Pantheona ad eam partem ripæ fluminis, quæ nunc *Ripetta* appellatur, lineam rectam deduci intelligemus, quæ in duas partes, propemodum æquales, hanc urbem dissecabit: quarum altera hac linea, Tiberique: altera linea eadem, & E montis Quirinalis, Hortulorumque collis radicibus continebitur. Hanc prius ut aggrediamur, ordo postulare videtur. Igitur post Augusti Forum sequitur Forum Trajani: cujus architectum Apollodorum fuisse commemorat Dion, his verbis: *Hadrianus Apollodorum architectum, qui Trajani Forum, Methodium, & Gymnasium illo jubente fabricaverat, primum urbe expulit, postea interfecit.* Forum hoc, præter alia [1] ornamenta, multis statuis erat adornatum, ut innuit Gellius, his verbis: *In fastigiis Fori Trajani simulacra sunt sita circumundique inaurata equorum, atque signorum militarium, subscriptumque est ex manubiis.* Aliaque varia simulacra virtutis causa, vel aliquo in rempublicam merito, erant publico sumptu ibi collocata: quorum celebratissimum fuit Claudiani: cujus titulus in humili quadam domo in Constantini thermis sita reperitur, in hæc verba:

D CL. CLAVDIANI V. C.
CLAVDIO CLAVDIANO V. C. TRI
BVNO ET NOTARIO INTER CETERAS
[2] VIGENTES ARTES PRAEGLORIOSISSIMO
POETARVM LICET AD MEMORIAM SEM
PITERNAM CARMINA AB EODEM
SCRIPTA SVFFICIANT ADTAMEN
TESTIMONII GRATIA OB JVDICII SVI
FIDEM DD NN ARCADIVS ET HONORIVS
FELICISSIMI AC DOCTISSIMI
IMPERATORES SENATV PETENTE
STATVAM IN FORO DIVI TRAIANI
ERIGI COLLOCARIQVE IVSSERVNT.

[3] Ειν ἑνὶ Βιργιλίοιο νόον
κ̀ μῦσαν Ομήρϰ
[4] Κλαυδιανῷ Ρώμη κ̀
βασιλῆς ἔθεσαν.

1. De Trajani fori magnificentia lege Marcellinum.

2. An potius LUCENTES. Quid si *ingentes*? quum hic lapis effractus sit.

3. Antiquarii pervicacia distichon aliter atque in lapide legitur editum est. Nam Κλαυδιανῷ pro Κλαυδιανὸν in marmore legitur. Sed ne quis loquendi forma offendatur. consimile in Græcorum epigrammatum collectione lib.VII. Pauli Silentiarii reperiet.

4. Hujus statuæ & inscriptionis Claudianus mentionem facit in præfatione belli Getici 145. sic:

Sed prior effigiem tribuit successus ahenam
Oraque patricius nostra dicavit honos,
Annuit his princeps titulum poscente Senatu
Respice judicium quam grave MUSA subis &c.

Circa hoc forum autem erat porticus cum columnis miræ magnitudinis, quæ tantam afferebant intuentibus admirationem, ut non hominum, sed gigantum manu opus fabrefactum videretur. In hanc porticum summorum virorum statuas pulcherrimas undique ab Alexandro Severo translatas fuisse, scribit Lampridius. In forumque cum Constans Constantini filius pervenisset, singularum structuram primum attonitus cernens, perque giganteos contextus circunferens mentem, omni spe talia conficiendi amota, Trajani equum solum locatum in atrii medio imitari se velle dicebat: cui regalis Ormisda respondit. Stabulum prius tale condas. Hujus autem equi imaginem in ipsius Trajani numismatis signatam vidimus, cum hac inscriptione S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. Forum adornabat etiam arcus triumphalis: Dion. *Triumphalis*, inquit, *tunc arcus præter alia multa, quæ in honorem ejus & decreta & facta fuerant, in illius foro substructus est*. Stabatque etiam in ejus fori medio ejusdem Trajani cochlidis columna, quæ adhuc extat: in qua circumcirca Dacici belli, aliarumque rerum gestarum simulacra miro artificio sculpta sunt. Ea habet gradus CLXXXIII, fenestrellas CLIV, alta est pedes CXXVIII. In cujus basi insculptus est hic titulus:

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS.
IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE.
TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF.
MAXIMO. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P.P.
AD DECLARANDVM. QVANTAE. ALTITVDINIS.
MONS. ET LOCVS. TANTIS. OPERIBVS. SIT EGESTVS. [5]

Hunc titulum Dion non satis animadvertisse videtur, qui sic inquit: *Ingentem columnam in foro statuit, sive ut ea pro sepulcro esset, sive in ostentationem ejus operis, quod ille circa forum egit*. Clivus surgebat, quem effossa quoquoversus terra ita complanavit, ut undique columna conspiceretur, forumque deinde in areæ modum æquatum mansit. In hac eadem columna ossa Trajani, omnium imperatorum intra urbem duntaxat sepulti, ab Hadriano condita esse, idem Dion. est auctor. Bibliothecam templi Trajani, in qua veterum Prætorum, ut Gellius tradit, erant edicta, in ejus foro fuisse, existimandum est.

CAP. II.

De Sepulcro C. Poblicii: Domo Corvina: Via lata: & de Isidis, & Minervæ Templo: atque de Foro Suario.

SUB Capitolio, qua parte mons ipse ad forum Trajani vergit, sunt monumenti C.Poblicii vestigia, in quibus extat sequens epitaph.

C. POBLICIO. L. F. BIBVLO AED. PL. HONORIS
VIRTVTISQVE CAVSSA SENATVS
CONSVLTO POPVLIQVE IVSSV LOCVS
MONVMENTO QVO IPSE POSTERIQVE
EIVS INFERRENTVR PVBLICE DATVS EST.

Honoris virtutisque caussa hoc loco additum esse intelligendum est: quia [1] Duillio Cos. cautum fuerat S.C. ne quis in urbe sepeliretur, nisi qui virtutis causa non teneretur legibus. Nam & Cic. sic inquit: *Hominem mortuum*, inquit, *lex in XII tabulis, in urbe ne sepelito, neve urito*. (*Credo vel propter ignis periculum &c.* Atqui in urbe sepulti sunt clari viri. *Credimus eos quibus hoc ante hanc legem virtutis causa tributum est: ut* [2] *Publicolæ: ut Tuberro: quod eorum posteri jure tenuerunt. Aut eos*, quibus hoc, *ut C.Fabricius, virtutis causa soluti legibus non sunt secuti*.) Hæc Cic. Imperatores autem, & Vestales, quia legibus non tenebantur, in urbe sepulcra habebant. Domus autem Corvina fuit, ubi nunc macellum Corvorum appellatum, prope modo dictum sepulcrum. Via Lata hinc ad Septa protendebatur: quæ via idem nomen, ædesque D.Mariæ, quæ in ea posita est, ab eodem cognomentum etiam nunc retinent. Prope eandem ædem reliquiæ arcus triumphalis sexto ab hinc anno sunt effossæ, in quibus incisæ erant imagines victoriæ, & trophæa: ex cujus arcus inscriptione hoc tantum legi poterat. VOTIS X. ET XX. Templum Isidis, ex urbis descriptione quam Sex. Rufus fecit, in eadem via fuisse videtur: qua parte nunc D. Marcelli est ædes: nam & ibi inventum est marmor cum hoc titulo. TEMPLVM ISIDIS EXORATAE. Hoc templum prope Septa fuisse, ostendit Juvenalis, his carminibus:

A Meroe portabat aquas, quas spargat in ædem
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.

Juvenali consentire videntur Dionis hæc verba: *Ignis divinitus potius quam ab homine Romæ excitatus, eamque depopulatus*. Nam Serapis & Isidis templum, & septa, Neptuni ædem, thermas Agrippæ, Pantheum, Diribitorium, Balbi theatrum, Pompeii porticum, Octaviæ domum cum bibliotheca, templum Jovis Capitolini, cum ædibus & sacellis conjunctis exhausit. ([3] Diribitorium autem erat domus publica, in qua stipendium militibus diriberetur id est distribueretur: Sed multis præterea locis fuisse Isidis templum testatur Spartianus in via Caracallæ. Inter hanc autem viam & ædem Minervæ stat arcus, ut videtur, triumphalis, nullis nunc ornamentis excultus: quem Camilli fuisse dicunt: hoc solo argumento, quod ab eo nomen retineat: quod falsum, verum ne sit, ex eo loco petendum est libro secundo, ubi de arcubus Romuli sumus locuti. [4] Minervæ templi vestigia extant in cœnobio Fratrum Divæ Mariæ Minervæ nuncupatæ. Hoc templum Pompejus Magnus extruxit, in eoque triumphalia signa, & gestorum suorum breviarium posuit: quale in marmorea tabula legimus: & a Plin. iisdem fere verbis repetitum. Forum Suarium fuit ad radices Quirinalis, ubi nunc D.Nicolai est ædes cognomento in Porcilibus. In eo enim sues vendebantur. Nam, quemadmodum Varro ait, Romani loca habebant constituta ubi res peculiariter venderentur: quæ loca nomen sortirentur ab ipsis rebus: ut Boarium, ubi boves: Piscarium, ubi pisces: Olitorium, ubi olera: Suarium, ubi sues.

5. Dictio *operibus* fracto marmore imperfecta est. Quare nonnulli hunc titulum in lucem edentes, pro OPERIBVS temere substituerunt *viribus*: cum a vero sensu eo verbo nihil sit alienius. Nos autem ideo *operibus* legendum censuimus, quod ita in antiquo exemplari scriptum invenimus: id quod maxime quadrat magis ab ipso Trajano circa forum exstructis ædificiis: de quibus ibidem multa diximus.

1. Duilio L. Virico ex Marmor. Capitolinis.
2. Poplicolæ.
3. De Diribitorio Hermolaus ad lib XVI. Plinii, cap. XLI. multa ex Dione & aliis recitat.
4. Minervæ templum Plin. delubrum dicit lib. 7. cap. 27 & honoris ubi in delubro Minervæ tribuit non extructum ab eo templum refert id quod ædi victoriæ Gell. lib. x. cap. I. attribuit.

CAP. III.

De Campo Martio, & Agrippæ, ac de Æde Larium.

CAMPUS Martius priſcis temporibus extra urbem erat relictus: nam mœnia urbis a porta Collina in eam partem verſus, qua Ancus Martius in Janiculo muros poſuerat, flectebantur: eo campo extra relicto. Ejus nominis origo ea eſt, Cum cæteri campi Tarquinii, qui ob juſtitiæ contemptum dictus eſt Superbus, poſt ejus exilium dati iis eſſent, qui agros non haberent: unus hic ager Marti fuit conſecratus. Ideo qui prius campus Tiberinus nuncupabatur, Martius fuit appellatus. In eo Comitia ſæpe facta eſſe notiſſimum eſt, & Cic. teſtatur his verbis: *Conſtat enim nullis unquam Comitiis campum Martium tanta celebritate, tanto ſplendore omnis generis hominum, ætatum, ordinum floruiſſe*. Aliis etiam publicis uſibus inſerviebat, quod ex multis auctoribus facile eſt cognoſcere. Nam Suetonius ſcribit athletas ſtadio ad tempus extructo in regione campi Martii certaviſſe per biduum: & navali prælio in morem cochleæ defoſſo lacu biremes, ac triremes, quadriremeſque Tyriæ & Ægyptiæ claſſis, magno pugnatorum numero, conflixiſſe: & Sex. Pom. Equiria ludos, quos Romulus Marti inſtituit, in campo Martio facta eſſe. Strabo præterea de eodem campo hæc memoriæ tradidit: *Veteres illi Romani urbis pulchritudinem contempſere, cum majoribus magiſque neceſſariis animum adjeciſſent. Poſteri vero, & ii præſertim, qui noſtris fuere temporibus, haudquaquam illis hac in re ceſſiſſe videntur: ſed innumerabilibus, ac præclariſſimis urbem Romanam impleverunt inſignibus. Pompejus namque, & D.Cæſar, & Octavius, & ejus filii, & familiares, & uxor, & ſoror cunctorum ſtudium, ſimul & impenſas ad apparanda decora ſuperarunt. Maximum autem horum partem Martius campus habet, præter nativam locorum amœnitatem artis & ſolertiæ exornationes admittens. Campi enim admirabilis magnitudo ſimul & curules pariter curſus, & alia equeſtria certamina ſuppeditat: nec minus tam multis pilam, circulum, paleſtram exercitatione tractantibus, aliaque incumbentia ſimul opera. Quid perennes ſolo herbas, coronatoſque uſque ad fluminis alveum colles, ſcenicarum oſtentatio picturarum, ejuſque generis ſpectacula præſtant, ut difficulter & invitus abſcedas. Huic proximus campo & alter adjacet campus, & innumerabiles circumcirca porticus, horti nemoroſi: theatra tria, ſimul & amphitheatrum: templa magnificentiſſima inter ſe contigua, & quaſi aliud agentia reliquam urbis venuſtatem oſtentare videantur. Ea propter cum locum iſtum religioſiſſimum eſſe cogitaſſent, clariſſimorum virorum ac fœminarum monumenta conſtruxerunt*. Hactenus Strabo. Campus autem alter Martio adjacens, Agrippæ dicebatur: in quo M. Agrippa Pantheum & thermas extruxit. De hoc campo meminit Lampridius, & Gellius libro XIV. Macrobius inſuper Larium ædem, quam bello Antiochiæ Æmilius Regilius prætor voverat, in eodem campo Martio fuiſſe teſtatur. In hoc, ſicut in Capitolio, clariſſimorum virorum ſtatuæ erigi ſolebant. Itaque Caligula imp. quaſdam ab Auguſto ex Capitolina area propter anguſtias in hunc translatas, ita ſubvertit, ut reſtitui ſalvis titulis non valuerint.

A

CAP. IV.

De Antonini Pii Palatio, & Porticu, deque ejuſdem Antonini Columna. Præterea de Septis: Monte Citatorum: & Villa Publica.

EXTAT juxta ædem D. Stephani de Trullio porticus, cujus principium, & finis non apparet, columnæ tamen marmoreæ ingentes, numero undecim ſtantes, ita diſpoſitæ cernuntur, ut ex his, aliiſque ejuſdem generis nuper a tergo harum effoſſis, porticum quadratum fuiſſe dubium non ſit: ſiquidem ſub ipſis columnis locus eſt ampliſſimus concameratus, in modum cellæ vinariæ:
B ut falſum eſſe conſtet, quod [1] aliqui dicunt, ibi fuiſſe templum ejuſdem Antonini, vel Martis. Hinc haud procul ſtat ejuſdem Antonini cochlidis Columna, altitudinis pedum CLXXV. cum feneſtrellis LVI. & gradibus, ut refert Sex. Rufus, CCVI. quorum graduum numerus hodie deprehendi non poteſt, neque ad columnæ ſummum perveniri. In ea circumcirca res ab Antonino geſtæ inciſæ ſunt. In vertice olim ejus ſimulacrum erat, quale in ejus numiſmatis ſæpe vidimus. Columnam hanc Sex.Rufus in area Flaminii eſſe ſcribit. Septa inter hanc & aquam Virginem jace-
C bant. Nam arcus Virginis finem poſuiſſe ſecundum frontem ſeptorum ait Frontinus. Erant autem [2] Septa loca tabulis incluſa, & vallata, in quibus Populus Rom. ſuffragia laturus claudebatur. Hæc eadem Ovilia etiam, ſumpta ſimilitudine ab ovium ſeptis, ſunt appellata. Lucanus: *Et miſere maculavit ovilia Romæ*. Hæc juxta viam Fornicatam & Flaminiam fuiſſe, auct. eſt Livius. In eiſdem Septis varia certamina interdum edebantur: quale fuit gymnicum a Nerone: ab Auguſto ludi ſcenici, & venationes. Prope columnam Antonini ſurgit tumulus, quo Populus Rom. ad creandos magiſtratus conveniebat, ab eoque Citorus vi-
D detur nunc appellari: licet ſint & qui ab acceptandis ſuffragiis, tanquam acceptorium: & qui a proximis Septis, tanquam ſeptorum nomen obtinuiſſe velint. Eum autem monticulum, quem hodie videmus, ex ruinis amphitheatri Claudii, Villæ publicæ, aliorumque publicorum ædificiorum, quæ ibi fuiſſe conſtat, factum eſſe opinamur. Villa [3] autem publica erat domus ampla, veluti curia, in qua hoſtium legati, quibus in urbe hoſpitium non concedebatur, recipiebantur, & de publico alebantur. Livius, *Macedones*, inquit, *deducti extra urbem in Villam publicam, ibique iis locus, & lautia præbita*. Nam quod hoſtium
E legati intra urbem non ſuſciperentur, Rhodiorum legati apud eundem auctorem conquerentes, his verbis oſtendunt: *Antea Carthaginienſibus victis, Philippo, Antiocho ſuperatis, cum Romam veniſſemus, ex publico hoſpitio in curiam gratulatum vobis P.C. ex curia in Capitolium ad deos veſtros dona ferentes: nunc ex ſordidiſſimo diverſorio, vix mercede recepti, ac prope hoſtium more extra urbem manere juſſi, in hoc ſqualore venimus in curiam Romanam Rhodii*. De Villa publica Cic. ad Atticum ita meminit. *Efficiemus rem glorioſiſſimam, nam in campo Martio ſepta tribuniciis comitiis marmorea ſumus*
F *& tecta facturi, eaque cingemus excelſa porticu, ut mille paſſuum conficiatur: ſimul adjungetur huic operi Villa etiam publica*. Templum autem Neptuni cum porticu juxta ſepta fuiſſe, ait Dion. quem locum M. Agrippa multis decoravit ornamentis.

1. Immo P.Victor:
2. De ſeptis plura Beroaldus in Servium, ubi ex Bucolicis diviſa ovilia a ſeptis eſſe affirmat. Mart.
In ſeptis Mamurra diu multumque rogatus.
3. Villæ publicæ formam vide in argenteo nummo apud Pyrrhum Ligorium, quam & ipſe in magna ſua Roma attulit. De Villa publica P.Victor in IX.Reg.Var. lib.3. cap.2. de Re Ruſt. & Cicero in Orat. de reſponſis Aruſpicum.

Apud hanc Antonini columnam fuerat pons, per quem citati, postquam tulerant [4] suffragia, ne laturis se immiscerent, & cui favissent dicere possent, transeuntes separabantur. De quo Suet. in vita Cæs. sic inquit: *Conjurati primum cunctati utrumne illum in campo per comitia tribus ad suffragia vocantem partibus divisis e ponte dejicerent, atque exceptum trucidarent: an in sacra via, vel in aditu theatri adorirentur.*

CAP. V.

De Aqua Virgine: Æde, & Lacu Juturnæ: Templo Pietatis: & de Amphitheatro Claudii Imp.

VIRGINEM aquam adduxit Agrippa, ut ait Plin. ab octavi lapidis diverticulo II. millia passuum, via Prænestina, juxta Herculaneum rivum, quem refugiens virginis nomen obtinuit. De eadem aqua idem auct. sic inquit: *Agrippa in ædilitate sua adjecta Virgine aqua, cæteris corrivatis atque emendatis lacus DCC. fecit, præterea salientes CV. castella CXXX. complura etiam cultu magnifica. Operibus his signa CCC. ærea, aut marmorea imposuit. Columnas ex marmore CCCC: eaque omnia annuo spatio*: De eadem aqua Frontinus ita scribit: *Idem Agrippa cum jam tertium Cos. fuisset, C. Sentio & Sp. Lucretio Coss. post annum tertium decimum, quam Juliam deduxerat, Virginem in agro quoque Lucullano collectam Romam perduxit. Virgo appellata est: quod quærentibus aquam militibus puella virguncula venas quasdam monstravit, quas secuti, qui foderunt, ingentem aquæ modum invenerunt. Ædicula fonti apposita hanc virginem pictura ostendit. Concipiebatur Virgo via Collatina, ad milliarium VIII. palustribus locis, signino circumjecto continendarum scaturiginum causa. Adjuvabatur ex compluribus aliis acquisitionibus: veniebat per longitudinem pas. XIII. millium CV. ex eo rivo subterraneo pas. XI. millium DCCCLXV. Supra terram pas. M. CCXL. Ex eo substructione rivorum locis compluribus pas. DXL. Opere arcuato pas. DCC. Acquisitionum ductus rivi subterranei efficiebant pas. MCCCCV. Hujus aquæ ascriptus erat modus in commentariis quinariarum DCCLII. Mensura ad caput inveniri non poterat: quoniam ex pluribus, ut diximus, acquisitionibus constabat.* Propterea Frontinus ipsam egit ad milliarium septimum: ubi invenit quinariarum duo millia DIV. amplius, quam in commentariis, quinariis M. CCLII. Exibant extra urbem quinariæ CC. reliquæ II. mille. CCCIV. dividebantur per regiones VII. VIII. XIV. in castella XVIII. Ex quibus nomine Cæsaris quinariæ DXLIX. Privatis CCC. XXXVIII. Usibus publicis M. CCCCXVII. Ex eo muneribus duobus, quinariæ XXVI. Lacubus XXV. quinariæ LXI. Operibus publicis XVI. quinariæ M. CCCXXX. Sed vetus ductus magna ex parte collapsus est, aquaque ipsa nunc concipitur prope pontem Salarium, ex fonte, sive lacu, qui est in monte vulgo *de Zoie* nuncupato: quem ex aliquibus acquisitionibus, ex quibus auctam fuisse hanc aquam refert idem Frontinus, colligi puto. Ager Lucullanus, in quo prius colligebatur, idem est, qui & Tusculanus. Luculli autem nomen huic inditum est, postquam is villam pulcherrimam in eo extruxit, quam nunc *Frascatum* vocant. Sed hujus aquæ ductus subterraneo rivo in campum Martium usque perveniens sub colle Hortulorum attollitur, ibique intus ex lapide Tiburtino extructo hæc instauratoris legitur inscriptio:

TI. CLAUDIUS. DRVSI. F. CAESAR.
AVGVSTVS. GERMANICVS
PONTIFEX. MAXIM. TRIB. POTES. V. IMP. XI. P.P. COS. DESIGN. III.
ARCVS. DVCTVS. AQVAE. VIRGINIS. DISTVRBATOS. PER C. CAESAREM
A FVNDAMENTIS NOVOS FECIT. AC. RESTITVIT

Hi arcus partem campi Martii obibant, ut innuit Ovid. his carminibus:

Te quoque lux eadem Turni soror æde recepit,
Hic ubi virginea campus obitur aqua.

Ex quibus carminibus constat, Juturnam juxta ejusdem nominis lacum, in quo submersa illi cognomen fecit, eodem in campo ædem habuisse: qua parte nunc est fons Trivii. Hujus lacus aqua salubris habebatur. Unde Var. *Nympha*, inquit, *Juturna quæ juvaret: itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent.* Quod hodie nos fieri videmus e puteo, qui est in ædicula D. Mariæ cognomento in Via, non longe ab eo, quem diximus, Trivii fonte. [5] Templum Pietatis fuit, ut plerique omnes consentiunt, ubi nunc ædes D. Salvatoris de pietate. [6] Ampitheatrum vero juxta septa Claudium imp. ædificavisse, quod a Tiberio imperfectum fuerat relictum, scribit Suetonius: Neronemque ludos spectavisse e proscenii fastigio, munere quod in amphitheatro ligneo in regione campi Martii intra anni spatium fabricato dedit.

CAP. VI.

De Arcu Domitiani: Templo Junonis Lucinæ: & de Obelisco Campi Martii.

ARcus ad D. Sylvestri nunc ædem, qui viam Flaminiam complectitur, [1] Domitiano positus fuit. Nam in eo est ipsius Domitiani effigies, qualis in ejusdem numismatis cernitur, sed statura procera, quemadmodum a Suetonio describitur. Cui effigiei adjacet urbis direptæ imago, præterea Victoria ac Pallas ipsi Domitiano sedenti veluti gratulantes. De eodem arcu Martialis inquit.

Stat sacer & domitis gentibus arcus ovans.

Domitianus enim per omnes regiones Janos arcusque fecit: quos in ipsius unius titulum ac nomen substructos, postea disturbatos esse commemorat Dion. Vocatur autem nunc arcus *Tripoli*. Ab hoc non longe fuit Junonis Lucinæ templum, ubi nunc est ædes D. Laurentii ejusdem

4. Morem illum antiquum suffragiorum ferendorum Augustus ac Tacitus antiquarunt: & comitia e campo ad patres transtulit idem Augustus. Ceterum Suet. *Comitiorum*, inquit, *Augustus jus pristinum reduxit, atque triplici pœna coercito ambitu, & ipse suffragium in tribubus ferebat, sicut unus ex populo.* Quæ diu intermissa ab Hadriano Aug. demum revocata fuisse ait Spartianus.

5. Templum pietatis diversum ab eo, quòd Liv. III. commemorat.

6. Suet. in Cajo: *Opera*, inquit, *sub Tiberio semiperfecta templum Augusti theatrumque Pompeii absolvit. Inchoavit autem aquæ ductum in regione Tiburti, & amphitheatrum juxta septa.* non a Claudio inchoatum neque ædificatum; sed a Cajo inceptum fuisse, mea quidem sententia, Suet. ait, e quibus postea Claudius Caii successor alterum absolvit. Suet. in Claudio, Aquæductum nimirum, alterum omissum est, nempe amphitheatrum istud.

1. Haudquaquam credibile est hunc esse arcum Domitiani, quia omnia ejus monumenta, posteaquam fuit interfectus, solo æquata fuerunt. Quare ex ipsius numismate Claudii hunc esse dignoscitur, si insculptam imaginem arcus contempleris.

cognominis. Hujus sic meminit Plin. *Romæ vero lotos in Lucinæ area anno, qui fuit sine magistratibus, CCCLXIX. urbis æde condita, incertum quantum ipsa vetustior: esse quidem vetustiorem non est dubium, cum ab eo luco Lucina nominetur.* Ab hoc templo ad jactum lapidis, jacet obeliscus comminutus: de quo idem auctor hæc tradit: *Is obeliscus, qui est in campo Martio, CX. pedum est, a Sesostride inscriptus: rerumque naturæ interpretationem Ægyptiorum opera philosophiæ continet. Cui D. Augustus addidit mirabilem usum ad deprendendas solis umbras, dierumque ac noctium magnitudines, strato lapide ad obelisci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ confecto die sexta hora, paulatimque per regulas, quæ sunt ex ære inclusæ, singulis diebus decresceret, ac rursus augesceret: digna cognitu res, & ingenio fœcundo. Manilius mathematicus apici pilam auratam addidit: cujus vertice umbra colligeretur in semet ipsam alia atque alia incrementa jaculantem apice, ratione (ut ferunt) a capite hominis intellecta. Hæc observatio triginta jam fere annis non congruit: sive solis ipsius dissono cursu, & cœli aliqua ratione mutato: sive universa tellure aliquid a centro suo dimota, ut deprehendi, & in locis accipio: sive urbis tremoribus, ubi tantum gnomone intorto: sive inundatione Tiberis sedimento molis facto: quanquam ad altitudinem impositæ rei in terram quoque dicantur jacta fundamenta.* hæc Plin. altera autem parte hujus obelisci fracti erat hic titulus:

CAES. DIVI. I. F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS IMP.
XII. COS. XI. TRIB. POT.
XIV. AEGYPTO IN POTESTATEM
POPVLI
RO. REDACT.
SOLI DONVM DEDIT.

Ibidem autem effossum fuit horologium cum lineis & gradibus auratis, in singulis vero quatuor imagines ventorum ex opere vermiculato visebantur, cum inscriptione hac, VT BOREAS SPIRAT.

CAP. VII.

De Valle Martia: Naumachia Domitiani: Templo Gentis Flaviæ: & Mausoleo Aug. de duobus Obeliscis: ac de quibusdam Sepulcris.

VALLIS [1] Martia, quantum comprehendere potuimus, ab arcu Domitiani fere ad portam Flumentanam usque protenditur. Sortita est autem nomen a campo in quo jacet. In hac, ad radices collis Hortulorum, [2] Naumachiæ Domitiani vestigia apparent. Nam & Stadium & odeum, & Naumachiam illum struxisse, edidisseque navales pugnas pene justarum classium, effosso & circumducto juxta Tiberim lacu: spectavisseque inter maximos imbres, Suetonius ait. Idemque juxta hanc [3] gentis Flaviæ templum collocatum esse. Cujus quadratos lateres ex ruinis, quæ ædem D. Sylvestri sepiunt, extracto hæc verba habuisse: DOMITIANA MAIOR PARS DOMITIANA MINOR. quidam scripsere: [4] Mausoleum in eadem valle, interque viam Flaminiam & ripam Tiberis, tertio suo consulatu posuit Augustus: voluitque ut non modo suum, sed omnium Imperatorum & cognatorum esset sepulcrum. Cujus reliquias, in ipsius funere, Mausoleo, inquit Suetonius, condidere. De eodem Cassiodorus ita scribit: *Sed mundi dominus ad potentiam suam opus extollens, mirandam Romanis etiam erigens fabricam in vallem Martiam tetendit Augustus. Immensa moles miter præcincta [5] molibus continetur, ubi magnarum rerum indicia clauderentur. Bis sena quippe ostia ad XII. signa posuerunt.* Strabo præterea: *Commemoratione*, inquit, *dignissimum est, quod Mausoleum appellant: excelsis fundatum molibus, lapide niveo, & perpetuæ viriditatis arboribus coopertum, in summum usque verticem ad fluminis ripam exaggeratum. In summo autem positum est Cæs. Augusti simulacrum, ex ære fabricatum. Sub aggere ipso sunt ejus loculi, & cognatorum, & necessariorum: a tergo vero lucus est, mirifica continens ambulacra. In medio autem campi spatio sui busti extat ambitus, & hic ipse niveo perfectus lapide, ferreos in circuitu cancellos habens, & plantatas interius præ se ferens populos. Extat vero etiam nunc interior murus orbicularis reticulato opere. cum tamen olim, ut videtur,* [6] *tres fuerint muri invicem distantes, quorum intervalla rursus spatiis quibusdam distinguebantur, ut loculi plures efficerentur, quo seorsum condi singuli possent.* Hic locus in laudem Augusti pacis, ac victoriæ, & P. P. inscriptionem habuisse dicitur. De hoc Mausoleo puto Virg. intellexisse, cum de funere Marcelli loquitur, his versibus:

Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus, vel quæ Tibertine videbis
Funera, cum tumulum præterlabere recentem.

Neque enim me movet, quod nonnulli putant, Virgilium intellexisse de Marcelli sepulcro, idque esse, quod instar turris ingredientibus porta Flumentana e regione se se offert: (quod cum hæc scriberemus Cur. viar. disturbandum curabant.) Nam neque satis constat cujus fuerit sepulchrum: neque Marcellum, cum esset Augusti sororis filius, in ejus Mausoleum non conditum fuisse credimus. Ad hoc Mausoleum, ut ex Ammiano supra retulimus, duo fuere obelisci magnitudine pares, singuli pedum XLII. & semis. Quorum alter fractus cernitur: alter a tergo ædis D. Rochi sub terra latet. Prope Mausoleum inventum est marmor, quod adhuc ibidem parieti inclusum manet cum hoc epith.

DIS. MANIB
M. VLPIO
MARTIALI
AVG. LIB
A MARMORIBVS

In campo Martio Syllæ sepulcrum fuisse, Appianus refert. Hircii, & Pansæ, Livius. Juliæ, Florus. Juliæ, inquam, Cæsaris amitæ. In eodem campo Suetonius sepulcrum Drusi, D. Claudii patris: Corn. Tac. Britannici, in quo prius expugnationem fecerat: & Seneca viam [7] rectam appellatam fuisse ajunt.

1. De valle Martia Cassiodorus lib. 3. Var. Ep. ad PP Faustum. Sed hic non Martia, sed Murtia ex veteri Bonattorum codice scribendum.

2. *Naumachiæ Domitiani vestigia apparent.* Parum pensitate, uti omnia, Naumachiam a Domitiano constructam fuisse refert Marlianus. quando id usquam apud auctores classicos legitur? Ceterum Suetonii locus, quem hic citat, non facit ad Naumachiæ opus, sed ad navales ludos, quos ille non modo in campo Martio secus Tiberim lacu effosso, sed etiam in Amphitheatro edidit. Si ædificia, quæ ad colles hortulorum Domitiani Naumachia vocarentur, P. Victor & Sex. Rufus non tacuissent. Hi enim Naumachiæ locum trans Tiberim ponunt.

3. Aliter supra lib. 4. cap. 23.

4. Mausoleum Tacitus lib. 9. Octaviorum tumulum vocat, sicut in epitome Livii l. CXI. Caii Julii tumulus legitur. Suet. in Aug. *Augustum*, inquit, *in Mausoleo condiderunt. id opus inter Flaminiam viam ripamque Tyberis sexto suo consulatu extruxerat, circumjectasque sylvas, & ambulationes in usum populi tum jam publicarat.*

5. *Montibus* Cassiodorus lib. 3. Secutus Marlianus Blondum, eujus locum ex instauratæ urbis lib. II. citat ad verbum.

6. Immo sex, ut ex Ichnographia apparet.

7. De via recta Seneca in Claudii ludo. & Mart. l. VIII. 108.

CAP. VIII.

De Templis Bellonæ, Apollinis, & Martis: & de Porticu Mercurii: atque Columna bellica.

ALTERA autem pars urbis planæ, quam diximus inter Tiberim lineamque deductam a Capitolio per Pantheum ad Ripettam nunc appellatam contineri, habuit proxime post forum Olitorium, campum Martium versus, templum Bellonæ. Ideo ante portam Carmentalem id fuisse, scribit Sex. Rufus. Idemque auctor est, ante ipsum fuisse columnam belli inferendi indicem, bellicam denominatam: a qua Romani, aucto jam latiusque propagato imperio, hastam in eam partem mittebant, versus quam erant ad bellum ituri; quia laboriosum admodum videbatur ad hostium fines ex instituto pervenire, in eorumque agros hastam ipsam jacere. Templi autem hujus auctorem Appium Claudium fuisse ait Ovidius. In hoc S. C. solitum fieri ex Livio libro quinto dec. quintæ colligitur, qui sic ait: *M. Pompilius Cos. Romam rediit: Senatusque extemplo in ædem Bellonæ est vocatus.* Hinc haud procul fuit templum Apollinis eo in loco, ubi nunc ædes D. Mariæ cognomento sub Capitolio, inter forum Olitorium & circum Flaminium, ut scribit Asconius. A quo discedentes virgines quasdam in forum per vicum Jugarium venisse, supra diximus. In hoc item Senatus quandoque habebatur. Idem Livius eodem libro: *Cn. Corn. Scipione Hispalo & Q. Petilio Spurino Coss. Senatus in æde Apollinis legatorum verbis auditis supplicationem in biduum decrevit.* Cic. ad Atticum: *Nam illa, quæ recordaris Lentulo & Marcello Coss. acta in æde Apollinis, nec causa eadem est, nec simile tempus. Hinc autem sinistrorsum ad teli jactum extant tres columnæ marmoreæ miræ altitudinis: quo in loco Martis templum fuisse opinamur.* Quod Ovidius carminibus celebravit, & columnis adornatum fuisse dixit. Apollinis autem templum apud Sophoclem, Martis vero apud Apollonium subdialia fuisse legimus. Quod Vitruv. præceptis de ædificiorum decore consentaneum est: qui eorum deorum, quorum species & effectus in aperto mundo atque lucenti videmus, templa sub dio constituenda esse præcipit. Verum hæc ipsa templa, de quibus præsens est sermo, nobis non satis constat, an fuerint subdialia. Scimus enim hoc Vitruvii præceptum non perpetuo fuisse observatum. Prope has columnas, quas diximus, est ædes nunc D. Angeli, Junonis olim, ut quidam literis tradidere: pro foribus cujus stat porticus, quam eidem deæ atribuunt, alii vero Mercurio. Ejusdem incendio consumptæ instauratores sequens ostendit inscriptio, quæ hodie extat:

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX AVG. ARABIC. ADIABENIC. PARTHIC. MAXIMVS

TRIB. POTESTAT. XI. IMP. XI. COS. III. P. P. ET

IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. VI. COS. PROCOS.

INCENDIO. CONSVMPTAM. RESTITVERVNT.

CAP. IX.

De Circo Flaminio: & de Ædibus sacris Neptuni, Vulcani, Herculis, Jovis Statoris, & Castoris.

A TEMPLO Martis non longe, dextrorsum, circi Flaminii extant vestigia inter turrim, quæ nunc *de le Melangone* nuncupatur, & viam ad Apothecas obscuras appellatam. De hujus circi loco variæ sunt opiniones: tamen ex Asconio, in hoc ipso loco fuisse, conjicimus. Ejus sunt hæc verba: *Omnia sunt manifesta, sed tamen ne erretis, quod iis temporibus ædes Apollinis in Palatio fuit nobilissima, admonendi estis, non hanc a Cicerone significari, quam post mortem Ciceronis multis annis imperator Cæsar, quem nunc D. Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit: sed illam demonstrari, quæ est extra portam Carmentalem, inter forum Olitorum & circum* [1] *Flaminium.* In hunc circum consultandi gratia ex proximo Capitolio sæpe Senatum descendisse ostendit Livius, his verbis. *Itaque inde consules, ne criminationi locus esset, in prata Flaminia, ubi nunc ædes Apollinis est, advocavere Senatum.* & alibi: *Actum de imperio Marcelli in circo Flaminio.* Cic. ad Atticum: *Fusius in concionem produxit Pompejum: res agebatur in circo Flaminio. Circus Flaminius,* inquit Varro, *dicitur, qui ædificatus est circum Flaminium campum: quod ibi quoque ludis tauricis equi circum metas currunt.* Sextus vero Pomp. a Flaminio consule, apud lacum Trasumenum ab Annibale interfecto, denominationem cepisse refert. Plutarchus vero in probl. de hujus nominis etymologia dubitare videtur: *Quid est,* inquit *quod circus Flaminius dictus est? an quod Flaminius quidam priscus cum civitati agrum reliquisset, equestribus ludis ejus fructu & vectigalibus utebantur? Nam cum pecunia suppeteret, viam quoque Flaminiam munierunt.* L. autem Florus scribit, M. Claudium Marcellum circum hunc extruxisse. Cui autem usui esset, supra ex Varrone & Livio cognoscitur: & ex eo quod alibi ait, ipso inundato ludos Apollinares extra portam Collinam portatos esse. Fuit hic circus multis statuis & templis insignis, ut ostendit Plin. his verbis: *Sed maxima dignatione Cn. Domitii delubro in circo Flaminio* Neptunus *ipse, & Thetis, atque Achilles, Nereides supra delphinos, & cete, & hippocampos sedentes. Item tritones, chorusque Phorci, & pristes, ac multa alia marina Scopæ manu omnia.* Quod delubrum Neptuni fuisse, hoc epithaphium ostendere videtur:

ABASCANTO AVG. LIB. AEDITVO AEDIS

NEPTVNI QVAE EST IN CIRCO FLAMINIO

FLAVIVS ASCANIVS ET PALLANS CAES. N. SER. ADIVTOR A RATIONIB.

PATRI PIISSIMO FEC.

In [2] eodem circo fuit ædes Vulcani, in qua pro ædituis canes fuisse fabulantur, sacrilegos tantum allatrantes. Herculis custodis ædes erat in aditu

1. Et Apollinarem vocat Liv. lib. 2. Prata Flaminia lib: 3 *Confestim,* inquit, *de Coss. creandis cum provocatione M. Duilius rogationem pertulit: Ea omnia in PRATIS FLAMINIIS concilio plebis acta, quam nunc circum Flaminium appellant.* infra eodem 81. ubi circum Flaminium Apollinarem vocat, & partem campi Martii fuisse indicat, vide & Varronem IV. de Lat. Ling. Atque ita concludendum est circum Flaminium & prata Flaminia idem esse, quod in iis pratis circus conditus postea sit & Apollinis ædes.

2. Quin P. Victor in regione Flaminii circi, non in eodem circo locat, & multa alia vel remotissima a circi ambitu, ne dicam intra circum.

ejusdem circi, ubi nunc D. Luciæ est templum: propterea Ovidius custodem circi ipsum Herculem sic appellat:

Altera pars circi custode sub Hercule tuta est,
Quod deus Euboico carmine munus habet.

Quanquam de circo maximo hoc loco intelligi potest. Decoratus erat hic circus altera æde Herculis Musarum appellata, quod illi cum Musis esset communis, a Fluvio Nobiliori ex pecunia censoria ædificata: ea ratione, quod in Græcis acceperat Herculem Musagetem esse, id est [3] *comitem, ducemque Musarum*. Idemque primus novem signa, hoc est, *omnium Camænarum simulacra*, ex Ambraciensi oppido translata, sub tutela fortissimi numinis consecravit: quia mutuis operibus & præmiis ornari juvarique deberent, Musarum quies defensione Herculis, & virtus Herculis voce Musarum: auctor Eumenius. In ea æde eundem M. Fluvium fastos, quos scripserat, posuisse, testatur Macrob. Hanc autem ædem Martium Philippum Augusti vitricum restituisse, ex verbis Suetonii intelligo: siquidem Eumenius vera dixit: verba Suetonii hæc sunt: *Augustus & ceteros principes viros sæpe hortatus est, ut pro facultate quis monimentis vel novis, vel refectis, & excultis urbem adornarent: multaque a multis extructa sunt: sicut a Martio Philippo ædes Herculis Musarum: a L. Cornificio ædes Dianæ*. In eodem circo Macrobius ait Jovis Statoris fuisse delubrum. [4] Plin. ibi aram Neptuni stetisse, eamque olim sudore manasse; templumque Bruti Callaici, in quo erat colossus Martis: præterea Venerem nudam illam Cnidiam antecedentem fuisse scribit: & Castoris ædem, Vitruvius, [5] cujus verba apposui: *Item generibus aliis constituuntur ædes ex iisdem symmetriis ordinatæ, & alio genere dispositiones habentes: uti est Castoris in circo Flaminio: & inter duos lucos Vejovis*.

CAP. X.

De Porticu Octavii: & de Theatro, Domo, Curia, & Porticu Pompeii: ac de Veneris victricis Templo.

OCTAVIÆ porticus duæ fuere: quarum alteram theatro Marcelli propiorem Octavia [1] soror Augusti fecit, de qua libro tertio locuti sumus: alteram theatro Pompeii proximam Cn. Octavius, Cn. filius, qui fuit Ædilis, Prætor, Cos. & Xvir. S. F. triumphavitque de rege Perseo: quam combustam Cæs. Augustus reficiendam curavit, auctor est Sext. Pomp. De hac Plin. mentionem sic facit: *Prisci limina, ac etiam valvas ex ære in templis factitavere. Invenio & a Cn. Octavio, qui de Perseo rege triumphum egit, factam porticum duplicem ad circum Flaminium, quæ Corinthia sit appellata, a capitulis æreis columnarum*. Quod autem Plin. dicit, hanc fuisse ad circum Flaminium: Sext. vero Pomp. Pompeii theatro proximam, non propterea dissentiunt: quia inter utrunque fuerat posita: &, ut arbitror, eo in loco, ubi nunc est ædes D. Nicolai in Chalcaria. Quod cognomen ab eisdem capitulis æreis obtinuisse videtur: nam *χαλκός æs* dicitur. Theatri Pompeii vestigia extant ad campum nunc Floreum nuncupatum. De quo Corn. Tac. sic inquit: *Cn. quoque Pompejum accusatum a senioribus ferunt, quod mansuram theatri sedem posuisset. Nam antea subitariis gradibus scena in tempus structa. Sed consultum parsimoniæ, quod perpetua theatri sedes locata sit, potius quam immenso sumptu per singulos annos consurgeret ac strueretur*. In hunc sensum Ausonii sunt hæc carmina:

Ædilis olim scenam tabulatam dabat,
Subito excitatam, nulla mole saxea.
Muræna sic, & Gallius. (nota loquar)
Postquam potentes, nec verentes sumptum
Nomen perenne crediderunt, si semel
Constructa moles saxeo fundamine
In omne tempus conderet ludi locum,
Cuneata crevit hæc theatri immanitas.
Pompejus hanc, & Balbus, & Cæsar dedit
Octavianus, concertantes sumptibus.

Theatrum autem hoc Caligulam absolvisse, cum fortuito incendio consumptum se extructurum pollicitus esset Tiberius, scribit Suet. ejus verba apposui: *Opera sub Tiberio semiperfecta, templum Augusti, theatrumque Pompeii absolvit*. Nero autem in unum diem hoc operuit auro, quod Tiridati regi Armeniæ ostenderat: ut Plin. est auctor. Longo tempore post Theodoricus Ostrogothorum rex disturbatum instauravit: sicuti Cassiodori hæc verba ad Senatum scripta indicant: *Et ideo theatri fabricam se mole solvente consilio vestro credimus esse roborandam, ut quod ab auctoribus nostris in ornatum patriæ constat esse concessum, non videatur sub melioribus posteris imminutum. Quid non solvas senectus, quæ tam robusta quassasti? Montes facilius cadere putarentur, quam soliditas illa, qua tenetur: quando moles ipsa sic tecta cautibus fuit, ut præter artem additam, & ipsa quoque naturalis esse credatur*. Hoc potuissemus fortasse negligere, si nos contigisset talia non videre. Visuntur adhuc saxa tam artificiose accurateque compacta, ut in uno tantum tota moles excisa videatur. Capiebat autem loca XL. millia, ut asserit Plin. Veneris victricis ædem in eo fuisse, scribit Porphyr. & Plut. Et nos anno MDXXV. post ædem D. Mariæ cognomento in Crypta, vidimus effodi marmor cum inscriptione. VENERIS VICTRICIS. In dedicatione hujus ædis Pompeii altero consulatu pugnavisse in circo XX. vel ut quidam tradunt, XVII. elephantes, idem Plin. est auctor. Ante theatrum fuit ipsius Pompeii curia, ut ait Appianus, cum atrio, & porticu: *Pompejus ipse*, inquit Plut. *usque ad tertium triumphum modice atque incomposite habitavit. Pulchrum deinde theatrum longe a Romanis diffamatum cum struxisset, splendidiorem domum, veluti theatro appendicem, ædificavit*. Curia ea fuit, in qua C. Cæsarem occisum esse, commemorat Suet. Locus nunc Satrium pro Atrium dicitur. De porticu autem Ovidius sic meminit:

Tu modo Pompeja lentus spatiare sub umbra,
Dum sol Herculei terga leonis adit.

In porticu Antiphilus pinxit Cadmum, & Europen: Pausias vero boum immolationem. At Niceas Atheniensis fecit Alexandrum, & Calypso. Templum autem Fortunæ equestris ad theatrum lapideum fuisse, ait Vitruvius. Verum de quo intelligat dubitari solet: mihi tamen probabile videtur, de hoc theatro Pompeii intelligere: quem omnium primum, theatrum mansurum excitavisse, ex Cornel. Tac. sententia modo diximus. Eoque, quod non prius lapideum theatrum Romæ visum fuisset. Lapidei cognomentum inditum est. De hoc autem templo Livius fortasse intellexit, cum ait: *Q. Fulv. Flaccus censor ædem Fortunæ equestris moverat. Faciebat enixo studio, ne ullum Romæ amplius aut magnificentius templum esset, magnum ornamentum se templo ratus adjecturum, si tegulæ mar-*

3. *Comes* & *Dux* diversa sunt, quare inepte antiquarius ita *Musageten* interpretatur.
4. Lib. 36. cap. v.
5. Lib. III.
1. Atqui Suet. in Aug. *Sic quædam etiam*, inquit, *Augustus opera sub nomine alieno, nepotum scilicet, & uxoris, sororisque, fecit, ut porticum basilicamque L. & C. Item porticus Liviæ & Octaviæ, theatrumque Marcelli*.

moreæ essent. *Profectus in Brutios Junonis Laciniæ ad partem dimidiam detegit : id satis fore ratus ad tegendum, quod ædificaretur* . Juxta hoc theatrum Tiberio Cæsari arcum marmoreum a senatu decretum , sed omissum , peregit D. Claudius, auctor Suet. Colossum Jovis XXX. cubitorum a Cæsare dicatum fuisse in campo Martio , & a vicinitate dicti theatri Pompejanum vocitatum , Plin. asserit. Campus autem , quem hodie Floreum dicunt , a Flora a Pompejo adamata denominationem accepisse videtur.

CAP. XI.

De Thermis Agrippæ, Templo Boni Eventus, & de Pantheo ejusque Porticu.

INTER Octavii porticum & [1] Pantheum extant vestigia thermarum M. Agrippæ. De quibus [2] Plin. ita scribit: *M. Agrippa rusticitati, quam delitiis proprior, unicumque felicitatis exemplum, multa & egregia in urbe perfecit opera, Augusto ejus socero imperante. Idem thermas de suo nomine excitavit: has* [3] *lithostrato & encausto pinxit: arcus & pavimenta ex vitro posuit*. Et rursus inquit: *Lithostrata & pavimenta cœptavere jam sub Sylla parvulis certe crustis: extatque hodie, quod in Fortunæ delubro Præneste fecit. Pulsa deinde ex humo pavimenta in cameras transivere ut pronum vitium: & hoc certe inventum ab Agrippa in thermis, quas Romæ fecit. Figlinum opus encausto pinxit: reliqua albaria adornavit: non dubie vitreas facturus cameras, si prius inventum fuisset*. Prope has thermas, atque a tergo Panthei, templi Boni Eventus vestigia adhuc cernuntur. Colebatur autem Eventus , ut omnia prospere feliciterque evenirent: cujus simulacrum erat habitu pauperis , dextera manu pateram , sinistra vero tenens spicam. Templum autem Panthei cum porticu integrum ferme stat , licet sit statuis aliisque ornamentis spoliatum . Cujus auctor fuit M. Arippa , ut testatur idem Plin. libro trigesimo sexto , his verbis : *Templum Pacis Vespasiani Imp. Augusti, pulcherrima operum: quæ unquam Pantheon Jovi ultori ab Agrippa factum*. Pantheum Agrippa appellavit, quod, post Jovem, omnibus diis consecravit . Dion. vero , sive quod Matri deum atque omnibus diis sacrum esset, sive quod mundi formam haberet, Pantheum appellatum tradit . Mundi formam habere ait , hoc est , *circularem*. Hujus altitudo pedibus CXLIV. perficitur, & totidem latitudo. Testudo ne nimio pondere gravaretur , vacui per ambitum relicti sunt specus, & in summo hemisphærio medium lumen , sub eoque medio impluvio disposita foramina ad imbres excipiendos. Pavimentum variis est marmoribus stratum . Valvæ ex ære Corinthio . In hujus pronao olim fuere Augusti & ipsius, Agrippæ simulacra. Aditum unum tantum habet. Nam omne templum, Varrone teste , debet esse continuo septum , nec plus quam unum introitum habere . In ipsum per tot gradus olim erat ascensus, per quot nunc descenditur. De columnis hujus templi Plin. ita meminit : *Syracusana sunt in Pantheo capita columnarum a M. Agrippa posita*. Et alibi : *Agrippæ Pantheon decoravit Diogenes Atheniensis : & Caryatides in columnis templi ejus probantur inter pauca operum, sicut in fastigio posita signa, sed propter altitudinem loci minus celebrata*. Idem commemorat , fuisse in hoc templo Herculem humi stantem: ad quem Pœni omnibus annis humana sacrificarent victima : & Minervam ex ebore , opus Phidiæ . Cur autem, Hercules humi staret , ratio est. Quia, ut præcipit Vitruvius , statuæ Jovi , omnibusque cœlestibus quam excelsissimæ erant constituendæ : reliquis vere , ut Vestæ , Terræ, Marique humiles , tanquam diis terrestribus , sicut & Hercules fuit . Insuper in eodem Pantheo fuit statua Veneris , e cujus auribus pendabat unio Cleopatræ , pars dimidia unius cœnæ : hic unio centies sestertium æstimatus fuit , id est, *aureis ducentis quinquaginta millibus nostratibus* . Hoc Pantheon , ut scribit Spartianus, incendio deformatum instauravit Hadrianus ; mox Antoninus , ut Julius Capitolinus sic testatur : *Opera ejus extant, templum Hadriani honori patris dicatum , instauratum amphitheatrum, sepulcrum Hadriani , templum Agrippæ . Hujus templi interiorem tantum orthographiam , tanquam utiliorem , subjecimus . Porticum autem idem Agrippa templo addidit: cujus tectum XVI. olim ingentibus columnis sustentabatur : nunc vero XIII. nam deest una , & duæ incendio corruptæ videntur. Eadem porticus æneis trabibus auro superfusis fulcitur*. Ante aditum in corona porticus agnitiones sunt sitæ , quæ sequuntur:

M. AGRIPPA L. F. COS. TERTIVM FECIT

Sequentes , quæ in duabus epistylii fasciis sunt , quæque minoribus literis constant , instauratores ostendunt.

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX. ARABICVS. ADIABENICVS. PARTHICVS. MAXIMVS. PONTIFEX. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. P. P. PROCOS. ET

IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. TRIB. POTEST. V. COS. PROCOS. PANTHEVM. VETVSTATE. CORRVPTVM. CVM. OMNI. CVLTV. RESTITVERVNT.

CAP. XII.

De thermis Neronis, & Alexandri: & de Circo qui nunc Agon dicitur: Templo Neptuni: Ara Ditis: & de Caprea Palude.

THERMARUM Neronis extant fornices quidam post D. Eustachii nunc ædem . De his Suetonius sic meminit: *Nero dedicatis thermis atque gymnasio , senatui quoque & equiti oleum præbuit* . Has Alexandrinas suo tempore appellatas esse , scribit Eutropius . Cujus denominationis ratio, si vera est , ea videri posset , quod ab Alexandro fuerint instauratæ. Sed cum Lampridius dicat, hunc excitavisse thermas juxta eas , quæ Neronis fuerant , aperte ostendit Alexandrinas a Neronianis , & loco , & nomine differre . Lampridii verba hæc sunt: *Thermas sui nominis fecit juxta eas, quæ Neronianæ fuerant , aqua inducta , nunc Alexandrina quæ dicitur . Nemus de privatis suis ædibus, quas emerat , diruptis ædificiis, fecit . Pulcherrimum fere omnium artium vectigal instituit . Ex eoque jussit thermas , quas ipse fundaverat , & superiores populi usus exhiberi . Sylvas & in thermis publicis deputavit*. In domibus autem adjacentibus thermis

1. Ælius Spartianus in Hadriano: *Hadrianus*, inquit, *cum opera ubique fecisset infinita, nunquam ipse nisi in Trajani patris templo nomen suum inscripsit. Romæ instauravit Pantheum. Septa, Basilicam, Neptuni sacras ædes plurimas, Forum Augusti, Lavacrum Agrippæ, eaque omnia propriis & veterum nominibus consecravit*.

2. Confuse hic Plinium citat Marlianus ex libro 36. cap. 25. in calce.

3. Immo *Lithostroto*, Λιθόστρωτον enim dicitur.

mis Neronis, versus septentrionem, vidi antiqua pavimenta, & fistulas plumbeas, puteumque qui nulla ratione exsiccari poterat, ut ductum esse existimem illius aquæ, quam Alexandrinam appellat Lampridius. Thermæ Hadriani non longe a Neronianis fuisse, indicat Sext. Rufi urbis descriptio. Sunt qui velint stetisse ubi nunc D. Aloysii est templum. Sequitur statim campus, qui nunc Agon dicitur: quod nomen inditum est, quia in eo ad IX. diem Januarii agonalia Jano sacra celebrarentur, a Numa instituta, ut memoriæ prodidit Antias. Ego vero crediderim ibi non solum agonalia, verum varios ludos, variaque edita spectacula, & communi nomine Agonem denominatum: quo nomine cujuslibet generis spectacula appellant Græci. Locum hunc ejusdem [1] Alexandri circum fuisse multi opinantur. Arcum autem triumphalem non longe ab æde nunc D. Celsi stetisse, ex eo multi affirmant, quod ibi inventus est lapis marmoreus, in quo incisus erat titulus, qui sequitur:

IMPPP. CAESSS. D. D. D. N. N. N. GRATIANVS. VALENTINIANVS. ET THEODOSIVS. PII. FELICES. ET SEMPER. AVGGG. ARCVM. AD CONCLVDENDVM. OPVS OMNE. PORTICVVM. MAXIMARVM. AETERNI. NOMINIS. SVI. PECVNIA. PROPRIA. FIERI ORNARIQVE IVSSERVNT.

Templum Neptuni fuisse in ripa Tiberis, eoque in loco ubi nunc est D. Blasii ædes, nonnulli testantur: quod ibi marmor inventum hujus dei nomen, & Hadriani, qui templum ipsum restituerat, insculptum haberet. Terentum locus fuit in campo Martio, sic dictus, quod ibi ara Ditis patris terra occultaretur. Hanc aram Romani bello Albano constituerant, atque egesta terra ad XX. pedum altitudinem occultarant, ut omnibus, præterquam ipsis, esset incognita: & licet ludis secularibus aperiretur, tamen illis peractis rursus claudebatur. Capream paludem in campo Martio ante urbem fuisse, ait Livius. Plut. vero locum esse dicit in rheumatibus Tiberis, ad quem unus erat aditus, & propterea tutus: ubi Romulus cum exercitum recenseret sublatus e medio apparere desiit.

CAP. XIII.

De Tiberino Flumine: & de Navalibus.

TIBERINI fluminis varia fuere nomina. Albula vero a colore aquarum est dictus. Nam quod a poetis interdum cæruleus, interdum flavus dicatur, ejus rei ratio est. Quod cum æstivis caloribus est solito remissior, perspicuæ sunt aquæ, receptantque in lucem suam imagines nemorum in ripa existentium: quo fit ut cæruleæ videantur. Ubi vero imbribus excrescit, aquæ creta turbidæ flavum præ se ferunt colorem. Aliquando vero Rumon est appellatus, quasi ripas ruminans & exedens. Terenti etiam in aliqua parte urbis obtinuit nomen, quod ripas tereret. Tybris etiam est nuncupatus. Quia cum Syracusani cepissent Atheniensium hostium ingentem numerum, jussere eos muris auctis fossam intrinsecus facere: quæ flumine admisso repleta munitiorem reddidit urbem, hancque fossam per hostium contumeliam factam Thybrin, quasi ὕβριν, vocarunt. Profecti deinde Siculi ad hanc Italiæ partem, ubi Roma est, Albulam ad imaginem fossæ Syracusanæ Thybrim denominarunt. Alias autem hujus nominis etymologias ab aliis traditas scienter omittimus. Tiberim vero tandem a Tiberino Albanorum rege in eo summerso appellatum esse commemorat Livius. Quæ autem a Plinio de hoc flumine traduntur, non ab re esse opinamur hic apponere: *Tiberis*, inquit, *antea Thybris appellatus, & prius Albula, e media fere longitudine Apennini finibus Aretinorum profluit, tenuis primo, nec nisi piscinis corrivatus, emissusque navigabilis, sicut Tinia & Glanis influentes in eum, novenorum ita conceptu dierum, si non adjuvent imbres. Sed Tiberis propter aspera & confragosa ne sic quidem, præterquam trabibus verius, quam ratibus, longe meabilis fertur; per CL. M. pas. non procul a Tiferno, & Ocriculo Hetruriam ab Umbris, ac Sabinis, mox citra XIII. millia pas. urbis, Vejentem agrum a Crustumino, deinde Fidenate: Latiumque a Vaticano dirimens. Sed infra Aretinum Glanim duobus & quadraginta fluviis auctus, præcipuis autem Nare, & Aniene, qui & ipse navigabilis, Latium includit a tergo: nec minus tamen aquis, ac tot fontibus in urbem perductis, & ideo quamlibet magnarum navium ex Italo mari capax: rerum in toto orbe nascentium mercator placidissimus. Pluribus prope solus, quam cæteri in omnibus terris amnes, accolitur, nullique fluviorum minus licet inclusus utrinque lateribus, nec tamen ipse pugnat, quanquam creber ab subitis incrementis, & nusquam magis aquis, quam in ipsa urbe, stagnantibus. Quinimmo vates intelligitur potius, ac monitor, auctu semper religiosus verius, quam sævus.* Hæc Plin. Dionysius autem ait, hujus fluminis latitudinem quatuor jugerum esse; altitudinem vero tantam, ut magnas naves perferre possit, neque pedibus transiri, nisi per pontem. Restagnantibus autem hujus fluminis aquis, cum Palatium versus, ut diximus, sinum effunderet, Tarquinius Priscus alveum direxit. Longo tempore post M. Agrippa idem fecit, insuperque magnis saxorum molibus in utraque ripa locatis fluminis impetum compressit. Augustus deinde eundem completum olim ruderibus & ædificiorum prolapsionibus coarctatum laxavit ac repurgavit. Aurelianus tandem firmissimo muro ad mare usque extructo coercuit: cujus operis vestigia multis in locis adhuc cernuntur. In hujus fluminis ripa, quia esset numini sacra, non licebat alicui quidpiam ædificare. Ejus autem alvei & riparum curatores fuisse, variis titulis, quos hodie Romæ cernimus, intelligere possumus: quorum unum hic apposuimus:

EX AVCTORITATE
IMP. CAESARIS. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F.
DIVI. NERVAE. NEPOTIS
TRAIANI. HADRIANI
AVG. PONTIF. MAX. TRIB.
POTES. V. IMP. IIII. COS. III.
MESSIVS. RVSTICVS. CVRATOR
ALVEI. ET. RIPARVM. TIBERIS. ET
CLOACARVM. VRBIS. R. R. RESTITVIT
SECVNDVM PRAECEDENTEM
TERMINATIONEM. PROXIM. CIPP.
PED. CXV. S.

Navalia autem fuere prope pontem sublicium, eaque ab Anco rege extructa esse, asserit Dionys. De iis Livius libro quinto dec. quintæ meminit his verbis: *L. Æmilio Cos. naves, quæ in Tiberi paratæ instructæque stabant, ut si rex posset resistere, in Macedoniam mitterentur, subduci, & in navalibus collocari Senatus jussit.*

[1] Ego magis circum hunc esse Vespasiani crediderim.

CAP. XIV.

De Ponte Sacro, ac Sublicio.

CUM autem Tiberis aquarum altitudine tantus sit, ut non, nisi per pontes, transiri possit, ad hunc usum plures pontes super ipsum Romæ extructos esse videmus; de quibus locus postulat ut loquamur. Auspicemur autem ab eo, qui omnium primus positus est. Epicardus enim prodidit, Herculem, occiso Gerione cum victor per Italiam armenta duxisset, pontem supra Tiberim ad tempus struxisse, quem Pontem Sacrum appellatum esse ait Dionysius. Fuitque ea parte, qua postea Sublicius, ab Anco rege perpetuo mansurus extructus, licet totus ligneus. Nam sine ferreo clavo, sine fulturis ita dispositus erat contignatione, ut trabes per bella eximerentur ac reponerentur. Quod quidem sic facere religiosum fuerat, postquam Coclite defendente ægre revulsus est, auctor Plinius. Hunc pontem sublicium, lapideum deinde Æmilium Lepidum prætorem fecisse, memorant, & ab eo Aemilium pontem, Lepidive denominatum. Unde Antoninus imp. in itinerario: *Post iterum*, inquit, *unus effectus per pontem Lepidi, qui nunc abusive lapideus dicitur*. Hunc Tiberinis fluctibus læsum restituit Tiberius. Cornelius Tacitus refert, Othone imperante subita inundatione fuisse diruptum. Quem longo tempore post Antoninum Pium restituisse scribit Julius Capitolinus. Hujus pontis supra navalia extant vestigia ex magnis marmoreisque saxis. Neque enim est cur non credamus hæc fuisse hujus pontis vestigia, quanquam de ejus loco varia traduntur: constat enim ad Aventini radices stetisse: quod etiam innuit Appianus his verbis: *Aventinum ascenderat Gracchus, mox inde fugiens per pontem ligneum ad alteram fluminis partem evectus est*. Sublicius autem dictus est, quia ilex species est quercus, ex qua confici solebat. Vel ut alii, a sublicibus lignis: lingua enim Volsca magnæ trabes, ad perpendiculum directæ, sublices vocantur: quales in pontium substructionibus fere defiguntur: quia pronæ nimio sui pondere minus firmiter jacerent: & ideo Cæsar in pontis supra Rhenum institutione ait se tigna posuisse, non sublicæ modo directa, sed prona.

CAP. XV.

De Ponte Senatorum: & Cloaca Max.

SUPRA pontem sublicium ad stadium stat pons Senatorum a Senatoribus, & a Palatino monte propinquo Palatinus nuncupatus. Nam aucta urbe cum sublicius non satis esse videretur, hunc, qui via Aurelia in maritima Thusciamque mitteret, addidere. De quo intellexisse creditur Livius, cum ait, *M. Fulvium majoris usus locavisse portum & pilas ponti in Tiberi*. Quibus pilis fornices post aliquot annos P. Scipio & L. Mumius Censs. locaverunt imponendos. Pons S. Mariæ Aegyptiacæ hodie dicitur. Infra hunc pontem ad teli jactum Cloaca maxima in Tiberim se se exonerabat, miræ magnitudinis & firmitatis. De hac Plin. hæc scribit: *Sed tunc senes aggeris vastum spatium & substructiones insanas Capitolii mirabantur. Præterea cloacas operum omnium dictu maximum suffossis montibus, atque urbe pensili, subterque navigata, a M. Agrippa in ædilitate post consulatum per meatus corrivati septem amnes, cursuque præcipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coacti. Insuper mole imbrium concitati vada ac latera quatiunt: aliquando Tiberis retro infusi recipiunt fluctus, pugnantque diversi aquarum impetus intus, & tamen obnixa firmitas resistit. Trahuntur moles internæ tantæ non succumbentibus caussis operum. Pulsant ruinæ sponte præcipites, aut impactæ incendiis. Quatitur solum terræmotibus: durant tamen a Tarquinio Prisco annis DCCC. prope inexpugnabiles*. Et mox: *Amplitudinem cavis eam fecisse proditur, ut vehem fœni large onustam transmitteret*. Nos eam dimensi invenimus esse pedum XVI. latitudine. Erant & aliæ cloacæ minores usibus privatis servientes, quæ in hanc maximam sordes emittebant: earum vestigia multis in locis adhuc cernuntur. De his cloacis meminit Livius his verbis: *Post incensam urbem a Gallis dum instauraretur, festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omisso sui alienique discrimine in vacuo ædificant. Ea est causa ut veteres cloacæ, primo per publicum ductæ, nunc privata passim subeant tecta, formaque urbis sit occupatæ magis, quam divisæ similis. In hanc maximam fluebat omnis aqua ex castellis caduca: qua in Tiberim dictæ sordes deducebantur*. Hinc est quod lupi pisces, (ut refert Macrobius) qui inter hos pontes capiebantur, in majori erant pretio, tanquam pinguiores: quia stercus & hujusmodi sordes sectari dicuntur. Ideo Lucilius poeta eum piscem quasi liguritorem, catillionem appellat. Cloaca autem quid sit, ostendit Sex. Pom. Est vero locus dictus a *cloacando*, id est inquinando: vel a *colando*, id est fluendo. Fuisse autem cloacarum curatores superius ex titulo Hadriani, nunc vero ex altero patris ejus ostendimus, qui est hujusmodi:

EX AVCTORITATE
IMP. CAESARIS DIVI
NERVAE FIL. NERVAE
TRAIANI AVG GERM
PONTIFICIS MAXIMI
TRIBVNIC POTESTAT V̅
COS. I̅I̅I̅I̅. P. P
TI. IVLIVS FEROX CVRATOR
ALVEI ET RIPARVM TIBERIS
ET CLOACARVM VRBIS TER
MINAVIT RIPAM R R PROXIMO
CIPPO PCCCLXXXVI. S̅.

CAP. XVI.

De Insula Tiberina: Templis Æsculapii, Jovis, & Fauni.

SUPRA pontem Palatinum ad pas. LXXX. jacet insula [1] Tiberina: cujus origo hæc est. Tarquinio Superbo ob Lucretiæ stuprum urbe pulso, Senatus cætera ejus bona populo auferenda concessit; sed quod in campo Tiberino (quem ipse Tarquinius severat) fuerat frumentum, aliud in areis adhuc jacens, aliud in culmis auferri nemini permisit, verum ut execrabile jaciendum in flumen esse decrevit. Quod cum æstivis caloribus esset solito humilius, paleæ fundo adhærentes, limumque fluctibus advectum excipientes, insulam hanc paulatim effecere. Opera deinde hominum factum esse opinatur Livius, ut ejus area firma esset etiam ad deorum templa sustinendum. Habet autem hæc insula formam biremis, ut intelligamus, partem superiorem proram, inferiorem vero puppim esse. Longitudo

1. Insulam Tiberinam Suet. in Claudio Æsculapii insulam vocat, *Cum ægra*, inquit, *quidam & affecta mancipia in insula Æsculapii tædio medendi exponerent, omnes qui exponerentur Claudius liberos sanxit, nec redire in ditionem domini, si convaluissent, quod si quis necari mallet quem, quam exponere, cædis crimine teneri*.

ejus ſtadiis paulo minus duobus perficitur: latitudo vero pas. quinquaginta. De hac ſunt Ovidii hi verſus:

Scinditur in geminas partes circumfluus annis.
Inſula nomen habet, laterumque a parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos.

Tota erat Æſculapio ſacra, [2] propter ejus ſimulacrum ex Epidauro in eam advectum, ut refert Livius. De ea Plin. etiam ſic meminit: *Atqui anguis Æſculapius Romam advectus eſt, vulgoque paſcitur & in domibus. Unde forma navis, qua ſimulacrum advectum dicitur, non modo inſulæ eſt data: verum memoriæ ejus rei cauſa navis etiam ex lapide Thaſio ſculpta in ejuſdem inſulæ puppi collocata fuit: quæ etiam hodie viſitur, & in altero ejus latere ſerpentis ſimulacrum.* Ædes ejuſdem dei poſita erat, ubi nunc D. Bartholomæi eſt templum. De qua Sex Pom. ſic meminit: *In inſula Æſculapio facta fuit ædes, quod ægroti a medicis aqua maxime ſuſtententur. Ejuſdem eſſe tutelæ draconem ajunt, quod vigilantiſſimum ſit animal: quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxima eſt. Canes adhibentur ejus templo, quia is uberibus canis ſit nutritus. Bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis. Laurea coronatur, quod ea arbor plurimorum ſit remediorum. Huic gallinæ immolabantur.* Aliqui vero volunt ædem hanc in inſula fuiſſe conſtitutam, quod fluxu & motu aquarum aer ſit ſalubrior: alioquin extra urbem collocari ſolebat: quod Plin. etiam affirmat his verbis: *Ideo Romani templum Æſculapii, etiam cum reciperetur is deus, extra urbem feciſſe, iterumque in inſula traduntur.* Hoc templum Lucretium Prætorem tabulis pictis ex præda exornaviſſe, commemorat Livius tertio lib. dec. quintæ. Prope ipſum fuit [3] noſocomion, ubi [4] ægroti curabantur. Quo in loco cum quidam ægra & affecta mancipia tædio medendi expoſuiſſent, Claudius imp. liberos eſſe ſanxit. Ad Æſculapii autem fuiſſe Jovis templum docent Ovidii hæc carmina.

Quod tamen ex ipſis licuit mihi dicere faſtis,
Sacravere patres hæc duo templa die.
Accepit Phœbo nymphaque Coronide natum
Inſula, dividua quam premit amnis aqua.
Jupiter in parte eſt, cœpit locus unus utrunque:
Junctaque ſunt magno templa nepotis avo.

Hoc autem Jovis templum C. Servilius duumvir [5] dedicavit, votum ſex annis antea Gallico bello a L. Furio Purpurione Prætore, & ab eodem Coſ. locatum. Quod eo in loco fuiſſe nonnulli opinantur, ubi nunc D. Joannis Baptiſtæ eſt ædes. Habuit præterea hæc inſula in prora Fauni ædem: cujus veſtigia quædam adhuc cernuntur. Hujus Vitruvius ſic meminit: *Proſtyli exemplar eſt in inſula Tiberina, in æde Jovis & Fauni*: & Ovidius:

Idibus agreſtis fumant altaria Fauni,
Hic, ubi diſcretas inſula rumpit aquas.

Livius autem ait, Cn. Domitium Ænobarbum & Cn. Scribonium ædiles multos pecuarios ad populi judicium adduxiſſe, treſque ex his damnatos eſſe: & ex eorum multaticia pecunia hanc ædem in inſula feciſſe. In eadem inſula fuit ſtatua D. Julii, quæ ſereno & immoto die ab occidente in orientem converſa eſt, ſicuti Corn. Tac. & Suetonius teſtantur.

CAP. XVII.

De Pontibus Fabricio, Ceſtio, & Aurelio.

INSULAM autem urbi conjungit pons Fabricius dictus, a L. Fabricio, qui eum faciendum curavit, ut titulus in arcubus pontis ſculptus ſignificat. Qui licet in utroque fornice ſit, tamen in altero tantum nomina Coſſ. qui id opus probavere, his verbis ſubjecta ſunt:

Q. LEPIDVS M. F. M. LOLLIVS. M. F. COS. S. C. PROBAVERVNT.

De hoc ponte Horatius ita meminit:

Atque a Fabricio non triſtem ponte reverti.


2. Cur Æſculapii templa conderentur extra urbem Plut. in Quæſt. docet. Scribit D. Hieronymus Fabiolam noſocomium inſtituiſſe, quod ipſe languentium villam, in qua ægrotantes reficiebantur, interpretatur, ſicut hoſpitum xenodochium.

3. Celſus lib. 1. docet cur Æſculapius in deorum numerum ſit relatus. Quod in ædem Æſculapii languentes importarentur, oſtendit Ariſtoph. in Pluto. Plautus in Curculione inducit lenonem Cappadocem lienoſum, jecoroſum, pulmonariumque in Æſculapii fano incubantem, valetudinis recuperandæ cauſa.

4. Noſocomium in inſula, Sueton. *exponebantur*, ait in Claudio, *in inſula*. Ovid. lib xv. Metam. de inſula:

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis.
Inſula nomen habet, laterumque a parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos, &c.

5. Cal. Jan. ſacratum fuiſſe templum Æſculapii in inſula hac una cum Jovis delubro Ovid. lib. 1. Faſt. ſcribit. Hiſtoria de templo hoc a Valerio quoque & a Livio lib. IX. memorata.



Hodie pons quatuor capitum dicitur, a quatuor five Jani five Termini fimulacris quadrifrontibus in aditu pontis a finiftra collocatis. Qui vero pons eandem infulam Janiculo connectit, Ceftius olim, nunc vero pons S. Bartholomæi nuncupatur: in quo hinc inde tabulæ marmoreæ funt, continentes titulos, qui fequuntur:

DOMINI NOSTRI IMPERATORES CAESARES.
FL. VALENTINIANVS. PIVS. FELIX. MAXIMVS. VICTOR. AC TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS.
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P. ET
FL. VALENS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAX.
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P. ET
FL. GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS.
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. III. IMP. II. CONS. PRIMVM P. P. P.
PONTEM FELICIS NOMINIS GRATIANI IN VSVM SENATVS AC POPVLI ROM. CONSTITVI DEDICARIQVE IVSSERVNT.

Ultimus pons intra urbem antiquam a proximo Janiculo Janiculenfis nomen obtinuit. Tradunt autem Antoninum Pium hunc marmoreum feciffe, & civilibus bellis demolitum pontem ruptum vocitatum. Xyftus Pont. IV. noftris temporibus eum reftituit, a quo nomen hodie obtinet.

CAP. XVIII.

De Pontibus Triumphali, Hælio, & Milvio. [1]

PONTIS autem Triumphalis pilæ in Tiberi adhuc cernuntur e regione hofpitalis S. Spiritus. Triumphalis eft nuncupatus, quod per ipfum triumphantes tranfirent. Sequitur fupra hunc ad teli jactum pons nunc S. Angeli dictus, olim vero Hælius, ab Hælio Hadriano, qui eum prope fui fepulcri molem excitavit. Spartianus, *Fecit*, inquit, *& fui nominis pontem, & fepulcrum juxta Tiberim.* Quem pontem nulla alia de caufa pofuiffe arbitramur, quam ut per ipfum tranfeuntes propius dictam molem fpectarent, cum Triumphalis publico ufui fatisfacere videretur. Milvius [2] pons, quem nunc [3] Molem vulgus vocitat, in via Flaminia fitus, plus minus duobus millibus pas. diftat ab urbe. Ferunt autem hunc fæpius everfum, fæpiufque inftauratum, nihil ex veteri ftructura, præter fundamenta, retinere. De hoc ponte meminit Plin. de viris illuftribus, & Ammianus. Is enim ait, a M. Scauro, [4] qui fuit tempore Syllæ, in cenfura extructum.

1. Mulvium fcribit Ammianus, nifi hic Mulvius pro Æmilio fcriptum lib. 27.
2. Stat. Sylv. II. in epicedio Glauciæ, *Flaminio quæ limite Milvius agger Tranfvehit.*
3. Incorrupta eft dictio non de Mole, fed Molvio; Molvium a Græcis fcriptum invenio ex Hift. Ecclef.
4. Lege a *M. Æmilio*. Hic Æmilius Lepidus feciffe dicitur Milvium, non qui antea Sublicius dicebatur, Æmilium appellatum. Ceterum Plinio, quem citas, perperam Milvium pro Æmilio haberi creditur.

CAP. XIX.

De Transtiberina regione: & de Templis Ravenatium, & Fortis Fortunæ: ac de Thermis Severi, & Aureliani: Naumachia, & Hortis Cæfaris: nec non de Aqua Alfietina, Pratifque Mutii.

TRANSTIBERINA regio prifcis temporibus Janiculi etiam nomen accepit, a monte ejufdem nominis fibi eminenti. Ravenatium etiam urbem nominatam invenio. Nam Auguftus victoria contra Antonium & Cleopatram potitus binam inftituit claffem: unam apud [1] Mifenum Lucaniæ portum: alteram vero apud Ravennam. Cumque Senatui effet cura ut nulla Romam frequentaret multitudo, cui non effet habitandi locus publice affignatus: militibus Ravenatis claffis hæc regio fuit affignata, quæ exinde Ravenatium urbes cœpit appellari. Quo nomine appellatum eft templum, & meritoria taberna, quam ubi nunc eft ædes D. Mariæ fuiffe legimus. Ex quo templo Augufti tempore fons olei ex terra exundavit, ac per totum diem largiffimo rivo fluxit, fignificans ex gentibus gratiam Chrifti, ut fcribit Eutropius. Sed hæc regio propter peftiferos auftros a viliffimis fordidafque artes exercentibus habitabatur: unde pauca memoratu digna continet. Tamen Spartianus in ea Severum imp. thermas fui nominis, & Vopifcus Aurelianum [2] thermas hyemales feciffe, tradunt. Harum veftigia ea effe volunt, quæ funt inter D. Francifci ædem & mœnia urbis, in campo nunc Judæorum. Suetonius vero ait [3] Cæfarem hortos circa Tiberim habuiffe, qui haud procul a dicto campo erant: & in iis Fortis Fortunæ templum, Tiberii tempore dicatum. Sunt qui velint, eundem Cæfarem naumachiam inftituiffe fub mœnibus urbis, e regione nunc S. Cofmati: ubi, prope viam quæ ad portam Aureliam ducit, inventus eft lapis cum hac infcriptione:

SILVANO
SANCTO. SACRO
LARVM. CAESARIS
N ET COLLEGI.
MAGNI. CN. TVRPILIVS
TROPHIMVS VOTO
SVSCEPTO. ARAM
DE SVO. D. D.

Alii vero eam naumachiam Augufto attribuunt, propter verba Frontini, quæ fequuntur. *Quæ ratio moverit Auguftum providentiffimum principem producendi Alfietinam aquam, quæ vocatur Augufta, non fatis perfpicio, nullius gratiæ, immo parum falubrem, & nufquam in ufus populi fluentem. Nifi forte cum opus* [4] *naumachiæ aggrederetur, ne quid falubrioribus aquis detraheret, hanc proprio opere perduxit: & quod naumachiæ cœperat fupereffe hortis fubjacentibus, & privatorum ufibus ad irrigan-*

1. Mifenum, unde caftra Mifenatium funt appellata Romæ. Tacitus lib. 4. *Italiam*, inquit, *utroque mari duæ claffes Mifenum apud & Ravennam, proximumque Gallis littus roftratæ naves præfidebant, quas Actiaca victoria captas Auguftus in oppidum Forojulienfe miferat valido cum remige.*
2. Immo has thermas effe dixerim trans Tiberim, prope ædem D. Jo. a Malva, circa portam Septimianam; inibi enim in cujufdam domus apotheca vinaria labrum lapideum miræ magnitudinis exftat.
3. Hortos Cæfaris reponit trans Tyberim Hor. lib. Satyr. I. Sat. IX.
Trans Tiberim longe cubat is prope Cæfaris hortos.
Hi funt horti circa Tyberim, quos Cæfar publice populo reliquit teftamento. Suet. in C. Julio Cæfare.
4. Naumachia Tranftyberina, de qua Frontinus, & P. Victor in XIV. Regione.

dum concessit. Solet tamen ea ex Transtiberina regione, quoties pontes reficiuntur, & a citeriore ripa aquæ cessant, in subsidium publicarum salientium dari. Concipiebatur hæc aqua ex lacu Alsietino via Claudia, a milliario XIV. diverticulo dextrorsus passuum VI. millium D. Ductus ejus efficiebat longitudinem passuum XXII. M. CLXXII. Conceptionis modus in commentariis non erat adscriptus. Quantum Aquarii temperaverant habebat non plus quinariis II. millibus. At quinariæ CCCCXCII. extra urbem consumebantur. Nomine Cæsaris quinariæ CCCLIV. Dabantur privatis quinariæ CXXXVIII. Hujus autem aquæ visitur in eadem naumachia ductus elevatus pedes fere tres, mox occultatur, & subterraneo meatu aquam ipsam ad aream D. Mariæ Transtiberinæ deducit: ubi e fonte emersa publico privatoque usui deservit. Hanc aquam Hadrianum primum Pont. restituisse ajunt. [5] Prata autem Mutia fuere ad navalia. [6] Dionys. *Mutio autem mori eligenti pro patria regionem trans Tiberim donavere de publico: qui locus prata Mutia usque ad hanc ætatem vocantur.* Albiona ager in eadem regione dicebatur ab Albionarum luco, quo in loco bos alba immolabatur, auct. Sex. Pom. Idemque ait, ludos piscatorios in ripa Tiberis ad navalia olim celebratos esse.

CAP. XX.

De Sepulcro Numæ, & Cæcilii Poetæ: Tribunali Aurelio: Monte Janiculo: & de Hortis cujusdam Martialis.

N*Uma rex sub Janiculo sepultus est*, inquit Solinus. Dionys. *Jacet autem Numa in Janiculo trans Tiberim.* Et Cassius Hemina quarto annalium memoriæ prodidit, Cn. Terentium Scribam agrum suum in Janiculo repastinantem offendisse arcam, in qua Numa situs fuisset, in eademque libros ejus repertos ex charta P. Cor. L. filio Cethego M. Bebio Q. filio Pamphilo Coss. ad quos a regno Numæ colliguntur anni DXXX. Livius multa de sepulcro Numæ, ejusque libris tradit: sed a dicto Cassio Hemina in aliquibus dissentit. Tribunal Aurelium in eadem fuisse regione opinamur: & ab eo viam ejusdem cognominis principium habuisse. De hoc tribunali Cic mentionem facit, cum dicit, se homines in tribunali Aurelio palam conscribi centuriarique vidisse. Janiculus autem mons dictus, quod Janus vel ibi sit sepultus, vel habitaverit. Qui participata potentia cum Camese indigena Italiam ita obtinuit, ut regio Camesene, oppidum Janiculum vocaretur, auctor Macrobius. Sex. vero Pom. scribit: *Janiculum dictum, quod per eum Populus Romanus primitus transierit in agrum Hetruscorum, & ab eo transitu Janiculum dictum. Janus enim transitus vocatur.* In hoc Janiculo hortos habuit Martialis quidam: quos Mart. epigrammaticus carmine celebravit, eosque in longo Janiculi jugo fuisse tradit. Quos per lapsum ad ejus radices in urbis figura collocavimus. Eusebius autem tradit, Cæcilium Statium poetam in eodem Janiculo sepultum esse.

5. Mutia prata Festus. Liv. A. V. C. 11.
6. Dionys. inibi nullam facit mentionem navalium, sicut Liv. ubi de pratis Quinctiis, quæ contra navalia esse ait.

CAP. XXI.

De Monte & Campo Vaticano: Templis Apollinis, & Martis: & de Naumachia, Circo, & Hortis Neronis: ac Obelisco, qui est in eodem Circi loco.

EXPOSITIS iis, quæ ad Janiculum pertinere videbantur, in Vaticanum montem & campum transeamus. Vaticani autem etymologiam variam esse invenio. Gellius enim scribit: *Agrum Vaticanum, & ejusdem agri deum præsidem appellatum a vaticiniis: quæ vi & instinctu ejus dei in eo agro fieri solita essent. Varro autem in libris divinarum aliam etymologiam sic ponit. Nam sicut Ajus*, inquit, *deus, araque ei statuta, quæ est in infima nova via, quod eo in loco divinitus vox edita erat: ita Vaticanus deus nominatus, penes quem essent vocis humanæ initia. Quoniam pueri, simulatque parti sunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est.* Sex. vero Pom. vult, collem hunc Vaticanum nuncupatum, quod pulsis Hetruscis eo potitus sit populus Romanus vatum responsis. In hoc monte vetustissimam fuisse ilicem, auct. est Plin. qui sic inquit: *Vetustior urbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis literis Hetruscis religione arborem jam tunc dignam fuisse significat.* Ad eundem montem Apollinis templum fuisse, ubi nunc sacellum D. Petronillæ: Martis vero, ubi D. Mariæ de febribus, in via olim Triumphali, quidam tradidere: sed auctorem idoneum non adducunt. Julium Paulum poetam prædiolum in Vaticano possedisse memorat Gellius. Corn. vero Tac. ait Neronem clausisse in valle Vaticani spatium, in quo equos regeret, atque permixtum plebi circense ludicrum habitu aurigæ edidisse, obtulisseque hortos suos ad varia in Christianos tormentorum genera. Et quia Plin. obeliscum Vaticani in Neronis circo stare scribit, arbitrantur nonnulli non tantum circum ipsum, sed & navale stagnum eo in loco secus montem, qua ad portam itur nunc *Pertusam* appellatam: hortosque ejus a clausura circi ad Tiberim fuisse. Hic obeliscus, qui ex omnibus solus erectus visitur, apud D. Petri ædem in via triumphali positus est, in ejusque vertice pila auro superfusa: habetque in anteriori parte titulum inscriptum, eundemque in posteriori, quem subjeci:

DIVO. CAESARI. DIVI. IVLII. F. AVGVSTO

TI. CAESARI. DIVI. AVGVSTI. F. AVGVSTO

SACRVM

Hujus autem meminit Plin. his verbis: *Tertius obeliscus Romæ in Vaticano Caii & Neronis principum circo, ex omnibus unus omnino fractus est in molitione: quem fecerat Sesostridis filius* [1] *Nuncoreus. Ejusdem remanet & alius centum cubitorum, quem post cæcitatem visu reddito ex oraculo Soli sacravit.* Idem, ubi de arborum magnitudine tractat, sic inquit: *Abies admirationis præcipuæ visa est in navi, quæ ex Ægypto Caii principis jussu obeliscum in Vaticano circo statutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum adduxit. Qua nave nihil admirabilius visum in mari certum est. CXX. M. modium lentis pro saburra ei fuere. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus, latere lævo: ibi namque demersa est a Claudio principe. Arboris ejus crassitudo quatuor hominum ulnas*

1. Menda.

complectentium implebat. Obelisci effigiem hic appofuimus, cujus fingula latera, qua maxime patent, funt latitudine pedum novem. Honorii Imp. corpus, auctore Paulo Diacono, juxta Beati Petri Apoftoli atrium in maufoleo fepultum eft. Huic foboles nulla fuit. Nam duæ Stilichonis filiæ, id eft [2] Maria, & Hermantia, una poft alteram ei conjugio fociatæ utræque Dei judicio inopinata morte præventæ ex hac luce virgines migravere. Mariæ fane corpus in via triumphali, ea parte, quæ in facris ædibus D. Petri facellum regis Francorum hodie nuncupatur, conditum fuiffe non dubium eft. Nam quo tempore hæc fcribebam, cum pilæ fundamenta in ea æde foderentur, inventa eft marmorea arca, longitudine pedum octonum cum dimidio, latitudine quinum, fenumque altitudine: in qua conditam eam fuiffe apertiffimis conftitit argumentis. In ea arca corpore jam abfumpto aliquot tantummodo dentes fupererant, capillique, ac tibiarum offa duo: prætereaque veftis, & pallium: quibus tantum auri fuerat intextum, ut ex iis combuftis auri pondo XXXVI. collecta fint. Erat infuper capfula argentea, longa pedem unum & femiffem, latitudine digitorum XII. in qua vafcula multa ex cryftallo, nonnullaque ex achate perpulchre elaborata. Item annuli aurei XL. variis gemmis adornati. Erat & fmaragdus auro inclufus, in eoque fculptum caput, quod creditum eft ipfum Honorium referre. Is quingentis aureis noftratibus æftimatus eft. Præterea inaures, monilia, aliaque muliebria ornamenta: in quibus bulla, earum quas hodie *Agnus dei* vocant: per cujus ambitum infcriptum erat. MARIA NOSTRA FLORENTISSIMA. Lamnaque ex auro, & in ea hæc nomina. MICHAEL. GABRIEL. RAPHAEL. URIEL. literis Græcis cælata. Item veluti racemus ex fmaragdis aliifque gemmis confertus, & difcriminale ex auro longitudine XII. digitorum, infcriptum hinc DOMINO NOSTRO HONORIO. hinc DOMINA NOSTRA MARIA. Ad hæc inerat forex ex chelidonio lapillo, cochleaque, & patera ex [3] chriftallo: item pila ex auro, luforiæ fimilis: fed quæ in duas partes dividi poterat. Innumeræ pene aliæ inerant gemmæ, quarum etfi plurimæ vetuftate corruptæ, nonnullæ tamen recentem admirandamque pulchritudinem retinebant. In eodem Vaticano vifuntur hodie in Max. Pont. hortis complura fimulacra antiqua, eo ex variis locis translata: quorum eft Nili variis generibus animalium, qui in eo nafcuntur flumine, circunftantibus. Eft & Tiberis fimulacrum, cui & lupæ, & ad lupæ ubera Romuli & Remi figna pofita funt. præterea Apollinis, Veneris, Cupidinis, Cleopatræ: nec non Laocoontis, de quo fupra diximus. Omnia hæc ex candidiffimo marmore.

2. Hoc manifeftum eft mendacium, fiquidem Claudian. in Honorii & Mariæ conjugis epithalamio concubitum utriufque apertiffime in calce demonftrat his verfibus:

Aurea fic videat fimiles Germantia tedas,
Hic uterus crefcat Mariæ fic natus in aftra.
Parvus Honoriades genibus confidat avitis.

Ad hæc idem in epithalamii præfatione inquit: *Formofus Mariam ducit Honorius*. dicat quicquid velit Paulus Diaconus.

3. Cryftallo.

CAP. XXII.

De Aqua Sabatina: & de Sepulcro Scipionis, & Hadriani: ac de Pratis Quintiis.

SAbatina, inquit Sex. Pom. *a lacu Sabate dicta*: nunc vero dicitur Anguillariæ lacus, ex quo aqua Romam perducebatur: cujus ductus veftigia quædam extare dicuntur extra portam Pancratianam. Hanc autem Hadrianus primus Pont. reftituit: cujus aquæ fons in area D. Petri adhuc manare cernitur. Inter hunc fontem & Hadriani fepulcrum fuit ingens meta, cujus fundamenta nonnullis ab hinc annis effodi vidimus. Sunt qui velint feptem Epulonum fuiffe fepulcrum, vel Scipionis, de quo Acron fic inquit: *Devicta Carthagine virtute Scipionis Africani, cum Afri adverfus Romanos denuo rebellarent, confulto oraculo, refponfum eft, ut fepulcrum Scipionis fieret, quod Carthaginem refpiceret: tunc levati cineres funt de pyramide in Vaticano, & humati in fepulcro ejus in portu, ut Carthaginem refpiceret*. Gentile tamen Scipionum fepulcrum in via Appia fuiffe mox oftendemus. Hujus autem pyramidis & molis Hadriani forma five fimulacrum vifitur in porta ænea ædis D. Petri. Sepulcrum Hadriani juxta fui nominis pontem pofitum effe adhuc videtur, licet fuis ornamentis expoliatum: in quo legitur titulus, qui fequitur:

L. HAELIO CAES. DIVI HADRIANI AVG. F. COS. II. F.

[1] Spartianus: *Fecit*, inquit, *& fui nominis pontem, & fepulcrum juxta Tiberim*. In hoc autem ipfe primus omnium fepultus dicitur. Et deinde omnium Antoninorum cineres conditos effe oftendunt epith. quædam in ipfo fepulcro incifa: quæ hic apponere fuperfluum effe putavimus. Lampridius etiam refert Commodum juffu Pertinacis in monumentum Hadriani tranflatum. Julius vero Capitolinus, [2] Severi cadaver illatum in Hadriani fepulcrum: in quo & Cæfar pater ejus naturalis fuerat fepultus. Idem ait, Antoninum Pium Hadriani patris fepulcrum inftauraviffe, eique templum dedicaffe. Hanc autem molem defcribit Procopius his verbis: *Hadriani quondam Imp. fepulcrum extra portam Aureliam jactu lapidis impofitum. Primus ejus ambitus quadrati figuram habet. Conftat enim totus ex marmore Pario, fumma artificum diligentia ædificatus. In medio vero hujus quadrati rotunda moles affurgit, excelfa altitudine, & tanta, ut in fuprema ejus parte area fit, cujus diameter vix jactu lapidis tranfigitur*. Hæc moles in arcis formam redacta eft, caftellumque S. Angeli vocitant. Prata autem Quintia, a L.

1. Id minime ait Spartianus, immo vero Hadrianum obiiffe ait Spartianus apud Bajas, invifumque omnibus fepultum fuiffe in villa Ciceroniana Puteolis. Quod autem Hadrianus in fua mole tumulatus fuerit, Dion in illius vita indicat in fine.

2. Non Severi, fed Veri corpus Capitolinus Hadriani fepulchro, in quo & Cæfar pater ejus naturalis fuerat fepultus, illatum fuiffe tradit in Ælio Vero in fine. Quod ad Severi cadaver attinet, Spartianus inquit in fine vitæ Severi, Severi Imperat. urnulam auream reliquias ejuscontinentem in Antoninorum fepulchro illatam effe. De cadavere ait, *Severus illic, ubi vita functus eft, incenfus fuit*. Ad hæc quæ Marlianus de patre Severi refert, ubinam legitur Severi patrem fuiffe Cæfarem?

Quintio Cincinato denominata, in campo Vaticano fuisse, Plin. sic commemorat. *Arant quatuor sua jugera in* [3] *Vaticano, quæ prata Quintia appellantur, viator attulit dictaturam.* Nunc hic locus Prata dicitur, nec longe distat a dicta Hadriani mole. In eodem campo cernuntur adhuc vestigia (ut videtur) cujusdam circi sive hippodromi.

Cap. XXIII.

De Viis Flaminia, Æmilia, Claudia, & Cassia: ac de Villa Cæsarum.

Cum urbis ambitus major, quam nunc, olim quandoque fuerit, nonnulla memoratu digna, quæ prius intra mœnia continebantur, extra ea nunc relinquuntur. Sed multa præterea olim, ut hodie etiam, extra eandem urbem erant. Quorum etsi perpauca in nostram pervenere cognitionem, tamen videtur non esse alienum ab instituto nostro de iis quoque agere. Vias igitur, quarum potissima in iis ratio est habenda, M. Æmilio Cos. Censores sternendas silice in urbe, glarea extra substruendas marginandasque omnium primos locavisse, auctor est Livius. Postea autem tam extra quam intra urbem silice stratas fuisse indicant plurimis in locis vestigia. Easdem vias Cn. Gracchum certis regionibus direxisse, & passim lapide stravisse, partimque munivisse aggeribus, iniqua adæquantem, & quantum valles torrentesque abrumpebant pontibus æquali altitudine conjungentem, tradit Plutarch. Idem Gracchus dimenso viarum spatio singulis intervallis columnas lapideas spatii signum præ se ferentes constituit. Fuisse autem viarum etiam extra urbem Curatores testatur Cicer. epist. prima ad Atticum, ubi ait, Thermum Curatorem viæ Flaminiæ fuisse. Hæc via initium habebat a porta Flumentana. De ea Strabo sic loquitur: *Eodem in consulatu M. Lepidus & C. Flaminius collegæ fuere. Victores autem Ligurum stravere, hic quidem Flaminiam, e Roma per Thusciam & Umbriam, usque Ariminum: alter reliquam porro usque Bononiam: & ex ea in Aquilejam prope Alpium radices, ducto per gyrum circa paludes opere.* Livius etiam commemorat, eundem Æmilium Cos. subactis eisdem Liguribus viam a Placentia productam Flaminiæ commisisse. Quibus verbis etiam conjicimus, viam Æmiliam initium habuisse ab Arimino: finem vero ad Trebiam Placentiæ urbis fluvium. Præter hanc, altera ejusdem nominis erat via. Utriusque Strabo sic meminit: *Hic ille Scaurus, qui per Pisas & Lunam usque Sabbatios viam stravit Æmiliam, hinc per Dertonam. Alia vero est Æmilia, quæ Flaminiam excipit.* Flaminiam autem ab Augusto instauratam esse Suetonius sic ostendit: *Quo facilius undique urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit.* In hac plurima cernuntur sepulcra, sed quæ per vetustatem, an sepulcra, nedum

A quorum fuerint, vix dignosci licet. In eadem via ad nonum lapidem fuit villa Cæsarum, quæ ad gallinas dicebatur, auctor Plin. qui ejus nominis rationem sic ponit: *Gallinam conspicui candoris sedenti Liviæ Drusillæ ex alto abjecit in gremium illæsam, intrepideque miranti accessit miraculum. Quoniam tenentem rostro laureum ramum onustum suis baccis conservari alitem, & sobolem jussere aruspices, ramumque eum seri, ac rite custodiri. Quodque factum est in villa Cæsarum fluvio Tiberi imposita, juxta nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur ad Gallinas.* B In eadem via erant Clitellæ, loca quædam devexa & acclivia. *Nam*, ut Sex. Pom. ait, *non tam hæ, quibus sarcinæ colligatæ mulis portantur, clitellæ dicuntur, sed etiam locus Romæ per similitudinem, & in via Flaminia loca quædam devexa & acclivia.* Fuit etiam extra portam Flumentanam via Claudia appellata, quæ Flaminiæ jungebatur, ut testatur Ovidius his versibus:

Nec quæ [1] *piniferis positos in collibus hortos*
Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ.

C Fuit extra eandem portam via Cassia, a Cassio, qui, ut refert Sex. Pom. eam stravit, denominata. Hæc Sutrium, Vetrallam, Viterbiumque & in Vulsinensem mittebat regionem.

Cap. XXIV.

De Viis Collatina, & Salaria: Templis Veneris, Cereris, & Honoris: ac de Sepulcris Licinii, Marii, & Iliæ: & de Ponte Salario.

D Extra portam Collatinam erat ejusdem nominis via, quam Front. Collatinam appellat, quod in Collatiam duceret. Hæc haud procul ab ipsa porta jungitur viæ Salariæ: quæ initium habet a porta Collina. De hac Strabo sic meminit: *Rerum scriptor Fabius auctor est, Romanos tum primum divitiarum sensum accepisse, cum Sabinorum potiti sunt gentis: per ipsos via Salaria, in quam, apud Heretum Sabinorum vicum supra Tiberim jacentem, Numentana incidit, non magnæ longitudinis strata est: ex eadem Collina porta incboans.* E In hac via fuit templum Veneris Erycinæ, ubi restagnante Tiberi ludi Apollinares fiebant. De hoc idem Strabo sic inquit: *Est & Romæ ante portam Collinam deæ hujus ædificium, quod Veneris Erycinæ templum dictitant: cui cum æde sacra insignis adjacet porticus.* Votum autem ferunt a Fabio Dictatore, dicatum vero a L. Portio. Deæ simulacrum dedicavit pudicissima suæ ætatis fœmina Sulpicia. Plin. *Pudicissima*, inquit, *fœmina semel matronarum sententia judicata est Sulpitia Paterculi filia, uxor Ful. Flacci, quæ simulacrum Veneris ex Sibyllinis carminibus dedicaret.* Secus eandem F viam extant vestigia quædam templi, ut puto, Cereris. Ibi enim ejus deæ Bacchique picturæ cum vitibus & hydriis cernuntur. Nam quod hoc templum fuerit extra urbem, consentaneum est Vitr. præceptis, qui scribit, Cereri extra urbem ædem esse locandam loco, quo non semper homines nisi per sacrificium necesse habeant adire: *Cum religione*, inquit, *caste, sanctisque moribus is locus debet tueri.* Extra dictam portam Honoris templum statutum fuisse ait Cicer.

3. Liv. 3. hæc de pratis Quinctiis narrat. *L. Quinctius trans Tyberim contra eum ipsum locum, ubi nunc navalia sunt, IV. jugera colebat, quæ Prata Quinctia vocantur.* Nisi velimus per Vaticanum eam omnem planiciem intelligi, quæ secus Vaticanum montem & Janiculum jacet. id quod Plin indicare videtur N. H. lib. 3. cap. 5. hisce verbis. *Tiberis Hetruriam ab Umbris ac Sabinis, mox circa XIII. M. P. urbis Vejentem agrum & Crustuminum, deinde Fidenate, Latinumque a Vaticano dirimens.*

1. Pomiferis.

ſecundo de legibus, cum inquit: *Noſtis extra portam Collinam ædem Honoris? & aram in eo loco fuiſſe memoriæ proditum eſt. Ad eam cum lamina fuiſſet inventa in ea ſcriptum Domina Honoris, ea cauſa fuit ædis ejus ædificandæ. Sed cum multa in eo loco ſepulcra fuiſſent, exarata ſunt. Statuit enim collegium locum publicum non potuiſſe privata religione obligari*. Via Salaria ad ſecundum lapidem, inſigni monumento ſepultus fuit Licinius tonſor Aug. qui fuit ditiſſimus. Eadem via ad III. lapidem ſupra Anienem extat pons ejuſdem nominis cum via, a cujus dextra eſt hæc inſcriptio.

IMPERANTE. DN. PIISSIMO AC TRIVMPHALI SEMPER IVSTINIANO. PP. AVG. ANNI XXXVIIII.

NARSES. VIR. GLORIOSISSIMVS. EX PRAEPOSITO SACRI PALATII. EX CONS.

ATQVE PATRICIVS. POST. VICTORIAM. GOTHICAM. IPSIS ET EORVM REGIBVS

CELERITATE MIRABILI CONFLICTV PVBLICO SVPERATIS ATQVE PROSTRATIS

LIBERTATE VRBIS ROMAE AC TOTIVS ITALIAE RESTITVTA PONTEM VIAE SALARIAE. VS-

QVE AD AQVAM A NEFANDISSIMO TOTILA TYRANNO DISTRVCTVM PVRGATO FLVMINIS ALVEO

IN MELIOREM STATVM QVAM QVONDAM FVERAT RENOVAVIT.

A ſiniſtra vero leguntur carmina quæ ſequuntur:

QVAM BENE CVRBATI ❧ DIRECTA EST SEMITA PONTIS ❧.

ATQVE INTERRVPTVM ❧ CONTINVATVR ITER ❧.

CALCAMVS RAPIDAS ❧ SVBIECTI GVRGITIS VNDAS ❧.

ET LIBET IRATAE ❧ CERNERE MVRMVR AQVAE ❧.

ITE IGITVR FACILES ❧ PER GAVDIA VESTRA QVIRITES ❧.

ET NARSIM RESONANS ❧ PLAVSVS VBIQVE CANAT ❧.

QVI POTVIT RIGIDAS ❧ GOTHORVM SVBDERE MENTES ❧.

HIC DOCVIT DVRVM ❧ FLVMINA FERRE IVGVM ❧

Parum infra hunc pontem Anio in Tiberim ſeſe exonerat, de quo Dionyſ. ſic inquit: *Anio ex urbe Tibuere effuſus per excelſum ſcopulum multus per planiciem Sabinorum Romanorumque fertur, diſterminans utranque regionem, influitque in Tiberim parum infra pontem Salarium, aſpectu pulcher, & potu dulcis*. In hoc Aniene ſepultam fuiſſe Iliam ſcribit Acron. Et Cicero apud eundem fluvium fuiſſe Marii ſepulcrum. Ad eundem fluvium Torquatus a Gallo in pugnam provocatus victor evaſit. In ejuſdemque gurgite ſimulacrum Sibyllæ Tiburtinæ, quæ Tiburti ut dea colebatur, inventum eſt, tenens in manu librum: cujus ſacra Senatus in Capitolium tranſtulit. Inter viam Salariam & Tiberim fuit lucus permagnus: in quo Romani Lucaria feſta celebrabant, pro eo quod victi a Gallis, fugienteſque e prælio ibi ſe occultaverunt, auctor eſt Sextus Pompejus.

CAP. XXV.

De Via Numentana: Næniæ Sacello: Templo Bacchi: Suburbano Phanoti: & de Caſtro cuſtodiæ.

A VIMINALI porta incipit via Numentana: qua iter erat Numentum oppidum Sabinorum. Dicta eſt hæc via etiam Figulnenſis, a loco extra ipſam portam, ubi fictilia fiebant. Livius: *Decemviri Numentana, cui tum Figulnenſis nomen fuit, profecti caſtra in monte ſacro locavere*. Extra eandem portam Næniæ deæ ſacellum fuerat. Hæc enim dea cantu querulo funeribus adeſſe putabatur, ut ſcribit Sextus Pompejus. Deorum enim quos obeſſe putabant templa ſecundum ſtationis decorem extra urbem ponebantur. Animadvertimus tamen præceptum hoc, ut diximus, non ſemper ſervatum eſſe. Nam in Palatio Febris fanum: in Exquiliis Malæ Fortunæ: ad Aventini radices Socordiæ: & ad Auguſti forum Martis Ultoris templa fuiſſe, demonſtratum eſt. Quæ, non ut opem ferrent, ſed ne obeſſent, numina colebantur. Via eadem ad ſecundum lapidem viſitur Bacchi templum ſphærica forma cum columnis geminatis, in gyrumque ita diſpoſitis, ut templi teſtudinem ſuſtineant: ubi vermiculato opere varia ornamenta cernuntur: ibique porphyreticum ſepulcrum vitibus ac uvis inſculptis exornatum: quod vulgus Bacchi ſepulcrum appellat. Ejus templi deſcriptio ſubjacet. Apparent autem apud hoc templum magni cujuſdam ædificii ruinæ, quæ hippodromi veſtigia eſſe videntur. Hinc vero ad ſtadia III. Anieni impoſitus eſt alius pons, qui priſcum adhuc nomen retinens Numentanus, quemadmodum via, nuncupatur. Hunc, ſicuti Salarium, eundem Narſeten eunuchum extruxiſſe, idque marmoris inſcriptionem, quæ tamen hodie non extat, indicaſſe ferunt. Inter dictam viam & Salariam circa IV. milliarium fuit ſuburbanum Phanoti liberti Neronis: quo Nero ipſe fugiens ſe ipſum interfecit, ut auctor eſt Suetonius. Extra Querquetulanam autem portam locus eſt quadratus, parietibus circunſeptus, qui dicebatur [1] caſtrum cuſtodiæ, ubi fuerant olim in ſtatione milites prætoriani Diocletiani, ut quidam teſtantur. Procopius ſcribit, e regione vivarii extra muros, veteres alterum brevem murum modico intervallo adjeciſſe, non ad tutelam, ſed ad delitias, ut leones & alias feras ibi ſervarent: quem locum olim

1. Caſtrum prætorium, non cuſtodiæ vocabatur. id quod nuper in lucem venit ex tabulis inibi effoſſis in vinea Clavariorum, quorum inſcriptionem ego & Pyrrhus Lygorius diligentiſſime exſcripſimus. Ex quibus diverſum eſſe, quod vulgo vivariolum vocant, & prætorium caſtrum, clariſſime demonſtratur.

Viva-



Vivarium, nunc vero, qui ibi prædia habent, Vivariolum vocant.

CAP. XXVI.

De Viis Prænestina, Labicana, Campana, Gabina: & de Pontibus Mamæo, & Lucano: Aniene Veteri, & Novo: ac de Aqua Appia.

AB Exquilina porta Labicanam & Prænestinam viam initium habuisse sic ostendit [1] Strabo: *Porro in unum cadit Labicana a porta quidem Exquilina incipiens, a qua & Prænestina: a sinistra vero & hanc, & Exquilinum omittens campum, ultra C. & XX. stadia pergit.* Cum autem Labico vetusto sane oppido ceterum disjecto, & in sublimi sito propinquat, & hoc, & Tusculum relinquit a dextra. Prænestinam autem ab Exquilina porta incipere, relinquereque a sinistra campum Exquilinum, haud dubie vere dictum est: cum etiam intra urbem in ipsa Prænestina Capitolinus privatam Gordiani domum positam esse afferat. Sed Labicanam ab eadem porta initium habuisse, adversari videntur ea, quæ de via Labicana intra urbem supra tradidimus. Nisi velimus dicere Labicanam viam, non tantum ab Exquilina, sed etiam a Nevia, quæ illi proxima est, quaque etiam proximum iter est in Labicos, initium extra urbem sumpsisse. Non enim alienum est vias celebres per varia capita in urbem perduci. Extra hanc portam, apud ædem D. Laurentii, in vinetis jacet obeliscus quidam confractus: de quo nihil est quod præterea possimus affirmare. Haud ita multo post visitur supra Anienem pons Mamæus, vulgo *Mamolo* appellatus, ab Antonino Pio extructus: qui a Mamæa matre Alexandri instauratus, ejus nomen obtinuit. Quartus pons super eundem fluvium Lucanus nuncupatur, qui

A Tiburi proximus est. Ex Aniene autem duos aquarum ductus Romam perducebantur. Eorum alter Anio novus: alter vero Anio vetus nuncupabatur. De his Frontinus hæc scribit: *M. Curius Dentatus, qui Censuram cum L. Papyrio gesserat, Anienis veteris aquam perducendam in urbem ex manubiis de Pyrrho captis curavit, post annos XL. quam Appia fuerat perducta, anno ab urbe condita CCCCLXXXIX. Sp. Carvilio & Papyrio Coss. Post biennium deinde actum est in Senatu de ejus consummatione. Tum ex S.C. duumviri aquæ perducendæ creati, Curius, & Ful. Flaccus. Curius intra quintum diem, quam erat duumvir creatus, decessit. Gloria perductæ pertinuit ad Fulvium. Concipiebatur supra Tibur XX. milliario, extra portam* B *Raranam, ubi partim in Tiburtinum distribuebatur usum, partim Romam deducta erat: quæ minus salubris in hortorum irrigationem, atque in ipsius urbis sordida existeret ministeria. Ductus ejus habebat longitudinem passuum XLIII. millium. Ex eo rivus erat subterraneus pas. XLII. Substructione supra terram pas. DCCIII.* Hujus aquæ ascriptus erat modus in commentariis quinariarum M.CCCCXXI. Ad caput Front. invenit IV. M.CCCXCVIII. præter eum modum, qui in proprium ductum Tiburtinum derivabatur. Extra urbem erogabantur nomine Cæsaris quinariæ CLXIX. privatis CCCIV. reliquæ dividebantur intra urbem per regiones I. III. IV. V. VI. VII. VIII. XII. XIV. C in castella XXXV. Perveniebat autem in regionem viæ novæ ad hortos Asinianos, unde per illum tractum distribuebatur. Rectus vero ductus, secundum speciem veterem veniens, intra portam Exquilinam in altos rivos per urbem, eo modo quo diximus, deducebatur. Anio autem novus Sublacensi via ad milliarium XLII. in suo rivo excipiebatur, ex flumine qui cum terras cultas circum se haberet soli pinguis, & inde ripas solutiores, etiam sine pluviarum injuria limosus, & turbulentus fluebat: ideoque a faucibus ductus interposita erat

1. Lege Strab. Græce.

piscina limaria, ubi inter amnem & specum consisteret, & liquaretur aqua: sic quoque, quoties imbres supervenirent, turbida perveniebat in urbem. Jungebatur ei rivus Herculaneus oriens eadem via ad milliarium XLIII. Ductus Anienis efficiebat longitudinem passuum LXII. M. Hæc aqua in commentariis habere ponebatur quinarias III. millia CCLXIII. Frontinus mensus ad caput reperit quinarias IV. mille DCCXXXVIII. Ex quibus nomine Cæsaris extra urbem erogabantur DCCXXVIII. Reliquæ, ut dictum est, intra urbem cum Claudia confundebantur. Hæ aquæ a piscinis in altiores arcus recipiebantur, ita ut superior esset Anio, finiebantur arcus earum post hortos Pallantianos: inde in usum urbis aqua fistulis deducebatur. Partem tamen sui Claudia prius in arcus, qui vocabantur Neroniani, ad speciem veterem transferebat. Ii directi per Cœlium montem juxta templum D. Claudii terminabantur: modum, quem acceperant, aut circa ipsum Cœlium, aut in Palatium, Aventinumque, & in Transtiberinam regionem dimittebant. Anienis aquæ minus permanebant limpidæ, & sæpe etiam sereno turbabantur. Quoniam quamvis purissimo deflueret lacu, mobilibus tamen, ut diximus, cedentibus ripis auferebat aliquid, quo, prius quam deveniret in rivos, turbaretur: propterea vitiabat ceteras. Nam cum editissimus veniret, & in primis abundans, aliquando defectioni aliarum succurrebat. Inquinabat maxime Claudiam. Vetus vero Anio cum plerumque libra esset inferior, incommodum infra se tenebat. Anienem autem novum Frontinus a Nerva Curator aquarum constitutus restituta forma in urbem perduxit. Aqua autem Appia M. Valerio Maximo, P. Decio Murena Coss. anno XX. post initium Samnitici belli inducta est ab Appio Claudio Crasso Censore, cui postea Cœco fuit cognomen: qui & viam Appiam a porta Capena usque ad urbem Capuam muniendam curavit. Collegam habuit C. Plautium, cui, ob inquisitas ejus aquæ venas, Venocis cognomen datum est. Sed is intra annum & sex menses deceptus a collega, tanquam idem facturo, abdicavit se a censura. Nomen aquæ ad Appii tantum honorem pertinuit: qui multis tergiversationibus extraxisse censuram traditur, donec & viam & hujus aquæ ductum consummaret. Concipiebatur autem in agro Lucullano, via Prænestina, inter milliarium VI. & VIII. diverticulo sinistrorsus passuum DCCLXXX. Ductus ejus habebat longitudinem a capite usque ad Salinas, qui locus erat ad portam Trigeminam, passuum XI. millium CXC. Subterraneo rivo passuum XI. millium CXXX. Substructione, & supra terram opere arcuato proxime ad portam Capenam passuum LX. Appiæ in commentariis adscriptus erat modus quinariarum DCCCXLII. Uniuscujusque ad caput inveniri mensura non poterat, quoniam ex duobus rivis constabat. Ad Gemellas tamen, qui locus erat intra speciem veterem, ubi jungebatur cum ramo Augustæ, altitudo aquæ erat pedum quinque: latitudo vero unius, & dodrantis: quæ efficiebat quinarias MDCCCCXXV. amplius quam in commentariis, quinariis DCCCCLXXXIII. Erogabat quinarias DCCIV. Minus quam in commentariis adscribebatur, quinariis CXXXVIII. Et adhuc minus quam ad Gemellas mensura responderet, quinariis M CXXI. Intercidebat tamen aliquantum ex ductus vitio, qui cum esset depressior, non facile manationes ostendebat. Ex hac fluebant extra urbem quinariæ tantummodo V. reliquiæ DCXIX. intra urbem dividebantur per regiones II. V. VIII. IX. XI. XII. XIII. XIV. in castella XX. Ex quibus nomine Cæsaris quinariæ CLI. Privatis CXCIV. Publicis usibus CCCLIV. Ex eo castris unis, quinariæ IV. Operibus publicis XIV. quinariæ CXXII. Muneribus, quinariæ II. Lacubus XCII. quinariæ CCXXVI. Anno ab urbe condita DCVIII. Ser. Sulpitio Galba & L. Aurelio Cotta Coss. cum hujus ductus & Anienis vetustate essent quassati, privatorum etiam fraudibus interciperentur, datum est a Senatu negotium M. Titio, qui tum Prætor inter cives & peregrinos jus dicebat, eorum ductuum reficiendorum & vindicandorum. Eosdem autem cum Martiæ ductu pene dilapsos longo tempore post restituit Agrippa. A Cœlimontana autem porta incipit via Campana, quæ statim in duas semitas dirimitur: sed post pauca stadia utraque viæ Latinæ jungitur. Inter Cœlimontanam & Latinam portam, Gabiusam locatam esse diximus, a qua olim principium habebat via Gabina: de qua Livius ita meminit. *P. Valerius T. Herminium cum modicis copiis ad II. lapidem Gabina via occultum considere jubet.* Idem; *ad III. lapidem venere via Gabina.* Hanc viam brevem fuisse, incidisseque in Prænestinam significat Strabo, cum in ea Gabios fuisse sic tradat. *Sunt & Romanorum oppida a sinistra Latinæ, inter eam & Valeriam Gabii sane extant, in Prænestina via siti.*

CAP. XXVII.

De Viis Valeria, Latina, & Appia: Templis Fortunæ Muliebris, Martis, Tempestatis, Spei, Ridiculi: item de Sacrario Bonæ Deæ: Luco & Æde Camœnarum: Circo Antonini: & de Aqua Mercurii.

A LATINA autem porta initium habet via ejusdem nominis, in Latinos populos ducens. Nam per Labicanum, quod hodie dicitur *Valmontone*, perque Casinatem Sancti Germani saltum appellatum, in Campaniam usque protenditur: de qua Strabo sic scribit: *Præclarissimæ sunt viæ, Appia, Latina, & Valeria: una quidem per maritimas Latii partes usque ad Sinuessam protenditur: altera in Sabinos usque ad Marsos: inter has media Latina est: quæ ad Capersinum oppidum conjungitur Appiæ, a Capua XIX. distans stadiis.* In Latina fuit templum Fortunæ Muliebris, ejusdemque deæ simulacrum nefas attingit, nisi ab ea, quæ semel nupsit. In eadem via fuit suburbanum Phylidis nutricis Domitiani, in quo ipsum funeravit: sed reliquias templo Flaviæ gentis clam intulit, cineribusque Juliæ filiæ Titi, quam & ipsam educaverat, commiscuit, auct. Suet. A porta vero Capena incipit via Appia, quæ ab Appio Claudio Cens. denominationem accepit. Ea erat latitudine ut plaustra duo ex adverso invicem occurrentia libere exciperet. De hac Livius ita mentionem facit: *Memoriæ felicioris apud posteros nomen Appii, quod viam munivit, & aquam duxit*: & Cic. pro Milone his verbis: *Hoc enim sæpe ab istis dicitur, perinde quasi Appius ille Cœcus viam munierit, non qua populus uteretur, sed ubi impune sui posteri latrocinarentur.* Verum ultra Capuam Appium hanc viam munivisse non constat: quæ tamen Brundusium usque fuit strata. Quis autem præter Appium eam straverit, non memini me legere: nisi quod Plutar. ait, C. Cæsarem, cum illi hujus viæ cura esset commissa, ingentes prodegisse pecunias. Novissime restituit Trajanus, deliccatisque paludibus, excissis collibus, aggeratis vallibus, saxis constratis, ac pontibus extructis permeabilem fecit, auctor est Dion. Hanc viam omnium aliarum reginam esse dicit Statius. In ea fuit Martis templum. Ovidius:

Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extra
Appositum rectæ porta Capena viæ.

Livius: *Viam Censs. sternendam a porta Capena ad Martis templum locavere.* Hoc templum supra columnas C. positum Sylla Ædilis consecravit. Apud ipsum fuit Manalis lapis, quo propter nimiam siccitatem in urbem relato, pluvia statim sequebatur: eumque, quod aquas manare faceret., Manalem lapidem dixere, ut scribit Sex. Pom. Martis signum in via Appia Cn. Servilio & Flaminio Coss. sudasse, testatur Livius. In eadem via fuit Bonæ deæ sacrarium, apud quod Clodius, & (ut testatur Cic.) M. Papirius fuit interfectus. Lucus etiam, & ædes Camœnarum fuit extra portam Capenam: quæ a Ful. Nobiliori condita est, ut scribit Asconius. In hac fuisse statuam Actii poetæ testatur Plin. his verbis: *Notandum ab auctoribus & L. Actium poetam in Camœnarum æde maxima forma statuam sibi posuisse, cum brevis admodum fuisset. Extra eandem portam fuere ara Apollinis, lucus Honoris, ædes Spei, & Tempestatis.* Hanc Marcellus, cum in Corsicam Sardiniamque navigans gravissimam tempestatem pateretur, vovit, & ex eo naufragio servatus extruxit, auct. est Ovid. Extra eandem portam ad II. lapidem fuit templum Ridiculi: ideo excitatum, quod ibi Annibal castrametatus retrocesserit illusus. Via præterea Appia hortos Terentianos fuisse legimus XX. jugerum. Circus Antonini Caracallæ is est, ut plerique omnes consentiunt, cujus ingentes ruinæ, & inter eas obeliscus, metarumque vestigia non procul ab æde D. Sebastiani cernuntur: ubi ajunt prius [1] prætoria castra a Tiberio Cæs. fuisse constituta. Nam Suet. scribit, hunc Romæ castra constituisse, quibus prætorianæ cohortes, vagæ ante ea tempora, & per hospitia dispersæ, continerentur. Prope portam Capenam fuit locus Mercurio sacer, & aqua Mercurii dicta: ad quam cum populus convenisset, unusquisque lauri ramo alterius caput ea asperbebat aqua, Mercurium invocans, ut delicta, præsertim perjuria, dilueret: hinc Ovidius sic inquit:

Est aqua Mercurii portæ vicina Capenæ,
Si juvat expertis credere, numen habet.

Fuere in via Appia tabernæ Cæditiæ, domini nomine vocatæ: ut ait Sex. Pom. & forum ejusdem nominis cum via: tresque tabernæ, de quibus Cic. ad Atticum meminit: item lucus Egeriæ, quem Camœnis Numa sacravit. Multaque præterea in hac via fuisse sepulcra ostendunt illorum vestigia: significat & Cic. cum inquit: *An tu egressus porta Capena, cum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepulcra vides, miseros putas illos?* Hæc suis ornamentis & titulis cum sint spoliata, quorum fuerint ignoratur, uno excepto, quod est parum ultra circum, de quo modo locuti sumus, ubi dicitur ad caput bovis, in quo est hic titulus:

CAECILIAE
Q. CRETICI. F.
METELLAE. CRASSI.

Nam etsi ante portam Capenam sepulcrum sororis Horatii illius, qui ex Trigeminis superstes ipsam interfecerat, eoque in loco ubi exanimis ciderat, fuisse legamus, tamen proprii situs nullum extat indicium. Ad eundem modum, tum Q. Cæcilii avunculi Pom. Attici sepulcrum, quod ad quintum lapidem positum esse, in eoque ipsum Atticum conditum scribit Cor. Nepos: tum Imp. Gallieni, quod in via Appia millibus ab urbe novem Sex. Aurelius fuisse testatur: tum & gentile Scipionum monumentum, quod etiam extra eandem portam fuisse, & Archiam poetam in eo conditum affirmat Cic. quibus in locis omnino fuerint præterea ignoratur. Quod autem dicebamus P. Africanum in Vaticano conditum fuisse, non omnibus probatur: cum sint qui velint in hoc gentilitio sepulcro illatum esse, & nonnulli qui ea de re aliquid affirmare omnino audeant. Quorum est Livius, qui sic inquit: *Africanum alii Romæ, alii Literni & mortuum & sepultum: utrobique monumenta ostenduntur, & statuæ.* Nam & Literni monumentum, monumentoque statua superimposita fuit, quam tempestate disjectam nuper vidimus ipsi: & Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuæ sunt: duæ P. & L. Scipionum esse dicuntur: tertia poetæ Q. Ennii. Quinto tamen decadis quintæ asserere videtur, Linterni esse sepultum: quod Strabo etiam affirmat his verbis: *Prope mare post Sinuessam Linternum est oppidum ubi prioris Scipionis cognomento Africani sepulcrum jacet. Ibi enim extremam consumpsit ætatem.* In Ennii poetæ statuæ basi, cujus ex Livio modo meminimus, hæc fuerant carmina:

ASPICITE. O. CIVES. SENIS. ENNII. IMAGINIS. FORMAM
HEIC. VOSTRUM. PANXIT. MAXVMA. FACTA. PATRVM
NEMO. ME. LACRVMIS. DECORET. NEQVE. FVNERA. FLETV
FAXIT: CVR? VOLITO. VIVVS. PER ORA. VIRVM.

Lemonia tribus inter portam Capenam & viam Latinam fuit, a pago Lemonio appellata, auct. Sex. Pomp. Via demum Laurentina in Appiam incidebat. in eaque Terminalia festa Termino deo sacra fiebant.

CAP. XXVIII.

De Viis Ostiensi, Portuensi, Aurelia, & Vitellia: & de Hortis Galbæ.

AB ultima urbis porta citra Tiberim initium habuit via, quæ, quod Ostiam duceret, Ostiensis est dicta. In qua ad XII. lapidem diverticulo milliario VIII. in agro Solonio Pomonal fuisse scribit Sex. Pom. de quo agro meminit Cic. ad Att. Multa præterea dicuntur ab auctoribus fuisse extra hanc portam, quæ hac ætate sunt intra urbem, hoc est in planicie Testatii: de quorum nonnullis supra egimus. Cæterum in Janiculo a porta, quam Navalem appellatam esse diximus, via incipiens, Portuensis est dicta: quod ad Ostiensem portum mitteret. Ante Claudii vero tempora, qui hunc portum excitavit, incertum est quo nomine nuncuparetur. Via autem Aurelia a tribunali Aurelio, vel a porta ejusdem nominis initium habuit, quæ tendebat per maritima Thusciæ Pisas versus: ab Aurelio viro consulari strata & denominata. Hujus meminit Cic. in Cat. etiam Eutropius, his verbis: *Hetruriæ per Aureliam usque ad Alpes maritimas ingentes agri, sunt bique fertiles & sylvosi sunt.* In hac via haud procul ab urbe, eodem auctore, fuere horti Galbæ, Imp. ubi & ipse sepultus est. A porta tandem Fontinali initium capiebat via, quæ in Triumphalem apud ædem S. Spiritus incidebat. Præter has, viam aliam Vitelliam nuncupatam, a Janiculo ad mare usque perduxisse, Suet. auctor est.

1. Castra prætoria Tib. at quo auctore? Sed Plin. in III. *Castrum*, inquit, *prætorianum ad extrema urbis Romæ ædificia fuisse collocata.*

LECTORI.

Quanquam alias in priori hujus operis editione nonnullorum, qui de ea re scripsere, opinionem multis in locis non temere reprobavi, tamen ubi nulla alia auctoritas mihi suppetebat, ibi eorum sententiam nonnunquam sum secutus, existimans eos viros doctos fuisse, & ætatis beneficio multa, quæ me præteriissent, observare facile potuisse. Verum cum postea diligentiori studio ac cura in veterum scriptorum lectione diu multumque versatus animadvertissem illos in iis, quibus minime credebam, sæpe hallucinatos, meque, dum plus quam debueram, illis tribuo, in aliquos errores induxisse, totum opus percurrere atque emendare decrevi. In qua quidem re cum Ludovicus Lucæna, & Horatius Nucleus Interamnas, viri multi studii & judicii, bonarumque disciplinarum oppido quam periti, plurimum mihi contulissent, novam hanc editionem in lucem emittere constitui: in qua prioris errata sustulimus, compluraque præterea memoratu digna addidimus, nihilque nisi certo auctore, vel saltem probabili conjectura affirmavimus. Varias insuper pro temporum varietate, nec non quorundam ædificiorum ac simulacrorum insignium figuras, suis locis opportune insertas, apposuimus. Quarum nonnullas in lucem editas, ab iis præsertim qui architecti nomen sibi vendicant, non ignorabam: tamen quia negligenter & perperam ab eis factum id esse deprehendi, ad communem studiosorum omnium utilitatem pertinere existimavi, si eas emendate graphiceque descriptas huic operi insererem. Id quam accurate fecerimus, quamque hæc superiori nostræ editioni, aliorumque de hac re præstet scriptis, facile cognosces, si hæc cum illis conferre non gravaberis. Vale.

FINIS.

IMP. CÆSARI
FERDINANDO AUSTRIO,
PIO, FELICI,
PERPETUO AUGUSTO
ONUPHRIUS PANVINIUS
VERONENSIS FRATER
EREMITA AUGUSTINIANUS
S. P. D.

UID cauſæ ſit, Ferdinande Auguſte, cur ut quæque ars maxima maximeque laudanda ſit, ita maximo ſui ſtudio omnium hominum mentes inflammet, & jure quæri, & quæſitum haud difficile a nobis inveniri fortaſſe poterit. Etenim quum non ſolum in iis rebus, quæ a natura procreatæ, ſed etiam in his, quæ ab hominibus geſtæ ſunt, veritatem ipſam exquirere difficile ſit, difficillimum autem quidque conſtantiſſimo omnium hominum teſtimonio glorioſiſſimum habeatur, quid eſt, quod miremur ad honeſtiſſimas artes hujus laudis cupiditate plurimos quotidie homines incitari? Adde quod quum in his diſciplinis tantum ad dignitatem præſidii conſtitutum eſſe illi intelligant, non mediocre in iiſdem ad utilitatem etiam poſitum eſſe momentum, quod ea vix ab honeſtate ſejungi poſſit, exiſtimant. Quæ igitur ſtudia incredibilis ſpes gloriæ, ac non minima commodorum expectatio excitavit, ea deinde æmulatio, ac quædam etiam principatus cupido confirmavit. Siquidem hoc homini a natura tributum eſt, ut quocunque in ſtudio elaborarit, is in eo, modo libero atque ingenuo animo ſit, ſe longe antecellere ceteris velit. Itaque non modo in his præclaris doctrinæ ſtudiis nobis primas ingenii cupidiſſime vindicamus, ſed in rebus etiam bellicis periculorum quoque nobis, ſi ita res tulerit, principatum depoſcimus. Atque hæc una res hoc tempore bonarum litterarum ſtudia, quum jam pridem afflicta erexit, tum etiam erecta corroboravit: quum multi interea ſeſe ad ea celebranda, rerum omnium quæ majores ſuos oppreſſerat expulſa barbarie, convertiſſent, atque veritatis indagandæ ſtudio novas ipſi ſemper aliquas inferre ſententias ſtuduiſſent, alienas vero, ut res poſtulabat ipſa, repudiaſſent. Quam ob rem eorum ingenio quantum ad antiquam litterarum gloriam progreſſus factus ſit, nemo eſt tam ignarus rerum, qui non facile etiam me tacente perſpiciat. Hoc in aliis diſciplinis noſtra aut patrum memoria factum, ut ab excellentibus ingenio viris, qui ejuſmodi ſtudia coluerunt, multæ incognitæ artes inventæ, multæ ex antiquitatis tenebris erutæ, atque in lucem productæ ſint, modo autem in antiquitatis Romanæ ſtudio fieri cœptum videmus. Quod quidem ad illuſtrandum quam multi præclaro ingenio præ-

diti viri his decem annis se contulerint, quantum eorum industria sublevarint, difficile dictu est. Horum igitur & ego præclaro exemplo adductus, non gloriæ, cui quidem in tanta singularium virorum copia vix locum esse posse videbam, incensus studio, sed incredibili rerum Romanarum, quibus ab ineunte adolescentia deditus fui, cupiditate quadam inflammatus, ad hujus me excellentis liberalisque doctrinæ studium applicui. Itaque quum in magistratuum & triumphorum Romanorum Fastis digerendis summopere aliquot annis ante laborarem, ad eum laborem hunc quoque mihi non inutilem, ut sperabam, adjungendum esse existimavi, in quo brevem reipub. Romanæ, a multis quidem tractatæ, non tamen ita ab omnibus explicatæ, descriptionem, tribus libris comprehenderem. Uno enim labore, & res præclare gestas, & earundem auctores colligebam. Fastis publicatis, nunc quo ab antiquitatis studiosis majorem gratiam ineam, hos ipsos tres libros, quos etiam eodem fere tempore explevi, in lucem edere constitui, quorum primo priscæ urbis imaginem, id est, vetusta ædificia, sum complexus, urbisque originem, situm, pomœrium, portas, vias, montes, & postremo regiones brevissime digessi: altero civitatis rationem, id est, populi Romani publica tam sacra quam profana instituta collegi: tertio imperium ipsum extra urbem universum explicui. Me autem ut hoc facerem illa res præcipue adduxit, quod Romanam antiquitatem, quam merito omnes gentes tantopere admiratæ sunt, me sublevaturum esse maxime arbitrabar, quum nihil ex his quæ alii scripserunt prætermitterem, multa ab aliis præterita adderem, & non pauca, quæ hi prave aut obscure scripserunt, emendatius atque apertius traderem. Libro constituto, quum diu cogitassem, sub cujus præcipue nuncupatione eum in lucem ederem, dubiusque aliquando fuissem, in eam postremo deveni sententiam, ut unius potissimum mihi nomen deligerem, quod diutissime & vivere & florere posse mihi persuaderem, cujus beneficio liber ipse ornamentum, splendorem, &, si fieri posset, æternitatem consequi valeret. In quibus mihi cogitationibus versanti Majestatem tuam hujus potissimum operis patronum deligendam esse existimavi. Quod cur facerem multas omnino causas habui: quarum præcipua, quod imperii Romani breviarium non nisi Imperatori Romano dicari oportere duxi. Lux enim quædam orbi terrarum affulsisse visa est, quum percrebuit Majestatem tuam in pientissimi omniumque sæculorum memoria digni fratris tui Caroli Augusti abdicantis locum, summa omnium voluntate, incredibilique plausu, ad supremum imperii fastigium evectam esse. Quo exoptatissimo nuntio orbis terrarum recreari visus est, cui humanitas, beneficentia, animi magnitudo, justitia, religio, & excellentes in omni genere virtutes tuæ cognitæ sunt & perspectæ, qui litteris omni tempore a tua Majestate cultis præmia amplissima futura esse confideret. Tibi enim summam juvandi humanum genus voluntatem & maximam cum voluntate Deus tribuit facultatem. Quare quum nihil exoptatius mihi contingere potuisset, existimavi me neminem convenientius deligere posse, quam Majestatem tuam, cui mea hæc ingenii monumenta nuncuparem. Considerabam enim eum librum, qui veteris illius omniumque maximi Romani imperii gesta contineret, nulli præterea magis convenire potuisse, quam ei qui eidem imperio Dei voluntate præfectus esset. Qui hoc præsertim tempore ad supremæ istius dignitatis apicem evectæ tanquam gratulatum adveniret. Cujus lectioni si quandoque a gravissimis tanti imperii curis animus paulisper avocatus

vacare poterit, minime vereor, quin Majeſtas tua, quam veterum monumentorum ſtudioſiſſimam eſſe ab Antonio Auguſtino & Martino Guſmano viris ſanctiſſimis iiſdemque eruditiſſimis accepi, voluptatem aliquam non percipiet, quum in iis multa vetuſtæ purioris illius ſanctioriſque antiquitatis arcana evulgaverim & in lucem produxerim. Quare Majeſtatem tuam ſupplex oro, ut meum hoc audacius fortaſſe erga illam ſtudium in optimam partem accipiat, & benigno auguſti numinis tui nutu laborem hunc meum comprobet: ſic enim me & maximum ex hac mea induſtria ſtudium tuliſſe putabo, & ad majores etiam res, quas jam dudum in manibus habeo perficiendas, vehementius incitabor. Venetiis Kal. Auguſti, MDLVIII.

IN LIBRUM PRIMUM
PRÆFATIO.


ULTOS tam noſtra, & avorum, quam priſca ætate fuiſſe conſtat, qui urbis Romæ ſitum, ædificia, & imaginem litteris prodiderunt. Quorum ſcripta quum ego partim vetuſtate vel conſumpta vel deformata, partim non omnino perfecta nec ſatis diligenter confecta animadvertiſſem, in eam opinionem veni, ut hæc ipſa majorem lucem deſiderare exiſtimarem. Quam his rebus hoc brevi commentario me afferre poſſe non diffidebam. Cujus antequam rationem reddam, omnes & veteres & recentiores ſcriptores enumerabo, quos integræ urbis vel ejuſdem partium deſcriptionem litteris perſequutos fuiſſe didicerim. Vetuſtiſſimus igitur omnium eſt M. Varro, qui de tribubus, de ædibus ſacris, de ludis theatralibus & ſcenicis libros, qui interciderunt, ſcripſit. Nervæ imperatoris tempore de aquæductibus Romanis duos libros dedit Sex. Julius Frontinus V. C. *& ab eodem Auguſto aquarum curator creatus. Extat Ariſtidis Smyrnæi rhetoris, qui ſub Hadriano Auguſto vixit, de Romæ laudibus oratio ſatis jejuna. Atque hi carptim potius, quam in univerſum, tantam rem tractarunt, quum urbs florens & integra æternum eo ſtatu manſura exiſtimaretur. Verum quum & lapides, & metalla, quæ omnium duriſſima ſunt, quæque vix hominum vis frangere poteſt (his enim præcipue urbis ornamenta conſtabant) conſumi & confici a vetuſtate, & quicquid ex partibus aliquando coiit & concretum eſt, id eaſdem in partes aliquando dilabi ac diſſipari neceſſe eſſe, veteres illi animadvertiſſent; ſub Valentiniani majoris imperio, in quo urbs hominum ejus ſæculi fatali ignavia & negligentia priſtinum ſplendorem amittere cœperat, fuere qui ex inſtituto accuratam ejus deſcriptionem vicatim propemodum facerent, ut quod tempus conſumebat, ipſi litteris renovarent, quales fuerunt Sex. Rufus & P. Victor; quorum monumenta tenebris vetuſtatis eruta in hoc libro extremo ſuggeram. Qui quanam ratione hoc argumentum tractarint, infra demonſtrabo. Poſt eos neminem longiſſimo temporum intervallo fuiſſe cognovi, qui de urbe eodem vel diverſo exemplo quid litteris traderet, quum non ſolum antiquitatis ſtudium, ſed omnes artes liberales, optimaſque ſcientias, quas nuſquam magis quam in Italia honor aluerat atque auxerat, ea ætas afflixerit; qua Romani imperatores, præcipua imperii ſede Byzantium translata, Italiam barbaris nationibus diripiendam ac devaſtandam reliquerunt. Quo tempore urbs non antiquum ſolum decus, ſed etiam imperium ipſum prorſus amiſit. Quod feliciſſimis auſpiciis ortum, lætiſſimis rerum ſucceſſibus auctum, viris clariſſimis & fortiſſimis inſtructum, quorum conſiliis & virtute ad ampliſſimum in terris faſtigium evectum fuit, legibus & inſtitutis publicis privatiſque deumque ſumma pietate celeberrimum, concidit tamen & omnino everſum eſt, & ut quemad-*

modum id de toto terrarum orbe triumphos retulerat, sic nulla fere hodie in terris gens agat, aut egerit, quæ non aut avitas injurias, aut suas illi rependerit, ut demum mortales intelligant, nihil esse inconstantius, cladibus, ruinis, mutationibusque magis obnoxium, his ipsis rebus, quas tantopere tanquam æternas miramur. Quare etiam illud factum est, ut brevissimo temporis intervallo urbs ipsa veterem splendorem & faciem, deformis ipsa, incondita, & in parietinas barbarorum immanitate & temporis edacitate disjecta, omni ex parte amiserit. Unde quum trecentis annis antea, quo tempore omnia jam obscurissima facta tenebris vetustatis oppressa erant, extitissent qui veteres illius ruinas litteris illustrare voluissent, quæ tum agnitionem sui omni ex parte perdiderant, in aniles fabulas & meras nugas inciderunt. Ceterum centesimo post eos anno, Franciscus Petrarcha paulo certe meliori fato in epistolis suis urbis ruinas deploravit potius, quam descripsit: acris enim vehementisque ingenii vir rei difficultatem, primo statim in limine hærens, cognovit; quare mirari cœpit, quæ se ignorare intelligebat. Non longo tempore post, quum Latinæ Græcæque linguæ purior synceriorque usus, quem perpetuæ multorum annorum tenebræ, quasi nox quædam, obscuraverant prorsus atque extinxerant, artesque ingenuæ jacentes, barbarie pulsa, renovari & recreari cœpissent, antiquitatis quoque studium paulatim excitatum est. Quare centesimo & vicesimo anno ante, primus omnium ex recentioribus, Blondus Flavius descriptionem urbis ex instituto facere aggressus est. Qua in re id omnino fecit, quod in tanta rerum obscuritate præstare potuit is, qui primus eam provinciam suscepisset. Ut enim nullam artem eodem tempore & inventam simul esse & absolutam constat, nam omnes humili tenuique ab initio profectæ, paulatim quasi per gradus ascendentes, ad id quod summum videtur esse perveniunt; ita hoc & in litteris accidit, maximeque quibusdam in rebus, quæ ejusmodi sunt, ut semel atque iterum descriptæ & auctæ locupletari tamen atque ornari deinde possint. Quo ex genere antiquitatis studium est, quod a Blondo excitatum tenue a principio & obscurum, nunc multorum doctorum hominum labore, studio, atque industria longe clarissimum factum est. Post Blondum Julius Pomponius Lætus, Joannes Tortellius, Carolus Poggius, eodem fere tempore; & iis posteriores Raphael Volaterranus, Fabricius Varanus, & Franciscus Albertinus ad hoc idem studium animos suos contulerunt. Deinde patrum memoria, Andreas Fulvius multis libris carmine & soluta oratione urbem celebravit. Post hos Bartholomæus Marlianus a superiorum vestigiis non discedens, & ipse nostra ætate urbis topographiam accurate scripsit. Novissime Benedictus Ægius & Pyrrhus Ligorius antiquitatum omnium peritissimi urbis ruinas explicandas & illustrandas susceperunt. Hi, quamquam adhuc integra ingenii sui monumenta nondum publicarint, quantum tamen ex diuturna eorundem familiaritate cognovi, omnes qui hactenus hoc argumentum tractarunt, longe post se reliquisse mihi visi sunt. Accuratiore enim diligentia antiquitatem omnem reconditam investigarunt, & inventam indicarunt, veterumque antiquariorum infinitos pene errores diligenter prudenterque animadverterunt. A quibus ego multa me didicisse fateor eorum quæ primo hoc libro digessi. In quo urbis originem, originis tempus, pomœrium, vias, portas, colles, & regiones nova quadam scribendi ratione descripsi; atque hoc tempore in communem antiquitatis studiosorum gratiam publicavi. Post quem haud multo post commentarium ipsum edam, quem in XIV. urbis regiones a me descriptas feci; in quo singulatim omnia examinabo, atque cur singula ita concinnaverim rationes, citatis veterum scriptorum testimoniis, reddam. Interim, amice lector, hunc laborem boni consule, & æquo animo, dum longe præstantiora adornem, his fruere.

ONU-

ONUPHRII PANVINII ANTIQUÆ URBIS IMAGO.

ONUPHRII PANVINII VERONENSIS, FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI, ANTIQUÆ URBIS IMAGO.

De iis, qui loca, ubi Roma nunc est, ante urbem conditam coluerunt.



PRIMOS omnium Siculos barbaros, gentem indigenam, Latium, & ea, in quibus post urbs condita fuit, loca tenuisse, memoriæ proditum est. Quæ ante culta an inculta fuerint, incompertum. Eorum deinde partem primo, postea omnia, Siculis longo bello victis, atque demum in insulam Trinacriam, quæ & Sicania dicebatur, exactis, (a quibus postea Sicilia appellata fuit) occuparunt Aborigines. Qui quum prius vicatim & sine mœnibus passim in montibus habitarent, atque a finitimis nationibus vexari cœpissent, complura oppida munierunt; omniaque, longo tamen temporis intervallo, tandem obtinuerunt loca, quæ in occidua Italiæ parte, Apennino, mari Tyrrheno, Lyri, atque Tiberi amnibus clauduntur, semper Aborigines vocati, usque ad belli Trojani tempora, quibus a Latino eorum rege, cum plerisque aliis gentibus, quas in patrii soli communionem acceperant, omnes Latini vocitari cœpti. Horum reges fuisse Janum, Saturnum e Creta insula profugum, Picum, Faunum, & Latinum, quos posteri tanquam deos coluerunt, fama est. Aborigines autem, alii indigenas Italiæ, & ideo quasi sine origine; alii errones, & sine certis sedibus vagos, quasi *aberrigines*; alii Ligurum Umbris confinium colonos (Ligures autem an Itali, an Galli fuerint, incertum;) alii & Romanorum doctissimi, ut M. Porcius Cato, & C. Sempronius, qui de conditoribus Italicarum urbium scripsere, Græcos eos fuisse affirmant; qui multis ante Trojanum bellum ætatibus, quas Dionysius XVII. fuisse ex Antiocho Syracusano scriptum reliquit, hoc est, annis CCCCLIX. (septem enim & viginti annos in singulas ætates conjicere solet) in Italiam, classe Ionio mari trajecto, venerunt.

Dionysius vero Halicarnasseus, vetustissimorum scriptorum auctoritate ductus, eos primo Arcadas fuisse refert, qui Oenotro & Peucetio fratribus, Lycaonis Arcadum regis filiis, ex genere Phoronei, ducibus ex Arcadia in Italiam commigrarunt, quum agri paterni portio, quæ illis contigerat, non sufficeret. Nam quum Lycaoni duo & viginti filii fuissent, in totidem quoque partes dividere paternum imperium oportebat. Ex iis autem Peucetius eam Apuliæ partem occupavit, quæ Japygia dicebatur, a quo etiam ii populi Peucetii dicti. Oenotrus autem occidentalem Italiæ partem invasit, quæ a barbaris Siculis tenebatur, & nunc Latium dicitur, A quæ mari Ausonio vel Tyrrheno alluitur, quam iis pulsis obtinuit, atque Oenotriam de suo nomine appellavit. Hinc Virgilius libro Æneidos III. ita scripsit:

Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Oenotrii coluere viri, nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

Porro inter Oenotri regis successores fuerunt Italus, Morges, & Siculus, a quibus Oenotrii ipsi, aliquando Itali, Morgetes, & Siculi appellati sunt. Oenotrii itaque, qui a Græcis Aborigines dicebantur, primi omnium fuerunt, qui ex peregrina gente B Latium tenuere, a montanis sedibus, ut Arcadibus mos fuit, Aborigines dicti; neque enim antiquiorem hac ipsa classem ex Græcia, vel alibi in hanc occiduam Italiæ partem advenisse, adhuc compertum est. Horum multæ magnæque urbes fuerunt, in agris Siculorum ab eis captis conditæ, vel restitutæ; inter quas præcipuæ erant Lista metropolis, Palantium, Trebula, Vesbula, Sune, Mephyla, Orvinium, Corsula, Issa, Maruvium, Vatia, Tiora, Cutylia, Antemnæ, Tellenæ, Ficulnea, Corniculum, Tibur, & aliæ multæ, quarum nostro tempore vix nomina supersunt.

Aliquot post Oenotrios ætatibus, annis circiter C. ante bellum Trojanum, Pelasgi ex Thessalia in C Italiam venientes, Oenotriis adjuncti, jureque cognationis suscepti, Aborigines omnes dicti sunt. Qui una Siculos Umbrosque bello petentes, Siculos quidem patriis sedibus omnino ejecerunt: Umbros vero magna agri parte mulctarunt. Porro autem Pelasgi ex Peloponneso & Argis oriundi, a Pelasgo Jovis & Niobes filio eorum rege nomen acceperunt, qui ob multitudinem relicto patrio solo ad novas quærendas sedes in Æmoniam, quæ & Thessalia dicebatur, commigrarunt, Achæo, Phthio, & Pelasgo, Larissæ & Neptuni filiis, peregrinationis ducibus. Quam barbaris pulsis per annos plus minus XL. summa cum felicitate tenue-D runt. Sexta vero ætate post, a Curetibus & Lelegibus, qui Ætoli postea & Locri dicti sunt, duce Deucalione pulsi, quum per diversas orbis partes divisi sine certis sedibus errarent, eorum major pars ad Dodonæos primo, mox in Italiam ad Padi ostia, postremo iis relictis ad Oenotrios se contulerunt, bello tunc cum vicinis Siculis laborantes, quibus (ut dixi) adjuncti Siculos Italiæ indigenas bello diuturno fessos, tandem octuagesimo anno ante res Trojanas avitis sedibus ejecerunt, communique Aboriginum nomine cum Oenotriis per aliquod tempus permansere, multaque in Umbrorum & Siculorum exactorum regionibus nova oppida condiderunt, vel diruta restituere. Inter quæ præcipua fuerunt Agylla, Pisa, Saturnia,

Alsium, Phalerium, Cortona, Fescennium, Larissa, & alia complura. Verum non longe post eorum in Italiam adventum, anno plus minus L. ante bellum Trojanum, Pelasgorum genus ob oracula neglecta multis magnisque calamitatibus oppressum ad nihilum fere redactum est, eorumque urbes pene habitatoribus destitutæ a Tyrrhenis postea occupatæ. Hinc accidit, ut sæpius Pelasgorum & Tyrrhenorum nomina apud veteres scriptores indistincte accepta sint.

Sexaginta deinde annis ante bellum Iliacum, Fauno in Aboriginibus regnante, Græcorum tertia duarum navium classis, domesticis seditionibus intestinisque discordiis pulsa, ex urbe Arcadiæ Palantio, duce Evandro Mercurii & Themidis Nymphæ (quæ & Carmenta dicebatur) filio, in Italiam ad novas sedes quærendas venit; qui a rege Aboriginum Fauno jure cognationis benigne & hilariter suscepti, locoque & agris, ubi nunc Roma est, eis assignatis, Palatinum montem prope Tiberim, condito parvo oppido, hortatu Carmentæ, munierunt, Palantium ab urbe, ex qua oriundi fuerant, appellantes; quod postea corrupta voce Palatium nominatum est.

Paulo post Arcadas, quarta Græcorum classis in hanc Italiæ partem venit, Hercule duce, qui Hispania domita revertebatur in patriam; quorum major pars aut senio aut longo labore confecta, aut ob alias caussas, missione impetrata, ibidem remansit; quæ, Capitolino colle (is tunc Saturnius dicebatur) munito, ibidem sedes, parvo oppido condito, posuit. Hos autem Peloponnesiacos, Phæneatas, Epæosque, qui ex Elide egressi sunt, fuisse constat; quibus nullum erat amplius desiderium reditus ad proprios lares, eorum patria jam pridem ab Hercule bello excisa. iis quoque admixti erant plerique Trojani, qui sub Laomedonte captivi bello Iliaco priore ab eodem Hercule facti fuerant. Hi aliquandiu rem suam separatim administrarunt. Ceterum non multo post, victum, leges, ac sacra cum Aboriginibus communicantes, perinde ac Arcades & prius Pelasgi fecerant, uno nomine Aborigines omnes appellati, ejusdem facti sunt participes civitatis.

Post Herculis vero digressum, secunda ætate, anno circiter quinto & quinquagesimo, Latini vero Fauni filii Aboriginum regis regni trigesimo quinto, Trojani exciso a Græcis Ilio, Ænea Veneris & Anchisæ filio duce, quinto loco in hanc eandem Italiæ partem post multos errores fato venerunt. Qui quum statim vi & armis ab Aboriginibus arcerentur, & Æneas propterea exercitum in aciem eduxisset, antequam committeretur prælium, ad colloquium a Latino rege fuit evocatus. Qui verbis & corporis præsentia tantam sui admirationem regi Latino præbuit, ut in societatem imperii receptus, Laviniaque filia ei in matrimonium collocata, gener adscitus sit. Post hæc haud procul a Tiberis ostiis in littore maris Tyrrheni Laurentino accepto a rege Latino agro, urbem in colle quodam condidit, quam de uxoris nomine Lavinium appellavit. Hinc Aborigines Trojanique ipsi mixti, antiquam mutantes appellationem, Latini omnes a rege eorum Latino deinceps nominati sunt. Qui postea Lavinio migrantes, Albam condiderunt longam, Latini regni per longa tempora sedem. Ex qua hi orti sunt, qui multas alias urbes, quæ priscorum Latinorum dictæ sunt, extruxerunt. Qui postremo quadringentis & triginta duobus annis post Ilium captum, colonis in Palantium & Saturniam missis, ubi Arcades & Peloponnesiaci primi sedem posuerant, multique adhuc eorum generis supererant, circumdato muris Palantio, ita ut tunc primo urbis formam acceperit, urbem condiderunt, quam Romam ab eorum duce & coloniæ deductore Romulo appellarunt; Romulus autem ab Ænea originem XVII. loco natus ducebat.

Variæ veterum scriptorum de urbis primis conditoribus sententiæ.

QUUM multæ variæque sint veterum historicorum sententiæ, a quibus, & a quo tempore urbs ipsa condita sit, & cur Roma appellata, quum multi ante ipsum Romulum eam ædificatam fuisse scribant, nunc rei ipsius ordo institutique mei ratio postulare videntur, ut omnium quas viderim vetustissimorum auctorum de his qui urbem condiderunt sententias diligentissime collectas afferam, & postea eam, quæ communi omnium gentium, populi Romani, & majoris scriptorum partis consensu tanquam verior accepta est, demonstrem. Quæ res historiarum Romanarum studiosis & utilis & jucunda erit.

Romam igitur (ut a remotissimis incipiam) Antigonus, Italicæ historiæ pervetustus scriptor, in Palatio conditam fuisse a quodam Romo Jovis filio scripsit, quem etiam urbi Romæ a se dedisse nomen refert.

Is qui historiam Cumanam composuit, cujus nomen intercidit, aliique tradunt, Pelasgorum complures, Sicyone Thespiaque Græcis civitatibus ob domiciliorum inopiam profectos, terrarum orbem longo errore pervagasse, plurimisque bello domitis nationibus eam tandem Italiæ partem tenuisse, ubi nunc Roma est, eosque a multo errore nominatos Aborigines. Hi in monte, cui nunc Palatium nomen est, quo frequentissimi convenerant, urbe condita eam ob pugnandi robur Romin appellarunt: a juventute vero Latina Valentia a viribus gentis appellata est. Quod nomen adventu Evandri & Æneæ in Italiam cum magna Græce loquentium copia interpretatum est, servataque significatione impositi prius nominis, Roma iterum pro Valentia dici cœpta est.

Aristoteles Stagirita philosophus, Heraclides cognomine Lembus, & plerique alii afferunt, Troja capta a Græcis, quosdam ex Achivis Ilio discedentes classem nactos, & circum Malea navigantes hyberno tempore actos ventorum vi tempestatibusque multis, diu in mari pererrasse, atque ad extremum in eum locum Etruriæ pervenisse, cui tunc Opice nomen erat, Tyrrheno mari adjacentem, deinde per Tiberim vectos in ea loca, ubi nunc Roma est, consedisse, ibique extractis ex amne navibus aliquantulum mansisse, paratos quidem ineunte vere cursum persequi, verum ab eorum mulieribus jam longam pertæsis navigationem, & a mari abhorrentibus, suadente nobilissima & prudentissima captivarum Roma, quæ iis comes erat, servitutemque si Achivi in patriam reverterentur timente, noctu classem incensam esse. Quod factum viris mœstitiam primo attulisse, deinde necessitate coactos circa Palatium positis sedibus struxisse mœnia; & oppidum ab ejus potissimum nomine appellasse, quæ ejus rei auctor fuisset, cujusque consilio eas sibi firmassent sedes.

Xenagoras autem historicus antiquus, Ulixis (ait) & Circes fuisse tres filios, Romum sive Romanum, Antium, & Ardeam, qui quum tres urbes ædificassent, ipsis a se nomina indiderunt.

C. Salustius Crispus in principio Catilinarii, *Urbem*, inquit, *Romam, sicut ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui Ænea duce profugi incertis sedibus vagabantur, cumque iis Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Hi postquam in una mœnia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu est, quam facile coaluerint. &c.*

Damaftes Sigæus, aliique nonnulli, Æneam dicunt Troja capta in Epeirum, & ex Epeiro in Italiam, poft Ulixem veniffe, ipfiufque urbis fuiffe conditorem, nomenque Romæ, ab una Ilienfium mulierum, cui Romæ nomen erat, indidiffe.

Agathocles Siculus, Cyzicenarum rerum auctor, vaticinio Heleni Priami filii impulfum Æneam ait, eumque Italiam terram cum nepte Roma Afcanii filia petiiffe. Qua ut Phryges funt potiti, & iis præfertim regionibus, quæ nunc urbi finitimæ funt, Romam Afcanii filiam, Æneæ neptem, primam omnium confecraffe in Palatio Fidei templum, in quo monte poftea condita urbs, Roma ab ea, quæ Fidei templum ibidem dedicaffet, appellata eft.

B Cephalo Gergithius fcriptor vetuftiffimus in libro, quem de Æneæ adventu in Italiam confcripfit, fecunda poft Trojanum excidium ætate Romam conditam fuiffe refert ab iis, qui Ilio everfo cum Ænea in Italiam profecti funt, ejufque conditorem & coloniæ ducem afferit Romum quendam, Æneæ filium. Quatuor enim Æneam filios habuiffe fcribit, Afcanium, Euryleontem, Romulum, & Remum ipfum, qui occupato monte, qui nunc Palatium dicitur, urbem condidit, quam a nomine fuo Romam appellavit. Sex. tamen Pompejus Cephalonis fententiam referens, Romam non ab Æneæ filio, fed comite exftructam fcribit.

C Apollodorus in Euxenide ait, Ænea & Lavinia Latini filia natos Maylen, Mullum, Romumque, atque ab Romo urbi tractum nomen.

Alii Romam dicunt Telepho, Herculis filio, genitam, Æneæque nupfiffe, & filium genuiffe, qui urbem a fe ædificatam a matris nomine Romam nominavit. Callias vero, qui res geftas Agathoclis confcripfit, arbitratur, e manu Trojanorum Ilio capto fugientium, quandam fœminam nomine Romam fuiffe, eamque, quum in Italiam veniffet, Latino Aboriginum regi nupfiffe, duofque ex ea natos filios Romulum & Romum, qui condentes urbem, ipfam a matris nomine Romam vocitarunt.

D Galathas fcribit, mortuo Ænea, quum regno Italiæ Latinus Telemachi Circefque filius potitus effet, ifque ex Roma uxore fufcepiffet filios Romum Romulumque, urbemque in Palatio exftruxiffet, eam ab uxoris nomine Romam appellaffe.

Sunt qui Romam dicant a Romo filio Itali & Leucatiæ five Leuctræ, Latini filiæ, conditam, atque a fe Romam nominatam.

E Dionyfius Chalcidenfis conditorem urbis Romum quendam fuiffe, Afcanii Æneæ filii, vel, ut alii volunt, Emathionis filium, a Diomede in Italiam ex Troja miffum.

Alcinius vero ex Tyrrhenia & Ænea natum filium Romulum refert, atque eo ortam Albam Æneæ neptem, cujus filius nomine Romus condidit urbem Romam.

Alii Romum Latinorum tyrannum eum, qui Tyrrhenos, quum ex Theffalia in Italiam veniffent, ejecerat, urbis auctorem fuiffe fcribunt.

Variæ veterum fcriptorum, quis Romulus urbis conditor fuerit, fententiæ:

F ALIORUM poftremo verior fententia eft & vulgatior, urbis conditorem fuiffe Romulum ipfum; fed nec illi, qui in ipfum (quod veriffimum eft, & omnium gentium populique Romani opinione firmatum) hujus nominis originem referunt, de illius genere fatis conveniunt.

Quidam etenim ipfum Æneæ filium ex Dexithæa Phorbantis filia dicunt, infantemque in Italiam tranfportatum una cum ejus fratre Remo, atque in fluvio exundanti fubmerfis aliis fcaphis, ea in qua erant pueri ad fluminis ripam depulfa, eos infperato incolumes fervatos, atque, quum adoleviffent, Romam, quod robur fignificat, condidiffe.

Alii Æneam ex Roma tres fufcepiffe filios, Afcanium, Romulum, & Anchifen. Quo mortuo, Latinorum Afcanium, Campanorum Romulum, alteriufque Italiæ partis Anchifen regna fufcepiffe, atque ab ipfo Romulo urbe in fratris imperio condita, a matris nomine ipfam appellatam fuiffe.

Alii vero dicunt Romam Romæ Trojanæ filiam, Latino Telemachi filio nuptam, Romulum edidiffe, qui urbe condita ipfam a matris nomine Romam appellavit.

Nonnulli ex Aimilia Æneæ & Laviniæ filia, a Marte compreffa, conditorem urbis Romulum genitum fcribunt.

Quidam ex filia Æneæ natos Romulum & Remum produnt, datofque Latino regi obfides eo tempore, quo Æneas in Italiam venit, Latinoque rege fine mafcula prole mortuo, ejus regni fucceffores extitiffe, urbemque extruxiffe Romam.

Promathion quidam Italicæ hiftoriæ fcriptor, & quidam alii fere fabulofa de Romuli ortu referunt. Quem cum fratre Remo Tarchetii cujufdam fæviffimi Albanorum regis ancilla & incerto patre genitum, fluvioque expofitum, atque a lupa lacte nutritum, donec a nefcio quo bubulco inventus, cum fratre Remo fervatus fit, eumque, ubi primum per ætatem licuit, Tarchetio occifo urbem ædificaffe Romam.

Non omittendum autem duxi hoc loco lectores monere, me in referendis opinionibus veterum fcriptorum, tam de conditoribus urbis, quam de ipfo Romulo, non fequutum fuiffe eum ordinem, quo ab auctoribus referuntut, fed ex antiquiffimis ad recentiora tempora, ut omnia clariora effent, paffim deveniffe.

De antiquis igitur urbis conditoribus, juxta varias veterum fcriptorum fententias, me fatis dixiffe exiftimo. Quorum opiniones quum nec refellere, quod antiquiffimæ fint, nec affirmare audeam, quum tot accuratiffimos & nobiliffimos fcriptores habeamus, qui certiora & veriora de Romulo ipfo prodidiffe videntur, ea quæ probabiliora funt, & plurium hiftoricorum teftimoniis confirmata, de iis, qui urbem condiderunt, breviter in medium afferam.

De Romulo urbis conditore.

ILIO itaque, ut ad rem (quæ certa exiftimata eft) redeam, a Græcis capto, Æneam Trojanum cum magna Phrygum manu, poft longos errores, in Italiam veniffe, eafque partes, ubi nunc Roma eft, tenuiffe, ex Dionyfii Halicarnaffei, T. Livii, Plutarchi, Eutropii, & aliorum veterum fcriptorum teftimoniis fatis conftat. Is altero poft Trojam captam anno, Lavinio urbe in Latio condita, Latinorum gentis commune cum focero Latino imperium aliquandiu tenuit. Poftea vero utrifque bellum adverfus Turnum Rutulorum regem propter fraudatas Liviniæ nuptias fuit, in quo Turnus & Latinus occubuere, Ænea tamen victoria potito. Qui foceri regnum fufcipiens, quarto imperii fui ex quo in Italiam venerat anno, tertio vero poft obitum Latini, bello adverfus Mezentium Thufcorum regem deceffit. In cujus locum Afcanius ejus & Creufæ filius, cui Julo cognomen fuiffe ferunt, fucceffit. Is Lavinio, quod regni Latini tunc fedes erat, novercæ Laviniæ relicto, XXX. ab ejus ædificatione anno jam exacto, Albam longam, quam regni caput deinceps effe voluit, condidit: obiitque anno regni XXXVIII. fuperftite filio Julo adhuc adolefcentulo, quem auctorem nominis fui Julia gens habuit. Afcanio mortuo, Po-

ſtumo Silvio fratri, Æneæ ex Lavinia filio, Latinorum imperium traditum eſt, tanquam filio mulieris, quæ regni hæres erat: a quo omnes poſtea Albani reges Silvii nominati ſunt. Is autem ideo Silvius appellatus eſt, quod eum mater Lavinia poſt Æneæ mortem, privigni Aſcanii inſidias timens, in ſilvis latitans enixa eſſet, ibique educaſſet. Hic quum undetriginta regnaſſet annos, ſucceſſorem habuit filium Æneam Silvium. Cui imperii anno XXXI. mortuo ſucceſſit filius Latinus, qui annos LI. regnavit. Poſt quem Alba ejus filius XXXIX. & hujus filius Capetus XXVI. mox Capis duodetriginta. Capetus XIII. & Tiberinus VIII. annis rerum potiti ſunt in Latio, filius ſemper patri ſuccedens. Tiberinus autem quum in amnem Albulam cecidiſſet, ei Tiberis nomen dedit. Poſt eum Agrippa XL. Romulus XIX. Aventinus XXXVII. annos regnarunt, & hic in Aventino ſepultus colli nomen ſuum reliquiſſe dicitur. Aventini filius Procas regnum annos XXIII. obtinuit. Is Numitorem atque Amulium Silvios filios procreavit. Ex quibus Numitor, quum in duas partes hæreditatem partitus fuiſſet pater Porcas, divitiaſque & aurum regno adæquaſſet, regnum Latinorum, major enim natu erat, ſortitus eſt: aurum opeſque Amulius vir vafer. Hic opibus paternis fratriſque inertia fretus, Numitore non longe poſt regno exacto, imperium invaſit, quod per annos duos & quadraginta obtinuit. Addenſque ſceleri ſcelus, ſtirpem fratris virilem interemit, ejuſque filiam per ſpeciem honoris Veſtalem legit, & perpetua virginitate ſpem partus ademit, veritus ne liberi ab alterutro eorum exorti avi injurias aliquando vindicarent. Eam autem alii Iliam, alii Rheam Silviam appellant. Quæ haud multo poſt vi compreſſa, quum geminos edidiſſet infantes, ſeu ita rata, ſeu quod auctor culpæ honeſtior erat, Martem incertæ ſtirpis patrem dixit. Verum nec deus, nec ipſi homines illam, aut filios a regia crudelitate vendicarunt; ipſa enim ſecundum aliquos juxta legem viva defoſſa, vel ut aliis placet, perpetuo carceri condemnata, & filii in profluentem mitti juſſi. Dionyſius autem ita ait: *Quum Ilia Veſtalis virgo ad Martis lucum iſſet, aquæ puræ hauriendæ gratia in templo compreſſa eſt. Sunt qui putent ab aliquo ex procis; nec deſunt qui dicant ab Amulio ipſo patruo armato, qui quum amore ejus captus eſſet, Martis ſpecie armatus & incognitus cum ea rem habuit. Alii a genio loci, alii vero a ſacerdote aliquo ſeu pontifice eam compreſſam aſſerunt.* Ego vero Romulum ipſum militis cujuſpiam filium fuiſſe credo, & quia milites ſub Marte eſſe exiſtimantur, idcirco Romuli pater Mars dictus eſt. Ceterum quiſquis ille fuerit, certum eſt ipſam virginitatis amiſſæ pœnas dediſſe, filioſque in amnem mergi juſſos. Quos prope Tiberis ripam expoſitos regiorum armentorum paſtor Fauſtulus invenit, atque ad uxorem ſuam Accam Laurentiam nutriendos detulit. Hanc vulgato corpore inter paſtores lupam vocatam ſcribunt Lactantius, Eutropius, & D. Auguſtinus, quam nos meretricem appellaremus, unde & noſtro quoque ſeculo ſcortorum cellulæ lupanaria nuncupantur, unde fabulæ de lupa Romuli & Remi nutrice initium ortum creditur. Hæc ut breviſſime, ita elegantiſſime tertio Faſtorum iis verſibus explicat Ovidius:

Silvia fit mater, Veſtæ ſimulachra feruntur
Virgineis oculis oppoſuiſſe manus.
Ara deæ certe tremuit pariente miniſtra,
Et ſubiit cineres territa flamma ſuos.
Hoc ubi cognovit contemptor Amulius æqui,
Nam raptas fratri victor habebat opes.
Amne jubet mergi geminos, ſcelus unda refugit,
In ſicca pueri deſtituuntur humo.
Lacte quis infantes neſcit creviſſe ferino?
Et picum expoſitis ſæpe tuliſſe cibos?

Hi autem pueri Romulus & Remus, ut quidam ſcribunt, ideo appellati ſunt, quod lupæ mamma nutriti ſint, quam *rumen* antiqui dicebant, Græce quoque *ruma* dicitur, a qua Romum primum, deinde blandiendi cauſſa Romulum dictum, quod parvulus & lactens, uberibuſque lupinis inhians, cum fratre ſit inventus. Alii a romula arbore, id eſt ficu, ſub qua quum expoſiti fuiſſent, inventi ſunt cum lupa præbente infantibus rumen, id eſt uberem, quæ arbor ideo ruminalis dicta eſt, vel quod æſtate ſub ea pecora frigora captantia, herbaſque vellentia ruminabant, vel a rumine id eſt mamma, quod ſub ea pueri Romulus & Remus lupæ rumina ſugebant, unde Ovidius II. Faſtorum:

Arbor erat, remanent veſtigia, quæque vocatur
Romula, nunc ficus, rumina ficus erat.

Adulti autem inter paſtores, ob quotidiana certamina, vires & pernicitatem auxere. Igitur quum latrones a rapina pecorum vi arcerent, Remus ex improviſo ab eis captus, regi Amulio offertur, criminique ei datum, quod greges Numitoris infeſtare ſolitus eſſet. Tunc a rege in ultionem Numitori traditur puniendus, qui robore & regia juvenis adoleſcentia permotus, in ſuſpicionem expoſiti nepotis adducitur; & quum eum nunc lineamentorum filiæ ſimilitudo, nunc expoſiti tempus anxium teneret, Fauſtulus cum Romulo ſupervenit, a quo cognita juvenum origine, validaque inter ipſos conjuratione facta, Amulium obtruncant. Quo occiſo & in regnum reſtituto Numitore, ſequenti ejus recuperati regni anno, poſt Trojam captam CDXXXII. Romulum Remumque cupido cepit, in iis locis, ubi expoſiti & educati fuerant, urbem condere, maxima vicinorum Albanorum, Græcorum, paſtorum, & latronum multitudine ad eos in dies confluente. Quod ubi ex ſententia ceſſiſſet, ne aliqua de principatu inter fratres contentio ſuboriretur, jurejurando conveniunt, ut is urbi præeſſet, eique nomen imponeret, cui in augurio plures aves apparuiſſent, ſex prius viſæ Remo in Aventino auguranti vultures, ſed paulo poſt XII. apparuere Romulo in Palatino auguria captanti; quum utraque multitudo augurium ex ſua parte traheret, utraque regem ſuum conſultavit; tempore illi præcepti augurii, hi vero numero avium majore regnum trahentes. Tunc poſt altercationem ad fœdum (ut ſolet) certamen verſi, ibi in turba ictus Remus concidit. Licet vulgatior fama ſit, Remum ideo extinctum, quod novos contra fratris edictum tranſilire muros auſus fuiſſet. Quare ſolus imperio potitus Romulus; conditaque urbs conditoris ſuperſtitis nomine appellata eſt, a qua & Romanis nomen quoque inditum. Romam autem & non Romulam idcirco urbem Romulus nominavit, ut ampliore vocabuli ſignificatu proſperiora patriæ ſuæ ominaretur. *Alterum quoque urbs nomen proprium habuit*, ut Plinius & Solinus ſcripſerunt, *quod publicari vetitum eſt: quando quidem quo minus id enuntiaretur, cærimoniarum arcana ſanxerunt; ut hoc pacto notitiam ejus aboleret fides placitæ taciturnitatis. Valerium denique Soranum, quod optima atque ſalutari fide abolitum, atque contra interdictum vulgare id auſus foret, ob meritum profanæ vocis pœnas luiſſe. Inter antiquiſſimas ſane religiones ſacellum colitur divæ Angeronæ, ob hoc maxime ſilentium inſtitutum, cui ſacrificatur in Curia ante diem* XII. *Kal. Januarii. Hæc eſt diva præſul ſilentii, quæ ſimulachrum ore obligato obſignatoque habet.* Hos igitur gemellos ita genitos, hac ratione educatos, urbem Romam condidiſſe, Dioclis Piparetii, qui primus litteris Græcis urbis originem expoſuit, L. Cincii, Q. Fabii Pictoris, Eratoſthenis, Polybii Megalopolitani, M. Catonis, Q. Lutatii Catu-

li, Cornelii Nepotis, L. Taruntii Firmani, M. Varronis, Pomponii Attici, M. Tullii, Dionysii Halicarnassei, T. Livii, C. Solini, Plutarchi, Sex. Pompeii, Eutropii, & aliorum veterum gravissimorum scriptorum testimoniis satis confirmatum esse existimo.

De anno & die quo urbs condita est.

SICUT variæ sunt veterum scriptorum de iis qui urbem condiderunt, & de Romulo ipso sententiæ, ita etiam diversæ sunt opiniones de anno in quo condita fuerit. Quas quum juxta instituti mei rationem omnes prius enumeravero, postea eam, quæ mihi vera, vel vere proximior videbitur, accurate breviterque exponam.

Timæus Siculus, ut ab iis qui communi aliorum sententia remotius eam conditam fuisse scripserunt, incipiam, nescio qua ductus ratione urbem ipsam a Romulo ædificatam retulit, eodem fere tempore quo a Tyriis Carthago in Africa, octavo & trigesimo ante primam olympiadem anno.

L. Cincius vir senatorius, anno quarto duodecimæ olympiadis.

Q. Fabius Pictor rerum Romanarum gravissimus & antiquissimus scriptor, anno primo octavæ olympiadis.

Polybius Megalopolitanus, & Diodorus Siculus, olympiadis septimæ anno secundo.

Apollodorus, Q. Lutatius Catulus, C. Cornelius Nepos, Eratosthenes, M. Porcius Cato, Dionysius Halicarnasseus, & Theophilus Antiochenus, olympiadis septimæ anno primo.

M. Verrius Flaccus auctor tabularum Capitolinarum, T. Livius, C. Julius Solinus, Clemens Alexandrinus, & alii, olympiadis sextæ anno quarto.

L. Taruntius Firmanus, M. Terentius Varro, T. Pomponius Atticus, M. Tullius Cicero, Augustus Cæsar, C. Vellejus Paterculus, T. Claudius Cæsar Augustus, C. Plinius Secundus, Plutarchus Chæroneus, Domitianus Cæsar Augustus, P. Cornelius Tacitus, Cassius Dio, A Gellius, L. Septimius Severus Augustus, Censorinus, M. Julius Philippus Augustus, Eusebius Pamphili Cæsariensis, Eutropius, Paulus Orosius, Paulus Diaconus Longobardus, & post C. Cæsaris dictatoris tempora, communis populi Romani sententia, quam nos quoque sequimur, olympiadis sextæ anno tertio conditam urbem volunt. Illud autem non ignorandum, quod etiam in commentariis in Fastos explicavi, me annorum olympicorum initium a solstitio æstivo circa Kal. Julias ordiri. Qua ratione fit, ut quum dicitur urbem tertio vel quarto anno sextæ, aut primo vel secundo septimæ Olympiadum conditam, id intelligi debeat circa finem illius anni olympici, hoc est XI. Kal. Maii. Anni enim sequentis principium proximo solstitio futurum erat. Primumque urbis conditæ annum, si tertio sextæ olympiadis constructam asseveraverimus, concurrere fere totum cum quarto ejusdem sextæ olympiadis anno, duobus mensibus & aliquot diebus exceptis, qui sunt extremi anni olympici tertii ejusdem olympiadis in quo ædificatam urbem credimus: sic quoque dicendum de cæteris annis olympicis, quibus urbs condita secundum scriptorum varias opiniones dicitur.

Quibus vero rationibus persuasi singuli harum de urbe condita opinionum auctores sententias suas confirmaverint, supervacaneum hoc loco esse existimo demonstrare, tum quod hoc alterius sit negocii speculari, tum etiam quod id accurate sane a me factum est in iis commentariis, quos in Fastos consulares conscripsi.

Dies autem, quo urbis fundamenta jacta a Romulo fuerunt, fuit XI. Kal. Maii, qui *Parilia* vel *Palilia* appellabatur. Hæc autem erant Palis pastorum deæ festa, quæ a pastoribus XI. Kal. Maii in agris celebrabantur, ad lupos arcendos, morbosque a pecore pellendos, seu pro partu pecorum, unde & *Parilia* dicta. De hac re Propertius libro IV.

Urbi festus erat, dixere Palilia patres:
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.

Ovidius quoque IV. Fastorum ait:

Apta dies legitur, qua mœnia signat aratro:
Sacra Pales aderat; inde movetur opus.

Idem confirmant M. Tullius, Solinus, Plutarchus, & alii. Palilia autem celebrari solita fuisse XI. Kal. Maii, habetur ex antiquis marmoreis Romanis Kalendariis, iisdemque quos citavi auctoribus.

De primis urbis mœnibus, & iis qui pomœrium protulerunt, usque ad Augustum Cæsarem.

QUUM de conditore urbis Romulo, & tempore quo condita est, jam verba fecerim, rem non inutilem antiquitatum Romanarum studiosis me facturum existimo, si quæ quinto anno de iis qui populi Romani pomœrium protulerunt, item de muris, portis, viis, collibusque Romanis edidi, hic subjicerem. Quod etsi ab instituto meo paululum abhorreat, quippe quod brevissime omnia describere deinceps mihi proposuerim; tamen hac tantum in re minime lectorem fallere veritus sum, quum non dubitem, me non parum commodi ei hoc uno commentariolo esse allaturum; simulque aliquod specimen daturum, qualis futurus sit commentarius, quem in universum hoc opus adorno. Porro autem quum in hoc libello de iis qui pomœrium protulerunt sim disputaturus, necessarium esse primo arbitror quid pomœrium apud veteres fuerit demonstrare; postea vero reliqua, de quibus differere institui, persequi. *Pomœrium itaque locus erat, tam intra, quam extra urbis murum, quem antiqui in condendis urbibus augurato consecrabant, neque in eo ullum fieri ædificium patiebantur.* Dictum est autem, *pomœrium*, ut auctor est Varro libro IV. de lingua Latina, quasi *postmœrium*, nam quem antiqui *mœrum* dicebant, nos *murum* dicimus. Unde ita nonnulli apud Virgilium legunt libro X. Æneid.

Atque ipsis prœlia miscent
Aggeribus mœrorum.

Varro autem sic: *Oppida condebant in Latio, Etrusco ritu multa, id est, junctis bubus tauro & vacca interiore aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis caussa die auspicato, ut fossa & muro essent munita. Terram unde exscalpserant, fossam vocabant; & introrsum factum murum. Postea quod fiebat orbis, urbs. Principium, quod erat post murum, pomœrium dictum; ejusque ambitu auspicia urbana finiuntur. Cippi pomœrii stant circum Romam. Quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro ab orbe, & urbo urbes: & ideo coloniæ nostræ omnes in litteris antiquis scribuntur urbes, quod item conditæ ut Roma; & ideo coloniæ ut urbes conduntur, quod intra pomœrium ponuntur.* Livius quoque libro primo, de Ser. Tullio loquens: *Aggere*, inquit, *fossis, & muro circundat urbem. Item pomœrium profert. Pomœrium, verbi vim solam intuentes, postmœrium interpretantur esse. Est autem magis circa murum locus; quem in conden-*

dis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant, ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam conjungunt; & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spacium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murus post id, pomœrium Romani appellarunt. Et in urbis incremento semper, quantum mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur. Ita ut *pomœrium proferre* nihil aliud sit, quam *ampliare mœnia urbis*. Augures autem populi Romani, ut est apud M. Messallam in libro quem de auspiciis scriptum reliquit, pomœrium sic definierunt: *Pomœrium est locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum, pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicii*. Sextus Pompejus libro XIV. *Pomœrium*, inquit, *ubi pontifices auspicabatur, dictum est quasi pomurum, id est proximum muro*. Alii *pomœrium* quasi *postmœnium*, interpretantur, *quod post mœnia locatum sit*. *Is qui primo urbem condebat, pomœrium etiam urbi addere solebat; ut Romulus, qui urbi novæ, a se figura quadrata cum tribus portis conditæ, pomœrium more Etrusco addidit*, ut auctores sunt Dionysius, Solinus, Plinius, & Plutarchus. Cujus tamen pomœrium, quo ambitu, quibusve terminis clauderetur, varie auctores prodidere. Gellius Romuli antiquissimum pomœrium tantum Palatii montis radicibus terminatum fuisse scribit. Livius quoque libro primo: *Palatinum* (inquit) *Romulus primum, in quo ipse educatus erat, munit*. Horum sententias confirmat Cornelius Tacitus libro XII. qui etiam Capitolium forique Romani partem a T. Tatio Sabinorum rege urbi additam his verbis docet: *Sed initium condendi, & quod pomœrium Romulus posuerit, noscere haud absurdum reor. Igitur a foro Boario, ubi æreum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi cœptus, ut magnam Herculis aram complecteretur. Inde certis spaciis interjecti lapides per ima montis Palatini ad aram Consi, mox ad curias veteres, tum ad sacellum Larium: Forumque Romanum & Capitolium non a Romulo, sed a T. Tatio additum urbi creditur*. Quibus verbis conjicio T. Tatium, posteaquam æquo jure in regnum a Romulo adscitus est, Sabinique post fœdus raptarum precibus cum Romanis initum in civitatem recepti sunt, ambitum murorum urbis una addita porta, ut quatuor essent, hoc modo ampliasse. Capitolii primum eam partem, quæ nunc novam urbem & Pantheum aspicit, ubi extat statua equestris M. Aurelii Imperatoris, muro circumdedit, deinde ductis mœnibus a rupe Tarpeja, ultimaque Capitolii parte, ubi paulo ante noxii plecti solebant, in occasum ad viam qua itur ad circi maximi partem extremam Tiberim versus, se extendit. Inde ad aliam circi novissimam partem versus Septizonium retorquens, mox in orientalem partem parum ultra Titi amphitheatrum se convertit, hincque versus Septentrionem paulo ultra viam sacram usque ad Nervæ forum reversus est, postremo parvo tractu flectens ipsum murum cum altera Capitolii parte conjunxit: atque hac ratione Palatium primo, mox Capitolium urbi addidit. Huic autem antiqui pomœrii descriptioni, etsi eam ex optimis gravissimisque scriptoribus acceperim, Dionysius tamen, Livius ipse, Plutarchus, Strabo, & plerique alii nobilissimi rerum Romanarum auctores repugnare videntur. Livius enim, Dionysius, & Plutarchus in Romuli vita ante Sabinorum atque T. Tatii in urbem adventum, Capitolium a Romulo munitum fuisse scribunt, arce Romana ibidem locata, quam quum Tarpejæ proditione postea Sabini cepissent, ex eo loco nunquam a Romanis pelli potuere. Strabo quoque ait: *Prisci namque Capitolium, & Palatium, collemque Quirinalem sic muniere muris, ut venientibus aliunde, exterius facilis foret ascensus, adeo ut T. Tatius primo adventans incursu, locorum potitus sit, quum captarum virginum ulcisceretur injuriam*. Dionysius quoque libri II. initio, Romulum Palatium & Capitolium muris & fossa communisse scribit, ante T. Tatii adventum, & post ejus in urbem receptum: *Romulus* (inquit) *& Tatius urbem statim majorem effecere, duos ei colles alios adjicientes, Quirinum & Cœlium, separantesque habitationem alter ab altero, in propriis locis utrique vitam agebant. Romulus quidem Palatium occupans & montem Cœlium, Palatio propinquum; Tatius vero Capitolium, quod ab initio ceperat, & Quirinalem collem*. Si igitur juxta horum historicorum sententias, Capitolium & Quirinalis ante Tatii adventum muniti fuerunt, necesse est, ut eos non nisi a Romulo munitos fuisse dicamus. Non ergo Romulus tantum Palatium tenuisse videtur. Quas controversias una hac responsione tolli posse existimo: Dicerem enim Romulum quidem quum urbem conderet tantum Palatium muniisse, idque solum primo pomœrio clausisse, verum ne qua vis externa urbem adoriri posset, atque finitimi colles hostium aliquando arces essent, ex quibus Romam vexarent, non quod iis locis indigeret, perinde ac etiam Ancus Martius rex de Janiculo fecit, Capitolium primo, mox Quirinalem & Cœlium colles, qui urbi erant proximiores, & ex quibus urbs ipsa magis oppugnari poterat, fossa sive aggere, aut muro firmasse, præsidioque locato tanquam arces muniisse, quum nihilominus extra urbis ipsius mœnia pomœriumque essent. Quod etiam idem Strabo affirmare videtur, qui colles urbi vicinos ideo munitos fuisse scribit, ne hostes eis occupatis, castellisque factis, civitati negotium facerent. Illud adde, quod quum arcem Tarpejam captam a Sabinis scribant, non tamen urbem ipsam captam fuisse dicunt, *sed Romanos*, inquit Livius, *cum Sabinis post arcem Tarpejam occupatam pugnantes, hostes usque ad portam Palatii fugarunt*, quæ urbis tunc erat. Eos postremo colles extra urbis pomœrium, quamquam munitos, fuisse, exemplo esse potest Aventinus mons, qui quum totus habitaretur, atque ab Augusto una ex XVI. regionibus, quibus urbem divisit, factus esset, tamen usque ad Tib. Claudii imperatoris tempora, a quo primum intra urbem locatus est, extra urbis pomœrium fuit. Palatino igitur colli, in quo primo a Romulo urbs condita est, T. Tatius Sabinorum rex Capitolium forumque Romanum addidit, & auctis mœnibus intro urbis pomœrium inclusit. Quod non obscure etiam Livius innuere videtur, qui Palatium tantum a Romulo munitum scribit, & quum in urbis ampliatione post Romulum, quid unoquoque tempore, & a quo rege additum fuerit, enumerat, nullam de Capitolio facit mentionem. Porro autem si duo illi colles, Quirinalis & Cœlius, sub Romulo urbis pomœrio inclusi essent, sibi ipsis repugnarent iidem scriptores, qui eos a sequentibus regibus postea additos fuisse scribunt. Nec ulla ratione verisimile videri potest, pastores, advenas, hominesque inopes, rebus adhuc angustis tantum campum, in tanta hominum paucitate, intra urbis muros complexos, quum Plutarchus tantum mille domus, Dionysius vero non nisi tria millia peditum, trecentosque equites veterem Romam habuisse, scribant. Urbis autem pomœrium pro incrementis Reipublicæ postea sæpius prolatum est, multique colles additi. Jus autem proferendi pomerii habebat, qui rempublicam agris de hostibus captis auxerat. Tacitus libro XII. *Mox pro fortuna* (inquit) *po-*

mœrium auctum. Idem refert in Aureliani Imp. vita Fl. Vopiscus. *Post Romulum* (inquit libro II. Dionysius) *adaucto urbis ambitu Quirinalem collem Numa rex urbi addidit*, eousque enim muris septus non fuerat. Eum autem primo munitum a Romulo scribit Strabo; mox a T. Tatio idem Dionysius, quem nunc contra omnium auctorum sententiam scribit a Numa pomœrio inclusum fuisse, quum alii id vel Romulo ipsi, vel T. Tatio, vel (quod verius est) Ser. Tullio adscribunt. Tantam autem inter auctores varietatem hinc ortam existimo, quod aliqui reges primi adjecerint aut habitarint, reliqui ædificiis aliisve rebus ornarint, aut auxerint; vel pars ab uno, reliquum ab altero additum forte fuerit. Tertius a Romulo, Albanis victis, Alba eversa, ipsisque in civitatem adscitis, addito urbi Cœlio monte, quem Romulus primo munierat, pomœrium protulit Tullus Hostilius rex Romanorum tertius; unde Livius libro primo: *Roma interim crescit Albæ ruinis: duplicatur civium numerus. Cœlius additur urbi mons, &, quo frequentius habitaretur, eandem sedem Tullus regiam cepit, ibique deinde habitavit*. Et Dionysius lib. III. *At ne ullus sine domicilio esset, eum collem qui Cœlius dicitur, muro communiens, urbi addidit, ubi quidem quicunque erant sine laribus Romani, ex eo loco sortiti quod satis esset, sibi ædes construerent, ipso quoque in eodem colle habitante*. Eutropius idem confirmat, & Plinius in libello de viris illustribus. Hunc porro montem urbi adjectum fuisse ab Anco Martio, non a Tullo Hostilio scribit Strabo. *Ancus* (inquit) *etiam Martius montem Cœlium & Aventinum, & jacentem inter hos campum assumens invicem disjunctos ab aliis ante muro cinctis ædificiis, urgente necessitate prioribus copulavit. colles enim adeo munitos extra muros illis permittere, qui incumbentia superne castella cuperent, nequaquam recte se habebat: totum etiam explere circuitum usque in Quirinalem minime valuit. Quem quidem locorum defectum Servius redarguit; nam supplevit ipse, adjecto Esquilino & Viminali*. Corn. vero Tacitus eum a Tarquinio Prisco additum fuisse innuit, quum ait libro IV. *Eum montem Cœlium fuisse dictum a Cœle Vibenna, qui dux gentis Etruscæ, quum auxilium appellatum ductavisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis aliorum regum dedit; nam scriptores in eo dissentiunt. cetera non ambigua sunt, magnas eos copias per plana etiam ac foro propinqua loca habitavisse: unde vicum Thuscum e vocabulo advenarum dictum. Quartus Ancus Martius rex*, ut auctores sunt libro III. Dionysius, & libro primo Livius, Strabo libro V. Plinius de viris illustribus, & Eutropius, *morem regum priorum sequutus, qui rem Romanam auxerant hostibus in civitatem accipiendis, Politorio urbe Latinorum vi capta, victorum multitudinem omnem Romam traduxit. Et quum circa Palatium sedem veteres Romani, Sabini Capitolium, Quirinalem, atque arcem; Cœlium vero montem Albani implessent; Aventinum montem novæ Latinorum multitudini datum; additi eidem haud ita multo post, Tellene Ficanaque captis, novi cives*. & paulo post: *Ad ultimum omnibus copiis connixus Ancus, acie primum vicit. Inde ingenti præda potitus, Romam rediit. Tum quoque multis millibus Latinorum in civitatem acceptis, quibus ut jungeretur Palatio Aventinus, ad Murciæ data sedes. Janiculum quoque adjectum urbi, non inopia loci, sed ne quando ea arx hostium esset. Id non muro solum, sed etiam ob itineris commoditatem ponte sublicio tum primum in Tiberi facto conjungi urbi placuit*. Et Strabo: *Ancus Martius montes Cœlium & Aventinum, & jacentem inter hos campum urbi conjunxit*. Plinius de viris illustribus: *Aventinum & Janiculum montes urbi addidit, nova mœnia oppido circumdedit*.

A Quod autem hi scriptores dicunt, Ancum Aventinum novæ multitudini concessisse, non propterea eum intra pomœrium recepisse significant. *Multa enim erant loca*, inquit Dionysius, *circum urbem extra mœnia, proximis collibus & vallibus habitata, & præsertim Aventinus*. Quem extra urbis pomœrium quoque fuisse refert. Livius item libro XLI. *Ædiles* (inquit) *extra portam Trigeminam in Aventinum porticum silice straverunt*. Gellius quoque libro XIII. hoc idem docet, quum ait: *Dein autem quæsitum est, diuque in quæstione fuit, quam ob caussam, ex septem urbis montibus, quum ceteri sex intra pomœrium sint, Aventinus solus,* B *quæ pars non longinqua, nec infrequens est, extra pomœrium sit. Hujus rei M. Messalla augur aliquot caussas videri scripsit, sed præter eas omnes, ipse unam probat; quod in eo monte Remus urbis condendæ gratia auspicaverit, avesque irritas habuerit, superatusque in auspicio a Romulo sit. Idcirco* (inquit) *omnes qui pomœrium protulerunt, montem istum excluserunt, quasi avibus obscœnis ominosum*. Dionysius quoque lib. III. *Primum quidem Ancus Martius non parvam urbi partem addidit, cingens muro eum collem, qui Aventinus dicitur. Est enim mons modice editus, & in orbem stadia fere* XVIII. C *ambiens, qui tunc ingenti silva omnis generis arborum plenus erat, tum vero plurima ac pulchra lauro, a qua locus quidam ejus a Romanis Lauretum dicitur. Segregabatur autem a Palatio, circa quem urbs prima condita est, profunda & angusta valle*. & paulo post: *Hunc igitur collem videns futurum aliquando propugnaculum urbis, si quis superveniret ex insperato exercitus, muro fossaque communivit. Et traductos ex Tellene & Politorio, aliisque urbibus quas ceperat, ibi collocavit*. Quæ tametsi dicat Dionysius, eum tamen non pomœrio urbis inclusisse scribit. Unde Strabo: *Ne colles* (inquit) *adeo munitos extra muros hostibus permitteret, qui* D *incumbentia superne castella desiderarent*, &c. Ipsum enim clausisse collem illum ea puto caussa, quo multitudo, quam in ipsum capta Politorio traduxerat, ab hostili incursione esset tuta, non ut observaretur intra pomœrii fines, aut urbis terminus esset, & idcirco Dionysius non dixit: *urbi addidit*, sed *muro cinxit*. Quum enim esset malis auspiciis ominosus, neque intra urbem receptus fuit, neque totus habitabatur, ita ut *M. Valerio Max. & Sp. Virginio Cœlimontano Coss. an. urbis* CCXCVI. *adhuc publicus, & silvarum plenus esset*, ut prodit idem Dionysius. Quamvis autem Ancus Aventinum extra pomœrium esse voluerit, illud tamen, Janicu- E lo & Transtiberina regione urbi adjunctis, quartus a Romulo protulit. Dionysius: *Munivit item muro eum quem Janiculum vocant montem editum trans Tiberim positum, præsidiumque idoneum ei imposuit, pontemque ligneum super amnem fecit*. Quod confirmant Plinius & Eutropius. Urbem quoque in planioribus locis maxima & ingenti fossa munivit, quæ, quod plebis Romanæ manibus facta esset, Quiritium fossa appellata est, ut scribit Sex. Pompejus quum ait: *Quiritium fossæ dicuntur, quibus Ancus Martius urbem circumdedit, quas se-* F *cundum ostium Tiberis posuit, quo etiam Ostiam; & quia populi opera eas fecerat, appellavit Quiritium*. Et Livius: *Quiritium quoque fossa, haud parvum munumentum a planioribus aditu locis, Anci regis opus est*. L. autem Tarquinius Priscus rex, quamvis perduellibus victis, multoque agro de hostibus capto imperium populi Romani propagaverit, pomœrium tamen vetere contentus non auxit. Qui quum extremo imperii sui tempore urbem amplioribus muris dilatare cœpisset, saxis magnis ad regulam formatis adductis, prius enim ruderibus vilibusque structuris ædificati fuerant, mortuus est. Quare ejus successor Ser. Tullius rex sex-

tus, quintus a Romulo, pomœrium protulit, urbiſque muros a Tarquinio inchoatos perfecit, ut auctores ſunt Dionyſius lib. IV. Livius lib. I. & lib. XIII. Gellius, Plinius de viris illuſtribus, & Eutropius. Livius enim, *Muro*, inquit, *Priſcus lapideo circundare urbem parabat, quum Sabinum bellum cœptis intervenit*. Et paulo poſt: *Pax deinde facta. Majore inde animo pacis opera inchoata, quam quanta mole geſſerat bella, ut non quietior populus domi eſſet, quam militiæ fuiſſet. Nam & muro lapideo, cujus exordium operis bello Sabino turbatum erat, urbem, quam nondum munierat, cingere parat*. Quod opus tamen eum non perfeciſſe refert. Quum autem Servii geſta deſcribit: *Ad eam*, inquit, *multitudinem urbs quoque amplificanda viſa eſt. Addidit igitur Servius duos colles, Quirinalem, Viminalem. Inde deinceps auget Eſquilias, ibique ipſe, ut loco dignitas fieret, habitat; aggere, foſſis, & muro circumdat urbem. Item pomœrium profert*, &c. Dionyſius autem & Strabo duos tantum colles a rege Ser. Tullio additos fuiſſe ſcribunt, Viminalem videlicet, & Eſquilias. Quippe quod Quirinalem alter a Numa, a Romulo alter adjectum exiſtimaverunt. Quod Livio, Tacito, Eutropio, & aliis antiquis ſcriptoribus, quorum ego ſententias ſequor, repugnare videtur. Quam contradictionem etiam hac ratione tolli poſſe exiſtimo, ſi dicamus Numam partem Quirinalis Capitolio olim adjunctam, quam poſtea Trajanus Imp. ut forum exædificaret, complanavit, Ser. vero Tullium reliquum montis, quod ſupererat, pomœrio cluſiſſe. Dionyſius: *Tullius urbi duos colles addidit, Viminalem, & Eſquilinum. Quorum uterque urbis habet magnitudinem, diviſitque eos iis qui ſine laribus Romani eſſent, ad ædes in his conſtruendas, ubi ipſe ſibi quoque habitationem fecit in illuſtri Eſquiliarum loco*. Idem prodit & Strabo lib. V. Plinius autem & Eutropius Livii ſententiam ſequuntur, qui tres colles ab eo urbi additos ſcribunt, Quirinalem, Viminalem, & Eſquilias, adduntque, aggeres foſſaſque feciſſe. Muros autem a Tarquinio Priſco inchoatos, ab ipſo vero perfectos, ex ingenti quadrato ſaxo ad regulam formato, Gabino, Albano, Tiburtino & Præneſtino firmiſſimis, ignique imperviis fuiſſe conſtat. Muro autem lapideo ſex colles complexus, primus in quatuor tribus urbanas urbem diviſit, Palatinam, Suburanam, Eſquilinam, & Collinam: de quibus latius paulo poſt verba faciam. L. vero Tarquinius ſuperbus rex VII. Latinorum, ceterorumque hoſtium incurſiones, quibus urbs ipſa vexari poterat, veritus, urbem ab oriente ingenti aggere muniit. De quo Plin. lib. III. cap. V. *Clauditur*, inquit, *urbs ab oriente aggere Tarquinii Superbi, inter prima opere mirabili. namque eum muris æquavit, qua maxime patebat aditu plano, cætera munita erant præcelſis muris, aut abruptis montibus, niſi quod expatiantia tecta multas addidere urbes in prima regione*. Adhuc ii aggeres parum ultra Diocletiani thermas viſuntur, ab eo loco uſque ad arcum Gallieni fere porrecti. De hoc quoque aggere Strabo: *Quem quidem*, inquit, *locorum defectum Servius redarguit; nam ſupplevit ipſe adjecto Eſquilino colle & Viminali, ea vero loca adventantibus hoſtibus facile capi poterant, quocirca profundiore exterius ducta foſſa, & accepto ſolo ſtadiorum ſex, aggerem porrexerunt ſuper foſſæ ſupercilio interiore, murumque cum turribus e Collina porta uſque ad Eſquilinam impoſuerunt, in aggere autem medio tertia eſt porta ejuſdem nominis cum colle Quirinali. Hæc* autem *foſſa*, cujus Strabo meminit, forte *eſt* ea, quam Livius Quiritium appellat, *ab Anco facta*, ut ſcribit Sex. Pompejus. Ambitum autem urbis ea ætate hunc fuiſſe exiſtimo. Muri haud longe a ponte, qui nunc dicitur Xyſtus, verſus Farneſiorum palatium inchoabant, ex adverſo murorum ab Anco Martio rege in Tranſtiberina regione ſtructorum, & porta, quæ nunc Septimiana dicitur, qui per mediam urbem planam circa campos Floræ Agonalemque, & Pantheum uſque ad Quirinalis radices, ea parte in qua Cardinalis Carpenſis horti ſunt collocati, protendebantur, gyrabantque paulo ultra thermas Diocletiani, & circa baſilicam S. Mariæ Majoris ſecundum ipſos Tarquinii aggeres, prope arcum Gallieni, ædiculam S. Matthæi, & baſilicam Lateranenſem, hinc per dorſum Cœlii montis paulo ultra formas aquæ Claudiæ, prope templum Sancti Stephani in Cœlio monte, & Sanctæ Mariæ in navicula, piſcinam publicam, thermaſque Antoninianas, uſque ad circum maximum ducebantur: eorumque finis erat haud longe ultra pontem ſublicium, e regione murorum trans Tiberim, qua navalia ſunt, poſitorum. Tranſtiberinæ vero regionis mœnia ab Anco Martio condita adhuc viſuntur, quæ etſi ſæpius reſtituta eſſe credendum ſit, paululum tamen ab antiquis ſedibus mutata fuiſſe conſtat. Atque hic, vel non multo diverſus, fuit urbis ambitus extremis regum, & primis reip. temporibus. Quibus portæ urbis Romuli, quas tres, vel, ut aliis placet, quatuor fuiſſe conſtat, paulatim cum uſu & nomen amiſerunt antiquum, una Carmentali excepta, quæ diutius veteris nomen obtinuit. Poſt Ser. vero Tullium regem, uſque ad Sullæ Felicis dictatoris tempora, pomœrium amplius prolatum fuiſſe Dionyſius negat: *Poſt Servium*, inquit, *Tullium urbis ambitus non proceſſit, numine (ut ajunt) prohibente, ſed ſunt omnia circa urbem habitata loca, multa ea & magna expoſita facillimaque, ut advenientibus hoſtibus prædæ eſſent obnoxia. Quod ſi quis hæc ſpectans voluerit urbis magnitudinem exquirere, is errare cogetur, nec ullum ſignum certum quo dignoſcatur habebit, quouſque ſit hæc urbs progreſſa, aut unde eſſe non amplius urbs incipiat, ita urbi contexta eſt regio, præbetque ſpectantibus opinionem extenſæ in infinitum urbis. Si vero muro vix perſcrutabilis propter ædes complectentes eum undique, veſtigia autem locis multis ſervanti ſtructuræ veteris, metiri idem eam velit, Athenarum urbis circuitu non multo major eſt urbis ambitus*. A Gallis autem Senonibus urbe capta atque incenſa, quum Galli cæſi fuiſſent, muri ejus Capitoliumque lapide quadrato refecti ſunt, ita tamen ut pomœrium nunquam ampliatum ſit, quamvis & numero civium, & ambitu valde crevisſet. L. autem Cornelius Sulla Felix bellis civilibus victor, & lege Valeria dictator factus reipublicæ conſtituendæ cauſſa, Mithridate potentiſſimo Ponti rege victo, multiſque Aſiæ & Græciæ populis bello domitis, factione Mariana ad internecionem uſque cæſa, primus poſt Ser. Tullium urbis pomœrium protulit, ut Seneca, Cornelius Tacitus, & A. Gellius prodidere. Tacitus enim lib. XII. *Nec tamen duces Romani*, inquit, *quamquam magnis nationibus ſubactis, jus proferendi pomœrii uſurparunt, niſi L. Sulla, & divus Auguſtus. regum in eo ambitio, & gloria valde vulgata*. Cæterum omnes qui poſt Sullam urbis muros, vel ampliaverunt, vel reſtituere curarunt, eos deinceps lateritios feciſſe exiſtimo: neque enim facile lapides quadrati in hoc murorum circuitu lateritio videri poſſunt, qui vel ex antiquis ſunt, vel ex eorum reliquiis fabricati. Julium vero Cæſarem dictatorem poſt Sullam pomœrium protuliſſe auctores ſunt Dion. & Gellius. Qui lib. XIII. cap. XIV. ait: *Neque id Ser. Tullius rex*, de Aventino loquitur, *neque Sulla, qui proferendi pomœrii titulum quæſivit, neque poſtea divus Julius, quum pomœrium proferret, intra effatos urbis fines incluſerunt*. Apud Ciceronem quoque lib. XIII. epiſt. ad Atticum legitur, ſub Cæſare dictatore ampliandi pomœrii men-

mentionem factam. *De urbe*, inquit, *augenda, quid sit promulgatum, non intellexi. id sane scire velim*. Et paulo post, in alia tamen ejusdem libri epistola, ait: *Sed casu sermo a Capitone de urbe augenda a ponte Mulvio, Tiberim duci secundum montes vaticanos, campum Martium coædificari, illum autem campum Vaticanum fieri quasi Martium campum*. Quem extra urbem fuisse eo tempore constat, ut ostendunt etiam Appiani verba, qui ait, Sullam ulterius progressum in campo Martio exercitum ante urbis portas statuisse. Satis autem liquet, antiquos, quum vellent urbis mœnia, quæ Collinam non excedebant portam, ad Milvium pontem usque perducere, ab haruspicibus prohibitos fuisse, quod in urbe comitia facere, vel milites legere, non licebat. Martium autem campum Aureliani Imp. temporibus urbi additum fuisse existimo, præsertim quum sub Severo Imperatore, ut est apud Herodianum, adhuc extra urbem fuerit. Aurelianus enim pomœrium ea urbis parte protulit. Sed hæc paulo post. Divum vero Augustum pomœrium protulisse docet Corn. Tacit. lib. XII. cujus verba supra citavi: idem quoque confirmant antiqui lapides, ex iis qui Pomœrii Cippi a Varrone dicuntur, haud procul a Tiberi extra Flaminiam portam inventi, quorum exempla sunt hæc:

C. MARCIVS. L. F. L. N.
CENSORINVS
C ASINIVS. C F. GALLVS
COS
EX S.C. TERMIN

Item:

IMP. CÆSAR. DIVI. F.
AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
TRIBVNIC. POTEST. XVII
EX S.C. TERMINAVIT
R.R. PROXIM. CIP. PED. CLXI

Item:

C. MARCIVS L.F.L.N
CENSORINVS. ET. C. ASINIVS. C.F. GALLVS
COS
EX. S C
FIN. POMER. TERMIN

Hos autem consules Augusti tempore fuisse Fasti docent consulares. Quos autem pomœrii terminos, seu quam urbis partem Sulla primo, deinde Julius Cæsar, postea Augustus ampliaverint, incertum: quantum tamen conjectura consequi potui, Sullam eam urbis partem, quæ est versus hortos Salustianos, portasque Collinam & Viminalem ampliasse crederem, quum hortos ipse Salustius intra urbem emerit, qui postea dicti sunt Salustiani, quorum locum, si ad antiquum urbis pomœrium ante Sullam aspiciatur, extra urbem fuisse constat. Julius autem Cæsar, si is modo pomœrium protulerit, (ambiguum enim est) & Augustus eam murorum partem, quæ est inter portas Collinam & Capenam, produxerunt. Liquet enim ante Augusti obitum, eum murorum ambitum, qui est a Collina ad Capenam, adjectum esse, idque duabus rationibus collegi: primo quia Tiberius Cæsar post Augusti obitum Romæ (ut auctores sunt Tacitus & Tranquillus) castra constituit, quibus prætorianæ cohortes vagæ ante id tempus & per hospitia in urbe dispersæ, continerentur. Hæc autem castra prope muros urbis locata fuisse, referunt

Plin. lib. III. Herodianus VII. & Julius Capitolinus in Maximi & Balbini Imperatorum vitis. Compertum autem est paulo ante hos dies, eum locum, quem hactenus superioris ætatis antiquarii ex loco Procopii male intellecto Vivarium appellaverunt, castra prætoria esse, ut inferius differam. Quæ si muris urbis conjuncta erant, eos ad eum locum, ubi nunc castrum prætorium videtur, protractos fuisse necesse est, vel a Sulla, vel a Julio, aut Augusto, Cæsaribus; nam ante Sullæ tempora mœnia urbis aggerem Tarquinii non excedebant, a quo orientem versus longo intervallo distat castrum prætorium. Deinde, quum Tranquillus in Augusti vita dicat, ipsum urbis spacium in XIV. regiones divisisse, multaque a Sex. Rufo, & P. Victore in iis libris, quos de regionibus urbis Romæ scripserunt, enumerentur quæ Augusti imperio intra urbis muros ædificata fuerunt, atque nunc paulo intra hunc murorum ambitum contineantur, necesse est urbem ipsam ea parte ante ipsius Augusti excessum ampliatam fuisse. Nihil autem accuratius præterea, quod in hac re afferam, habeo. Si qui meliora habent, ea prodant: nos interim ad institutum revertamur.

De Castro Prætorio.

QUUM Augustus providentissimus princeps sibi uni imperium populi Romani confirmare studeret, inter cætera multa quæ tanto imperio stabiliendo saluberrime excogitavit, novem quoque militum cohortes urbis præsidio & ad sui corporis custodiam legit. hæ prætorianæ appellatæ fuerunt. Post cujus obitum Tib. Cæsar, ut Tranquillus cap. 37. ejus vitæ scribit, *Romæ castra constituit prætoria, quibus ipsæ cohortes prætorianæ vagæ ante id tempus & per hospitia dispersæ continerentur*. Quod etiam lib. IV. Annalium Tacitus refert, quum de prætorii præfecto Sejano loquitur his verbis: *Initium & causa penes Ælium Sejanum cohortibus prætoriis præfectum, cujus de potentia supra memoravi. Is vim præfecturæ modicam antea intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent, numeroque & robore, & visu inter se fiducia ipsis, in cæteros metus crederetur. Prætendebat lascivire militem deductum. Si quid subitum ingruat, majore auxilio pariter subveniri, & severius acturos, si vallum statuatur, procul urbis illecebris. Ut perfecta sunt castra, irrepere paulatim militares animos, adeundo, appellando simul centuriones, ac tribunos ipse deligere*, &c. Hæc autem castra prope urbis muros locata fuisse docet Plin. lib. III. cap. V. Herodianus lib. VII. & Julius Capitolinus in Maximi & Balbini Imperatorum vitis. Compertum est vero proximis diebus eum locum, quem hucusque vivarium appellarunt, forma quadrata, inter portas Viminalem & Tiburtinam, urbisque muris conjunctum, castrum prætorium fuisse. In vineis enim aliquot in ejus medio sitis plures inventi sunt plumbei tubuli, & fistulæ, quibus aqua Marcia ex proximo castello in eum derivabatur, cum iis inscriptionibus:

L. IVN. CLARO. ET. AVR. SEVERO. COS
CASTRVM. PRÆTORIVM. P. LXX.

Item in alio:

CLARO. ET. SEVERO. COS. QVADRAT. SER. FEC
CASTRVM. PRÆTOR. P. CC

Item in alio:

T. VESPAS. AVG. VII. FLAV. DOMIT. VI. COS
Q. CLAVD. SER. OFF. FEC. CASTR. PRÆT.

Et in alio:

Q. AQVILLIO. SABINO. II
SEX. AVR. ANVLLINO. COS
CASTR. PRÆF. L. VRVAS. OFF. PED.
CCCLXXXIII.
AQVA. MARC.

Item in antiqua figulina:

CASTRVM. PRÆTORIVM
EX. PR. VINI. QVAD. ET. ANT. OP.
EX. FIG. SEX. AT. SILV. F. VI.

Item in alia:

CASTR. PRÆT.
L. SILVINI
HELPIDIANI

Porro autem de his aquæ Marciæ fistulis, quæ castri prætorii usui erant, mentionem facit Herodianus lib. VII. Ubi de seditione inter milites prætorianos & populum Romanum orta sub Maximi & Balbini imperio loquitur, iis verbis: *Postremo quando castrorum oppugnatio parum procedebat, visum ducibus intervertere omnes rivos, qui in castra pervenirent, ut milites aquarum penuria sitique conficerent. Igitur abscindendo obstruendoque cunctos e castris aquarum rivos avertebant. Sed intellecto periculo milites, ac rebus desperatis, erumpunt universi patentibus portis, congressique multitudinem fugientem in urbem usque persequuntur.* & Julius Capitolinus in Maximo & Balbino Augustis: *Inter hæc Romæ iterum seditiones inter populum & milites exortæ sunt, & quum mille educta Balbinus proponeret, nec audiretur, veterani se in castra prætoria contulerunt cum ipsis prætorianis, quos cœpit populus obsidere, nec unquam ad amicitiam essent redacti, nisi fistulas aquarias populus incidisset.* Porro autem ea parte castra prætoria quoque fuisse confirmari potest Tranquilli auctoritate in Neronis vita, ubi de ejus destitutione & morte verba facit: *Sed revocato*, inquit, *rursus impetu aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum desideravit, & offerente Phaonte liberto suo suburbanum suum inter Salariam & Nomentanam viam, inter quartum milliarium, ut erat nudo pede, atque tunicatus, penulam obsoleti coloris superinduit, adopertoque capite, & ante faciem obtenso sudario, equum insedit, quatuor solis comitantibus, inter quos & Sporus erat. Statimque tremore terræ & fulgure adverso pavefactus, audiit ex proximis castris clamorem militum sibi adversa, & Galbæ prospera ominantium.* Non longe ergo a porta Viminali erant castra prætoria, qua Nero per Numentanam viam egressus clamorem militum audire potuit. De iis autem castris sæpissime Herodianus in Commodi, Pertinacis, Juliani, Severi, Caracallæ, & aliorum imperatorum gestis mentionem facit, sed unum ejus locum non omittam, quo ædiculæ, quæ in medio castrorum erat, meminit, ait enim: *Antoninus, irrupto fratris Getæ cubiculo, nihil eum tale expectantem supra matris pectus multo undantem sanguine sævus obtruncat. Quo facto exilit statim, ac per totam regiam currens clamitat, magnum se periculum effugisse, vixque evasisse incolumem. Simul imperat militibus regiæ custodibus, raperent ilico se atque in castra deducerent, ubi tutius asservaretur, periturum dictitans, si diutius in ædibus moram trahat. Illi pro veris ea dicta accipientes simul ignari quæ intus gesta, currentem eum currentes & ipsi comitantur. Fit ingens populi tumultus, raptim agente se sub vesperam principe per mediam urbem: ut castra attigit, ædiculamque eam, intra quam signa ac simulachra exercitus adorantur, procidens humi gratias agebat, votis quasi pro salute susceptis*, &c. Hujus vero ædiculæ aliquot figulinæ iisdem in vineis inventæ sunt, cum hac inscriptione:

EX. ÆDICVLA. AVGVSTORVM. OPVS DOL
EX. FIG. C. PANISEI. HERMETIANI. ET. VRBICI

Castrum autem prætorium, exauctoratis prætorianis, evertit Constantinus Magnus Imperator, quando Maxentio tyranno, quem contra se Imperatorem prætoriani appellaverant, victo, & mortuo, urbem Romam cepit, ut refert lib. historiarum secundo Zosimus. Qui eam castrorum muri partem, quæ intra urbem erat, castrumque ipsum ab urbe dividebat, sustulit: militum quoque stationes & cellulas vastavit. Quo facto, urbis ambitum ampliorem fecit, castri prætorii muri tribus reliquis partibus relictis, forma enim quadrangula castra erant, & idcirco nostra quoque ætate urbis mœnia eo loco in formam quadrangulam adhuc extra porriguntur, qui nunc dumis, sepibus, & vinetis plenus est, atque a rusticis & ejus loci incolis adhuc castrum custodiæ appellatur. Vivarium autem circa eum locum fuisse Procopius Cæsariensis libro primo de bello Gothico iis verbis demonstrat: *Vitiges, acie instructa circa portam Prænestinam, ad eam muri partem mox ducit, quam Romani Vivarium dicunt, unde & expugnari mœnia perquam facile poterant.* Et paulo post: *Bessus interea Paraniusque, Vitige ipso e regione Vivarii validissime his insistente, eodem ad se Belisarium vocant. Ille vero, ut qui ei muro minus confideret, his opem laturus mox advolat, & quum milites in Vivario, id loco nomen, offendisset, ex invadentium ingenti multitudine hostium insultu nimio trepidantes, statim iis ipse animos facere, atque ut hostes parvi facerent commonere. Erat nimirum ea ex parte planior locus, atque adeo ad invadentium insultus peropportunus. Ad hoc accedebat, quod ea e regione murus ita dissolvebatur, ut vel lateres ipsi haud sat multum in sua compage subsisterent. Huic muro alterum & brevem forinsecus veteres quondam Romani modico intervallo adjecerant, sed non ad tutelam, ut qui sine propugnaculis fuisset extructus, sed ad delitias factus haud satis decentes, & ut leones eo in loco coercitos & bestias alias asservarent, unde & Vivarium is locus est dictus.* Quæ verba non recte intellecta occasionem dederunt antiquariis iis qui ante nos fuerunt, ut castrum ipsum Vivarium esse affirmarint, quod turribus & propugnaculis, contra Procopii dicta, adhuc munitum cernitur. Vivarium vero haud procul a castro prætorio extra castri muros erat, ubi nunc parietinæ quædam fenestratæ altissimæ videntur, ea ratione ædificatæ, qua Procopius scribit fuisse Vivarii muros, quæ ipsis olim castrorum, nunc urbis mœnibus adhuc propinquæ sunt. Hæc autem satis sint de castro prætorio dicta, nunc ad Tib. Claudium Augustum revertamur, qui primus post Augustum pomœrii terminos protulit.

De iis, qui post Augustum pomœrium urbis adauxerunt.

CLAUDIUS enim, admisso intra pomœrium Aventino monte, urbis ambitum auxit, quo tempore portam trigeminam eo ubi nunc est translatam fuisse existimo, quum prius non longe ab æde S. Mariæ Scholæ Græcæ fuisset. Ceterum Claudium Imperatorem urbis circuitum propagasse, testantur antiqua tam lapidum quam librorum monumenta. In lapide Tiburtino antiquo, effosso prope cloacam S. Luciæ, est ejusmodi inscriptio:

TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CAISAR
AVG. GERMANICVS

PONT. MAX. TRIB. POT.
VIII. IMP. XVI. COS. IIII.
CENSOR. P. P.
AVCTIS. POPVLI. ROMANI
FINIBVS. POMERIVM
AMPLIAVIT. TERMINAVITQ.

Item in tabula ænea basilicæ Lateranensis, in qua Imp. Cæsaris Vespasiani Augusti privilegia ei a senatu conlata continentur:

VTIQVE. EI. FINES. POMERII. PRO-FERRE
PROMOVERE. CVM. EX. REPVBLICA. CENSEBIT
ESSE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT.
TI. CLAVDIO. CÆSARI. AVG. GERMANICO

Cornelius vero Tacitus lib. XII. *Pomœrium urbis*, inquit, *auxit Claudius Cæsar more prisco, quo iis qui protulere imperium, etiam terminos urbis propagare datur. Et quos tum Claudius terminos posuerit facile cognitu, & publicis actis perscriptum*. Gellius quoque libro XIII. cap. XIV. ait: *Sed de Aventino monte prætermittendum non putavi, quod non pridem ego in Elidis grammatici veteris commentario offendi. In quo scriptum erat: Aventinum antea, sicut diximus, extra pomœrium exclusum, post auctore divo Claudio receptum, & intra pomœrii fines observatum*. Quos vero terminos Claudius posuerit nusquam inveni. Quum igitur tot pomœrii prolationibus urbs adeo aucta sit, verum demum erit, quod libro III. cap. V. refert Plinius: *Mœnia*, inquit, *urbis collegere ambitu, imperatoribus censoribusque Vespasianis, an. conditæ* DCCCXXVIII. *passuum* XIII. ∞ CC. (quæ mensura stadiis plus minus X. hac nostri temporis major est.) *Complexa montes* VII. *ipsa dividitur in regiones* XIV. *Compita earum* CCLXV. *ejusdem spatii mensura currente a milliario in capite Romani fori statuto ad singulas portas, quæ hodie numero sunt* XXXIV. alias XXIV. *ita ut* XII. *portæ semel numerentur, prætereanturque ex veteribus* VII. *quæ esse desierunt, efficit passuum per directum* XXX ∞ DCCLXV. *ad extrema vero tectorum cum castris prætoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum mensura colligit paulo amplius* LXX. ∞ *passuum. Quo si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari*. Pomœrii autem terminos non nisi augurum consilio poni, mutari, ac restitui potuisse satis constat, innuitque hæc inscriptio:

COLLEGIVM
AVGVRVM. AVCTORE
IMP. CAESARE. DIXI
TRAIANI. PARTHICI. F
DIVI. NERVÆ. NEPOTE
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONT. MAX. TRIB
POT. V. COS. III. PROCOS
TERMINOS. POMERII
RESTITVENDOS. CVRAVIT

Post Claudium, Imperatorem Neronem Ponto Polemoniaco, & Alpibus Cottiis imperio populi Romani adjectis: & post eum Trajanum Augustum Dacia in provinciæ formam redacta, pomœrium urbis protulisse, auctor est in Aureliani Imp. vita Fl. Vopiscus. *Pomœrio autem*, inquit, *nemini principum licet addere, nisi ei qui agri barbarici aliqua parte Romanam remp. locupletaverit; addidit autem Augustus, addidit Trajanus, addidit & Nero, sub quo Pontus Polemoniacus, & Alpes Cottiæ Romani nomini tributæ*. Quos autem fines Nero & Trajanus posuerint, incertum. Post Trajanum autem nullum Romanorum principum, usque ad Aurelianum, pomœrium protulisse legi, qui ut Fl. Vopiscus, Eutropius, & Zosimus lib. I. auctores sunt, ex S. C. muros urbis Romæ ampliavit. *Iis actis*, inquit Vopiscus, *quum videret posse fieri, ut aliquid tale iterum, quale sub Gallieno evenerat, proveniret, adhibito consilio senatus, muros urbis dilatavit, nec tamen pomœrio addidit eo tempore, sed postea*. Eutropius vero ait: *Aurelianus muris validioribus & laxioribus urbem sepsit*: eos vero Zosimus ab Aureliano quidem Imp. inchoatos, verum ab ejus successore Tacito Augusto perfectos fuisse scribit. Aurelianum autem urbis mœnia a porta Collina per collem hortulorum usque ad Tiberim, ut nunc visuntur, campumque Martium deduxisse existimo, vetere paulatim labante disciplina, quæ eum extra urbem esse volebat: præsertim quum hoc neminem nec superiorum, nec posteriorum principum fecisse legatur, satisque constet diu ante Belisarii & Theoderici regis Gothorum tempora eam murorum partem conditam fuisse. Nam quod Vopiscus dicere videtur, Aurelianum muros urbis sic ampliasse, ut quinquaginta prope millia passuum eorum ambitus teneret, ingenue fateor me ignorare. Existimarem autem, vel in numeri nota mendum esse, vel ipsum errasse, nec quid diceret intellexisse: fieri enim nullo modo posse arbitror, ut urbis ambitus L. passuum millia unquam fuerit, idque quibus mihi persuadeam rationibus, alio loco disseram. Hinc quidam Vopisci verbis, vel veris, vel depravatis, tanquam oraculo Pythio fidem adhibentes, dum eum vera scripsisse contendunt, levia quædam & puerilia afferunt. Alius enim more Jurisconsultorum urbis nomen accipi debere censet, alius usque ad primam portam urbis ambitum adauctum fuisse existimat, alii alia dicunt, quæ an vera sint, vel verosimilia, doctioribus viris judicanda relinquo. Tametsi scribat Tranquillus Neronem Ostia tenus urbis mœnia promovere, atque inde fossa mare urbi inducere voluisse; sed facile est loqui, Nero, difficile præstare quæ loqueris. De urbis vero magnitudine Aristides Smyrnæus in panegyrico de ejus laudibus ait: *Descendit hæc usque ad mare; ubi commune emporium, communisque omnium, quæ terra proveniunt, dispensatio. Quacumque in parte ejus urbis constiterit quis, nihil prohibet quo minus sit pariter & in medio*, & infra: *Quicquid nunc Italiæ restat, completum iri universa mihi videtur, unaque futura urbs perpetua in Ionium mare protensa*. Hæc Aristides. Quem tamen de suburbiis urbis, non de ambitu murorum intelligas oportet, quandoquidem feratur viam Flaminiam totam ab orbe Ocriculum usque ædificiis ex utraque parte plenam fuisse: itidem de Ostiensi via Ostia usque dicatur. Hinc est, quod Dionysius ait: *Si quis velit Romæ magnitudinem exquirere, nullum habebit certum signum, quo cognoscatur, quousque sit hæc urbs progressa, aut unde non esse amplius urbs incipiat*. Post Aureliani tempora Constantinus Imperator, diruto castro prætorio, ea qua diximus ratione urbis ambitum latiorem fecit. Qui non longe post, translato in Thraciam populi Romani imperio, viribus, & fortuna, urbem ipsam barbarorum sævitiæ exposuit, adeo ut muri ejus partim vetustate, partim barbarorum vi & injuria sæpe multis in locis disjecti fuerint & demoliti, a posterioribusque principibus sæpe restituti, inter quos ipsa urbis mœnia vetustate disrupta instaurarunt, post Aurelianum, Arcadius & Honorius Imperatores Theodosii Augusti filii,

ut indicat ejusmodi inscriptio Tiburtino lapide super portam Potuensem incisa, quam proxima pagina, quo integram eam & non concisam uno aspectu subjicerem, exaravi. In qua quamquam Flavii Stiliconis nomen ita erasum sit, ut vix cognosci queat, id tamen ex his quæ supersunt litterarum fragmentis accurate restitui.

S. P. Q. R.
IMPP. CÆSS. DD. NN. INVICTISSIMIS
PRINCIPIBVS. ARCADIO. ET. HONORIO
VICTORIBVS. AC. TRIVMFATORIBVS
SEMPER. AVGG.
OB. INSTAVRATOS. VRBI. ÆTERNÆ
MVROS. PORTAS. AC. TVRRES. EGESTIS
IMMENSIS. RVDERIBVS. EX. SVGGESTIONE
V. C. ET. ILLVSTRIS
MILITIS. ET. MAGISTRI. VTRIVSQ. MILITIÆ
FL. STILICONIS. AD. PERPETVITATEM
NOMINIS. EORVM. SIMVLACHRA
CONSTITVIT
CVRANTE. FL. MACROBIO. LONGINIANO
V. C. PRÆF. VRBIS. D. N. M. Q. EORVM

Post Arcadium & Honorium mœnia urbis partim a barbaris Gothis & Vandalis, Alarico & Genserico regibus, partim vetustate consumpta, instaurata sunt Theoderici regis Gothorum tempore, posteaquam totius Italiæ principatum, occiso Odovacre Herulo tyranno, a Zenone Imp. adeptus est: ut auctor est in epistolis Cassiodorus, qui S. P. Q. R. tradit Theodericum Gothorum regem, quum Romæ & in Italia imperaret, rogasse, ut marmora amphitheatri dissipata ac jacentia sibi ad muros urbis, partim vetustate collapsos, partim a barbaris disjectos, instaurandos concederet, idque facile obtinuisse. Post Theodericum magnam murorum urbis partem, quæ a Vitige primo dissipata, mox ab ejus successore Totila, Gothorum regibus, bello Gothico Italico omnino eversa fuerat, restaurarunt Belisarius & Narses VV. CC. patricii, & Justiniani Imp. in Italia contra Gothos copiarum præfecti, ut auctor est Procopius Cæsariensis, qui per ea tempora vixit, atque Belisarii a secretis fuit, in iis libris quos de bello Gothico Italico scriptos reliquit. Libro enim III. *Quibus*, inquit, *cognitis Totilas Romam in primis ad solum prosternere decernit, & majore exercitus parte ibidem relicta, cum reliqua adversus Joannem in Lucanos contendere. Sed muri tantum & diversis in locis hic diruit, quantum totius partem esse hanc tertiam conjectura quis consequi poterit*, &c. & non longe post: *Belisarius interim audacissimum aggreditur facinus, quod ferme tunc primum, spectantibus & audientibus multis, furentis est visum, non sani hominis esse, quum alias tamen egregium & excellentius esset. Paucis namque in portus custodiam relictis militibus, ipse cum ceteris Romam pervenit. Hanc enim animo destinarat omni conatu in potestatem redigere, a Gothis muris eversis relictam. Quum itaque minime posset eam mœnium partem, quam Totilas diruerat, brevi instaurare, lapides, qui in proximo erat, in unum coacervatos nullo ordine componebat, nec ulla prorsus intermixtos materia, ut cui cæmenti nil præsto esset, nec ejusmodi aliud quidpiam, sed id duntaxat efficere nitebatur, ut ædificii saltem facies servaretur. Exteriori vero parte ingentem vim sudium fixit. Ad hæc accedebat, quod fossam, & hanc quidem profundiorem, circa muros produxerat, unde totius exercitus incredibili promptitudine operantis per dies continuos XV. quod muri fuerat per Totilam disturbatum reficeretur. Romani præterea, qui circumjecta urbi incolerent loca, in patriam reduces cogebantur desiderio partim Romam rursum inhabitandi, partim rerum necessariarum inopia, cum omnium in* A *urbe copiam invenissent, quam Belisarius completis omni commeatum genere navibus & in urbem invectis jam fecerat. Totilas interim his auditis profectus statim cum universo exercitu adversus Belisarium ad urbem pervenit. Nondum enim Belisarius poterat, ut muris reficiendis intentus, præ opificum raritate, portis seras imponere. Belisarius interim, foribus ubique ad portas impositis ferro contectis, claves iterato Imperatori transmisit.* Hæc Procopius: *Quæ postea mœnia, bello Gothico per Narsem fine imposito, ab eodem Narse addito cæmento & calce iis locis, quibus ea Belisarius primo statuerat, commode postea firmata. Anienis pontes a Gothis disjectos restituit*, B &c. A condita autem urbe usque ad Belisarii tempora, semper urbs ampliorem murorum ambitum novo adjecto pomœrio adquisivit, nec unquam muri restituti sunt, quin vel superioribus ampliores, vel saltem æquales redderentur. In ea vero murorum quæ a Belisario facta est restitutione, urbis circuitus ita distortus & incomptus factus est, ut nunc conspicimus: nam etsi tot pomœrii prolationibus urbs antea aucta fuerit, ut ex forma fere circulari & pulcherrima ad aliam satis distortam, Martio campo, castro prætorio, & monte Aventino additis, reddita esset, murorum tamen compago, ambitus, & C ordo semper apposite ornateque extructa fuerunt. Quum autem tertia ejus murorum pars hinc inde a Totila eversa fuisset, ut superius ex Procopio accepimus, atque discedentibus Gothis a Belisario recepta urbs fuisset, ipse eam murorum disjectorum a Gothis partem restituere aggressus est. In qua restitutione, antiquæ murorum concinnitatis & elegantiæ, veterisque pomœrii rationem habere non potuit ob temporis celeritatem. Totilam enim denuo cum ingenti exercitu ad urbem venientem verebatur: quare inter ipsam murorum instaurationem, modo majorem, modo minorem orbem, quam antiquus fuerat, prout occasio aliqua antiqua ædificia amplectendi sese offerebat, fecit. In- D tra eos urbis muros, tumultuario opere a se excitatos, palatia, metas, amphitheatra, aquarum castella, aquæductus, & alia pleraque publica antiqua ædificia, non longe ab antiquo pomœrio, intus extraque existentia, quo celerius muros perficeret, inclusit, antiquumque pomœrii ordinem necessitate belli coactus turbavit, quod nunc adhuc extra portas Populi, Majorem, S. Sebastiani, & S. Pauli videri potest, ex quibus porta Major olim erat aquæductus forma, S. Sebastiani vero aquæ castellum. Ita quoque amphitheatrum castrense prope S. Crucem in Hierusalem, sepulchrum C. E Cestii pyramidis specie, aliquot aquæductuum formæ, & alia similia visuntur murorum compagini insita. Ita ut noster murorum urbis ambitus aliquot locis antiquo major, aliquot vere minor, aliquot autem antiquis adhuc fundamentis situs credi possit. Quam sententiam confirmant variæ atque diversæ murorum species, quibus conditi sunt: alicubi enim opere reticulato, alicubi lapidibus quadratis, alibi lateritia strue, alibi muro arcuato, alibi alia ratione fabricati videntur. Omnino autem hunc murorum orbis circuitum paulo minorem eo esse existimo, qui ante Belisarii tempora fuit, F & præsertim a muro castri prætorii ad Tiberim usque versus portam Ostiensem. Post Belisarii & Narsis tempora, murorum urbis circuitum motum non fuisse creditur, etsi sæpissime a variis Pontificibus Romanis, aut vetustate, aut barbarorum vi disjectum, renovatum fuisse constat. Inter quos Gregorius II. & Hadrianus I. ambo Romani Pontifices maximi magnam urbis murorum, propugnaculorum, & portarum partem refecerunt, ut auctor est Anastasius Bibliothecarius in ejus vitis. Leo vero IV. patria item Romanus XV. novas turres urbis muris adjecit, ex quibus una adhuc

sub Janiculo ad Tiberis ripam erecta in murorum urbis fine conspicitur, e regione cujus sub Aventino alteram quoque erexerat, quæ vetustate delapsa est. quibus Sarracenorum, aliorumque piratarum & prædonum, per Tiberim subeuntium, vis arceri posset. Eam quoque urbis partem, ubi in colle Vaticano sita est basilica principis Apostolorum Petri, muro veteri, qui circa Hadriani molem & S. Spiritus xenodochium tantum protendebatur, producto, urbis mœnibus inclusit, urbemque Leoninianam de suo nomine appellavit: quam Corsis a Sarracenis patriis sedibus pulsis habitandam tradidit. Eam autem ideo muro cinxit, ut Sarracenorum incursiones, qui eo tempore Italiam omnem vexabant, evitaret, qui basilicam ipsam, eo interregno, quod ante ejus creationem fuerat, captam omnibus ornamentis spoliaverant. Urbanus V. Nicolaus V. & Alexander VI. Romani Pontifices urbis Leoninianæ, quem nunc *Burgum* vocamus, muros vetustate dilabentes restituerunt, ut eorum insignia iis affixa testantur. Primus Romanorum Pontificum Bonifacius IX. Pont. Max. Hadriani molem munivit, atque ea pro arce ad Pontificum custodiam usus est. Quam Alexander VI. additis latioribus muris, & propugnaculis, fossaque & aggeribus, tutiorem reddit. Novissime Paulus Papa IV. additis amplioribus propugnaculis, prope inexpugnabilem fecit. Qua ratione autem vel forma fuerint veteres urbis muri circa molem Hadriani, inferius, quum de portis Triumphali & Aurelia loquar, quæ iis locis erant, differam. Porro post Leonem Papam IV. variis temporibus urbis muros hinc inde vetustate dilabentes refici curarunt Martinus V. Nicolaus V. Pius II. Paulus II. Xystus IV. Alexander IV. & plerique alii Romani Pontifices. Novum murorum urbis ambitum, & quidem sumptuosissimum ætate nostra aliquot locis, sed præcipue prope Aventinum montem & S. Spiritus ædem inchoavit Paulus Papa III. Farnesius Romanus, ingentis animi & spiritus Pontifex, verum eum vix inchoatum imperfectum reliquit. Novissime Paulus IV. Pontifex Maximus additis per totam urbem terreis propugnaculis & aggeribus, urbem proximo bello munivit. Urbis mœnia ætate nostra vix XIV. millibus passuum complectuntur. Turres habent vel integras, vel semifractas CCCLXII. portas XX. ex quibus XIII. sunt urbis Romæ, VII. urbis Leoninianæ, quæ nostro tempore *Burgus S. Petri* appellatur, Pontificum Romanorum perpetua sede, & toto orbe augustissima atque celebratissima Principis Apostolorum Petri basilica clarus. Atque hactenus de urbis pomœrio.

Brevis epilogus omnium, quæ de urbis pomœrio dicta sunt.

URBIS Romæ fundamenta auspicato a Romulo jacta sunt Parilibus, ante diem XI. Kal. Maii sextæ olympiadis anno tertio. Ex quo tempore, hoc die, qui est Kal. Julii, anno a partu virginis ∞ DLVIII. agitur annus urbis conditæ ∞∞ CCCX. Ex proximo XI. Kal. Maii die inchoatus.

Romulus Silvius rex primus urbem quadratam in monte Palatino condidit. Montes Saturnium, post Tarpejum, qui & Capitolinus dictus est, ac Quirinalem additis præsidiis munivit, non tamen urbis pomœrio inclusit.

T. Tatius Sabinorum rex, qui Romæ cum Romulo regnavit, veteris urbis pomœrio Tarpejum montem adjunxit, quem Sabinis, qui secum Romam commigraverant, habitandum dedit, ipseque habitavit. Quirinalem quoque addita custodia firmavit.

Romulus vero post Capitolium urbis pomœrio adjunctum, eumque T. Tatio cum Quirinali concessum, Cœlium montem palatio vicinum militum præsidio adposito munivit.

Numa Pompilius Pomponis F. rex secundus, si Dionysio Halicarnasseo credere volumus, Quirinalem collem urbis circuitu inclusit.

Tullius Hostilius Hosti F. rex tertius, Alba longa diruta, Albanisque in civitatem receptis, montem Cœlium, quem pomœrio addidit, colendum assignavit. Quem montem pomœrio inclusisse Ancum Martium regem, Strabo, vel L. Tarquinium Priscum, Tacitus produnt.

Ancus Martius Numæ filius rex quartus, Politorio Latinorum urbe excisa, Latinisque in civitatem adscitis, montem Aventinum habitandum concessit, quem tamen tanquam ominosum urbis pomœrio non inclusit.

Idem rex fossas circum urbem fecit, quæ Quiritium appellatæ sunt; Janiculum, quem facto super Tiberim ponte sublicio muro cinxerat, urbi addidit.

L. Tarquinius Damarati filius Priscus rex quintus, urbis muros ruderibus vilibusque structuris ad eam diem ædificatos, primus cœpit saxis magnis Albano, Tiburtino, & Prænestino ad regulam formatis extruere, quos Ser. Tullius rex perfecit.

Ser. Tullius Ser. F. rex sextus, Esquilias, Quirinalem, & Viminalem montes urbis pomœrio adjunxit; Romam aggere, fossis, & muro lapideo circumdedit.

L. Tarquinius L. F. Superbus rex septimus, immenso ab oriente aggere addito, Romam tutiorem fecit.

L. Cornelius L. F. P. N. Sulla Felix dictator primus post reges urbis pomœrium protulit.

C. Julius C. F. C. N. Cæsar dictator }
Imp. Cæsar divi F. C. N. Augustus } urbis ambitum adauxerunt.

T. Julius divi Augusti, filius, divi nepos Cæsar Augustus, castra prætoria urbis muris inter portas Viminalem & Gabiusam, alias Tiburtinam, adjunxit.

T. Claudius Drusi F. Cæsar Augustus Germanicus, Aventinum montem urbis pomœrio inclusit.

Nero Claudius Cæsar }
Augustus Germanicus, }
Imper. Cæsar Nerva }
Trajanus Augustus, } urbis pomœrium protulere.

Imper. Cæsar L. Domitius Aurelianus Augustus murorum urbis ambitum campo Martio incluso ampliavit.

Imper. Cæsar Fl. Constantinus Maximus Augustus, castro prætorio exciso, urbis ambitum ampliorem fecit.

Impp. Cæsaris Flavii Arcadius & Honorius Augusti muros urbis vetustate dilabentes restituerunt.

S. P. Q. R. urbis mœnia temporum injuria collabentia ex auctoritate regis Italiæ Theodorici Amali refecit.

Fl. Belisarius patricius V. C. sub Imp. Justiniano Augusto, tertiam murorum urbis partem, bello Gothico a Totila rege disjectam, refecit.

Fl. Narses V. C. urbis mœnia vetustate & ruinis quassata, sub Justiniano & Justino Juniore Augustis, quorum in Italia exactis Gothis præfectus fuit, firmavit.

Gregorius II. }
Hadrianus I. } Pontifices maximi, muros urbis temporibus diuturnitate consumptos, additis turribus restituerunt.

Leo Papa IV. mœnia urbis refecit, turres addidit, Vaticanum montem, in quo sita est basilica

principis Apostolorum, aucto murorum ambitu A cinxit. Quos postea temporis injuria collabentes variis temporibus sua impensa restituerunt.

Urbanus V. & Nicolaus V.		Pontifices maximi urbis mœnia hinc inde collabentia restituerunt.
Martinus	V.	
Nicolaus	V.	
Pius	II.	
Paulus	II.	
Xystus	IV.	
Alexander	VI.	

Paulus III. Pontifex maximus novum murorum urbis ambitum inchoavit, quem imperfectum reliquit.

B Novissime Paulus Papa IV. additis tota urbe aggeribus, terreisque propugnaculis Romam munivit.

Bonifacius IX. Pontifex Max. primus mole Hadriani munita, Romanorum Pontificum ditionem stabilivit. Quam postea

Alexander VI. Pontifex Max. additis fossa, aggeribus, latioribusque propugnaculis tutiorem fecit. Postremo proximo anno Paulus IV. Pontif. Maxim additis amplioribus propugnaculis tutissimam reddidit.

C *De portis & viis Romanis. Et primo de portis urbis Romuli.*

URBEM, inquit Plinius libro III. cap. v. *tres portas habentem Romulus reliquit, aut (ut plurimas tradentibus credamus) quatuor.* Qui tamen earum nec locum, nec nomina ponit, quæ ego ex Varrone, Sex. Pompejo, & aliis antiquis scriptoribus, conjecturisque aliquot explicare conabor. Primam igitur fuisse existimo portam Mucionis dictam, de qua sic Varro libro IV. mentionem facit: *Præterea intra muros video portas dici, in palatio Mucionis a mugitu, quod ea pecus in Bucitatum antiquum oppidum exigebant* Hanc etiam fuisse D crediderim, quam Verrius Flaccus Trigoniam dixit, a tribus angulis cognominatam. Quam in urbe Romuli versus arcum Titi Cæsaris fuisse, ex loco Dionysii liquet, & ex aliarum descriptione manifestum erit. Dionysius enim libro II. *Jovi quidem Statori Romulus templum dedicavit, apud portam Mucionis vocatam, qua in palatium ex sacra via itur*, &c. Altera palatii porta fuit nomine Romanula, de qua sic Varro: *Alteram Romanulam, quæ est dicta ab Roma, quæ habet gradus in navalia ad Volupiæ sacellum.* Et a Sex. Pompejo Romana appellatur: *Romanam, inquit, portam vulgus appellat, ubi ex epistylio defluit aqua, qui locus ab* E *antiquis appellari solitus est statuæ Cinciæ, quod in eo fuit sepulchrum ejus familiæ. Sed porta Romana instituta est a Romulo in infimo clivo Victoriæ, qui locus gradibus in quadraturam formatus est; appellata autem Romana a Sabinis præcipue, quod ea proximus aditus erat Romam.* Hanc autem ex hoc loco ea urbis parte fuisse oporteret, qua nunc Titi arcus est, quo in Sabinos iter erat. Tamen Dionysii & Varronis verba accurate consideranda sunt, quibus etiam magis credendum est, qui hanc portam (si modo ea est, quam Sex. Pompejus Romanam vocat) gradus in navalia habuisse scribunt, quæ Tiberim versus, & non amphitheatrum erant. F Atque eam alio loco prope Velabrum fuisse affirmat Varro iis verbis: *Hoc sacrificium fit in Velabro, qua in novam viam exitur, ut ajunt quidam, ad sepulcrum Accæ: qui locus extra urbem antiquam fuit, non longe a porta Romanula, de qua in priore libro dixi.* Hoc autem peritis antiquariis discutiendum relinquo, satis mihi sit, controversias scriptorum annotasse. Tertia porro palatii porta forum versus Janualis appellata fuit. De qua sic Varro: *Tertia est Janualis dicta ab Jano: & ideo ibi positum Jani signum, & jus institutum a Numa Pompilio, ut scribit in annalibus L. Piso, ut sit clausa semper, nisi quum bellum sit: Nusquam enim traditum est memoria fuisse apertam: & post T. Manlio cos. bello Carthaginensi confecto, & eodem anno apertam.* Hæc Varro: Quam quidem cerimoniam prius in urbis porta observatam fuisse arbitror, post ampliato pomœrio, portaque loco mota, id institutum fuit, ut in portis templi Jani, quod vicinum huic portæ erat, observaretur. hoc autem manifeste ex nummis æreis Neronis, Dione, & Procopio colligitur. Hæc autem porta in foro Romano erat, appellaturque a Livio libro I. porta vetus palatii, iis verbis: *Ut Hostius cecidit, confestim Romana inclinatur acies* (erant autem in foro) *fusaque est ad veterem portam palatii*, &c. Quo nomine etiam in Fastis ab Ovidio appellatur. De hac loqui puto Macrobium in libris Saturnalium, quum ait: *Quum bello Sabinorum, quod virginum raptarum gratia commissum est, Romani portam, quæ sub radicibus collis Viminalis erat, claudere festinarent, quia in ipsam hostes irruebant, postquam est clausa, mox sponte patefacta est. Quumque iterum, ac tertio idem contigisset, armati plurimi pro limine, quia claudere nequibant, custodes steterunt; quumque ex alia parte acerrimo prœlio certaretur, subito fama pertulit, fusos a Tatio nostros, quam ob caussam Romani, qui tuebantur, territi profugerunt. Quumque Sabini per portam patentem irrupturi essent, fertur ex Jani æde per hanc portam magnam vim torrentium undis scatentibus erupisse, multasque perduellium catervas, aut exustas ferventi aqua, aut devoratas rapida voragine, deperiisse. ex ea re placitum ut belli tempore, veluti ad urbis auxilium profecto deo, fores referarentur.* Piso etiam in annalibus memoriæ prodidit, *Janualem dictam ab Jano, & ideo ibi positum Jani signum, & jus institutum a Numa Pompilio, ut esset semper clausa, nisi quum bellum foret*, &c. Quod autem sub Viminalis collis radicibus fuisse scribit, non intelligo: magis Varroni assentior, qui eam palatii portam prodit, non Viminalis.

Has autem tres portas fuisse ex Varrone ipso liquet, quæ primis muris urbis Romuli fuerunt ab eodem institutæ. Qui numerus in urbe adhuc parva publico usui satisfacere posse videbatur. Portas Pandanam, Mugionam, & Carmentalem a primo Romuli murorum ambitu, ex Varronis sententia, excludi. Sabinis autem cum eorum rege T. Tatio in civitatem a Romulo adscitis, quum aucto pomœrio Capitolium urbi inclusum fuisset, quartam demum sub Romulo portam urbi additam fuisse constat, quæ Carmentalis nuncupata fuit. atque hac ratione tolli poterit contradictio inter eos auctores, qui a Plinio citantur de urbis Romuli portis, quum alii de primo, alii de posteriore Romuli pomœrio loquantur. Carmentalis autem porta, ab Evandri matre Carmenta nominata, sub Capitolio sita fuit, inter saxum Tarpejum & Tiberim versus circum Flaminium. Quod his verbis declarat Livius lib. XXVII. *Ab æde Apollinis boves fœminæ duæ albæ porta Carmentali in urbem ductæ. Post eas duo signa cupressea Junonis reginæ portabantur. A porta Jugario vico in forum venere.* &c. Jugarius autem vicus ea Capitolii parte erat. De ea Virgilius:

Et Carmentalem Romano nomine portam.

Plutarchus in vita Camilli. *Ad Carmentalem, inquit, portam Pontius contendit, ut quid ageretur per silentium specularetur, nam huic maxime directo Capitolium incumbit.* Et Solinus: *Pars infima Capitolini montis habitaculum Carmentæ fuit, ubi & Carmentale fanum nunc est, a quo Carmentalis portæ nomen est.* Eadem ratione Sex. Pompeius,

qui templum aliud Jani fuisse extra portam Carmentalem prodit. *Hæc postea*, ut inquit idem Sex. Pomp. *Scelerata porta dicta est, quod per eam sex & trecenti Fabii, cum clientium millibus quinque egressi, adversus Etruscos ad amnem Cremeram omnes sunt interfecti*.

Unde Ovidius in Fastis.

Carmentis portæ dextro est via proxima Jano:
Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet.
Illa fama refert, Fabios exisse trecentos,
Porta vacat culpa, sed tamen omen habet. &c.

Hæc ab aliis Tarpeja, & Vejentina solet appellari. Atque hactenus de portis urbis, quam Romulus decedens reliquit.

De Reliquis urbis Romæ portis.

TEMPORIS ratio exigere videbatur, ut, expleto de portis urbis Romuli sermone, de reliquis deinceps verba facerem; quæ singulatim post eum diversis temporibus, singuloque pomœrii auctu adjectæ sunt, perinde ac feci de iis qui pomœrium protulerunt, usque ad novissima tempora. Quod quum ob rei difficultatem, atque ignorationem, me omnino facere posse diffiderem, commodissimum mihi lectoribusque fore existimavi, si de portis, quæ nunc in urbis mœnibus sunt, primo dissererem, & postea ad antiquiores devenirem. Quumque ante millesimum annum iisdem in locis fuerint, tum etiam quod iis, quæ modo supersunt, portis cognitis, facilius in veterum vetustissimarumque urbis portarum notitiam devenire poterimus. Quæ etsi iisdem in locis, quibus antiquissimæ primo, mox recentiores portæ fuerunt, non sint: iisdem tamen viis incumbunt, atque non multum ab antiquo situ distant, rectaque eo deducunt, quo & antiquæ portæ. Procopius itaque Cæsariensis libro primo de bello Gothico, quem ante mille annos scripsit XIV. portas suo tempore urbem Romam habuisse iis verbis docet: *Habet autem circumjectus urbi murus portas XIV. portulasque alias quasdam, unde & Gothi, quum minime possent cum universo exercitu longiorem mœnium ambitum circumplecti, senis positis castris portarum intercapedines infestabant*. Quæ omnes, præter unam tantum Aureliam, quæ urbi Leonianæ inclusa est, adhuc iisdem fere nominibus supersunt. De quibus verba facturus, aliorum scriptorum exemplo, a porta Flumentana Tiberi vicina, atque ea parte in ordine prima, initium sumam.

De porta Flumentana, alias Flaminia.

PRIMA post Tiberim in ordine portarum urbis est porta antiquitus Flumentana, postea Flaminia, nunc Populi dicta. Cujus meminit Sex. Pompeius: *Flumentana*, inquit, *porta Romæ appellata, quod Tiberis partem ea fluxisse affirmant*. Hæc antiquitus non eo loco erat, quo nostra ætate porta Populi, alioqui Martius campus intra pomœrium fuisset clausus, quod dicere absurdum est. Erat igitur ad Tiberis ripam, circa loca ubi nunc sunt ædes Farnesiorum, vel haud longe a campo Floræ, ad Tiberis ripam, e regione murorum, quos Ancus rex in Janiculo erexerat. Unde Livius: *Tiberis*, inquit, *infestiore quam prius impetu illatus urbi, duos pontes, ædificia multa, maxime circa portam Flumentanam evertit*. Extra quam portam lucum Petilinum fuisse testatur idem, iis verbis: *Ita prædicta die in Petilinum lucum, extra portam Flumentanam, unde conspectus in Capitolium non est, concilium populi indictum*. Hanc autem eo loco, ubi nunc est, transtulisse credo Aurelianum, quando ea parte urbis mœnia propagavit, quæ postea a via Flaminia nomen obtinuit. De ea Procopius sic scribit: *Inter portam namque Flaminiam & Prænestinam cis Tiberim castra una locaverant*. Et alibi: *Belisarius Prænestinam portam Besso tradiderat custodiendam, Flaminiæ Constantianum præfecerat, quam tamen prius impositis foribus, & ingentium lapidum mole inædificata, ita obstruxerat, ut vix ullo molimine aperiri per quempiam posset, veritus maxime ne ex tam propinquis hostium castris ea insidiæ fierent, ceteras portas peditum ducibus custodiendas permisit*. Et non longe post: *Nec portam quidem Flaminiam Gothi tentarunt, ut loco præcipiti sitam atque adeo ut adiri non facile queat*. Hæc porta nunc viæ Flaminiæ a qua (ut dixi) nomen obtinuit, imposita est.

De viis Romanis extra urbem.

MAXIMAM priscis temporibus senatus diligentiam, in faciendis sarciendisque viis tam intra quam extra urbem, fuisse constat. Nulla enim gens unquam fuit, quæ publicæ civium commoditatis urbisque ornamenti studiosior extiterit, quam Romana. Hinc tot viæ, templa, ædes, delubria, circi, theatra, ampitheatra, fora, basilicæ, aquæ, pontes, thermæ, lacus, balnea, pistrina, & alia sine numero publica ædificia. Optimis enim reipublicæ temporibus, quibus maximus paupertati parsimoniæque honos extitit, veteres illi Romani, non privatæ rei augendæ, sed publico decori civiumque commodis mirum in modum studuere. Quare inter cætera præclari exempli gesta, reique publicæ utillima ab eis excogitata, fuit viarum tota Italia stratarum magnificentia; quarum potissimum rationem semper habuere. Unde merito Dionysius tria in Romanis fabricis admirabatur: aquæ ductus, vias, & cloacas. Quibus vel faciendis vel sarciendis nobilissimos primariosque cives præposuere. Porro autem viarum curandarum munus primo censoribus a senatu commissum fuit. Deinde quum censores, aliis rebus pro officio occupati, huic muneri solicite vacare nequirent; ex S.C. magistratus alius speciatim ob eam caussam creatus est: ii Quatuorviri viarum curandarum vocabantur. Postremo crescente viarum numero, quum hi non sufficerent, singulis, vel duabus, aut tribus, pluribusque viis restituendis sarciendisque, prout temporis necessitas exigebat, singuli cives præpositi fuerunt, qui curatores earum viarum appellabantur. Quorum magistratus quum prius incertus esset, nec nisi ad tempus crearetur, tandem eum ordinarium fecit Cæsar Augustus. Quæ omnia antiquis monumentis ita fuisse differam. Vias igitur Sp. Postumio Albino Paullulo & Q. Mucio Scævula coss. anno urbis DXXC. Q. Fulvium Flaccum & A. Postumium Albinum censores sternendas silice in urbe, glarea extra urbem substruendas marginandasque primos omnium locavisse, auctor est T. Livius libro XLI. Postea autem, tam extra quam intra urbem, silice stratas fuisse, earum, quæ adhuc tota Italia supersunt, vestigia indicant. De quibus Procopius libro primo belli Gothici, loquens de via Appia, ita disserit: *Appius siquidem ex alia & longinqua tunc regione (ut reor) excisos lapides, & hos quidem siliceos, & suapte natura durissimos, in hanc viam vehendos curavit. Quos complanatos & læves postea redditos, quadratosque circumcidendo factos, invicem collocavit, metalli nihil, vel rei alterius inserendo. Sunt autem ita connexi, & inter se tam valide condensati, ut speciem præ se ferant visentibus, non compositos esse, sed natura sic editos; & quamvis diuturno hi tempore atterantur, plaustrisque frequentibus,*

& quibusvis amantibus continenter pervii sint, suo tamen ex nexu parumper quidem discedunt, vel comminuti franguntur, nec sui quiquam amittunt nitoris, &c. Ad cujus postea formam, iisdem lapidibus siliceis ceteræ quoque viæ stratæ fuerunt. Quidam porro referunt duos se montes in Campania vidisse: ex quibus saxa illa coloris duritieique ferreæ exscindi essent solita, alterum prope Suessam, alterum ad mare inter Puteolos & Neapolim: qui silices lati sunt quaquaversus ternos, quaternos, & aliquando quinos pedes. Veteres autem vias C. Gracchum certis regionibus direxisse, & passim lapide stravisse, partimque muniviffe, aggeribus iniqua adæquando & quantum valles torrentesque abrumpebant, pontibus æquali altitudine conjungendo, tradit Plutarchus. Qui Gracchus, dimenso quoque viarum spacio, singulis intervallis columnas lapideas, signum milliariorum præ se ferentes, constituit. Hinc origo manavit pro tertio, vel quarto milliario, tertio vel quarto ab urbe lapide dicendi. Pomponius Tit. II. de origine juris, post creationem duorum prætorum, urbani videlicet & peregrini: *Constituti sunt*, inquit, *eodem tempore & quatuor viri, qui curam viarum agerent*. Quorum in antiquis inscriptionibus frequens mentio est ita:

CN. DOMITIO. SEX. F.
AFRO. TITIO. MARCELLO
CVRINO. LVCANO
COS. PRO. COS. PROVINCIÆ. AFRICÆ.
LEGATO. EIVSDEM PROVINCIÆ T.VI.
FRATRIS. SVI. SEPTEMVIRO. EPVLONVM
PRÆTORI. LEGATO. PROVINCIÆ. AFR.
IMP. CÆSAR. AVG. PRÆF. AVXILIORVM. OMNIVM
ADVERSVS. GERMANOS. DONATO. AB
IMP.VESPASIANO.AVG.ET.T.CÆSARE AVG F.CORONIS
MVRALI. VALLARI. AVREIS. HASTIS. PVRIS.III.
VEXILLIS.II. ADLECTO.INTER.PATRICIOS. PRÆTORI
TR.PL.QVÆST.PRO.PRÆT PROVINCIÆ AFRIC
MIL. LEG. V.CLAVD. IV.VIR VIARVM CVRANDARVM
PATRONO

Item:

....

PRÆD CER.Q PROVINC
CYPRI. PRO. PR.
TRIB. MIL. LEG.II. AVGVST.
IIII. VIRO. VIA. CVRAND.
PATRONO. COL.
D. D. P.

Item:

IMP. CÆSARI. DIVI
TRAIANI. PARTHICI
FIL. DIVI. NERVÆ NEP.
AVG. PONTIF. MAX. TRIB.
POTEST. COS. II. P.P.
IIII VIR. VIAR
Q.TAMVDIVS. Q.F. PALAT.
GRAIVS. VIENNA
L.AVRELIVS. L.F.OVF
TYRANNVS. INTERAMN.
NAHAR. TI. IVLIVS. TI. F.STEL
VERECVNDIANVS. BONONIA
Q.TAMVDIVS. SEX. F. ARRIVS
REATE. FAC. CVR.

Item:

CERERI. SACRVM
L. AP...... PAL. ET
P. STATIVS. P.F. PAL. AVRELIVS II. VIR
CVRATORES
Q. LARONIVS Q.F.HOR. QVADRATVS
L.MEMMIVS. SEX. F. PAL. PETRONIVS
L. MEMMIVS L.F. PALAT. GALBIVS
MENSOR. ITER. HONOR. IN. CVR.
FVNCT
III. VIR. VIAR

Item in antiquo epigrammate, quod Romæ adhuc extat in hortis Gentilis Delphinii sine principio ita.

....

DACICVS. GENTEM DACORVM. ET
REGEM. DECEBALVM. BELLO. SVPERAVIT
SVB EODEM. DVCE. LEGATVS. PR. PR. AB
EODEM. DONATO. HASTIS. PVRIS. VIII
VEXILLIS. VIII. CORONIS. MVRALIBVS. II
VALLARIBVS. II. CLASSICIS.II. AVRATIS. II
LEG. PR. PR. PROVINC. BELGICÆ. LEG. I
MINERVIÆ. CANDIDATO. CÆSARIS. IN
PRAETVRA. ET. IN. TRIBVNATV. PLEB.
QVAESTORI. PROVINCIAE. ACHAIAE
IIII. VIRO. VIARVM. CVRANDARVM
HVIC. SENATVS. AVCTORE. IMP.
TRAIANO. AVG. GERMANICO. DACICO. TRIVMPHALIA. ORNAMENT.
DECREVIT. STATVAMQ. PECVN. PVBLIC.
PONEN. CENSVIT.

Item:

C. RVSTIVS. C.F. FLAVOS. ITER
L. OCTAVIVS L.F. VITVLVS
IIII VIR. D. S. S.
VIAM. INTEGENDAM
CVRAVERE

De curatoribus vero viarum Cicero epistola prima ad Atticum meminit: *Thermis*, inquit, *curator est viæ Flaminiæ, quæ quum erit absoluta, sane facile eum Cæsari consulem addiderim*. Et Plinius junior, libro v. epistola ad Pontium: *Recesseram in municipium, quum mihi nuntiatum est Cornutum Tertullum accepisse Æmiliæ viæ curam. Exprimere non possum, quanto sim gaudio affectus, & ipsius & meo nomine*. Quod tamen munus prius non perpetuum fuisse crediderim, sed temporaneum: quod Tranquillus in Augusti vita cap. XXXVII. ita dicat: *Quoque plures partem administrandæ reip. caperent, Augusta nova officia excogitavit, curam operum publicorum, viarum, & aquarum, alvei Tiberis, ac cloacarum, frumenti populo dividendi, præfecturam urbis, triumviratum, legendi senatus, & alterum recognoscendi turmas equitum, quotiescunque opus esset*. Extantque ejusmodi inscriptiones:

L. FABRICIVS. L.F. CVR. FACIVNDVM.
COERAVIT
IDEM. QVE. PROBAVIT
Q. LEPIDVS. M.F. M. LOLLIVS. M.F. COS
EX S.C. PROBAVERVNT.

Item:

L. APPVLEIVS
C.F.ANI. NIGER
II. VIR
CVRATOR. VIARVM
STERNENDARVM
PEDVM. DECEM
MILLIA VIAM
SVA. PECVNIA
FECIT

Item:

Item:

L. VARRONIO. L. F.
PAL. CAPITONI
SCRIBÆ. ÆDILIC
ACCENSO. VELATO
II VIRO. QVINQVENN.
CVRATORI. VIARVM
PATRONO. COLONIÆ
ORDO. REGALIVM
QVORVM. HONORE
CONTENTVS. SVA. PECVN
POSVIT. L. D. D.

Viarum autem quædam extra urbem, quædam intra, initium habuerunt; ut Flaminia, Prænestina, Lavicana, Campana, Appia, & Ardeatina. Reliquæ vero omnes ab ipsis portis incipiebant, atque extra urbem protendebantur. Nomina autem a variis casibus sortitæ sunt. Aliæ enim ab auctoribus; ut Flaminia, Æmiliæ duæ, Cassia, Clodia vel Claudia, Annia, Augusta, Quinctia, Junia, Sempronia, Valeriæ duæ, Appia, Numicia, tres Trajanæ, Vitellia, Aurelia, Cornelia, Domitiana, Postumia, Flavia, Pompeja, & Domitia. Aliæ ab urbibus ad quas deductæ erant, ut Collatina, Numentana, Tiburtina, Gabina, Prænestina, Labicana, Laurentina, Setina, Ardeatina, Ostiensis, Portuensis, Amerina. Aliæ a provinciis, ut Campana, Ausonia, quæ & Latia vel Latina, Gallicana, & Gallica. Aliæ a diversis eventibus, ut Cimina, Salaria, Asinaria, Triumphalis, Tiberina, Sacra, Nova, Lata, Fornicata, Recta, Alta. Aliarum vero etymologiam ignoro, ut Patinariæ, & Laticulensis. Quædam autem ex iis tam latæ fuerunt, & præsertim Appia, ut plaustra duo ex adverso invicem occurrentia caperent: tam longæ, ut provinciarum terminos attingerent. Primum (ut dixi) in urbe tantum silice sternebantur, extra vero glarea, ut ex Tibullo quoque & Plinio constat; posterioribus vero temporibus omnes silicibus stratæ sunt. Viarum autem nomina enumerabo ad rationem portarum, quibus perducuntur. Quod autem interdum inter se scriptores de iis loquentes discrepent, id accidit, quod non uno tempore omnes sint stratæ, & una in alteram sæpe exiguo, sæpe longiore intervallo incidens, nomen alterius immutat.

De via Flaminia.

VIA Flaminia, quæ a porta Flumentana initium habuit, a C. Flaminio iterum cos. qui apud lacum Trasimenum cum xv. Romanorum millibus bello Punico secundo ab Hannibale cæsus est, ex hostium Gallorum, de quibus triumphavit, manubiis, in censura, quam cum L. Paulo, anno urbis DXXXIII gessit, strata fuit. Quam tamen Strabo, contra Livii, & Sex. Pompeii, ac Cassiodori sententias, ab ejus filio stratam fuisse scribit iis verbis: *Eodem in consulatu M. Lepidus, & C. Flaminius collegæ fuere, victores autem Ligurum stravere, hic quidem Flaminiam e Roma per Thusciam & Umbriam, usque Ariminum; alter reliquam porro usque Bononiam, & ex ea Aquilejam prope Alpium radices, ducto per gyrum circa paludes opere.* L. vero Florus ex Livio in epitoma libri ab urbe condita xx. hujus patrem fuisse scribit, quum ait: *C. Flaminius censor viam Flaminiam munivit, & circum Flaminium extruxit.* Et Festus: *Flaminius circus & Flaminia via a Flaminio cos. dicta sunt, qui interfectus est ab Hannibale ad lacum Trasimenum.* Et Cassiodorus: *L. Veturio & C. Lutatio coss. qui fuit annus urbis* DXXXIII. *via*

A *Flaminia munita, & circus factus, qui Flaminius appellatur.* Fieri autem potest, ut a patre inchoata, a filio vero perfecta fuerit, vel partem ejus a patre, & partem a filio factam. Quod indicare iis verbis videtur lib. XXXIX. Livius: *Liguribus domitis, Flaminius cos. pacem dedit finitimis, & quia a bello quieta ut esset provincia effecerat, ne in otio milites haberet, viam a Bononia perduxit Arretium.* &c. Hujus curatorem Q. Marcium Thermum fuisse, refert Cicero epistola prima ad Atticum. Et Tranquillus in Augusti vita capite xxx. *Quo autem facilius*, inquit, *undique urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas* B *distribuit.* Martialis libro x.

Totaque Flaminia Roma videnda via.

Hujus viæ adhuc per Umbriam, & inter Ocriculum, & Romam multa vestigia apparent. Crebra ejus apud Cornelium Tacitum mentio est, qui Flaminiam viam ponti Milvio impositam etiam scribit; de eadem quoque & uno ex ejus curatoribus mentio est in inscriptione hac antiqua Tarraconensi.

C

L. OVINIO. L. F. QVIR
RVSTICO. CORNELIANO
COS. DES. PRÆT. INTER
TRIBVNICIOS. ADLECTO
CVRAT. VIÆ. FLAMINIÆ
LEG. LEG. VII. MYS. INFERIOR
CVRAT. VIÆ. TIBVRTINÆ
CVRAT. REIP. RICINENSIS
RVSTICA. OVINIA
CORNELIANA. FILIA
PATRI. PIENTISSIMO

D In hac via plurima cernuntur sepulchra, quæ vetustate consumpta vix cognosci possunt. Hac via ad nonum lapidem fuit villa Cæsarum, quæ ad Gallinas dicebatur, ut auctor est Plinius; qui ejus nominis rationem reddens, sic ait: *Gallinam conspicui candoris sedenti Liviæ Drusillæ aquila ex alto abjecit in gremium illæsam, intrepideque miranti accessit miraculum, quoniam tenentem rostro laureum ramum onustum suis baccis conservari alitem & sobolem jussere haruspices, ramumque eum seri ac rite custodiri; quodque factum est in villa Cæsarum fluvio Tiberi imposita, juxta nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur ad Gallinas.* Et Tranquillus E capite I. in Galba: *Progenies Cæsarum in Nerone defecit. Quod futurum compluribus quidem signis, sed duobus evidentissimis apparuit. Liviæ olim post Augusti statim nuptias Vejentanum suum revisenti, prætervolans aquila gallinam albam ramulum lauri rostro tenentem, ita ut rapuerat, demisit in gremium, quumque nutriri alitem, pangi ramulum placuisset, tanta pullorum soboles provenit, ut hodie quoque ea villa ad Gallinas vocetur. Tale vero lauretum, ut triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent; fuitque mos triumphantibus alias confestim eodem loco pangere, & observatum est, sub cujusque obitum arborem ab ipso institutam elanguisse. Ergo novissimo Ne*F*ronis anno, & silva omnis exaruit radicitus, & quicquid ibi gallinarum erat, interiit.* In eadem via erant Clitellæ, de quibus Sex. Pompejus: *Clitellæ*, inquit, *non tantum hæ, quibus sarcinæ colligatæ mulis portantur, dicuntur, sed etiam locus Romæ per similitudinem, & in via Flaminia loca quædam devexa & acclivia.* Via Flaminia quoque locus erat *Saxa rubra* appellatus; de quo mentio est apud Cornelium Tacitum. In hac via fuit sepulchrum Pantomimi Paridis Ægyptii Neronis liberti, de quo Martialis libro XI.

Quisquis Flaminiam teris viator,
Noli nobile præterire marmor.

Item Glauciæ liberti Melioris, de quo idem Martialis lib. VI.

Hoc sub marmore Glaucias humatus
Juncto Flaminiæ jacet sepulchro.

Et de eodem Statius II. Silvarum:

... Plebs cuncta nefas, & prævia flerunt
Agmina, Flaminio quæ limite Mulvius agger
Transvehit.

Fit quoque ejus viæ mentio in libello Velii Fidii Jubentii. Nostra ætate paulo extra urbis mœnia via Flaminia Julius III. Pontifex maximus mirabili in primis atque sumptuosissimo opere villam Juliam exædificavit, de qua alio loco differam. Inchoabat via Flaminia ab urbe porta Flumentana, inde, ut inquit Antoninus, hac ratione Ariminum usque pertinebat.

Ab urbe	*Helvillum*
Rostratam villam, hinc	*Callem*
Utriculum, deinde	*Forum Sempronii*
Narniam, post	*Fanum Fortunæ*
Interamnam,	*Pisaurum, & postremo*
Spoletium	*Arimini desinebat.*
Forum Flaminii	

De via Æmilia Lepidi.

DUÆ viæ Æmiliæ fuerunt, altera Lepidi, de qua nunc sermo est, altera Scauri, de qua paulo post scribam. Hanc stravit M. Aimilius M. F. Lepidus, qui pontifex maximus, iterum consul, censor, & princeps senatus sexies lectus fuit, in primo consulatu, quem cum C. Flaminio, ejus, qui ad Trasimenum cecidit, filio, anno urbis DLXVII. gessit. De hac Strabo: *Eodem in consulatu M. Lepidus & C. Flaminius collegæ fuere, victores autem Ligurum stravere, hic quidem Flaminiam e Roma per Thusciam & Umbriam usque Ariminum. Alter reliquam porro usque Bononiam, & ex ea in Aquilejam, prope Alpium radices, ducto per gyrum circa paludes opere.* Livius quoque libro XXIX. commemorat, M. Aimilium consulem subactis eisdem Liguribus viam a Placentia productam Flaminiæ commisisse, iis verbis: *Cos. Aimilius pacatis Liguribus in agrum Gallicum exercitum duxit, viamque ab Placentia ut Flaminiæ committeret Ariminum perduxit.* &c. Quibus verbis liquet Æmiliam initium habuisse ab Arimino, Ariminum enim usque Flaminia pertinebat: hincque ducto in gyrum opere circa radices Alpium, hac ratione Aquilejam usque perductam esse, ut ex Antonini Pii Imp. itinerario liquet.

Ab Arimino	*Placentiam*
Cæsenam, deinde	*Laudem*
Forum Livii, post	*Mediolanum*
Faventiam, post	*Bergomum*
Forum Cornelii	*Brixiam*
Clacerinam	*Syrmionem*
Bononiam	*Veronam*
Mutinam	*Vicentiam*
Regium	*Patavium*
Tannetum	*Altinum*
Parmam	*Concordiam, & postremo*
Fidentiolam	*Aquilejæ desinebat.*

Martialis libro III. alloquens librum suum de hac via sic scribit:

Romam vade liber, si veneris unde, requiret,
Aimiliæ dicas de regione viæ:
Si quibus in terris, qua simus in urbe, rogabit,
Corneli referas me licet esse foro.

Idem de eadem via libro VI. & Plinius libro I. agens de portento agri Mutinensis: qui in eadem quoque Faventiam positam fuisse significat libro XIX. & Plinius Junior in epistola ad Pontium, *Mihi nuntiatum est Cornutum Tertullum accepisse Æmiliæ viæ curam.* Ab hac via ea Galliæ togatæ regio Æmilia appellata est, sicut etiam Flaminia ab alia via.

De aliis viis incidentibus in Flaminiam, & primo de via Cassia.

CASSIAM viam a Cassio, qui eam stravit, dictam fuisse, auctor est Sex. Pompejus. De qua Cicero Philippica XII. *Tres viæ sunt ad Mutinam, a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.* Hæc a Flaminia extra pontem Milvium divisa Sutrium, Vetrallam, Viterbiumque, & Vulsinios mittebat, cujus rudera quædam inter ipsa oppida adhuc extant. Hujus, & aliquot aliarum viarum mentio est in hac antiqua Auximate inscriptione:

C. OPPIO. C. F. VEL
SABINO. IVLIO. NEPOTI
M. VIBIO. SOLLEMNI. SEVERO
COS.
ADLECTO. A. SACRATISSIMO. IMP.
HADRIANO. AVGVSTO
INTER. TRIBVNICIOS. PR. PEREGR.
CANDIDATO. AVG.
LEGATO. PROV. BÆTHICÆ. CVR. VIAR.
CLODIÆ. ANNIÆ. CASSIÆ
CIMINÆ. TRIVM. TRAIANARVM
ET. AMERINÆ. LEG. LEGION. XI.
CL. P. F. LEG. AVG. PR. PR
PROVINCIÆ. LVSITANIÆ
PRO. COS. PROV. BÆTHICÆ
PATRONO. COL.
LEONAS. LIB. ADCENSVS. PATRONI
ET. IN. DEDIC. STATVÆ
COLONIS. CENAM. DEDIT

De via Clodia, vel Claudia.

ET hæc in Flaminiam incidebat, ut iis versibus testatur Ovidius libro I. de Ponto:

Nec quos pomiferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ.

Ejus quoque mentio est in supra relata Auximate inscriptione, in qua Clodia appellatur. Inchoabat a Roma, atque Lucam usque hac ratione, ut ex Antonini Pii itinerario didici, perducebatur.

Roma	*Arretium*
Baccanas, deinde	*Ad fines sive casas Cæsarianas*
Sutrium	*Florentiam*
Forum Cassii	*Pistorium, & postremo*
Vulsinios	*Lucam*
Clusium	
Ad statuas	

De via Annia.

HANC quoque vel Flaminiæ conjunctam, vel ab ea incepisse testatur ordo, quo hæ viæ referuntur in inscriptione Auximate jam posita videlicet. Curator viarum Clodiæ, Anniæ,

Cassiæ, Ciminæ, trium Trajanarum & Amerinæ. Nam hac parte has omnes vias fuisse, præter Trajanas, constat. Idem quoque sequenti antiqua marmorea inscriptione confirmatur, quæ nunc in horto ecclesiæ cathedralis urbis Castellanæ in Faliscis adhuc extat, non longe eo translata:

HONORI
IMP. CÆSARIS. DIVI. F
AVGVSTI. PONT. MAXIM
PATR. PATRIÆ. ET. MVNICIP
MAGISTRI. AVGVSTALES
C. EGNATIVS. M. L. GLYCO
C. EGNATIVS. C. L. MVSICVS
C. IVLIVS. CÆSAR. LISOCHRYSVS
Q. FLORINIVS. Q. L. PRINCEPS
VIAM. AVGVSTAM. AB. VIA
ANNIA. EXTRA. PORTAM. AD
CERERIS. SILICE. STERNENDAM
CVRARVNT. PECVNIA. SVA
PRO. LVDIS

De via Augusta.

HANC in Faliscis fuisse, non procul a Flaminia, & in Anniam incidisse, testatur superior inscriptio, de qua nihil præterea compertum habeo.

De via Cimina.

HÆC Cassiæ & Flaminiæ propinqua fuit, colles lacusque Ciminos, haud procul a Viterbio sitos, petens, a quibus & nomen accepit. Virgilius:

Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.

Silvæ Ciminæ meminit libro IX. ab urbe condita Livius. De ea quoque mentio est in Auximate inscriptione.

De via Amerina.

AMERINAM viam, cujus Auximas inscriptio meminit, iis subjeci, quod ex via Flaminia discedens Ameriam ducat.

De viis Sempronia & Postumia.

VIAM demum Semproniam a Flaminia oriri Fulginei in Umbria, & usque ad forum Sempronii protendi, a quo nomen accepit, quidam scribunt. De Postumia mentionem facit iis verbis Tacitus: *Sistere tertiam legionem in ipso viæ Postumiæ aggere jubet.* &c. Hæc autem in Gallia togata fuit, non procul a Bebriaco, vico Veronensium, Hostilia, & Cremona, quam hic adposui, quod versus Flaminiam & Æmiliam strata esset.

De porta & via Collatina.

POST Flumentanam portam, proximo loco est Collatina colli hortulorum imposita, de qua Sex. Pompejus: *Collatia oppidum fuit prope Romam, eo quod opes aliarum civitatum ibi fuerint collatæ, a qua porta Romæ Collatina dicta est.* Livius quoque libro I. *Collatia & quicquid circa Collatiam agri erat Sabinis a rege Tarquinio ademptum.* &c. Servat quoque ætas nostra morem appellandi in Collatia, quicquid e regione ejus portæ habet ager Romanus. Hæc antiquitus. mœnibus a Collina porta versus Tiberim ampliatis, cum Flumentana conjuncta fuit, non longe a campo Floræ collocata; postea pomœrio ampliato ad eum locum, ubi nunc est, super hortulorum collem cum Flumentana ipso forte Aureliani Imp. rempore translata fuit. Quam a proximis Pinciorum ædibus Princianam libro I. de bello Gothico Procopius suo tempore appellatam fuisse scribit. *Belisarius*, inquit, *interim quæ ad urbis custodiam facerent, præparare molirique omnia. Pincianam is ferme, & proximam huic ad dextram Salariam portam tenebat, ut suspectiores & necessarias; ea namque parte oppugnari facile poterat murus* &c. Et non longe post: *Nec portam quidem Flaminiam Gothi tentarunt, ut loco præcipiti sitam, atque adeo ut adiri non facile queat. Inter hanc portam & alteram ad dextram huic proximam portulam porta alia est, quæ Pinciana vocatur. Huic proximi muri pars quædam, lapidum laxata jampridem compage, sejuncta spectatur; non tantum a solo, sed a medio ad summum fastigium scissa. Nec sane collapsa, nec alias resoluta, sed utrinque sic inclinata, ut cetero muro extrinsecus partim prominentior esse appareat, partim retractior. Hanc muri partem quum demoliri tunc primum Belisarius niteretur, & iterato ædificare instituisset, obstitere Romani, Petrum Apostolum pro indubitato se comperisse asseverantes, ejus loci tuendi pollicitum curam se suscepturum, quod utique Romanis ex voto successit; quandoquidem nec eo die, quo per Gothos sunt mœnia oppugnata, nec per omne id tempus, quo urbem obsederunt barbari, hostilis vis ulla ad hunc locum pervenit, nec plane unquam eodem tumultuatum. Et sane me admiratio subiit, nec Romanis, nec hostibus ipsis in ea tam diutina urbis obsidione, in memoriam venisse muri hanc partem: quæ res quum miraculi postea loco sit habita, nec sarcire quidem in posterum quisquam, nec de integro restituere ausus est, sed ad hunc diem ea e regione sejunctus permanet murus.* Hæc Procopius. Quæ verba ideo adposui, quod usque ad nostra tempora adhuc ea muri pars superfit ut a Procopio describitur, appellaturque a Romanis murus inclinatus. Porro autem ea portula, quam supra Pincianam fuisse scribit idem Procopius, omnino esse desiit. A porta Collatina exiit via ejusdem nominis, de qua Frontinus libro I. de aquæductibus sic ait: *Aquæ Alsietinæ Augustæ ramus proxime viam Collatinam accipit fontem* &c. Item: *Concipitur aqua Virgo via Collatina ad milliarium octavum palustribus locis* &c. Hæc autem via non procul ab ipsa porta incidit in viam Salariam.

De porta Collina, & via Salaria.

COLLATINAM proxime sequitur porta antiquitus Agonensis, post Quirinalis, deinde Collina, postremo Salaria appellata. Sex. Pompejus: *Agonia*, inquit, *sacrificia, quæ fiebant in monte; hinc Romæ mons Quirinalis Agonius, & Collina porta Agonensis*, Et alibi Quirinalem eam quoque vocatam fuisse his verbis docet: *Quirinalis porta dicta, sive quod ea in collem Quirinalem itur, sive quod proxime eam est Quirini sacellum.* Agonensem autem idcirco appellatam scribit, quod inundato circo Flaminio agonales ludi, qui in eo celebrabantur, extra ipsam portarentur, ludosque ipsos ideo agonales esse dictos, vel quia locus, in quo initio facti sunt, fuerit sine angulo; vel quod iis ludis rex hostiam immolare solitus esset, quam antiqui agoniam vocabant; vel quod in montibus, quos agones dicebant, fierent. Ex Quirinali autem vel Agonensi Collina, a collibus Quirinali, Esquilino, & Viminali, vel ab urbis tribu, & regione in qua sita erat, quæ Collina dicebatur, deinceps longo tempore appellata est. Per Collinam portam scribit Livius libro V. Gallos Senones urbem ingressos, eam incendisse, de qua sæpissime etiam alibi mentionem facit. Et alio loco: *Quum mu-*

rus, inquit, *& turres, quæ sunt inter portam Collinam & Esquilinam, de cœlo essent tacta*. &c. Ovidius IV. Fastorum: A

Templa frequentari Collinæ proxima portæ.

Et Juvenalis Satyra VI.

Proximus urbi
Hannibal, & stantes Collina in turre mariti

Hæc posterioribus temporibus a via, cui imposita erat, Salaria appellari cœpta. Procopius libro I. de bello Gothico: *Belisarius interim Pincianam & proximam huic ad dexteram Salariam portam tenebat, ut suspectiores & necessarias*. Et paulo post. B *Apud Salariam autem portam, vir quidam proceræ staturæ Gothus crebrius sagittando propugnacula infestabat*. &c. Salariam autem viam a Collina porta initium habuisse refert Tacitus L. XIX. *Ut transversis itineribus per agrum Sabinum via Salaria urbem introirent*. Et paulo post: *Tertium agmen per Salariam portæ Collinæ appropinquabat*. De hac Sextus Pompejus: *Salaria via Romæ est appellata, quia per eam Sabini sal a mari deferebant*. Et Strabo: *Rerum*, inquit, *scriptor Fabius auctor est, Romanos tum primum divitiarum censum accepisse, quum Sabinorum potiti sunt gentis; per ipsos* C *via Salaria, in quam apud Heretum Sabinorum vicum supra Tiberim jacentem Numentana incidit, non magnæ longitudinis strata est, ex eadem Collina porta inchoans*. Martialis:

Illic Flaminiæ Salariæque
Gestator patet essedo tacente.

Plinius libro XXXI. cap. VII. *Sal*, inquit, *magna apud antiquos auctoritate, sicut apparet ex nomine Salariæ viæ, quoniam illa sal in Sabinos portari consueverat. Prope hanc portam fuit templum* D *Veneris Erycinæ*; cujus Livius, Strabo, Plinius, & alii veteres scriptores meminerunt. Extra eam vero fuit templum Honoris, de quo sic Cicero II. de legibus: *Nostis extra portam Collinam ædem Honoris? & aram in eo loco fuisse memoriæ proditum est. Ad eam quum lamina fuisset inventa, in qua scriptum*, Domina Honoris, *ea caussa fuit ædis ejus ædificandæ: sed quum multa in eo loco sepulchra fuissent, exarata sunt; statuit enim collegium locum publicum non potuisse privata religione obligari*. Via quoque Salaria ad secundum lapidem, fuit insigni & magnifico monumento sepultus Augusti tonsor E Licinus, vir iis temporibus ditissimus, quem satyrici insectati sunt, & Varro hoc epigrammate, ut est apud Cornutum, acerbissime perstrinxit:

Marmoreo tumulo Licinus jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo, credimus esse deos?

In eadem via prope Anienis ripas fuit etiam C. Marii VII. cos. sepulchrum. *Eadem via ad tertium lapidem supra Anienem extat pons ejusdem cum via nominis, quem cum ceteris Anienis pontibus a Gothorum rege Totila* (ut refert Procopius) *disjectum restituit Narses*. Quod etiam hæ duæ inscriptiones, F ab utraque ejus parte incisæ, demonstrant. In dextra enim est hæc, quam ne concisam ponerem sequenti pagina integram concinnavi:

IMPERANTE. D̅. N̅. PIISSIMO. AC
TRIVMFALI. IVSTINIANO. P̅.P̅. AVG.
ANNO. XXXVIIII.
NARSES. VIR. GLORIOSISSIMVS. EX
PRÆPOSITO. SACRI. PALATII. EXCONS
ATQVE PATRICIVS. POST. VICTORIAM
GOTHICAM. IPSIS. ET. EORVM. REGIBVS
CELERITATE. MIRABILI. CONFLICTV
PVBLICO. SVPERATIS. ATQVE
PROSTRATIS
LIBERTATE. VRBIS. ROMÆ. AC. TOTIVS
ITALIÆ. RESTITVTA. PONTEM. VIÆ
SALARIÆ. VS
QVE. AD. AQVAM. A. NEFANDISSIMO
TOTILA. TYRANNO. DISTRVCTVM
PVRGATO. FLVMINIS. ALVEO
IN. MELIOREM. STATVM. QVAM
QVONDAM. FVERAT. RENOVAVIT.

A sinistra vero leguntur hæc carmina.

QVAM. BENE. CVRBATI. DIRECTA. EST. SEMITA.
PONTIS
ATQVE INTERRVPTVM. CONTINVATVR. ITER.
CALCAMVS. RAPIDAS. SVBIECTI. GVRGITIS.
VNDAS
ET. LIBET. IRATÆ. CERNERE. MVRMVR. AQVÆ
ITE. IGITVR. FACILES. PER. GAVDIA. VESTRA.
QVIRITES
ET. NARSIN. RESONANS. PLAVSVS. VBIQ. CANAT
QVI. POTVIT. RIGIDAS. GOTHORVM. SVBDERE
MENTES
HIC. DOCVIT. DVRVM. FLVMINA. FERRE. IVGVM

Salaria autem ex urbe in Sabinos sic exibat, Antonino Pio in itinerario auctore.

Ex urbe	*Inter Ocream*
Heretum	*Falacrine*
Vicum novum	*Vicum Badies*
Reate	*Ad centesimum*
Cutylias	

In hac via ad XIV. *lapidem*, ut Vibius, *vel* XI, ut Livius, *prope Alliam flumen victoria contra Romanos potiti sunt Galli Senones*. Quare *inter eam & Tiberim fuit lucus permagnus, in quo Romani Lucaria festa celebrabant, pro eo quod victi a Gallis ad Alliam, fugientesque e prœlio ibi se occultaverunt*, ut auctor est Sex. Pompejus. *Allia autem flumen e Crustuminis montibus præalto defluens alveo, haud multo infra hanc viam, Tiberi* (ut prodit Plinius) *miscetur*. De hac via mentio est in antiquo hoc epigrammate ita:

L. RANIO. OPTATO. C. V. COS
CVRATORI. REIP. MEDIOLANENSIVM
CVRAT
REIP. NOLANORVM. PRO. COS
PROVINCIÆ
NARBONENSIS. LEGATO. AVG. ET
IVRIDICO
ASTYRIÆ. GRÆCIÆ. CVRATORI. VIÆ
SALARIÆ.CVRATORI.REIP.VRVINATIVM
METAVRENSIVM. LEGATO. PROVINCIÆ
ASIÆ. PRÆTORI. TRIB. PLEBEI
QVÆSTORI. PROVINCIÆ. SICILIÆ.

De viis Quinctia & Junia.

VIARVM Quinctiæ & Juniæ meminit lib. I. antiquitatum Dionysius Halicarnasseus. Quas idcirco hic adposui, quod eas e regione hujus viæ fuisse aperte innuat, quum ait: *Palatium quidem quinque & viginti stadiis* (hæc urbs Aboriginum erat) *a Reate distans, urbe nunc etiam a Romanis habitata, viæ Quinctiæ proximum*. Hinc ipsam, ex antiquo P. Victoris manuscripto codice, eandem cum Nomentana esse quibusdam visum fuit, quum tamen ex ejus vulgatis codicibus diversam fuisse constet. Ad hæc Dionysius, *A Reate*, inquit, *rursus stadiis* LXXX. *via Junia eundo juxta Coritum montem Cursula est nuper diruta*. Quibus verbis colligitur, viam quoque Juniam iisdem regionibus fuis-

A se. De iis autem vis quid præterea adferam, non habeo. De via Quinctia mentio est in hac vetusta inscriptione:

C. CVRTIVS. P. F. PAL. NERVA. IIII. VIR
P. SILIVS. P. F. ARNIEN. PÆTINVS. IIII. VIR
C. RVSTVS. C. F. QVARTVS. VEL. IIII. VIR
T. FLAVIVS. T. F. ARN. SABINVS. IIII. VIR
ARAM. ET. SIGN. VIA. QVINCT. D. D.

De porta Viminali, & via Nomentana.

B Viminalis porta Collinæ succedit, ejusdem cum monte, in quo sita est, nominis, a quo & nomen sortita est. Sex. Pompejus: *Viminalis*, inquit, *& porta, & collis appellabantur, quod ibi viminum silva fuisse videtur, ubi est & ara in vimino consecrata*. Hanc regum tempore in aggere Tarquinii fuisse Strabo iis verbis prodit: *In aggere autem medio tertia est porta, ejusdem nominis cum colle Viminali*. Tertiam autem dicit, quod Flumentana & Collina tum ea priores essent. Collatina enim tunc non erat, quæ postea in ampliatione murorum urbis fuit interposita. Huic portæ, nunc S. Agnetis, a proxima ejus divæ æde nomen est. A Viminali autem porta incipit via Nomentana, C qua iter erat Nomentum Sabinorum oppidum. Hæc alio nomine Ficulnensis appellata fuit. Livius lib. III. ait: *Via Nomentana, cui tum Ficulnensi nomen fuit, profecti, castra in monte sacro locavere*. *Hæc*, ut Strabo refert, *in viam Salariam apud Heretum Sabinorum oppidum supra Tiberim jacens incidebat*. Ovid. IV. Fastorum:

Hac mihi Nomento Romam cum luce redirem,
Obstitit in media candida turba via.

Extra portam Viminalem Næniæ deæ sacellum fuit dedicatum, ut refert Sex. Pompejus. *Nænia autem est carmen, quod in funere laudandi gratia cantabatur ad tibiam. Sunt etiam qui eo verbo finem* D *significari putent. Quidam volunt næniam ideo dici, quod voci similior querimonia flentium sit*. Hæc autem dea cantu querulo a præficis mulieribus advocari, ut funeribus adesset, putabatur. Deorum enim, quos obesse arbitrabantur, templa secundum stationis decorem extra urbem ponebantur. Etsi autem in palatio Febris aram, in Esquiliis malæ Fortunæ, ad Aventini radices Socordiæ templa locata fuerint, ea tamen, non ut opem ferrent, sed ne obessent, numina colebantur. Ea via ad secundum lapidem visitur adhuc templum sphæricum, quod quidam Bacchi esse scribunt, sepulchris Constantini familiæ illustre. Quod nunc in ejus sororis Constantiæ E honorem dedicatum est. *Non longe ab hoc templo alius pons Anieni impositus est, a via nomen habens, quem sicuti Salarium a Totila bello Gothico confractum restituit Narses*, ut Procopius prodit. *Inter Salariam & Nomentanam vias, quarto ab urbe lapide, fuit suburbanum Phaontis Neronis liberti, quo*, ut Tranquillus & Eutropius scribunt, *Nero fugiens, quum a senatu hostis judicatus esset, se ipse interfecit*. Hujus viæ mentio est in hac vetusta inscriptione sic:

F CN. MVNATIVS M. F. PAL.
AVRELIVS. BASSVS
PROC. AVG.
PRÆF. FAB. PRÆF. COH. III
SAGITTARIOR. PRÆF. COH. ITERVM. II
ASTRVM. CENSITOR. CIVIVM
ROMANORVM. COLONIÆ. VICTRI
CENSIS. QUÆ EST IN. BRITANIA
CAMALODVNI. CVRATOR
VIÆ. NOMENTANÆ. PATRONVS
EIVSDEM
MVNICIPII. FLAMEN. PERPETVVS
DVVMVIRALI. POTESTATE
ÆDILIS. DEDICATOR. IIII

De porta Gabina, alias Gabiusa, & viis Tiburtina & Gabina.

Prope castrum prætorium, inter portas S. Agnetis & S. Laurentii, adhuc extat porta clausa, quam aliquot rationibus adductus Querquetulariam vel Querquetulanam fuisse olim crediderim: de qua, quum tam nostro, quam etiam Procopii tempore, ante millesimum annum, in usu esse desierit, postea verba faciam, quum de eis portis loquar, quæ esse desierunt, atque ad ejus portæ descriptionem veniam, quæ ab antiquis Gabina, vel Gabiusa, nostro vero seculo S. Laurentii appellatur. Gabiusam autem portam fuisse Romæ testatur Livius: qui eam de cœlo tactam fuisse scribit. Hanc autem Gabiusam fuisse, ut credam adducor, quod in antiquo codice manuscripto P. Victoris, quem in communem antiquitatis studiosorum gratiam cum hisce commentariis publicavi, Tiburtina via, quæ hac porta incipit, eadem esse cum Gabina dicatur. Gabinam autem vel Gabiusam portam non nisi a Gabiis nomen habuisse liquet, sicut etiam & viam, quæ ex hac porta dextera parte versus Prænestinam viam deducta, recta Gabios, quibus nunc Gallicanum nomen est, perducit, Tiburtina interim via a læva relicta. Viam autem Tiburtinam hac porta initium habuisse satis liquet, quæ etiam nunc Tibur deducit. De qua via, præter P. Victorem, & antiquam Tarraconensem inscriptionem, mentionem quoque facit Horatius I. sermonum:

Quum Tiburte via prætorem quinque sequuntur.

Hac via intra primum lapidem fuit sepulchrum Pallantis T. Claudii Cæsaris Augusti liberti, splendidum, cum hoc arrogantissimo titulo:

TI. CLAVDIVS. AVG. L
PALLAS
HVIC SENATVS. OB. FIDEM
PIETATEM. QVE. ERGA
PATRONOS. ORNAMENTA
PRÆTORIA. DECREVIT
ET. H-S. CENTIES. QVIN
QVAGIES. CVIVS. HONORE
CONTENTVS. FVIT

De quo Plinius epist. libris VII. & VIII. ad Montanum multam mentionem facit. Ab una autem porta plures vias deduci, atque eas in diversa loca dividi, manifestum est. Nam ab hac quoque porta Gabinam viam exire demonstrat P. Victor, quum Gabinam eandem cum Tiburtina viam facit, quod ob loci vicinitatem aliquando fieri solet. Quod hac una demum ratione confirmatur, quia Gabios perducit. De Gabina via Livius lib. V. *Justiore altero deinde prœlio, ad octavum lapidem Gabina via, quo se ex via contulerant, ejusdem ductu, auspicioque Camilli, Galli vincuntur*. Item lib. II. *P. Valerius T. Herminium cum modicis copiis ad secundum lapidem Gabina via in occultum considere jubet*. & paulo post: *Ad tertium lapidem venere Gabina via*. Hanc viam brevem fuisse, incidisseque in Prænestinam, significat Strabo, quum ait: *Sunt & Romanorum oppida a sinistra Latinæ, inter eam & Valeriam sane Gabii extant in Prænestina via siti*, &c.

De porta Esquilina, & viis Prænestina & Labicana.

Proximam Gabinæ fuisse Esquilinam portam, multis veterum scriptorum auctoritatibus demonstrari potest, cujus nunc Major porta vel

locum obtinet, vel non longe a loco, in quo antiqua Esquilina quondam fuit, nostro tempore sita est. Ceterum multum mihi laboris esset, & male mecum agerem, si omnes veterum antiquariorum errores nunc vel reprehendere, vel explodere vellem, quos in hisce rebus describendis admiserunt, ut de amphitheatro Statilii Tauri, basilica Caii & Lucii, foro Romano, templo Saturni, & ærario, porta Gabiusa, templo Minervæ medicæ, carceribus populi Romani, & aliis ejusmodi sexcentis, quæ loca contra antiquorum scriptorum auctoritates male & nimium inepte collocarunt. Perinde ac etiam fecerunt de porta Esquilina, de qua mihi nunc sermo est. Ego autem in iis reprehendendis quoties occasio sese offeret, tempus non conteram, sed quæ illi male dixerunt, nulla eorumdem mentione facta, emendare, rationibusque adductis restituere curabo. Quis igitur non est ex veteribus antiquariis, a Blondo usque ad Marlianum, qui novissimus urbis topographiam (quod sciam) scripsit, qui portam, quæ nunc Major dicitur, Næviam non vocet? Quam aperte P. Victor in regione XII. Piscinæ publicæ inter portam Capenam & Ostiensem collocavit, quum vicos portarum Næviæ & Raudusculanæ in ea regione fuisse prodat? Varroque ipse libro IV. de lingua Latina eas portamque Lavernæ vicinas scribat, atque extrema urbis regione fuisse aperte innuat? quamquam enim is locus mancus sit, aperte tamen colligitur, eum portarum omnium descriptionem eo loco fecisse, atque a Flumentana inchoasse, quæ prima erat, desiisseque in Lavernalem portam, quæ non procul a Trigemina fuit, cui vicinas fuisse Næviam & Raudusculanam exponit. Cui rei maxime quadrat quod ante Næviæ portæ descriptionem dicit, ubi paginæ tres desunt: * *Religionem Porcius designat, quum de Ennio scribens dicit: Eum coluisse Tutilinæ loca.* Quæ ea parte fuisse alibi demonstrabo. Quod etiam lib. II. refert Livius de portis Collina, Esquilina, Cœlimontana, & Nævia, meæ huic sententiæ maxime convenit, ut paulo post ostendam. Ex quibus rebus manifeste videri potest, an porta Major, quæ longissimo intervallo distat a regione Piscinæ publicæ, ubi erat porta Nævia, hæc porta esse possit? Quam Esquilinam fuisse, vel Esquilinæ potius locum tenere, aperte iis verbis Strabo indicat: *Porro in unum cadit Labicana, a porta quidem Esquilina incipiens, a qua & Prænestina, a sinistra vero & hanc, & Esquilinum omittens campum, ultra centum* & XX. *stadia pergit*. Quum autem Labico, vetusto sane oppido, ceterum disjecto, & in sublimi sito, propinquat, & hoc, & Tusculum reliquit a dextra. Videant igitur hi, qui portam S. Laurentii Esquilinam faciunt, an Labicana, & Prænestina via, Gabina simul & Tiburtina ea una porta incipiant? quum manifeste constet a porta Majore duas nunc exire vias, quarum altera Labicos, altera Præneste recta deducit. Quo fit, ut hanc pro indubitato potius Esquilinam olim fuisse credam. Confirmatur etiam mea hæc sententia Ciceronis auctoritate, qui Esquilinam & Cœlimontanam portas propinquas fuisse demonstrat, quum ait: *Quum ego Cœlimontana porta introiisse dixissem, responsione me inimica, Esquilina introiisse homo promptissimus lacessivit*, &c. Quod ei proximior esset. Hæc autem Livii verbis non adversantur, qui non semel ait: Castra inter Collinam Esquilinamque posita. Nam Viminalem & Gabiusam eo tempore aut non fuisse, aut has duas tantum, quod notiores essent, nominasse existimo. Hujus autem, & aliarum quarundam portarum ordo ex verbis Livii facile apparebit, quæ ideo subjunxi: *Porsenna*, inquit, *primo conatu repulsus, consiliis ab oppugnanda urbe ad obsidendam versis, præsidio in Janiculo locato, ipse in plano ripisque Tiberis castra posuit, navibus undique accitis, & ad custodiam, ne quid frumenti Romam subvehi sinerent, & ut prædatum milites trans flumen per occasiones aliis atque aliis locis trajicerent. Brevique adeo infestum agrum Romanum reddidit, ut non cetera solum ex agris, sed pecus quoque omne in urbem compelleretur, nec quisquam extra portas propellere auderet. Hoc tantum licentiæ Etruscis, non metu magis quam consilio, concessum est. Namque Valerius cos. intentus in occasionem, multos simul & effusos improvisos adoriendi, in parvis rebus negligens ultor, gravem se ad majora vindicem servabat, itaque ut eliceret prædones, edicit suis, postero die frequentes porta Esquilina, quæ aversissima ab hoste erat*, (erant enim in Janiculo) *expellerent pecus, scituros id hostes ratus, quod in obsidione & fame servitia infida transfugerent: & scire perfugæ indicio, multoque plures, ut in spem universæ prædæ flumen trajiciunt, P. Valerius inde T. Herminium cum modicis copiis ad secundum lapidem Gabina via* (quæ læva portæ Esquilinæ proxima erat) *occultum considere jubet, Sp. Lartium cum expedita juventute ad portam Collinam stare, donec hostis prætereat, inde se objicere, ne sit ad flumen reditus. Consul alter T. Lucretius porta Nævia cum aliquot manipulis militum egressus, ipse Cœlimontana* (tanquam medio loco sita, ut omnibus, si opus esset, præsto esse posset) *delectas cohortes educit: hique primi apparuere hosti*. Hactenus Livius. Quibus verbis innuitur Cœlimontanam portam mediam inter Esquilinam & Næviam fuisse, Collinamque Gabinæ proximam, atque hanc Esquilinæ. Flumentanæ autem non meminit, quia etsi Etrusci recta per campum Martium transire potuissent, tamen quia inter urbis mœnia abruptosque montes iter erat, ne in aliquod discrimen inciderent, eam portam non invaserunt, simulque quo propinquiore a navibus cursu ferrentur in pecus, ad eum forte Tiberis locum devenere, qui medius est inter pontem Milvium & Anienis ostia. Quare non oportuit ad portam Flumentanam militum stationem locare. Collatinæ & Viminalis cum non meminisse existimo, vel quia adhuc non erant, vel forte eo bello clausæ usum amiserant, ut in bellis fieri consuetum est, vel quia aliis portis satis fuerat, & struere insidias, & exponere pecus, ac turmas præsidiaque emittere. De hac porta multa apud omnes auctores veteres mentio est. Hanc autem aliquando Mæciam vocatam fuisse, ex Plauto conjici potest, quod idem de porta Mæcia scribat Plautus, quod de Esquilina Horatius: utriusque sententiam confirmat Cornelius Tacitus, qui libro II. Annal. ait: *Sumptum more prisco extra Esquilinam de nocentibus supplicium*. Plautus vero in Casina:

> *Illum ædepol videre ardentem te extra portam Mæciam*
>
> *Credo ecastor velle.*

Horatius vero V. epod.

> *Post insepulta membra deferent lupi*
> *Et Esquilinæ alites.*

In quem locum annotavit Porphyrio in regione aggeris extra portam Esquilinam solita fuisse pauperum corpora vel comburi, vel projici; combusta fuisse indicat Plautus, projecta Horatius. Hanc portam a via, quæ per eam exibat, Plinius libro XXXVI. cap. V. Labicanam iis verbis vocat: *Mars est etiamnum sedens collosseus ejusdem in templo Bruti Callaici apud circum eundem, ad Labicanam portam eunti*. Quam ab altera quoque via Procopius Prænestinam appellat. *Inter hæc*, inquit, *Bessus, qui Prænestinam portam custodiendam acceperat, ad Belisarium misit, qui nuntiaret teneri ab hostibus urbem, per portam aliam introgressis, quæ supra Tiberim est*. Et paulo post: *Prænestinam portam Besso tradiderat*

custodiendam. Et alibi: *Acie instructa circa Prænestinam portam, ad eam muri partem mox ducit, quam Romani Vivarium dicunt, unde & expugnari mœnia perquam facile poterant*, &c. Hæc porta nunc porta Major dicitur, forte ab ædificii magnificentia, cui supposita est, id est aquæ Claudiæ castellum. Hancque ibi locatam fuisse a Belisario crediderim, eo tempore, quo urbis muros a Gothis disjectos restituit, atque e proximo loco ibidem translatam; neque enim mihi verisimile videtur, veteres portam urbis aquæductuum formis, vel castello subjecisse. Ab hac autem porta etiamnum exeunt viæ, Labicana quidem a dextra, & Prænestina a læva, quæ Præneste & Labicos deducunt. Prænestina autem per Gabios Præneste, Labicana vero, Tusculum & Labicos a dextera relinquens, per Quictanas ad Pictas perveniens, in Latinam viam terminabantur: ut ex itinerario Antonini Pii constat. Porro autem in Prænestinam incidit via Gabina. *Gabii enim Prænestina via siti sunt*, ut prodit Strabo. Rursus hæc a Præneste Anagniam usque deducta, ibi in Latinam incidebat. In Prænestina vero via fuit sepulchrum Q. Attæ togatarum scriptoris secundo lapide situm. *In Labicana* autem *sepultus fuit Didius Julianus Imp.* ut in ejus vita scribit Ælius Spartianus, *in sepulchro proavi sui Salvii Juliani, quod quinto ab urbe lapide situm erat*.

De porta Cœlimontana, & viis Campana, Tusculana, Albana, & Valeriis duabus, nova & vetere.

PROXIMA Esquilinæ, ut innuere videtur Cicero, fuit porta Cœlimontana, nunc S. Joannis appellata, a monte Cœlio, in cujus parte sita est, olim Cœlimontana dicta. Quam L. Cornelio & Q. Minutio tactam de cœlo narrat Livius. Hanc posterioribus sæculis Asinariam fuisse dictam referunt, Procopius lib. I. de bello Gothico, & Anastasius Bibliothecarius in vita Silverii Papæ. Procopius quidem: *Contigit autem ut die una, eodemque tempore, & Belisarius cum Imperatoris exercitu, per portam, quam Asinariam dicunt*, (Neapoli enim veniebat) *urbem iniret, & per Flaminiam Gothi excederent*. Et lib. III. *Quum itaque perpauci, ut diximus, admodum ad murorum custodiam relinquerentur, & hi quidem jam fame confecti, quaterni custodes quidam, & Isauri genere ad portam Asinariam custodias nacti, excepturos se intra urbem Gothorum exercitum pollicentur*. Et alibi sæpius ejus portæ meminit: quam Bibliothecarius Lateranensi basilicæ proximam fuisse scribit. Per hanc, Alarico primum, postea Totila ducibus, ingressi Gothi urbem captam diripuerunt. Mirandum autem, quod quum Sex. Pompejus viæ Asinariæ mentionem faciat, eam longe ab hac porta fuisse scribat, quam inter Latinam Ardeatinamque fuisse tradit, ut inferius explicabo. Hanc vero Cœlimontanam fuisse illud etiam confirmat, quod mons ipse nullam aliam, præter hanc, habeat portam. Ab hac autem porta incipit via Campana, cujus Suetonius in Augusto, & aliquot antiquæ inscriptiones meminerunt:

HVIC. MONVMENTO. ITVS. ADITVS
AMBITVS. DEBETVR. EX. SENTENTIA
EROTIS. AVG. L. IVDICIS. A. VIA
CAMPANA. PVBLICA

Et Neapoli alia inscriptio:

M. BASSÆO. M. F. PAL. AXIO
PATR. COL. CVR. R. P. II. VIR. MVNIF
PROC. AVG. VIÆ. OST. ET. CAMP.

Ab hac etiam porta, vel non longe ab ea ex via Campana, exibat via Tusculana, quam una cum Albana instauravit M. Messalla sub Cæsare Augusto Unde Tibullus lib. I.

Nec taceam monumenta viæ, quæ Tuscula tellus,
Candidaque antiquo detinet Alba lare:
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta jungitur arte silex.

Vias Valerias duas fuisse, novam videlicet & veterem, prodit P. Victor, de quarum altera Strabo sic scribit: *Præclarissimæ sunt viæ Appia & Valeria, una quidem ad mare Latinæ partes superans, usque Sinuessam protenditur; altera in Sabinos usque ad Marsos. Inter has media Latina est*, &c. Quam idcirco hic subjeci, quod Latinam, huic proximam, mediam inter eam & Appiam fuisse scribat Strabo. Alterius meminit Plinius.

De porta Latina, & viis Latina & Albana.

COELIMONTANAM sequitur porta Latina ante mille annos appellata, quæ quod in Latium mitteret nomen obtinuit, quod etiamnum manet. Quo autem nomine antiquissimis temporibus vocaretur incertum. Verum quum Strabo via Latina Ferentinum urbem fuisse asserat, crediderim portam hanc eam esse, quam Plutarchus Ferentinam nominavit in Romulo. *Nam Romulus*, inquit, *expiationibus civitatem expurgavit, quas adhuc etiam Ferentinam ad portam observari tradunt*. Sicque appellatam existimo, quod ea iter esset ad Ferentinos Hernicorum populos. A Latina autem porta initium habet via ejusdem nominis, in Latinos populos ducens, quæ modo Latia, modo Ausonia dicitur a Martiali. Lib. enim IX.

. . . . *simili venerandus ab Hercule Cæsar,*
Consecrat Ausoniæ maxima fana viæ.

Et alibi eodem libro:

Herculis in magni vultu descendere Cæsar
Dignatus Latiæ dat nova templa viæ:
Qua Triviæ nemorosa petit, dum regna viator
Octavum domina marmor ab urbe legit.

De hac via mentio est in antiquo epigrammate sic:

L. ANNIO. FABIANO
III. VIRO. CAPITALI
TRIB. LEG. II. AVG.
QVÆST. VRBAN. TR. PLEB
PRÆTORI. CVRATORI
VIÆ. LATINÆ. LEG
LEG. X. FRETENSIS
LEG. AVG. PROPR. PRO
VINC. DAC. COL. VLP
TRAIANA. ZARMAT

Cicero pro cluentio cauponem quendam de via Latina nominat. Strabo vero, *Præclarissimæ*, inquit, *viæ sunt Appia & Valeria, una quidem ad mare Latinæ partes superans, usque Sinuessam protenditur, altera in Sabinos usque ad Marsos. Inter has media Latina est, quæ ad Cassinum conjungitur Appiæ, a Capua* XIX *stadiis distans. In Latina porro via fuit templum Fortunæ muliebris, ejusdemque deæ simulachrum, quod nefas erat attingi, nisi ab ea quæ semel nupsit*. Sex. Pompejus: *In eadem via fuit suburbanum Phyllidis nutricis Domitiani, in quo ipsum funeravit, sed reliquias templo Flaviæ gentis clam intulit, cineribusque Juliæ filiæ Titi, quam & ipsa educaverat, commiscuit*. Auctor Tranquillus. In eadem sepeliri voluit Sempronius Tuditanus. Ex uno vero sepulchrorum viæ Latinæ hoc epigramma refert Ausonius:

Non nomen, non quo genitus, non unde, quid egi,
Mutus in æternum, sum cinis, ossa, nihil
Nec sum, nec fueram, genitus tamen e nihilo sum,
Mitte, nec exprobres singula, talis eris.

Latina autem ab urbe ad oppidum Cassinum pertinebat, sicut ex Antonini Pii itinerario didici:

Ab urbe	*Fabrateriam*
Ad Decimum	*Aquinum, & postremo*
Roborariam	*Cassini, inde*
Ad Pictas	*Beneventum, sic*
Compitum	*Venafrum*
Anagniam	*Theanum*
Ferentinum	*Allifas*
Frusinonem	*Telesiam, deinde*
Fregellas	*Beneventum.*

De via autem Albana, quæ hac parte ex urbe exibat, mentionem feci superius ex Tibullo, quum de Tusculana verba facerem.

De porta Capena, & via Appia.

NON longe post Latinam extat porta Capena, cujus etymologiam refert Solinus: qui Italum regem ex Sicilia ad Janum venisse scribit, tum in Italia regnantem, ac ejus auxilio consilioque civitatem juxta Albam condidisse Capenam nomine, & ab ea postmodum denominatam portam Capenam. Servius vero grammaticus super Virgilii locum, *Lucosque Capenos*, aliter dicit; ait enim: *Unde*, hoc est a Capenis lucis, *& porta Capena, quæ juxta Camœnas est, nomen accepit*. Asconius enim, Pedianus, Victor, & Sex. Rufus extra hanc portam ædem Camœnarum fuisse referunt, propterea que Camœnam a nonnullis olim fuisse appellatam. Nunc a proximo templo S. Sebastiani dicitur, quam olim Capenam fuisse hac confirmari potest ratione. Eam enim in via Appia fuisse ostendit Frontinus iis verbis: *Appius Censor viam Appiam a porta Capena usque Capuam munivit*. Quum autem via, in qua Septizonium Severi adhuc extat, tendens ad portam S. Sebastiani, via Appia a Spartiano & Julio Capitolino vocetur, non est quod dubitare possimus, portam, quæ nunc in via Appia extat, fuisse Capenam, quæ apud poetas & historicos celeberrima est. Propertius libro IV.

Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ.

Et Juvenalis Satyra III.

Substitit ad veteres arcus madidamque Capenam.

Quam idcirco madidam dixisse opinor, quia vel inter ceteras portas depresso esset loco, vel propter aquæductus prope ipsam derivati formam. Priorem sententiam Cicero confirmare videtur, quum ad Q. Fratrem scribens dicat: *Romæ & maxime Appia, ad Martis mira proluvies, Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ, magna vis aquæ usque ad Piscinam publicam*. Martialis vero posteriorem innuit, quum ait:

Capena grandi porta qua pluit gutta.

Ab hac porta, quum Cæsar Augustus urbem in XIV. regiones divideret, primam regionem nominavit. Porro a Capena porta, vel ut Spartianus & Julius Capitolinus scribunt, intra urbem a Septizonio Severi, Appiam viam omnium maximam & laudatissimam exiisse, vel principium habuisse, docent Sex. Pompejus & Frontinus. Sextus quidem: *Appia via, & aqua, ab Appio Claudio est appellata*, cujus initium est a porta Capena. Et Frontinus: *Appia aqua*, inquit, *inducta est ab Ap. Claudio Censore, cui postea Cæco fuit cognomen, M. Valerio Maximo & P. Decio Mur. coss. anno XX. post initium belli Samnitici, qui & viam Appiam a porta Capena usque ad urbem Capuam muniendam curavit*. Sed Tacitus & Auctor libri de viris illustribus aliter sentire videntur, qui eam Brundusium

A usque pertinuisse affirmant. *Viam*, inquit alter, *Brundusium usque stravit lapidibus, unde illa Appia dicta*. Tacitus vero refert Libonem Drusum, conjurationis adversus Tiberium reum, aliquando consuluisse, an habiturus esset opes, qui viam Appiam Brundusium usque pecunia operiret. Certe Augusti temporibus eo usque pertinuit, si Horatio credimus, item Tiberii principatu, si Straboni, & hoc ipsum sub Nerva ignorare non potuit Frontinus, nisi dicamus ab Appio quidem Capuam usque perductam, hinc vero a C. Cæsare dictatore Brundusium, præsertim quum in ejus vita Plutarchus dicat, C. Cæsarem, quum illi hujus viæ cura esset commissa,
B ingentes prodegisse pecunias, quod ut magis credam facit, quod Appii tempore Romanorum ditio non ad Brundusium, sed vix usque Capuam se extendebat, ad quam usque viam stratam fuisse ab Appio scribit Frontinus: longitudine autem est millium passuum circiter CCCL. Quam ob rem recte Statius ad Pollium scripsit:

. . . . . qua limite noto
Appia longarum teritur regina viarum.

Hæc prope Romam deflectens inter Tusculum &
C Albam, per montes deducit Ariciam, Algidum, Pictas, Pandochiam. Hinc ad maritima pervenit Terracinam, Fundos, Formias, Minturnas, Suessam, Capuam, Neapolim, hinc Brundusium usque protenditur. Livius de hac via: *Memoriæ* (inquit) *felicitatis nomen Appii fuit. Qui & viam munivit, & aquam Appiam deduxit*. Et Cicero pro Milone: *Hoc enim sæpe ab istis dicitur, perinde quasi Ap. ille Cæcus viam munierit, non qua populus uteretur, sed ubi impune sui posteri latrocinarentur*. Hujus viæ præter hos meminerunt idem Cicero alibi sæpius, Diodorus Siculus, Strabo, Pomponius, Eusebius, Eutropius, Cassiodorus, Beda, & plerique
D veteres scriptores. *Eam*, ut prodit Dio, *restituit Trajanus, dessiccatisque paludibus Pontinis, excisis collibus, aggeratis vallibus, saxis constratis, ac pontibus extructis, permeabilem fecit*. Antoninus quoque Pius Imp. Capuam versus eam restituit, ut inscriptio pontis supra Vulturnum amnem demonstrat. Eam accurate sane describit lib. I. de bello Gothico Procopius. *Tum ille* (inquit) *via Latina exercitum duxit, Appia ad lævam dimissa, quam Appius Censor nongentis ante annis construxerat, exque se illi indiderat nomen. Appiæ viæ longitudinem quinque dierum spacio emetiri expeditus vir aliquis poterit, ab urbe Roma hæc Capuam pertinet, sed ea
E latitudine patet, ut plaustra duo ex adverso invicem occurrentia libere hac queant pervadere, & sane hæc est præter ceteras omnes via quidem spectatu dignissima. Appius siquidem ex alia & longinqua tunc regione (ut reor) excisos lapides, & hos quidem siliceos, ac suapte natura durissimos in hanc viam vehendos curavit, quos complanatos & læves postea redditos, quadratosque circumcidendo factos, invicem collocavit, metalli nihil, vel rei alterius interferendo*. Hanc viam intra urbem principium habuisse haud procul a Piscina publica demonstrat Spartianus in vita Getæ, quum ait: *Occisus Geta illatus
F est majorum sepulchro, hoc est Severi, quod est in Appia via euntibus ad partem dextram, specie Septizonii extructum, quod sibi ille vivus ornaverat*. Hoc autem sub palatio fuisse demonstrat idem Spartianus in Severi vita: *Quum* (inquit) *Septimius Pertinax Severus Septizonium faceret, nihil aliud cogitavit, quam ut ex Africa venientibus suum opus occurreret, & nisi absente eo per præfectum urbis medio simulachrum ejus esset locatum, aditum Palatinis ædibus, id est regium atrium ab ea parte facere voluisse prohibetur. Quod etiam post Alexander quum vellet facere, ab haruspicibus dicitur esse prohibitus*, quum

quum hoc sciscitatus non litasset. Ejus Septizonii adhuc pars superest cum hoc epigrammate:

G. TRIB. POT. VI. COS. FORTVNATISSIMVS NOBILISSIMVS. QVE.

Porro paulo extra portam Capenam via Appia fuit elegans & magnum Martis templum, quod Martis extramuranei dicebatur, de quo sic Livius: *Quum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem convenire juniores armatos jussisset*. Et alibi: *Semitamque saxo quadrato ad Martis ædem a Capena porta straverunt*. Idem alibi: *Viam censores sternendam a porta Capena ad Martis templum locavere*. & Ovidius:

Lux eadem Marti festa est, quam prospicit extra
Appositum rectæ porta Capena viæ.

Hoc templum a Sulla Felice restitutum ampliatumque, ac supra C. columnas positum ferunt. *Juxta hoc templum extra portam Capenam*, ut refert Sex. Pompejus, *erat manalis lapis, quem cum propter nimiam siccitatem in urbem deferrent, sequebatur statim pluvia, eumque, quod aquas manaret, manalem lapidem dixere*. Martis signum via Appia Cn. Servilio & C. Flaminio coss. sudasse testatur Livius. *In eadem via fuit Bonæ Deæ sacellum, apud quod P. Clodius a Milone*, ut refert Pedianus, *interfectus est*. Vicus etiam & ædes Camœnarum extra eandem portam fuerunt, quæ a M. Fulvio Nobiliore condita est, in qua fuisse statuam Attii poetæ ita prodit Plinius: *Notatum ab auctoribus, & L. Attium poetam in Camœnarum æde maxima forma statuam sibi posuisse, quum brevis admodum fuisset. Via quoque Appia fuerunt ædes Honoris & Virtutis, item Tempestatis dedicatæ a M. Marcello*, ut referunt Valerius Maximus & Ovidius & Cicero in L. Pisonem. Et Pedianus: *M. Marcellus nepos ejus Marcelli, qui bello Punico secundo Syracusas vicit, & quinque consulatus adeptus est, qui naufragio ad Africam periit, paulo ante cœptum bellum Punicum tertium. Idem cum statuas sibi, patri, avoque poneret in monumentis avi sui, ad Honoris & Virtutis ædem, scripsit: III. MARCELLI. NOVIES. COS. fuerat autem avus ejus quinquies, pater semel, ipse ter; itaque neque mentitus est, & apud imperitiores patris sui splendorem auxit*. Extra Capenam lapide II. fuit templum Ridiculi, ibi excitatum, quod eo loco Hannibal castrametatus, retrocesserit illusus. Hac via erant horti Terentiani xx. jugerum, item adhuc supersunt reliquiæ cujusdam circi, prope templum S. Sebastiani, quem Antonini Caracallæ fuisse plerique, sine certa tamen auctoritate, tradunt. Fuit quoque hac via locus Mercurio sacer, & aqua Mercurii dicta, ad quam quum populus convenisset, unusquisque lauri ramo alterius caput ea aspergebat aqua Mercurium invocantes, qua lustratione perjuria dilui credebant. Hinc Ovidius sic inquit:

Est aqua Mercurii portæ vicina Capenæ,
Si juvat expertis credere, numen habet.

Fuere via Appia tabernæ Cædiciæ, de quibus Sex. Pompejus sic: *Cædiciæ tabernæ in via Appia domini nomine sunt vocatæ*. Item lucus Egeriæ, quem Camœnis Numa sacravit. Forum quoque ejusdem cum via nominis, & tres tabernæ, de quibus Cic. ad Atticum meminit, & divus Lucas in actis Apostolorum. Fuit hac via monumentum Basilii, de quo Pedianus in Miloniana: *Via Appia est prope urbem monumentum Basilii, qui locus latrociniis fuit perquam infamis*. Multa demum in hac via fuerunt nobilissima sepulchra, quorum vestigia adhuc supersunt, quod etiam significat Cicero, quum ait: *An tu egressus porta Capena, cum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepul-*

A *chra vides, miseros putas illos?* Quæ omnia quum suis ornamentis & titulis præter unum spoliata sint, quorum fuerint ignoratur. Unum autem ex iis adhuc integrum parum ultra Caracallæ circum, diciturque caput Bovis, adhuc superest, habetque hanc inscriptionem:

CÆCILIÆ
Q. CRETICI. F
METELLÆ. CRASSI

Hæc autem Crassi divitis, qui contra Parthos bello periit, uxor. Fuit quoque in hac via sepulchrum Horatiæ sororis Horatii illius, qui ex Tergemino-
B rum pugna superstes ipsam negaverat. Item ad quintum lapidem sepulchrum Q. Cæcilii avunculi Pomponii Attici fuit, in quo ipsum Atticum sepultum fuisse scribit Cornelius Nepos in ejus vita: *Ad nonum lapidem hac via eodem sepulchro conditi sunt Gallienus Imperator & Severus Cæsar Galerii sororis filius, a Maxentio occisus*, ut auctor est Sex. Aurelius Victor. Item: *Tumulatus est in eadem Thessalus Neronis medicus*, ut ait lib. XXIX. Plinius. *In hac ipsa fuit sepulchrum corvi avis*, ut idem Plinius refert, *qui duorum Æthiopum humeris elatus est, præcedente tibicine & prælatis coronis omnium gene-*
C *rum*, de qua alite lib. x. miranda refert. Cic. etiam Archiam poetam gentilibus Scipionum monumentis hac via sitis conditum fuisse scribit. Et Livius: *Africanum* (inquit) *alii Romæ, alii Linterni & mortuum & sepultum: utrobique monumenta ostenduntur, & statuæ*. Nam & Linterni monumentum, monumentoque statua superimposita fuit, quam tempestate disjectam nuper vidimus ipsi. Et Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuæ sunt; duæ P. & L. Scipionum esse dicuntur, tertia Q. Ennii poetæ: XLV. tamen libro Linterni esse sepultum asserere videtur. Quod & Strabo affirmat his verbis: *Prope mare*
D *post Sinuessam Linternum oppidum est, ubi prioris Scipionis cognomento Africani sepulchrum jacet, ibi enim extremam consumpsit ætatem*. In Ennii vero poetæ statuæ basi, cujus ex Livio modo meminimus, hæc fuerunt carmina:

ASPICITE. O. CIVES. SENIS. ENNI
IMAGINIS. FORMAM
HIC. VOSTRVM. PANXIT. MAXVMA
FACTA. PATRVM
NEMO. ME. LACRVMIS. DECORET
NEQVE. FVNERA FLETV
FAXIT. CVR. VOLITO. VIVVS
PER. ORA. VIRVM

E Ab urbe Neapolim usque sic via Appia producta erat, ut ex Antonini Pii itinerario liquet.

Ab urbe Albanum, &	*Sinuessam*
Ariciam	*Capuam*
Tres tabernas	*Nolam*
Appii forum	*Neapolim*
Privernum	*Nuceriam*
Terracinam	*Salernum*
Fundos	*Ad Calorem* &c. *usque*
Formias	*Brundusium.*
Minturnas	

F

De tribus viis Trajanis.

A*Ppiæ viæ pars versus paludes Pontinas a Trajano restituta*, ut refert Dio, *Trajana appellata est*, de qua P. Victor meminit. Extat sane argenteus Trajani munus cum hac inscriptione:

VIA. TRAIANA.

De reliquis vero duabus Trajanis, nihil certi quod

afferam habeo, præter superius citatam Auximatem inscriptionem, quæ trium viarum Trajanarum meminit. A

De viis Numicia & Setina.

VIA Numicia Appiæ vicina fuit testimonio Horatii libro I. Epistolarum:

Brundusium Numici melius via ducat an Appi.

Prope viam Appiam fuit etiam Setina, quæ in eam incidebat, a Setia urbe Campaniæ nominata de qua P. Victor. B

De via Domitiana.

VIÆ Domitianæ in Campania, Neapolim versus, meminit Statius Papinius in proœmio IV. libri Silvarum, quum ait: *Tertio viam Domitianam miratus sum, qua gravissimam harenarum moram exemit, cujus beneficio tu quoque maturius epistolam meam accipies, quam tibi in hoc libro a Neapoli scribo.* Eam vero in Appiam incidisse his versibus refert:

VIA DOMITIANA. C

Quis duri silicis, gravisque ferri
Immanis sonus æquori propinquum
Saxosæ latus Appiæ replevit, &c.

De viis Asinaria & Ardeatina.

VIAM Asinariam inter Latinam & Ardeatinam fuisse refert Sex. Pompejus in voce *Retricibus* iis verbis: *Cato in ea quam scribit oratione, quum edissertavit Fulvii Nobilioris Censuram, significat aquam eo nomine quæ est supra viam Ardeatinam, inter lapidem secundum & tertium,* D *qua irrigantur horti infra viam Ardeatinam & Asinariam, usque Latinam.* Quum autem Ardeatina esset inter viam Ostiensem & Appiam, & post Appiam Latina, oportuit inter has Asinariam positam esse. Post Asinariam erat via, quæ ab Ardea, quo protendebatur, Ardeatina dicta est. Hæc intra urbem sub Aventino juxta thermas Antoninianas principium habebat.

De via Laurentina.

ET hæc prope Aventinum inchoabat, Laurentum usque, a quo nomen accepit, deducta, E de qua Ovid. II. Fastorum:

Est via quæ populum Laurentes ducit in agros.

A. Gellius lib. x. hanc viam inter Ardeatinam & Ostiensem ponit, Laurentinamque & Ostiensem vias tanquam propinquas inter se conjungere videtur. Plinius junior (cujus in epistolis frequentem mentionem facit) in epistola quadam lib. II. ad Gallum: *Miraris* (inquit) *cur me Laurentinum, vel (si ita mavis) Laurens meum tantopere delectet; desines mirari, quum cognoveris gratiam* F *villæ, opportunitatem loci, littoris spacium. Decem & septem millibus passuum ab urbe secessit, ut peractis quæ agenda fuerint, salvo jam & composito die possis ibi manere. aditur non una via, nam & Laurentina & Ostiensis eodem ferunt, sed Laurentina a* XIV. *lapide, Ostiensis ab* XI. *relinquenda est. Utrinque excipit iter aliqua ex parte harenosum, jumentis paulo gravius & longius, equo breve & molle. In hac via Augustus Cæsar ancillæ suæ quinque liberos uno partu enixæ monumentum fieri jussit*, ut prodit Gellius lib. x.

De porta, & via Ostiensi.

NOVISSIMA citra Tiberim porta, quæ nunc S. Pauli a proximo templo dicitur, antiquitus Trigemina dicebatur, quod ea contra Curiatios tergemini Horatii egressi sint, quamquam is, qui superstes fuit, porta Capena redierit. Hæc antiquitus ad Aventini radices non longe ab æde S. Mariæ in Cosmedin, vel Scholæ Græcæ, ut refert Livius, fuit: qui ait, Aediles extra portam Trigeminam in Aventinum porticum stravisse. Et quum bello Punico secundo Romæ ortum incendium narrat, hoc idem innuit: quod incendium omnia ædificia, quæ erant in vico Jugario, sub Capitolio, Aequimeliumque comprehendit, mox extra Carmentalem portam per ripam Tiberis in Fortunæ ac Matutæ templa debacchatum est, usque ad portam Trigeminam. Et Frontinus: *Ductus aquæ Appiæ habet longitudinem a capite usque ad Salinas, qui locus est ad portam Trigeminam.* Et alibi: *Cacus habitavit locum ubi Salinæ nomen, & ubi Trigemina porta.* Multa demum hujus portæ apud veteres auctores mentio est. Quam eo loco olim fuisse satis liquet. Recepto autem ntra pomœrium Aventino ab Imp. Claudio, ad radices ejusdem montis, ubi Testacii planicies primum ingredi incipit, translata est. Postremo a Belisario eo, ubi nunc est, locata fuit. *Quæ via* ab Ammiano Marcellino, Procopio, & ceteris ejus ætatis scriptoribus, etiam *Ostiensis appellatur*. Extra hanc portam quandam quoque porticum fuisse refert in libris de bello Macedonico Livius, quum ait: Aediles alteram porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecisse. Plinius quoque scribit extra hanc portam populum Romanum statuam posuisse Minutio Augurino, qui ad assem pretium farris redegerat. Extra hanc etiam tenues stipem petere solitos significat Plinius libro XXXIV. inquiens: *Extra portam Trigeminam unciaria stipe collata.* Et alludit eodem Plautus in Captivis, apud quem sic loquitur parasitus:

Vel extra portam ire Trigeminam ad sacculum licet,
Quod mihi ne eveniat nonnullum periculum est.

Ab hac porta initium habuit via non admodum longa, quæ, quod Ostiam duceret, Ostiensis vocitata est. In qua ad XII. lapidem, diverticulo a milliario VIII. in agro Solonio, Pomonal fuisse scribit Sex. Pompejus: de quo agro Cicero ad Atticum mentionem facit. Hujus viæ frequens mentio est apud Procopium in libris de bello Gothico. Ejus quoque meminit Neapolitana inscriptio, quam superius, quum de via Campana verba facerem, adposui.

De portis trans Tiberim, & primo de Portuensi porta, & via.

PORTAM, quæ nunc Portuensis dicitur, quod ad portum Romanum perducat, antiquitus Navalem dictam fuisse a proxima navium statione, docet Sex. Pompejus: *Navalis* (inquit) *porta a vicinia navalium dicta.* Ab hac exiit via quæ Portuensis appellata est. Hæc ad portum Ostiensem totius orbis amplissimum ducebat. Ante Claudii vero tempora, qui hunc portum excitavit, quo nomine vocaretur non inveni. Per hanc viam secundum Tiberim fuerunt horti Cæsaris dictatoris.

De porta Janiculensi, alias Pancratiana, & via Vitellia.

QUO nomine apud antiquos vocaretur porta quæ in dorso Janiculi est, atque nunc a proximo templo S. Pancratii appellatur,

hactenus non inveni. Ego eam a Janiculo, quum aliud nomen non habeam, ficut & pons, Janiculenfem vocatam fuiffe exiftimo. Cujus portæ multa mentio eft apud Procopium, quam modo Pancratianam, modo S. Pancratii nominat. *Inter hæc* (inquit) *Beffus, qui Prænestinam portam custodiendam acceperat, ad Belifarium mifit, qui nuntiaret teneri ab hoftibus urbem, per portam aliam introgreffis, quæ fupra Tiberim eft, & S. Pancratii dicitur*, &c. Et paulo poft: *Ad portam vero Pancratianam, quæ trans Tiberim eft, quum hoftium copiæ perveniffent, ob loci difficultatem nihil per eos geftum memoria dignum eft: namque locus acclivus, & ea e regione murus ad invadendum difficilis*. Hanc autem portam Aureliam non fuiffe, ut omnes fere veteres antiquarii affirmarunt, paulo poft oftendam. Ab ea autem exibat via Vitellia, de qua Tranquillus: *Indicia Vitelliæ ftirpis diu manfiffe conftat. Viam Vitelliam ab Janiculo ufque ad mare, itemque coloniam ejufdem nominis*. &c.

De porta Septimiana.

TERTIAM & ultimam trans Tiberim portam, quæ nunc Septimiana dicitur, Fontinalem prifcis temporibus dictam fuiffe aliquot veterum fcriptorum auctoritatibus demonftratur. Sex. Pompejus: *Fontinalia* (inquit) *fontium facra, unde & Romæ Fontinalis porta*. Livius quoque: *Ædiles alteram porticum ad portam Fontinalem, ad Martis aram, qua in campos iter effet, perduxere*. Per campos autem Vaticanos intelligit, ex eo quod Plin. fcribat Vitellium CCH-S condidiffe patinam, cui faciendæ fornax in campis exædificata erat; videmufque etiam nunc in campis Vaticanis fornaces effe, eamque terram argillam effe, ad fictilium fabricam commodiffimam. Cicero: *Campum* (inquit) *Vaticanum fieri quafi Martium campum*. Hanc autem quidam eandem effe cum Capena dixerunt, fed Livius I. & III. de bello Punico II. de Capena, V. vero & XXX. de Fontinali ita loquitur, ut diverfas eas effe oporteat. De hac mentio eft in vetufto hoc epigrammate ita:

DIS. MANIBVS
A. APIDI
MAIIORIS
TABELLARI
A. PORTA
FONTINALI

Hæc poftea ab Imp. L. Septimio Severo Septimiana appellata eft. Ait enim Spartianus ipfum extruxiffe thermas in Janiculo ad portam fui nominis. Ibi quoque erat Janus Septimianus, cum ara, quæ non parvum hujus rei argumentum funt. Porro autem ab hac porta initium habebat via incerti nominis, quæ in triumphalem non longe a bafilica S. Petri incidebat.

De eo murorum urbis ambitu, qui erat prope molem Imp. Hadriani Augufti, & de porta Aurelia.

QUUM a Procopio porta Aurelia haud procul ab Hadriani ponte & fepulchro, Triumphalifque juxta pontem & viam fui nominis eadem regione a Tranquillo & Jofepho fuiffe referantur, neceffe fuit aliquam Leonianæ urbis, quæ nunc Burgus S. Petri dicitur, partem antiquis Romanis mœnibus cinctam fuiffe, alioqui urbs uno ponte, & duabus portis eo tranfmittentibus, hoftium incurfionibus pervia fuiffet. Quantum autem conjectura confequi potui, ex veterum auctorum fententiis, & iis quæ nunc fuperfunt veftigiis, murum urbis tunc fic fuiffe crediderim. Ab una parte Tiberim verfus, muri principium erat, haud

A longe ab Hadriani fepulchro, & ponte Ælio, qui in eum definebat, e regione videlicet ædis S. Mariæ Tranfpontinæ, qui mox producebatur verfus locum illum, ubi nunc eft porta S. Angeli moli ipfi vicina, deinde deductus paulo infra medium Burgum (ut vocant) gyrabat verfus xenodochium S. Spiritus, atque ad ejus portam prope Tiberim terminabatur bafilica principis Apoftolorum, eaque montis Vaticani, quæ nunc muro claufa eft, parte exclufis: atque hac ratione duas comprehendebat portas, alteram quidem Triumphalem e regione ejus pontis, cujus nunc pilas & veftigia prope

B S. Spiritus ædem in Tiberi videmus, alteram vero Aureliam vocatam, quæ prope ejufdem Hadriani fepulchrum fuit, quaque iter erat ponte ipfo Triumphali. Quo modo vero fepulchrum Hadriani muris annexum fuerit, paulo poft ex Procopio aperiam. Aliquando autem mihi in mentem venit, Triumphalem portam diu ante ufum amififfe, Aureliamque folam eo portam fuiffe, donec ampliatis a Leone IV. muris ufum & nomen & ipfa amitteret. Nam Procopius non omififfet mentionem facere de Triumphali in ea quam defcribit urbis oppugnatione, fi eo tempore fuiffet, quum Aureliæ non omittat; ea enim parte Gothi maxime in obfidione laborarunt, unde illum crebrius locorum il-

C lorum meminiffe oportuit. Adde quod fi Triumphalis porta eo tempore fuiffet, non XIV. portas, ut fcribit Procopius, tunc circumjectus urbi murus, fed XV. habuiffet, nam Aurelia XIV. eft: X. enim portæ urbis, IV. vero trans Tiberim fuerunt. Quæ omnes, præter hanc Aureliam, ad noftram ufque ætatem perdurarunt. Porro autem ex Aureliæ portæ defcriptione quam Procopius facit, egoque hic fubjiciam, locum portæ, murorum ambitum, & quale fuerit Hadriani fepulchrum, cognofcemus. *Gothi* (inquit) *feptima caftra extra fluvium Neronianis in campis fixere, ita ut caftris omnibus*

D *effet pons intermedius, unde peractum, ut & portæ aliæ duæ infeftæ ab hofte effent, Aurelia fcilicet, quæ S. Petri, ut ei templo propinquior, nuncupatur, & altera, quæ trans flumen eft fita.* (intelligit autem S. Pancratii.) Quibus verbis eas diverfas fuiffe liquet. & alibi: *Dum hæc peraguntur, Aurelianam portam ex altera parte Gothi hoc modo invadunt. Hadriani Romanorum quondam Imp. fepulchrum extra portam Aureliam extat, & ad lapidis jactum a mœnibus procul extructum, fpectatu procul dubio dignum: Pario namque ex lapide ædificatum eft, faxa quadrata illi invicem nexa, alia nulla intermixta materia, & quaternis partitum pa-*

E *ri dimenfione lateribus, tam porrectis in latitudinem, ut jactus ex angulo lapis alterum fere pertingat; altitudine autem hæc urbis mœnia fuperant. Statuæ quoque ex eodem Pario marmore virorum equorumque miro artificio factæ defuper infident. Sepulchrum id prifci homines illi, quum velut moles & arcis in fpeciem urbi impofitum videretur, brachiis duobus a mœnibus ipfis ad fepulchrum id ufque porrectis inædificatifque complexi fic funt, ut murorum fit perinde pars quædam effectum; apparet namque altiffime id turri perfimile, & ea e regione imminet portæ. Erat itaque peropportunum & munitiffimum eo loco*

F *præfidium. Cujus cuftodia per Belifarium tradita Conftantiano obtigerat, cui injunctum, ut & contigui muri curam fufciperet afservandi, ut leviori & non magni momenti cuftodia indigentis, fiquidem ea ex parte haudquaquam murus flumine fubterlabente poterat oppugnari. Conftantianus autem, quum ei nuntiatur hoftes tranfitum per flumen tentare, muro illi diffifus, qui ad fluvium erat, cum paucis ipfe ftatim opitulatum contendit, majore militum multitudine juffa portam in primis, & in fepulchro ipfo præfidium diligentius cuftodire. Gothi interea Aureliam portam Hadrianique molem fine ullis machinationibus confeftim*

invadunt, scalas tamen ingenti manu inferentes, multitudine sagittarum immissa, facile in dubium hostes deducere, & trepidationem inferre, atque adeo ut parvo molimine præ custodum paucitate potiri se præsidio posse existimarent. Prælatis itaque scutis Persicis, nihil inferioribus, ad mœnia succedebant, & hostes frustrati quam proxime subierunt. Sub porticum namque ad sacram beati Petri Apostoli pertinentem tum ædem latitantes hi venerant. Inde quum de improviso comparuissent, rem ita aggrediuntur, ut nec balista quidem Romani custodes uti in hostes possent; non enim in nimium subeuntes telum immittere tormentumve poterant, nec illis ut scutatis obesse. Sed postquam validius Gothi incubuere, & creberrima sagittarum immissione propugnacula infestando admoturi jam erant ædificio scalas, undequaque fere circumventis jam omnibus qui de mole pugnando se tuebantur, aliquandiu Romanis injectus est terror, de salute jam desperantibus, quandoquidem sese ac mœnia defensare, ut erat necesse, haudquaquam jam possent, communi tamen consensu diffractis marmoreis illis vastisque simulachris, ex eorum fragmentis ingentia saxa in hostium capita superne devolvunt. Gothi vero perculsi oppugnationem remittunt, iisque sensim cedentibus, victoria potiti Romani, hos demum ut victos propellunt. Jamque & Constantianus, præterrefactis fugatisque qui transitum fluminis pertentassent, redierat, non enim præsidium illud hostes, ut ipsi rebantur, neglectum prorsus vel incustoditum invenerant. Itaque factum, ut circa Aureliam portam omnia in tuto jam essent. Ad portam vero Pancratianam, quæ trans Tiberim est, ob loci difficultatem nil memoria dignum ab hostibus gestum est, &c. Hactenus Procopius. Pontis autem Ælii, & ejus sepulchri meminere Dio & Spartianus in Hadriani Imp. vita. Portam vero Aureliam, vel a via ejus nominis, quæ per eam exibat, vel a tribunali Aurelio nomen accepit, de quo Cic. mentionem facit sic in L. Pisonem: *Persequente connexos his funeribus dies, pro Aurelio tribunali, ne connivente quidem te, quod ipsum etiam scelus*, &c. Quæ postea locum cum nomine amisit Leonis IV. Papæ pontificatu, quando is prolatis muris Vaticanum & Basilicam S. Petri Apostoli cinxit.

De viis Aureliis duabus.

VIA Aurelia vetus ab hac porta exiens per maritima Thusciæ ora, agros, & silvas Pisas usque extendebatur. Hanc quidam Consularem, & Trajanam aliquando dictam fuisse, nullo adducto veteri testimonio, scribunt: eamque ab Aurelio viro consulari denominatam ferunt. Alii vero ab Aurelio tribunali prope ejusdem viæ principia collocato dictam autumant. De quo Cicero mentionem facit, quum dicit, se homines in tribunali Aurelio palam conscribi centuriarique vidisse. De hac via idem Cic. Philip. XII. *Tres viæ sunt ad Mutinam, a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia*. Et in Catilinam. Eutropius quoque: *Etruriæ (inquit) per Aureliam usque ad Alpes maritimas ingentes agri sunt, hique fertiles & silvosi. In hac via fuerunt privati horti Galbæ Imperatoris, ubi ipse (ut refert Tranquillus) sepultus est*. In hac, ut in Flaminia, Appia, Latina, & aliis viis, plurimi loculi, urnæ, & antiqua sepulchra vetustate fere consumpta adhuc videntur. Inveni autem in antiqua marmorea inscriptione mentionem fieri viæ Aureliæ sic:

. . . .
M. F. GAL. PRIMVS. X. VIR. STL
IVD. TRIB. LEG. VII. GEM. FELICIS
HISPAN. CITERIORIS. Q. VRBANO
AEDILI. CVRVL. PRAETORI. CVRAT.
VIAE. AVRELIAE. PRO. COS. LY
CIAE. PAMPHILIAE. COS.
POLIMVS. LIB

Item in alia viarum Aureliæ veteris & novæ, quarum altera forte ab auctore, altera a reparatore dicta fuit. Lapis est Tibure, quem paulo post adponam. Hæc via ab urbe exiens Arelatem usque sic producta erat, ut ex itinerario Antonini Pii concinnavi:

A Roma	*Bodecias*
Loriam	*Tecolata*
Ad Turres	*Delphianas*
Pyrgos	*Genuam*
Castrum novum	*Libanum*
Centum cellas	*Dertonam*
Martham	*Aquas*
Forum Aurelii.	*Crixiam*
Cosam	*Canalicum*
Ad lacum Aprilem	*Vada Sabatia*
Salepronem	*Pollupue*
Manlianam	*Albingaunum*
Populoniam	*Locobormanum*
Vada Volaterrana	*Costa ballenæ*
Ad Herculem	*Albintimilium*
Pisas	*Lumonem*
Papirianam	*Alpes summas*
Tune	*Arelatem.*
Boaceas	

De viis Cornelia & Triumphali.

VIAM Corneliam, cujus non nisi in marmoreis inscriptionibus, & apud P. Victorem mentionem extare vidi, mediam inter Aurelias & Triumphalem hac regione fuisse ex iis inscriptionibus conjicio. Romæ in domo Cæsia:

C. SALLIO. ARISTAENETO. C. V
SEPTEM. VIRO EPVLONVM
SODALI. AVGVSTALI. IVRIDI
CO. PER. PICENVM. ET. APVLIAM
CVRATORI. VIARVM. AVRELI
AE. CORNELIAE. TRIVMPHALIS
PRAETORI. K. TVTELARIO. QVAESTORI
DESIGNATO. ET. EODEM. ANNO. AD. AEDI
LITATEM. PROMOTO. VIRO
STILITIB. IVDICANDO. ORATORI. MAXIMO
DECVRIONES. ET. PLEBS. COLONIAE
ASCVLANORVM. ANCONITANORVM
PROPTER. HVMANITATEM. ABSTINEN
TIAM. EFFICACIAM

Item Tibure in pariete ædis S. Pauli:

C. POPILLIO. C. F. QVIR. CARO
PEDONI. COS. VII. VIRO. EPVLON
SODALI. HADRIANALI. LEGATO
IMP. CAESARIS. ANTONINI. AVG.
PII. PROPR. GERMANIAE. SVPER. ET. EX
ERCITVS. IN. EA. TENDENTIS. CVRATOR
OPER. PVBLICOR. PRAEF. AERAR. SATVR
CVRATORI. VIAR. AVRELIAE. VETERIS. ET
NOVAE. CORNELIAE. ET. TRIVMPHALIS
LEGATO. LEG. X. FRETENSIS
A. CVIVS. CVRA. SE EXCVSAVIT. PRAETORI
TRIBVNO. PLEBIS. Q. DIVI. HADRIANI. AVG
IN. OMNIBVS. HONORIBVS. CANDIDATO
IMPERATOR. TR. LATICLAVIO LEG. IIII.
CYRENAICAE. DONATO. DONIS. MILI
TARIBVS. A. DIVO. HADRIANO. OB
IVDAICAM. EXPEDITIONEM. X. VIRO
STILITIBVS. IVDICANDIS. PATRONO
MVNICIPI. CVRATORI. MAXIMI. EXEMPLI
SENATVS. P. Q. TIBVRE
OPTIME. DE. REPVBLICA. MERITO

De via Triumphali.

VIA Triumphalis initium habebat a ponte, cujus nunc vestigia & pilas medio Tiberi videmus prope xenodochium S. Spiritus, qui a P. Victore Triumphalis, sicut & via appellatur, hæc deinceps pone basilicam S. Petri, & obeliscum, qui vulgo *la Guglia* dicitur, protendebatur: ubi adhuc multi silices ejus viæ strati videntur. Hanc autem viam S. Hieronymus & Damasus Papa in vita S. Apostolorum Principis Petri Triumphalem vocant, prope quam in Vaticano eundem Apostolum cruci affixum & sepultum fuisse scribunt, ubi postea in ejus honorem maximum ab Augusto Constantino templum conditum est. Ab hac via porta, de qua mox loquar, Triumphalis vocitata est.

De via Æmilia Scauri.

VIÆ Æmiliæ alterius, quæ Scauri dicebatur, meminit Strabo iis verbis: *Hic ille Scaurus, qui per Pisas & Lunam usque Sabatios viam stravit Aemiliam, hinc per Dertonam*, &c.

Hanc viam M. Aimilius Scaurus, qui consul, censor, & princeps Senatus fuit, de hostium manubiis stravit; triumphavit enim de Gatisceis & Liguribus, quos bello vicerat, & magnis cladibus afflictos in populi Romani ditionem redegerat. De ea præterea nihil compertum habeo.

De viis Pompeja & Domitia.

VIÆ Pompejæ in Sicilia Cic. contra Verrem meminit. Viæ quoque Domitiæ in Gallia idem pro M. Frontejo mentionem facit.

De reliquis viis extra urbem, quarum loca ignorantur.

REFERUNTUR a P. Victore, in libello de regionibus urbis Romæ, viæ Patinaria & Tiberina, forte quod esset prope Tiberim dicta, Gallica & Gallicana, quod in Galliam ducerent, Laticulensis & Flavia. Quarum adhuc loca vel situs invenire non potui.

De mancipibus viarum.

CURATORES viarum vectigalia earundem certis hominibus locabant, quæ qui redimerent mancipes sunt dicti, unde mancipum fraude & magistratuum incuria viæ sæpe interruptæ & imperviæ factæ sunt, de qua re conqueritur Cornelius Tacitus. De ejusmodi mancipe est Romæ in domo Cardinalis Carpensis hæc inscriptio:

D. M. S
CN. CORNELIO
CN. F. SAB
M V S A E O
MANCIPI. VIÆ. APPIÆ
HERENNIA. PRISCILLA
C O N I V G I
BENE. MERENTI
F E C I T

Mancipes quoque, ut in divinatione scribit Asconius, *fuerunt publicanorum principes, Romani homines, qui quæstus sui causa, si decumas redimerent, decumani appellabantur, si portum aut pascua publica, portitores, aut pecuarii, quorum ratio scriptura dicebatur. Hi omnes exigenda a sociis suo periculo exigebant, & reipublicæ repræsentabant, providentes tamen in illa redemptione commodis suis.*

A *Licebat autem, si moderate fiat, æstimare in cellam prætori frumentum, mancipi pro frumento ab aratoribus pecunias accipere non licebat*, &c. Viarum munitio ac restitutio antiquis Romanis maximæ curæ fuit, atque in primis C. Graccho, ut Plutarchus, item ex Imperatoribus Augusto, ut Tranquillus, Tiberio, ut Tacitus, Vespasiano, ut Sex. Aurelius, Trajano, ut Dio tradidere, probantque hæ marmoreæ inscriptiones antiquæ. In Capitolio sub porticu palatii conservatorum urbis:

IMP. C Æ S A R I
VESPASIANO. AVG
B PONT. MAX. TR. POT. III
IMP. IIX. P. P. COS. III. DES. IIII
S. C
QVOD. VIAS. VRBIS. NEGLIGENTIA
SVPERIORVM. TEMPORVM
CORRVPTAS. IMPENSA. SVA
RESTITVERIT

Item in Allifis in angulo parietis cathedralis Ecclesiæ.

IMP. CÆSAR. M. AVRE
C LIVS. ANTONINVS. PIVS. FE
LIX. AVG. PARTHIC. MAX
BRITANNICVS. MAXIMVS. P.M.P.P
COS. III. DES. IIII
VIAM. INVNDATIONE. AQVÆ
INTERRVPTAM. RESTITVIT

Ad vias autem exædificatæ fuerunt ædes, domus, arcus, hippodromi, prædia, horti, tabernæ, & sepulchra tanta frequentia atque splendore, ut exterarum gentium legati, per suburbana venientes, longe ante urbis portas, jam in ipsa urbe se esse existimarent. Hæ itaque sunt XIV. urbis D portæ, quæ ante millesimum annum fuerunt, quæque omnes, præter unam Aureliam, adhuc supersunt. Quibus nomina antiqua quanta maxime potui diligentia afferre curavi. Eas enim omnes antiquitus quoque iisdem locis, vel etsi ab eis procul, attamen iisdem viis fuisse manifeste demonstravi. Quibus etiam vias omnes ex eis exeuntes, quarum apud veteres auctores, vel antiquas inscriptiones memoriam extare viderim, adjunxi, ut uno intuitu, & porta, & via cognosci posset. Porro autem si XIV. his portis decem alias addiderimus (quas forte Procopius portulas quasdam alias præter illas XIV. appellavit) quarum apud veteres auctores mentio E est, verum demum erit quod libro III. cap. V. refert Plinius: urbem Romam suo tempore XXIV. portas habuisse. Quæ, quemadmodum urbis circuitus varios terminos habuit, sic idem habuerunt & portæ, quarum quædam in pomœrii ampliatione in media urbe remanentes usum & nomen amisere, quædam sæpe hinc inde iisdem tamen vis translatæ pristinum nomen retinuerunt, quædam etiam variis temporibus antiquis interpositæ novam consequutæ sunt appellationem. Decem autem portarum nomina præter ea, quæ superius adposuimus, sunt hæc.

F

De porta Querquetulana.

PORTA Querquetulana, de qua Plinius sic lib. XVI. cap. X. *Silvarum certe distinguebantur insignibus, Fagutali Jovi etiam nunc ubi lucus fageus fuit, porta Querquetulana, colle in quem vimina petebantur.* Si igitur in Viminali colle extat viminum silva, a qua collis est denominatus, necesse fuit hanc portam in Viminali fuisse. In quo Varro Querquetulanum sacellum, P. vero Victor,

ac Sex. Rufus lucum Fagutalem ponunt. Quare etiam portam Querquetulanam eam olim fuisse portam, quæ nunc clausa est, crediderim, prope Castrum prætorium, vel non longe ab eo. Quamvis non me lateat, Cornelium Tacitum scribere montem Cœlium Querquetulanum prius vocatum fuisse. Utcunque autem sit, Varroni, Plinio, P. Victori, & Sex. Rufo magis credendum, qui eam in Viminali fuisse vel innuunt, vel aperte demonstrant. Hanc autem eandem fuisse existimo portam cum ea quam Sex. Pompejus Querquetulariam appellavit. *Querquetularia*, inquit, *porta Romæ dicta, quod querquetum intra muros urbis juxta se habuerit*. & alibi: *Querquetulanæ reputantur significari nymphæ, præsidentes querqueto virescenti, quod genus silvæ indicat fuisse intra portam, quæ ab eo dicta sit Querquetularia.*

De porta Piaculari.

P*iacularis*, inquit Sex. Pompejus, *porta Romæ appellatur, propter aliqua piacula, quæ ibidem fiebant, vel, ut ait Cloatius, ex sacro per aliquem piaculo solvitur, aut aliqua piandi propitiandique caussa immolatur.*

De porta Catularia.

IDEM Sex. ait: *Catularia porta Romæ est dicta, quia non longe ab ea ad placandum Caniculæ sidus frugibus inimicum rufæ canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur.*

De porta Minucia.

M*inucia porta Romæ est appellata, eo quod proxima sit sacello, alias aræ Minucii, quem deum putabant*. Auctor Sex. Pompejus. Forte de hac porta loquitur in Commodi vita Lampridius, quum ait: *Herculis signum æneum sudavit in Minucia per plures dies.*

De porta Mugiona.

IDEM quoque etiam Mugionæ portæ his verbis meminit: *Mugiona porta Romæ dicta est a Mugio quodam, qui ei tuendæ præfuit*. Hanc non procul a via Nova versus Aventinum fuisse scribit Solinus.

De porta Sanquali.

S*anqualis*, inquit Sex. Pompejus, *porta appellatur proxima ædis Anci. Sanqualis autem avis nomen est, quæ ossifraga dicitur*. Quidam Saginalem portam ab æde Sangi legendum putant. Quod si textum aliquem antiquum adducerent, non improbarem.

De porta Nævia.

HANC, ut duas sequentes, inter portam Capenam & Tiberim fuisse elicitur, ut etiam supra exposui, ex P. Victore, & M. Varrone lib. IV. de lingua Latina, qui de ea loquens sic ait: *Sequitur porta Nævia, quod in nemoribus Næviis, Nævius enim loca ubi ea sic dicta coluit*. Hanc omnes superioris ætatis antiquarii inepte nimium Majorem nunc esse dixerunt.

De porta Raudufcula.

D*einde*, inquit Varro, *porta Raudufcula, quod ærata fuit. Aes raudus dictum, ex eo in veteribus mancupiis scriptum, raudusculo libram ferito*. De hac porta mentionem etiam facit Valerius Max. lib. V. cap. VI. *Dignam*, inquit, *pietatem, quæ quod ad solidam gloriam attinet, septem regibus præferatur, cujus testandæ rei gratia capitis effigies æreæ portæ qua excesserat inclusa est, dictaque Raudusculana, quod olim rauda æra dicebantur*. Vicum portæ Raudusculanæ P. Victor cum vico portæ Næviæ in regione XII. Piscinæ publicæ enumerat.

De porta Lavernali.

H*inc porta Lavernalis ab ara Lavernæ, quod ibi ara ejus deæ fuerit*. Auctor Varro.

De porta Libitinensi.

PORTÆ Libitinensis meminit in Commodi Imp. vita Lampridius: *Galea ejus*, inquit, *bis per portam Libitinensem elata est*. Hæc a Libitina dicta fuit, quod per eam cadavera mortuorum ad sepulchrum efferrentur. Libitina autem & pro dea ipsa, & pro Libitinariorum opera accipi solet. Libitina autem dea erat, in cujus templo vendebantur & locabantur ea, quæ ad sepulturam pertinebant, de qua fusius disputabo, quum ad ejus templi, quod Romæ fuit, descriptionem devenero.

De porta Fenestrali.

FUIT quoque Romæ etiam porta Fenestralis appellata, de qua sic scribit Plutarchus problemate 35. *Quid est quod portam unam fenestram appellant, apud quam Fortunæ thalamus positus est? an quia Servius rex cum secundissima fortuna rem habuisse creditus est, quum per fenestram ad eum penetraret? an hoc fabulosum, illud autem verum; Tarquinio Prisco Romæ regnante, quum is a pastoribus esset occisus, Tanaquil ejus uxor, mulier sane prudens & fortis, per fenestram populum allocuta, multitudini persuasisse dicitur, ut Servium regem declararent, ex quo factum est, ut ille locus ita appellaretur*. Et Ovid. lib. Fastorum VI.

Lux eadem Fortuna tua est, auctorque locusque
Sed superinjectis quis latet iste togis?
Servius est, jam constat enim, sed caussa latendi
Discrepat: & dubium me quoque mentis babet.
Tum dea furtivos timide profitetur amores,
Cœlestemque bomini concubuisse pudet.
Arsit enim magna correpta cupidine regis,
Cæcaque in hoc uno non fuit illa viro:
Nocte domum parva solita est intrare fenestra,
Unde Fenestralis nomina porta tenet.
Nunc pudet, & vultus velamine celat amatos,
Oraque sunt multa regia tecta toga.

Ceterum hanc portam non urbis, sed palatii fuisse crediderim. Urbs enim Ser. Tullii regis tempore latius se extendebat, quam ubi porta Fenestralis fuisse describitur.

De porta Triumphali.

PORTAM Triumphalem fuisse (ut existimo extra ceterarum numerum trans Tiberim) sub Vaticano, juxta viam & pontem sui nominis docet Josephus lib. VII. de bello Judaico cap. XXIV. pag. 977. edit. Genev. Ubi triumphum Judaicum Vespasiani Imp. & T. Cæsaris describit. *Die*, inquit, *triumphi principes, qui non in palatio, sed prope Isidis templum nocte illa quieverant, prima jam aurora incipiente procedunt, lauro quidem coronati, amicti vero patria veste purpurea, & ad Octavianas*

ambulationes (porticum, credo, Octaviæ in campo Martio sitam intelligit) *transeunt. Ibi enim senatus ducum proceres & honorati equites eorum præstolabantur adventum. Tribunal autem ante porticus factum erat, sellæque eburneæ in eo præparatæ, quo, quum adscendissent, considerunt. Ibi quum milites allocutus fuisset, solemnibusque votis susceptis solvisset, Imp. ipse cum Tito Cæsare ad portam recedit, quæ ab eo, quod per illam semper triumphorum pompa ducitur, nomen accepit. Ibi triumphalibus vestibus amicti, diis ad portam collocatis, cæsa hostia, inter spectacula transeuntes, triumphum ducebant*, &c. Quibus verbis constat eos extra urbem tum in campo Martio fuisse, eosque trajecto Tiberi per eam portam introisse, de qua Tranquillus quoque in Augusti vita sic mentionem facit cap. centesimo: *Senatus & in funere ornando, & in memoria honoranda, eo studio certatim progressus est, ut inter alia complura censuerint quidam, funus Triumphali porta ducendum, præcedente victoria quæ est in curia, canentibus næniam principum liberis utriusque sexus*. Et Tacitus lib. I. Annal. *Tum consultatum de honoribus, ex queis maxime insignes visi, ut porta Triumphali duceretur funus*, &c. Hanc autem portam diu ante Procopii tempora esse desiisse superius demonstravi: eratque in ea murorum urbis parte, quæ ab Hadriani sepulchro S. Spiritus portam olim producta erat. De hac porta sic mentio est in antiqua inscriptione:

FORTVNÆ. SANCTÆ
ATINIA. TYRANNIS
SEMINARIA. A. PORTA
TRIVMPHALI
P. TERENTIVS. FORTVNATVS
VIR. CARISSIMVS
CVI. GRATIAS. MAXIMAS
SEMPER. EGI
CVM
TERENTIA. FAVSTINA
FILIA
DONVM. DEDIT
L. D. D. D

Ab hac porta Triumphalem viam exiisse paulo ante explicavi. Si igitur X. has portas, quas ab iis XIV. diversas fuisse liquet, ipsis adjunxerimus, erunt XXIV. urbis Romæ portæ, ut Plinium dixisse existimo, quum ait: *Urbs Roma complexa est montes septem, dividiturque in regiones* XIV. Compita earum CCLXV. ejusdem spatii mensura currente a milliario in capite Romani fori statuto, ad singulas portas, quæ sunt hodie numero XXIV. (nam quod vulgati codices habent XXXVII. mendum proculdubio est ex adjectione numerorum aliquot ortum) ita ut XII. portæ semel numerentur, prætereanturque ex veteribus VII. quæ esse desierunt.

De tribus aliis portis urbis Romæ.

PORTAS autem septem, quas Plinius suo tempore esse desiisse scribit, has fuisse existimo. Primo quatuor urbis Romæ veteris portas, quas Romulum reliquisse superius scripsi, deinde porta Saturnia, quæ & Pandana, de qua sic Varro mentionem facit: *Capitolium, ante Tarpejus dictus, quem antea etiam Saturninum dictum prodiderunt: & antiquum oppidum in hoc fuisse Saturniam scribitur. Ejus vestigia etiam nunc manent tria, quod Saturni fanum in faucibus, quod Saturnia porta, quam Junius scribit, quam nunc vocant Pandanam, quod post ædem Saturni in ædificiorum legibus parietes postici muri sunt scripti*. Et Sex. Pompejus: *Pandana*, inquit, *porta dicta est Romæ, quod semper pateret*. Hanc autem sub Capitolio fuisse, non longe a templo Saturni, refert Varro. De eadem porta mentionem facit Solinus, quam prope Capitolium fuisse scribit.

De portis Ratumena & Salutari.

P*Orta Ratumena*, ut inquit Sex. Pompejus, *a nomine ejus appellata est, qui ludicro certamine quadrigis victor, Etrusci generis juvenis a Veiis. Is consternatis equis excussus Romæ periit, qui equi feruntur non ante constitisse, quam pervenerint in Capitolium conspectumque fictilium quadrigarum, quæ erant in fastigio Jovis templi. Quas faciendas locaverant Romani venienti cuidam artis figulinæ prudenti, quæ bello sunt recuperatæ, quia in fornace adeo creverant, ut eximi nequirent, idque prodigium portendere videbatur, in qua civitate eæ fuissent, omnium eam futuram potentissimam*. Et Plinius lib. VIII. cap. XLII. *Majus augurium apud priscos, plebeis circensibus excusso auriga, ita ut si staret, in Capitolium cucurrisse equos, sedemque ter lustrasse. Maximum vero eodem pervenisse a Veiis, cum palma & corona effuso Ratumena, qui ibi vicerat, inde postea nomen portæ est.*

Porta Salutaris appellata est ab æde Salutis, quæ ei proxima est. Sex. Pompejus. Hanc autem in Quirinali fuisse constat, sicut & ædes Salutis fuit.

De porta Stercoraria.

STERCORARIA vero porta non urbis, sed Capitolii fuit, de qua idem Sex. Pompejus: *Stercus*, inquit, *ex æde Vestæ* XVII. *Kal. Julias defertur in angiportum medium fere clivi Capitolini, qui locus clauditur porta Stercoraria, tantæ sanctitatis majores nostri esse judicarunt*, &c. Has igitur septem portas eas fuisse existimo, quæ Plinii tempore jam esse desierant. Portæ autem quæ nunc extant Romæ in universum sunt XX. antiqui nominis & loci XIII. recentioris vero urbis Leonianæ videlicet VII. de quibus paulo post dicam. Ad septentrionem sunt Flaminia & Collatina, ad ortum vernum Collina & Viminalis, ad ortum æstivum Gabiusa & Esquilina, ad ortum hyemalem Cœlimontana & Latina, ad meridiem Capena & Trigemina, ad occasum Navalis, Janiculensis, & Septimiana: reliquæ septem urbis Leonianæ sunt, &c.

EPILOGUS PORTARUM
OMNIUM
URBIS ROMÆ.

Portæ urbis Romuli IV.

Porta Mucionis, alias Trigonia.
Porta Romanula, post Romana.
Porta Janualis, post porta vetus palatii.
Porta Carmentalis, post Scelerata, alias Tarpeja.

Quatuordecim portæ urbis Romæ, quæ ante millesimum annum Justiniani Imperatoris tempore fuerunt. Quæ præter unam Aureliam etiam nunc extant.

Porta Flumentana, post Flaminia, nunc populi.
Porta Collatina, postea Pinciana.
Porta Agonensis, post Quirinalis, deinde Collina, postea Salaria.

Porta Viminalis, nunc S. Agnetis. A
Porta Gabiusa, nunc S. Laurentii.
Porta Esquilina, alias Labicana, post Prænestina, nunc Major.
Porta Cœlimontana, post Asinaria, nunc S. Joannis.
Porta Ferentina, postea Latina.
Porta Capena, post Appia, nunc S. Sebastiani.
Porta Trigemina, post Ostiensis, nunc S. Pauli.
Porta Navalis, post Portuensis.
Porta Janiculensis, post Pancratiana, vel S. Pancratii.
Porta Fontinalis, post Septimiana.
Porta Aurelia prope molem Hadriani, quæ nunc esse desiit. B

Aliæ decem portæ, quæ forte tempore C. Plinii erant.

Porta Querquetularia vel Querquetulana in Viminali.
Porta Piacularis.
Porta Catularia.
Porta Minucia.
Porta Mugiona.
Porta Sanqualis.
Porta Nævia. C
Porta Raudufcula, alias Raudusculana.
Porta Lavernalis.
Porta Libitinensis.
Porta Triumphalis sub Vaticano, trans Tiberim extra numerum.

Tres portæ, quæ quatuor urbis Romuli portis additæ, forte erunt illæ septem, quas Plinius suo tempore esse desiisse scribit.

Porta Saturnia, post Pandana.
Porta Ratumena.
Porta Salutaris in colle Quirinali. D
Porta vero Stercoraria non urbis erat, sed Capitolii.
Porta quoque Fenestralis palatii, non urbis fuit.

Portæ VII. *urbis Leonianæ, alias Burgi S. Petri.*

Porta S. Spiritus.
Porta Posterula, alias Turrionis.
Porta Pertusa.
Porta Palatii.
Porta Viridaria, alias Julia. E
Porta S. Peregrini, vel S. Petri.
Porta S. Angeli prope molem Hadriani, alias P. Castelli.

Viæ antiquæ Romanæ extra urbem.

Via Flaminia incipit a porta Populi, Ariminum usque progreditur.
Via Aimilia Lepidi initium habet ab Arimino, Aquilejam usque protenditur.
Via Cassia extra urbem initium habet a Flaminia.
Via Claudia vel Clodia extra urbem jungitur Flaminiæ. F
Via Annia, Via Augusta } extra urbem incidunt in Flaminiam.
Via Cimina extra urbem initium habet a Flaminia.
Via Amerina incipit a Flaminia, Ameriamque protenditur.
Via Sempronia in Umbria incipit a Flaminia.
Via Postumia in Gallia togata, haud procul ab Æmilia.

Via Collatina initium habet Romæ a porta Pinciana.
Via Salaria exiit Romæ a porta Salaria.
Via Quinctia, Via Junia } extra urbem in Sabinis, haud longe a Salaria.
Via Nomentana incipit Romæ a porta S. Agnetis.
Via Tiburtina, Via Gabina } initium habent Romæ a porta S. Laurentii.
Via Præneftina, Via Labicana } Romæ a porta Esquilina, nunc Majore incipiunt.
Via Campana Romæ incipit a porta S. Joannis.
Via Valeria nova, Via Valeria vetus, Via Tusculana } prope urbem, vel Romæ initium habebant, aut a porta S. Joannis, aut prope eandem portam a via Campana.
Via Latina, Via Albana } Romæ a porta Latina.
Via Appia Romæ a porta Capena Brundusium usque protensa.
Via Trajana, Via Numicia, Via Setina, Via Domitiana } a via, vel prope viam Appiam.
Via Asinaria inter Ardeatinam & Appiam.
Via Ardeatina Romæ initium habebat.
Via Laurentina, Via Ostiensis } Romæ a porta S. Pauli.
Via Portuensis Romæ a porta ejusdem nominis.
Via Vitellia Romæ a porta Janiculensi, alias S. Pancratii.
Via Aurelia vetus, Via Aurelia nova } Romæ a porta Aurelia.
Via Cornelia inter Aurelias & Triumphalem.
Via Triumphalis.
Via Aimilia Scauri Pisis, per Thusciam usque Dertonam.
Via Pompeja in Sicilia.
Via Domitia in Gallia.
Viæ duæ Trajanæ, Via Patinaria, Via Tiberina, Via Gallicana, Via Gallica, Via Laticulensis, Via Flavia } Viæ incertæ.

Viæ intra urbem.

Via Sacra.
Via Nova.
Via Lata.
Via Nova alia.
Via Fornicata.
Via Recta.
Via Alta, quæ & Alta semita.

De via Sacra.

SEX. Pompejus ex Verrio Flacco annotavit, in viarum nominibus substantivum in sermone præponendum, ut dicatur via Sacra, & via Nova, non Sacra via, aut Nova via. Viæ autem urbis interdum semitæ dicebantur, ut Alta semita, improprie vero plateæ, ut ab Ælio Spartiano in Caracallæ vita. De via autem Sacra, quæ inter urbanas nobilissima erat & celeberrima, sic Varro lib. IV. scribit: *Ceroliensis a carinarum junctu dictus Carinæ, postea Cerionia, quod hinc oritur caput Sacræ viæ ab Streniæ sacello, quæ pertinet in arcem, qua sacra, quotquot mensibus feruntur in arcem, & per quam augures ex arce profecti solent inaugurare. Hujus Sacræ viæ pars hæc sola vulgo nota, quæ est a foro eunti proximo clivo.* Et Sex. Pompejus: *Sacram viam quidam appellatam esse existimant, quod in ea fœdus*

*fœdus ictum sit inter Romulum & Tatium. Quidam, quod continue utantur sacerdotes Idulium sacrorum conficiendorum causa. Itaque neque eatenus quidem, ut vulgus opinatur, sacra appellanda est a regia ad domum regis sacrificuli, sed a regis domo ad sacellum Streniæ, & rursus a regia usque in arcem, nec appellari debere ait Verrius. * Sed disjunctive, ut ceteras vias Flaminiam, Appiam, Latinamve, ne novam viam quidem, sed viam novam.* His verbis apparet hanc viam prope amphitheatrum principium habuisse, & per vicinos hortos S. Mariæ novæ juxta templum Pacis & Faustinæ recta in Capitolium tetendisse per arcum Severi. *In hac via fuit regia Numæ*, ut prodit Asconius. Summa quoque Sacra via habitasse Ancum Martium refert Solinus, Juliumque Cæsarem in ea domum habuisse prodit Tranquillus. Per viam Sacram triumphantes in Capitolium aliquando adscendere solebant. Unde Propertius lib. II.

Actiaque in Sacra currere rostra via.

Idem quoque docet Horatius. In eadem, ut sit animi caussa, homines deambulare solebant. Unde Horatius in sermonibus:

Ibam forte via Sacra, sicut metus est mos.

Item populo se ostentabant auræ popularis studiosi, ut de Mena Pompeii Magni liberto, item poeta in epodis.

Vides ne Sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut hora vertat huc & huc euntium,
Liberrima indignatio.

Et de puella populo se præbente Propertius:

Cui sæpe immundo Sacra conteritur via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire velit.

Vitellius inter forum & viam Sacram, tamquam celeberrima urbis loca, seminudus, quum ad necem traheretur, facinorosorum & servorum more, per contumeliam illusus & vexatus est. Tacitus lib. XX.

In eadem via propter frequentiam res viles veniebant, ut poma, flabella, tesseræ, & tali, auctoribus Varrone, Ovidio, & Propertio.

Sacravienses & Suburanenses, qui viam Sacram & Suburam habitabant, nominavit Sex. Pompejus. *October*, inquit, *equus appellatur, qui in campo Martio mense Octobri immolatur quotannis Marti, bigarum victricum dexterior, de cujus capite non levis contentio solebat esse inter Suburanenses & Sacravienses, ut ii in regiæ pariete, illi ad turrim Mamiliam adfigerent. Ejusdemque cauda tanta celeritate perfertur in regiam, ut ex ea sanguis distillet in focum, participandæ rei divinæ gratia, quas hostias hic quidam Marti bellico deo sacrari dicunt.* Hanc autem diversam a foro fuisse docet Plinius, quum ait libro XIX. cap. I. *Cæsar dictator totum forum Romanum intexit, viamque Sacram ab domo sua usque ad clivum Capitolinum, quod munere ipso gladiatorio mirabilius visum tradunt.* Templum Faustinæ fuisse in via Sacra refert Flavius Vopiscus in vita Gallieni minoris: fuit denique hactenus statua in pede montis Romulei, hoc est, ante Sacram viam, intra templum Faustinæ, advecta ad arcum Fabianum, quæ haberet inscriptum:

GALLIENO. SALONINO. MINORI

Anastasius quoque Bibliothecarius refert Felicem IV. Pont. Max. templum urbis Romæ ante Sacram viam vertisse, dedicasseque in basilicam SS. Cosmæ & Damiani.

De via Nova.

VIA Nova foro Romano juncta fuit, ex palatii parte, atque haud longe a templo divæ Mariæ Liberatricis principium habens, in Velabrum desinebat. Varro: *Accæ Laurentiæ sacrificium fit in Velabro, qua in Novam viam exitur, ut ajunt quidam ad sepulchrum Accæ.* Et Ovid. VI. Fastorum:

Forte revertebar festis Vestalibus illac,
Qua Nova Romano nunc via juncta foro est.

Et Livius libro I. *Ex superiore*, inquit, *parte ædium per fenestras in Novam viam (habitavit enim rex Tarquinius Priscus*, ut Solinus ait, *ad portam Mucionam supra summam Novam viam) populum Tanaquil alloquitur.* & alibi: Ædem Aii Locutii in via Nova supra templum Vestæ situm fuisse, de qua æde, quod in via Nova fuisset, mentionem facit & Varro. *Ara*, inquit, *Aii est in infima Nova via.*

De alia Nova via.

ALTERIUS Novæ viæ iis verbis meminit Spartianus: *Caracalla Antoninus Novam viam munivit, quæ est sub ejus thermis Antoninianis, qua pulchrius inter Romanas plateas non facile quicquam invenias.* Sed & Frontinus aliæ viæ Novæ mentionem facit.

De via Lata.

HÆC via antiqua fuit, eamque unam ex XIV. urbis regionibus Augustus Cæsar fecit, quæ hodie quoque vetus nomen retinens superest, a macello corvorum ad columnam Antoninianam extensa, & nostra ætate Romæ est celeberrima. Hujus viæ frequens mentio est apud Bibliothecarium.

De via Fornicata.

VIÆ Fornicatæ meminit Plinius, quam prope Flaminiam fuisse liquet, ea parte qua steterunt septa, & ovile.

De via Recta.

VIA Recta ducebatur per longitudinem campi Martii. Seneca in lusu de morte Claudii: *Trahit*, inquit, *capite obvoluto, ne quis eum posset agnoscere, per campum Martium, & inter Tiberim & viam rectam descendit ad inferos.* Hæc via prope Flaminiam fuit, ut ait Martial. lib. VIII.

Dum repetit sera conductos nocte penates.
Lingonus a Recta, Flaminiaque recens.

De via Alta.

HÆC in dorso Quirinalis est, ab equis marmoreis initium sumens, usque ad portam Viminalem protensa, lapide quadrato olim strata, atque a situ Alta semita dicta, quam Augustus unam ex XIV. urbis regionibus instituit.

De viis vero Suburana, Piscinaria, & Ælia nihil est quod apud veteres auctores inventum tradere possim.

De urbis Romæ situ.

URbs Roma, ut Dionysius prodit, *in occiduis locata est Italiæ partibus, juxta amnem Tiberim, qui ad medium ferme littus effluit, cen-*

tum & viginti stadiis, hoc est XV. *millia passuum a Tyrrheno mari distans, montes* (ut inquit Plinius) *septem complexa*. Quare Varro *diem Septimontium nominatum* prodit, *ab eis septem montibus, in queis urbs sita est*. Et alibi: *Ubi nunc est Roma septem montium demissior infimus locus*. Et Propertius poeta elegans:

Septem urbs alta jugis toto quæ præsidet orbi.

Unde & Septemgemina a Statio dicitur. Hos colles Virgil. in Georg. & in Epithalamio Ausonius, propter regis sedes aliquando in iis constitutas, Septem arces nominarunt. Virgil. enim ait:

Septemque una sibi muro circumdedit arces.

Nunc prolato pomœrio, Transtiberinisque adjunctis montibus, decem colles includit, quorum situm, quoniam quæ olim valles locaque depressa erant, propter amplissimos superædificatos fornices, adeo montibus æquata sunt, ut aliquot montium discrimen vix agnosci possit: varia quoque eorum nomina, & loca circumadjacentia, unde reliquæ urbis cognitio apertior fiat, ipsorumque collium divisio facilius cognoscatur, paucis annotare curabo. Hodie autem urbis mœnibus inclusi sunt Palatinus, Capitolinus, Quirinalis, Cœlius, Esquilinus Viminalis, Aventinus, Collis hortulorum. Et trans Tiberim, Janiculum, & Vaticanus.

Mons Palatinus.

HIC, urbe in eo primum condita, Romuli sedes fuit, unde & Romulius a Trebellio Pollione dictus est. M. Varro lib. IV. de Lingua Latina. *Quartæ regionis*, inquit, *Palatium, quod palantes, cum Evandro venerunt, aut quod Palatini, qui & Aborigines ex agro Reatino, quod appellatur Palatium, ibi consederunt. Sed hoc alii a Palatia uxore Latini putarunt. Eundem hunc locum a pecore dictum putant quidam, itaque Nævius palantium appellat. Huic Germalum & Velias conjunxerunt, & in hac regione Sacriportus est.*. Et Sext. Pompejus: *Palatium mons Romæ appellatus est, quod ibi pecus pascens balare consueverit, vel quod palare, id est errare, ibi pecudes solerent*: quod Propertius & Ovidius affirmant. *Alii, quod Hyperborei filia Palante habitaverit, quæ ex Hercule Latinum peperit: alii eundem, quod Pallas ibi sepultus sit, existimant appellari*. Dionysius vero lib. I. eum a Palatino, vel, ut Livius, & Virgilius, a Palanteo Arcadum metropoli ab Evandro vocatum scribunt, post corrupte Palatium dictum. Solinus autem: *Palatium vero nemo dubitavit quin Arcadas habeat auctores, a quibus primum Palanteum oppidum conditum, quod aliquandiu Aborigines habitarunt*. Sunt qui velint eum dictum a balatibus ovium mutata littera, vel a Pale pastorali dea, aut, ut Silenus probat, a Palante Hyperborei filia, quam Hercules ibidem compressit, nomen monti datum. Polybius eum a Palante Evandri filio dictum fuisse scribit. Nunc Palatium majus dicitur. Hujus montis pars Germali nomen habuit, alia vero Velia, in qua, ubi postea deum Penatium ædes facta est, habitavit Tullus Hostilius rex. In hoc monte fuit sedes imperii Romani, domusque Augustana. Ab Augusto enim deinceps omnes Romani Imperatores in Palatio habitaverunt. Et quia imperii sedes in eo constituta fuit, cujusvis principis aulam, aut splendidi hominis domum, Palatium nominamus. Aulam Palatinam, in qua Imperatores postea habitarunt, primus in domo Hortensiana instituit Cæsar Augustus. Tranquillus in ejus vita cap. LXXII. *Habitavit*, inquit, *primo juxta forum Romanum supra scalas Annularias, in domo quæ Calvi oratoris fuerat, postea in palatio, sed nihilominus ædibus modicis Hortensianis, & neque laxitate, & neque cultu conspicuis, ut in quibus porticus breves essent Albanarum columnarum, & sine marmore ullo aut insigni pavimento conclavia ac per annos amplius* XL. *eodem cubiculo hyeme & æstate mansit*. Eam domum incendio consumptam restituisse Augustum prodit idem Tranquillus cap. LVII. Ex summa stipis ei anno novo absenti collatæ, multa in restitutionem Palatinæ domus incendio absumptæ contulit. Palatii partem auxit Tiberius Cæsar, quæ Tiberiana domus appellata est, cujus apud Cornelium Tacitum frequens mentio est. Caligula deinde, ut Tranquillus scribit, *Palatii partem ad forum usque promovit, Castoris & Pollucis æde in vestibulum transfigurata*. Alexander Imp. diætas in Palatio fecit, quas a matris nomine Mammæas appellavit, ceteri præterea Imperatores Romani aliquid de novo semper Palatio addidere, ita ut brevi temporis spacio visu augustissimum factum fuerit. Porro autem ante fores Palatinæ domus erat laurus, & supra eas pendebat corona querna civica, quam Senatus populusque Romanus Augusto donavit ob cives servatos. De qua sic Valer. Maximus lib. II. cap. VIII. ad T. Cæsarem: *Ceterum ad quercus pronæ manus porriguntur, ubi ob cives servatos corona danda est, qua postes Augustæ domus sempiterna gloria triumphant*. Item Ovidius, & Dio.

Palatium autem in suo splendore & majestate usque ad III Valentiniani Imp. tempora permansisse, ex Sidonio Apollinare colligitur, post quæ, a regibus Gothorum imperatoribus exactis, quum habitari desiisset, atque hinc inde ruinam minari inciperet, nec repararetur ab aliquo, immo a Romanis Pontificibus suis ornamentis spoliatum fuisset, ad exædificationem basilicarum sanctorum Christi martyrum, eo redactum est, ut hodie suffossionibus, & subterraneis specubus totum sit quasi pensile, & aut ruinis deforme, aut hortis occupatum, ut nihil antiqui splendoris præter ingentes parietinas retineat. Hic mons ad ortum habet Suburam & Cœlium, ad occasum forum Romanum & Capitolium, ad meridiem circum maximum & Aventinum, ad septentrionem viam Sacram & templum Pacis.

De Capitolio.

CAPITOLIUM T. Tatii Sabini regis quondam sedes, & Tarpejus, & Saturnius dictus est. De eo Varro sic: *Sunt & nomina*, inquit, *ab tot montibus, quos postea urbs mureis comprehendit: e queis Capitolium dictum, quod hic, quum fundamenta foderentur ædis Jovis, caput humanum inventum dicitur*. (quem Tolum appellatum fuisse scribit Arnobius, atque ab eo Capitolium dictum.) *Hic mons ante Tarpejus dictus, a virgine Vestali Tarpeja, quæ ibi a Sabineis necata armeis, & sepulta: ejus nominis monimentum relictum, quod etiam nunc ejus rupes Tarpejum appellatur saxum. Hunc antea montem Saturnium appellatum prodiderunt, & ab eo late Saturniam terram, ut etiam Ennius appellat. Antiquum oppidum in hoc fuisse Saturniam scribitur. Ejus vestigia etiam nunc manent tria: quod Saturni fanum in faucibus, quod Saturnia porta, quam Junius scribit, quam nunc vocant Pandanam, quod post ædem Saturni in ædificiorum legibus parietes postici muri sunt scripti*. Hic Virgilius loquens de Janiculo & Capitolio inquit:

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem;
Janiculumque illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Et alibi:

Hinc ad Tarpejam sedem & Capitolia ducit
Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.

Propertius etiam libro VIII.

A duce Tarpejo mons est cognomen adeptus.

Porro ante urbem conditam, ibidem fuisse extructum oppidum Saturniam etiam superius ex Dionysio demonstravi, a sociis Herculis habitatum, qui in Saturni honorem, quem eum montem coluisse constabat, Saturnium appellaverunt. Quod Plinius & Solinus confirmant. In parte vero hujus montis infima, versus Tiberim, habitaculum Carmentæ matris Evandri fuit, ubi postea Carmentis fanum & porta Carmentalis fuerunt. Ædem autem Saturni, quæ & ærarium fuit, Herculis socii in ejus dei honorem excitarunt. Capitolium (ut dixi) postea appellatum est ab hominis Toli capite, invento in fundamentis templi Jovis, qui propterea Capitolinus dictus est. Nunc palatiis prætoris urbani (quem Romani senatorem vocant) triumvirorum cameræ urbis conservatorum, & templo Ara cœli, & aliquot præterea vetustis monumentis celebris est. Habet autem ad ortum forum & montem Palatinum, ad occasum urbem planam, ad aquilonem Trajani forum & Quirinalem, & ad meridiem Aventinum, Tiberim, & theatrum Marcelli, &c. Hunc collem cum Palatino sub Palatii VIII. regionis nomine Augustus a ceteris urbis partibus distinxit.

De colle Quirinali.

COllis Quirinalis, qui a Romulo, ut Strabo, vel a Numa, ut Dionysius, aut a Servio, ut Livius scribunt, urbi adjectus fuit (ut inquit Varro) *est ubi Quirini fanum, qui a Curetibus, qui cum T. Tatio venerunt Romam, quod ibi habuerunt castra. Quod vocabulum conjunctarum regionum nomina oblitteravit. Dictos enim colles plureis apparet ex Argeorum sacrificiis, in quibus sic scriptum est: Collis Salutaris quarticepsos ædem Quirino: Collis Salutaris quarticepsos adversum est pila Honoris ædem salutis. Collis Mutialis quinticepsos, apud ædem dei Fidii in delubro, ubi æditumnus habere solet. Collis Latiaris sexticepsos in vico Mustellario summo, apud Turaculum ædificium solum est. Horum deorum aræ, a quibus cognomina habent, in ejus regionis partibus sunt.* Ex quibus Varronis verbis liquet hunc montem Salutarem, Mutialem, & Latiarem appellatum fuisse. Et Sex. Pompejus: *Quirinalis collis, qui nunc dicitur, olim Agon appellabatur, antequam in eum commigrarent Sabini, Curibus venientes post fœdus inter Romulum & Tatium ictum, a quo hanc appellationem sortitus est, quamvis existiment quidam, quod in eo factum sit templum Quirino, ita dictum.* & alibi. *Agonia sacrificia quæ fiebant in monte. hinc Romæ mons Quirinalis Agonius, & Collina porta Agonensis.* Dionysius quoque lib. II. hunc collem *Agonalem* vocat, *Saliosque sacerdotes Martis in eo domicilium sacrariumque habuisse* scribit: Ovidius II. Fastorum:

Templa deo faciunt, collis quoque dictus ab illo est.

Horatius II. lib. Epistolarum:

Cubat hic in colle Quirini.
Hic extremo in Aventino visendus uterque.

In hoc monte prius Numam habitasse scribit Solinus. Capitoliumque vetus in eo fuisse constat, de quo Varro: *Capitolium vetus, quod ibi sacellum Jovis, Junonis, Minervæ: & id antiquius quam ædes quæ in Capitolio est facta.* Nunc dicitur mons Caballus, a duabus statuis marmoreis Alexandri Magni

A regis Macedonum, equum Bucephalum domantis, quas Alexandria Constantinus Imperator Romam transtulit, atque in medio thermarum a se in Quirinali extructarum collocavit, quarum altera Fidiæ, altera Praxitelis manu factæ sunt, ut titulus indicat. Collis hic habet ab ortu Esquilias & Viminalem, ab occasu urbem planam & campum Martium, a meridie Nervæ & Trajani fora atque Capitolium, a septentrione collem hortulorum & portam Viminalem. Dividitur a Viminali valle plana, & falsa Subura, ac via quæ ab eadem valle ad portam Viminalem recta progreditur, ab alio latere
B quadam magna valle, ubi sunt Grimanorum & Boccatianæ vineæ, viaque qua ab arcu Portugalli iter est ad hortos Cardinalis Carpensis, divæque Susannæ ædem: licet quidam existiment viam, quæ ad portam Collatinam ducit, esse utriusque collis terminum. In hoc colle fuit præcipua sextæ regionis pars, quæ Alta semita dicebatur.

De monte Cœlio.

MONTIS Cœlii (quem primum Romulum munivisse, pomœrio vero Tullum, ut Dionysius & Livius, vel Ancum, ut Strabo, vel
C Tarquinium, ut Tacitus, inclusisse scribunt) sic meminit Varro: *In Suburanæ regionis parte princeps est Cœlius mons, a Cœlio Vibenna Thusco duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum regem. Hi post Cœlii obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum. ab eis dictus Vicus Thuscus, & ideo ibi Vortumnum stare, quod is deus Etruriæ. Principes de Cœlianeis, quia suspicione liberi erant, traductos volunt in eum locum, qui vocatur Cœliolus. Cum Cœlio conjunctæ Carinæ, sed inter eas quem locum Ceroliensem appellatum apparet, quod primæ regionis quartum sacra-*
D *rium scriptum sic est: Ceroliensis quatriceps circa Minervium, qua in Cœlium montem itur, in Tabernola est. Ceroliensis a Carinarum junctu dictus Carinæ, postea Cerionia, quod hinc oritur caput Sacræ viæ, ab Streniæ sacello, quæ pertinet in arcem. Eidem regioni attributa Subura, quod sub muro terreo Carinarum, in ea est Argeorum sextum sacellum. Subura Junius scribit ab eo, quod fuerit sub antiqua urbe, cui testimonium potest esse, quod subest ei loco, qui terreus murus vocatur. Sed ego a pago potius Sucusano dictam puto Sucusam. Nunc scribitur tertia litera B. non C. pagus Sucusanus, quod succurrit Carineis.* Dionysius lib. II. *A duce quodam ex Etruria venien-*
E *te, cui nomen erat Cœlius, unus collium urbis, in quo ab eo ædificatum fuit, adhuc Cœlius vocatur.* Sextus vero Pompejus: *Cœlius mons dictus a Cœle quodam ex Etruria, qui Romulo auxilium adversus Sabinos præbuit, eo quod in eo domicilium habuit.* Tacitus lib. IV. *Adduntur sententiæ, ut Cœlius in posterum Augustus appellaretur, quando cunctis circumflagrantibus sola Tiberii effigies, sita in domo Junii senatoris, inviolata mansisset. Haud fuerit absurdum tradere, montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis silvæ frequens fœcundusque erat, mox Cœlium appellitatum a Cœle*
F *Vibenna, qui dux gentis Etruscæ, quum auxilium appellatum ductavisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit; nam scriptores in eo dissentiunt, cetera non ambigua sunt, nam magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitavisse, unde Thuscum vicum e vocabulo advenarum dictum.* Et Tranquillus cap. XLVIII. de Tiberio loquens: *Quod tamen*, inquit, *beneficium tanti æstimavit, ut montem Cœlium appellatione mutata vocari Augustum jusserit: quod is post incendium quibusdam dominis insularum, quæ incendio in monte Cœlio flagraverant, pretium restituerit.* Augustum vero ap-

pellatum fuisse alibi non legi. Nostra ætate adhuc Cœlius appellatur, basilica Lateranensi insignis. *In eo ultimis regni sui annis habitavit Tullus Hostilius*, ut scribit Livius, cujus quoque regia in monte Cœlio fuit curia Hostilia appellata. Hic ab oriente habet urbis mœnia, terminumque Esquilinæ regionis, portam Esquilinam, & amphitheatrum, (non Statilii Tauri, *quod lapideum, & in campo Martio erat*, ut Dio & Sex. Rufus scribunt, sed castrense) quod lateritium est. Ab occidente habet Suburam, & montem Palatinum. *Suburam* autem, ex Varronis, Sex.Rufi, & P.Victoris auctoritate, voco *viam illam, quæ est inter Cœlium & Palatium*, quæ amphitheatrum, & arcum Constantini ex uno capite habet, ex altero vero Septizonium Severi, atque SS.Andreæ & Georgii in clivo Scauri basilicam. A septentrione autem habet Carinas, Cœliolum, & Esquilias: Cœliolum autem voco planitiem illam, quæ est inter amphitheatrum & basilicam S.Clementis, Cœlium ipsum & Esquilias. A meridie autem habet piscinam publicam, & vallem quæ est ante viam Appiam, que prope Septizonium Severi inchoans versus portam Capenam protenditur. In hunc montem secundam urbis regionem, Cœlimontium appellatam, Augustus Cæsar posuit. Cœlioli autem præter Varronem meminit etiam Martialis lib.XII. ad Juvenalem, quem minorem Cœlium appellat his versibus:

Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Cœlius, & minor fatigat.

De Esquilino monte.

ESQUILIAS plures montes fuisse, iis verbis docet Varro: *Esquiliæ duo montes habiti, quod pars Cispius mons suo antiquo nomine etiam nunc in sacris appellatur. In sacris Argæorum scriptum est sic: Oppius mons princeps lucum Esquilinum, lucum fagutalem sinistra, quæ sub mœrum est. Oppius mons bicepsos simplex. Oppius mons tericepsos lucum Esquilinum, dexterior via in tabernula est. Oppius mons quadricepsos lucum Esquilinum via dexterior in figlineis est. Septimius mons quinticepsos lucum Pœtilium. Esquilinius sexticepsos. Cispius mons septicepsos, apud ædem Junonis Lucinæ, ubi æditumnus habere solet.* Unde autem dictæ fuerint, sic exponit: *Secundæ regionis Esquilinæ ab Esquileis, alii has scripserunt ab excubiis regis dictas, alii ab eo, quod excultæ a rege Tullo essent. Huic origini magis concinunt luci vicini, quod ibi lucus Fagutalis, & lucus Mephitis, & lucus Junonis Lucinæ, quorum angusti fines, non mirum. Jam diu enim late avaritia una est. Item lucus Larum, Querquetulanum sacellum.* Ovid.III. Fastorum:

Adde quod excubias ibi rex Romanus habebat,
Qui nunc Esquilias nomina collis habet.

Et libro II.
Monte sub Esquilio.
Et Horatius in sermonibus:

At simul atras
Ventum est Esquilias.

Alii Esquilias dictas produnt ab excubiis quas Romulo Lucumo dedit XII lictorum, & CCC armatorum, ad corporis custodiam simulque dignitatem, cum T. Tatius infidæ societatis non sine suspicione esse videretur. Alii ab aucupibus Esquilias dictas esse arbitrantur, quod ibi quisquiliis sparsis aves illuderentur. *In Esquiliis supra clivum urbicum Ser. Tullius, & supra clivum publicum secundum lacum L.Tarquinius Superbus Romani reges habitarunt*,

A ut Solinus scribit. Hic mons ab ortu urbis muros versus aggerem, & castrum prætorium, portas Gabiusam & Esquilinam attingit. A meridie viam illam habet, quæ ab amphitheatro in Carineis principium habens, per Cœlioli extremam partem, usque ad S.Clementis & SS.Marcellini & Petri ædes, versus portam Esquilinam protenditur, antequam eam attingat, paulatim deflectitur prope templum S.Crucis in Hierusalem, quod cum amphitheatro castrense proximo in regionem Esquilinam conjicit Sex. Victor: hanc viam plerique Labicanam vocant. Ab occasu viam habet, quæ in Carineis prope Suburam, non longe ab amphitheatro, sub muro B hortorum S.Mariæ novæ principium habens, versus S.Petri in Vinculis ædem progreditur. Ab Aquilone vero viam habet, quæ a falsa Subura discedens, deducitur per vallem planam, sub templo S. Laurentii in pane & perna, usque ad vicum patricium, divæque Pudentianæ ædem, mox inde discedens secus Diocletiani thermas, ad castrum prætorium tendit. Qua via dividuntur Esquiliæ a Viminali. Nunc mons Sancti Petri ad vincula, vel S.Mariæ Majoris ab eorundem templis appellatur.

C

De Viminali monte.

VIMINALIS quoque montis meminit M.Varro: *Tertiæ*, inquit, *regionis colles ab quinque deorum faneis appellati. E queis nobiles duo colles, Viminalis a Jove Viminio, quod ibi aræ sunt ejus, aut quod ibi vimineta fuerunt.* Et Sex. Pompejus: *Viminalis & porta & collis appellabantur, quod ibi viminum silva fuisse videtur, ubi est ara Jovi Vimino consecrata.* Juvenalis Sat.III.

Esquilias dictumque putant a vimine collem.

D Cujus autem generis hæc vimina fuerint nemo prodit. In locis incultis, quæ hortos aut vineta non habent, nunc populi, & salicum vimina & harundines pollicis crassitudine nascuntur. Hinc mons in ortum tendens habet campum Esquilinum, & urbis muros cum castris prætoriis; in occasum vero Quirinalem, falsam Suburam, & vallem planam interjectam; in meridiem Esquilias, viamque interpositam, de qua dixi, quæ a falsa Subura initium habet, tenditque versus vicum patricium, & secundum thermas Diocletiani, ad castrum prætorium; a septentrione urbis muros, versus portam Viminalem, quæ S.Agnetis dicitur, nunc certum E quoddam non habet: hunc collem cum Esquiliis quintam urbis regionem fecit Cæsar Augustus, quum spacium urbis in vicos XIV, quæ regiones, divideret.

De monte Aventino.

A*Ventinum*, inquit Varro, *aliquot de caussis dicunt. Nevius ab avibus, quod se ab Tiberi ferrent aves: alii ab rege Aventino Albano, quod ibi sit sepultus: alii ab adventu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianæ templum sit constitutum: ego maxime puto ab advectu; nam olim* F *paludibus mons erat ab reliquis disclusus. Itaque eo ex urbe qui advehebantur ratibus, quadrantem solvebant. Cujus vestigia, quod ea qua tum itur Velabrum, & unde ascendebant, ad rumam nova via lucus est, & sacellum Larum. Velabrum dicitur a vehendo, velaturam facere, etiam nunc dicuntur, qui id mercede faciunt. Merces dicitur a merendo & ære. Hinc vecturæ quas solvebant hi, qui ratibus transibant, quadrans: ab eo Lucilius scripsit quadrantis ratiti.* Sex. Pompejus: *Aventinus mons intra urbem dictus est, quod ibi Albanorum rex Aventinus bello*

A *fuerit extinctus*. Idem confirmant Dionysius, Livius, & Ovidius. Alii, ut refert Varro in libris de gente populi Romani, ab Avente Sabinorum fluvio dictum volunt, quibus in urbem susceptis Romulus Aventinum habitandum concessit. Eum Virgilius ab avibus dictum scribit, quod id nomen ante Evandri & Herculis in Italiam adventum habuerit: quod alio loco confirmare videtur Ovidius. Sex. Pompejus hunc montem aliquando Murcium vocatum sic scribit; *Murciæ deæ sacellum erat sub monte Aventino, qui antea Murcius vocabatur.* In ejus summo lucus erat, qui Remoria dicebatur, ubi Remus de urbe condenda fuerat auspicatus. B Quem montem Romulus neminem passus est habitare, sed sacrum fratri esse voluit, usque ad Hylernam. Appellatus quoque est a Dianæ templo Collis Dianæ. Martialis lib. XII.

Quum tu forsitan inquietus erras
Clamosa Juvenalis in Subura:
Aut collem dominæ teris Dianæ.

Et idem libro VII. ad Maximum.

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ.

Aventini & T. Tatii regum sepulchris celebris fuit. *In hunc montem aliquando plebs secessit*, ut Dionysius & Livius scribunt. C Hinc Plinius lib. XIX. cap. IV. *Nemo sacros, Aventinosque montes, & iratæ plebis secessus circumspexerit.* Sacer autem mons haud longe ab urbe, secundum viam Salariam, prope Anienem fuit. Fuit & alter mons Aventinus ad Verrestium fluvium, in quo conditum oppidum Præneste. Hunc montem unam ex XIV. urbis regionibus fecit Cæsar Augustus. Qui propter longitudinem & obliquitatem certo describi nequit, sed tamen tentabo. Ad orientem in meridiem declinantem respicit mœnia urbis & portam Capenam, altera parte viam Appiam; ad meridiem campum Testaceum & portam Ostiensem; D ad occidentem fluvium Tiberim; ad septemtrionem circum maximum & Palatium. Nostro quoque tempore Aventinus appellatur. Qui a capite circi maximi versus piscinam publicam, ad portam fere S. Pauli usque sic via obliqua scinditur, ut duo montes videantur.

De reliquis tribus collibus urbis. Et primo de colle hortulorum.

COLLIS hortorum sive hortulorum meminit Tranquillus in Nerone, quum de ejus funere loquitur. E *Reliquias*, inquit, *Æglоge & Alexandria nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod prospicitur e campo Martio impositum colli hortorum. In eo monumento solium porphyretici marmoris, superstante Lunensi ara, circumseptum est lapide Thasio.* Et de hoc colle Arnobius loquens ait: *Candidatis fuerat usus in comitium nundinis venire, & in colle consistere, unde possent ab universis videri, mox quoque in campum Martium magistratum petituri descendebant.* Dictus autem est hortorum vel hortulorum, a proximis (ut credo) hortis Salustianis; qui & Pincius vocitatus est, quod ibi Pinciorum domus F essent. Hæc familia circa Constantini tempora nobilissima admodum in urbe fuit, ut pleraque testantur elogia hinc inde per urbem posita, quæ ejus gentis viris & fœminis honorificentissimis titulis dicata sunt, a qua & proxima porta Pinciana dicta fuit. Hic antiquitus extra urbis mœnia erat, & idcirco extra VII. numerum. Quem Aureliani Imp. tempore urbis pomœrio inclusum fuisse superius demonstravi. Habet hic collis ab oriente Quirinalem, cui contiguus est, via tantum qua Collatinam portam itur discretus; ab occidente campum Martium, & Domitiani (ut creditur) naumachiam, viamque Flaminiam; a meridie viam (quam Pilam Tiburtinam veteres antiquarii vocarunt) qua ad hortos Cardinalis Carpensis iter est; a septemtrione urbis mœnia. Nunc templis divæ Mariæ de populo & S. Trinitatis celebris est.

De Janiculo Transtiberino monte.

JAniculum, inquit Sex. Pompejus, *dictum, quod per eum Romanus populus primitus transierit in agrum Etruscum.* Vel, ut ait Virgilius libro VIII. ab oppido, quod Janus deorum omnium vetustissimus condidit:

Hic duo præterea, disjectis oppida muris,
Relliquias, veterumque vides monumenta virorum,
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem,
Janiculumque illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Macrobius autem a Jano dictum putat, quod Ianus ibi vel sit sepultus, vel habitaverit. Qui participata potentia cum Camese indigena Italiam ita obtinuit, ut regio Camesene oppidum Janiculum vocaretur. Janicularis autem a Servio vocatus, nunc a flavis harenis mons aureus nominatur, & corrupto vocabulo Montorius. Ex hoc propter altitudinem Roma maxime conspicua, ceteris autem infrequentior est ob aeris gravitatem, quod utrunque testatur etiam lib. IV. Martialis:

Longo Janiculi jugo recumbit:
Et planus modico tumore vortex,
Cœlo perfruitur sereniore:
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam.

Fuit autem Numæ Romanorum regis, ut Dionysius & Livius, *itemque Statii Cæcilii poetæ*, ut Cæsariensis Eusebius produnt, *sepulchris celebris*. In hunc aliquando plebem secessisse Romanam, & a Q. Hortensio dictatore revocatam scribunt Plinius lib. XVI. & Livius. *In eodem*, ut scribunt Livius & Dionysius, Italicusque Silius, *rex Thuscorum Porsenna castra habuit.* Hic ab ortu meridieque prata Mucia, & portam Portuensem, ac Tiberim respicit; ab occasu habet campos, urbis muros, & portam Janiculensem, vel Pancratianam; a septemtrione respicit Vaticanum, camposque Neronianos.

De Vaticano monte.

ET hic trans Tiberim est, qui olim habitatus non fuit, nec ad urbem pertinuit. Gellius scribit agrum Vaticanum, & ejusdem agri deum præsidem appellatum a vaticiniis, quæ vi & instinctu ejus dei in eo agro fieri solita essent. Varro autem in libris rerum divinarum aliam etymologiam sic ponit: *Nam sicut Ajus*, inquit, *deus, araque ei statuta, quæ est infima via nova, quod eo in loco divinitus vox edita erat: ita Vaticanus deus nominatus, penes quem essent vocis humanæ initia, quoniam pueri simul atque parti sunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est.* Sex. vero Pompejus: *Vaticanus*, inquit, *collis appellatus est, quod eo potitus sit populus Romanus vatum responso, expulsis Etruscis.* De hoc monte Horatius I. carminum ode XX.

Care Mæcenas eques, ut paterni
Fluminis ripæ, simul & jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

Et Martialis sæpius, cujus vina pessima fuisse scribit. De vetustissima ilice quæ in eo fuit Plinius sic: *Vetustior urbe in Vaticano ilex, in qua titulus æ-*

reis litteris Etruscis religione arborem jam tunc dignam fuisse significat. Hic mons ad ortum spectat campos Vaticanos, & Hadriani molem, flumenque; ad occasum campos Neronianos, in quibus ex creta & argilla vasa fiunt, ab usque Juvenalis & Plinii temporibus nota; ad meridiem Janiculum; ad septemtrionem prata Quinctia, & montem Marii. Nunc Principis Apostolorum basilica, toto terrarum orbe augustissima, palatio, hortisque Pontificiis, item simulachris Tiberis & Nili fluviorum, statuis quoque Laocoontis, Apollinis, Veneris, Cleopatræ, & aliquot præterea vetustis monumentis celeberrimus est.

Porro autem ii montes jam rarissimi habitantur, maxima ex parte hortis, vineis, & dispersis hinc inde templis, aut claustris religiosis occupati, aut veterum ædificiorum ruinis obruti. Vetustissimis temporibus, ut scribit Propertius, urbs collis & herba fuit. Inquit enim.

Hoc quodcunque vides, hospes, quam maxima Roma est,
Ante Phrygem Æneam collis & herba fuit.
Atque ubi navali stant sacra palatia Phœbo,
Evandri profugæ procubuere boves.

Nemora quoque & pascua habuit Palatinus, ut scribit Tibullus; *Capitolinus dumetum, ut* Virgilius; *Esquilinus, Quirinalis, & Viminalis vimina, & silvam fageam*, ut Varro; *Cœlius quercetum*, ut Tacitus: *Aventinus lauretum*, ut Solinus; *Janiculum esculetum*, ut Plinius prodidere. Qui omnes (quæ rerum humanarum imbecillitas & vicissitudo est) præter unum aut alterum, ad antiquum statum redierunt. Palatinus enim a nullo habitatus collis, jam herba factus est, & in foro Romano sues veneunt, in reliquis montibus harundineta, vineæ, & animalium pascua sunt. Ut demum intelligat vana mortalitas, nihil esse imbecillius, aut inconstantius, ruinisque & interitui magis obnoxium iis ipsis rebus, quas tantopere ut divinas æternasque miramur. Urbs enim antiquis sedibus mota, vetereque pomœrio exacta, & ex his VII. montibus mutilata in campum Martium secundum Tiberim translata est. Quod quas ob caussas, quo tempore, & a quibus factum fuerit, alibi suo loco demonstrabo.

De urbis regionibus.

URbem Romam *in III. regiones, quas etiam tribus appellavit, & XXX. curias, primus Romulus divisit*, ut Dionysius & Livius scribunt. Eas Varro partes tres appellat. *Ager Romanus*, inquit, *primum divisus in partes tres, a quo tribus appellatæ, Tatiensium, Ramnensium, Lucerum. nominatæ, ut ait Ennius, Tatienses a Tatio, Ramnenses a Romulo, Luceres, ut ait Junius, a Lucumone; sed omnia hæc vocabula Thusca, ut Volumnius, qui tragœdias Thuscas scripsit, dicebat*. Livius eas centurias equitum vocat, quod ex singulis iis tribubus centum equites scripti essent. *Eodem*, inquit, *tempore & centuriæ tres equitum conscriptæ sunt, Ramnenses a Romulo, ab T. Tatio Tatienses appellati: Lucerum nominis & originis caussa incerta*. Pedianus actione III. in Verrem: *Per quinque & triginta tribus dividebatur totus populus Romanus. Principio tres fuerunt, Tatiensis una a Tatio rege, Ramnensis altera a Romulo, Luceres altera a Lucumone, sive Lucretino, vel a luco, quem lucum Asylum vocaverat Romulus*. Eam Pediani sententiam, qui Luceres a luco dictos fuisse scribit, magis probo, quam omnino veram esse existimo. Nam hi, qui cum Romulo primo urbem condiderunt, ut pastores Albani, aliquot Græci, qui tum Palatium & Capitolium habitabant,

A Ramnenses a Romulo fuerunt nominati, qui Palatium post conditam urbem & Cœlium montes coluerunt. Tatienses autem fuerunt Sabini, & quotquot ab ea regione, vel cum T. Tatio, vel postea venerunt; hi Capitolium & Quirinalem coluerunt: ceteri advenæ & perfugæ omnes, qui ad Asylum confugerant, Luceres a luco, in quo Asylum fuit, denominati sunt. Hi loca inter Palatium & Capitolium plana atque circum forum tenuere. Sub Tullo Hostilio Albani in Ramnensium tribum vel regionem adscripti, ceteri omnes populi, qui sub regibus Romam venerunt ad habitandum, B præter Sabinos, Lucerum tribui vel regioni inclusi fuerunt, ut Latini, Thusci, & omnes reliqui advenæ. Quare quum urbs mirum in modum aucta esset, neque hæ tres tribus sufficerent, L. Tarquinius Priscus (ut existimo) sub iisdem quibus inauguratæ erant nominibus eas duplicavit, primosque & secundos Tatienses, Ramnenses & Luceres constituit, *quod idem etiam de equitum centuriis*, Livio & Dionysio auctoribus, *fecit*. Ejus rei ita meminit Sex. Pompejus: *Sex Vestæ sacerdotes constitutæ erant, ut populus pro sua quisque parte haberet ministram sacrorum, quia civitas Romana in sex erat distributa partes, in primos secundosque Tatien-* C *ses, Ramnenses, & Luceres*. Et Livius lib. I. *Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quicquam mutavit, numero tantum alterum adjecit, ut mille octingenti equites in tribus centuriis essent, posteriores modo sub iisdem nominibus, qui additi erant, appellati sunt: quas nunc quia geminatæ sunt sex vocant centurias*. Postmodum crescente Lucerum multitudine quum ea una tribus vel regio mirum in modum aucta esset, ita ut ea sola reliquas duas longe excederet, aucta quoque civitate, quum urbis mœnia VII. montibus occupatis ampliata fuissent, Ser. Tullus rex denuo urbem in IV. partes vel regiones secundus divisit. Quas non, ut Romulus D ab auctore, vel gentis origine, sive casibus, sed a locis quos colebant nominavit. In primam regionem conjecit omnes, qui montem Cœlium & circumvicina loca plana habitarent, quam *Suburanam* appellavit; *quod esset sub antiqua urbe, vel a pago Sucusano*, ut scribit Varro. Secunda regio dicta est Exquilina, hæc Exquilias continebat. Tertia regio duos colles comprehendebat, Quirinalem videlicet & Viminalem, a quibus Collina appellata est. Quarta regio sola complectebatur fere totum id spacium, quod antiquæ tres sub Romulo; continebat enim Palatium, Forum, & Capitolium; dictaque E Palatina a Palatio ipso tanquam primo colle, in quo urbs condita esset. Ab his regionibus tribus quoque quatuor urbanæ appellatæ sunt. M. Varro, *Ab hoc quoque*, inquit, *quatuor partes urbis tribus dictæ, & ab locis. E queis prima est scripta regio Suburana, secunda Esquilina, tertia Collina, quarta Palatina*. Et Dionysius: *Ser. igitur Tullus ubi muro septem colles complexus est, in quatuor parteis urbem dividens, & cognomina cuique parti imponens ex collibus, unam quidem vocans Palatinam, aliam Suburanam, tertiam Collinam, & quartam Esquilinam, quatuor tribuum fecit urbem, quæ eo usque fuerat trium. Statuitque homines qui in unamquam-* F *que partem abituri essent, ut eam colerent, & in nullam aliam transferri habitationem. Neque amplius ut tres tribus generis, sive originis, ut antea, sed quatuor locales a se designatas esse voluit, creavitque partibus singulis principes tribuum, sive vicorum præfectos, quos scire jussit, ubi quisque habitaret*. Hanc vero Ser. Tulli divisionem usque ad Cæsaris Augusti tempora durasse legi, qui, quum urbs maxime aucta esset, novam divisionem excogitavit: *Spacium enim urbis*, ut Tranquillus inquit, *in regiones* XIV. *vicosque divisit; instituitque ut illas annui magistratus sortito tuerentur, hos magi-*

ſtri e plebe cujuſque viciniæ electi. &c. Hi magiſtri vicorum vel vicomagiſtri appellati ſunt, qui quatuor per ſingulos vicos erant, ut conſtat ex lapide antiquo. Magiſtros vicorum prætextatos ludos compitalitios facere ſolitos fuiſſe ſcribit Aſconius in L. Piſonem. *Compitalitii* autem *ludi* erant, *qui per compita regionum in deorum larium honorem fiebant*. Per regiones quoque ſingulas curatores duos & duos denuntiatores creavit. Curatorum munus erat procurare apud principem commoda regionum, decorem & elegantiam viarum & vicorum urbis, ne a privatis novis ædificiis interrumperentur providere, & alia ejuſmodi facere, quæ noſtro tempore Romæ magiſtri viarum. Denuntiatorum vero officium erat, quicquid regioni tam publice quam privatë accideret denuntiare. Urbem autem in XIV. regiones diviſam fuiſſe, præter Plinium, Sex. Rufum, & P. Victorem, docet quoque Tacitus de incendio loquens Neroniano. *In regiones*, inquit, *quatuordecim Roma dividitur, quarum quatuor integræ manebant, tres ſolo tenus dejectæ, ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſupererant, lacera & ſemiuſta*. Teſtatur idem quoque hæc antiqua inſcriptio, quæ Romæ in Capitolio ſub porticu palatii conſervatorum adhuc in antiqua marmorea baſi jacet:

IMP. CÆSARI. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. FIL.
DIVI. NERVÆ. NEPOTI
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONTIF. MAXIMO
TRIBVNIC. POTESTAT. XX
IMP. II. COS. III. P. P
MAGISTRI. VICORVM. VRBIS
REGIONVM. XIIII

Has regiones breviſſime deſcripſerunt P. Victor & Sex. Rufus viri conſulares. Libellus P. Victoris mutilus & depravatus excuſus eſt, quem ego centum verſiculis auctiorem emendatiſſimumque cum libello Sex. Rufi, qui nondum ab ullo vulgatus eſt, huic operi adjiciam, ut per quos profecerim omnes cognoſcere poſſint. Porro autem P. Victoris liber integer ſupereſt. Sex. autem Rufi deeſt finis, de quibus ſuo loco in eorum præfationibus verba faciam. Huic autem meæ urbis deſcriptioni integros illos duos libellos incluſi, utriuſque ordinem ſequutus in recenſendis urbis regionibus, quos deinde ex antiquis probatiſque auctoribus ſexcentis locis auxi. In eis autem enumerandis, quæ per ſingulas regiones erant, eorum ordinem non admiſi, ſed quandam mihi commentus ſum rationem, quam iis tradendis rebus commodiſſimam eſſe exiſtimavi, ut facile legentes cognoſcere poterunt. Primo enim loco regionis nomen, deinde montes, inſulam, vias intra urbem, rivos, aquas, ſi quæ erunt ponendæ, clivos, vicos, vicomagiſtros, curatores, denuntiatores, cohortes vigilum, nomina locorum publicorum, vel incertorum; deinde lucos, templa, ædes, ædiculas, porticus, janos, vel æanos, atria, areas, ſacraria, ſacella, delubra, nomina ceterorum locorum ſacrorum, aras, ſigna, ſtatuas deorum, hominum, vel animalium, hippodromos, equiria, circos, obeliſcos, ſtadia, factionum ſtabula, theatra, amphitheatra, ludos, naumachias; ædificia reliqua publica incerta, fora, cœnacula, curias, baſilicas, regias, comitia, ſepta, carceres; reliqua publica ædificia profana, caſtra ſive ſtationes, campos, hortos, ſcholas, tabernas, aquas, thermas, balnea, lymphea, nymphea, lavacra, lacus, fontes, bibliothecas, arcus, columnas, ſeptizonia, ſepulchra, emporia, macella, horrea, piſtrina, domus, inſulas; & poſtremo regionis ambitum. Quem ordinem ſequi decrevi. Ad primam

A igitur cum Sex. Rufo & P. Victore urbis regionem deſcribendam deveniamus.

REGIO PRIMA.

REGIO a rege derivatur, quod priuſquam provinciæ fierent regiones ſub regibus eſſent, atque ab iis regebantur, poſtea ab earum ſimilitudine majores in urbe partes regiones appellari cœptæ. Regionis autem pars eſt vicus. Quippe urbs in regiones tamquam in majora membra, & in vicos tamquam minora dividitur. Vicus vero eſt
B dictus, quod vias circum haberet. Prima autem urbis regio in novem vicos dividebatur. Hæc a porta proxima denominata eſt Capena, quæ omnia loca, quæ tunc circa eam partem erant tam in urbe quam extra, uſque ad baſilicam S. Sebaſtiani obtinebat. Hæc regio ab oriente habuit Cœlimontanam, ab occidente Aventinum, ab Aquilone piſcinam publicam, a meridie circum, viam Appiam, & ſuburbia.

REGIO. VRBIS. PRIMA. PORTA CAPENA

C Almo Fluvius
Vici IX
Vicus Camœnarum
Vicus Druſianus
Vicus Sulpicii ulterioris
Vicus Sulpicii citerioris
Vicus Fortunæ obſequentis
Vicus Pulverarius
Vicus Honoris, & Virtutis
Vicus trium ararum
Vicus Fabricii
Vicomagiſtri XXXVI
D Quatuor per ſingulos vicos

De magiſtro vici extat mentio in antiquis monumentis ita:

DIANÆ. AVGVSTÆ
SACRVM
Q. AQVILLIVS. ADÆVS
MAGISTER. VICI
QVI. K. AVGVSTIS. PRIMVS
MAGISTERIVM. INIIT

Curatores II
E Denuntiatores II
Luci III.
Lucus Cuperius Hoſtiliani
Lucus Egeriæ
Lucus Camœnarum
Templa IV
Templum Iſidis
Templum Serapidis
Templum Fortunæ viatorum
Templum Martis extramuranei
Ædes VI
Ædes Martis Quirini
Aedes Minervæ
F Aedes Mercurii
Aedes Tempeſtatis
Aedes Apollinis
Aedes Camœnarum
Aediculæ X
Aedicula Fortunæ obſequentis
Aedicula Honoris
Aedicula Virtutis
Aedicula Ridiculi
Aedicula Herculis
*
Reliquæ deſiderantur.

A Areæ VII
Area Apollinis
Area Spei
Area Thalii, ſive Galli, ſive Galliæ
Area Iſidis Ælianæ
Area Pinaria
Area Carſuræ
Area Mercurii
Aræ II
Aera Mercurii
Ara Iſidis
Lapis Manalis
Circus Antonini Caracallæ cum obeliſco
B Senaculum ad portam Capenam
Mutatorium Cæſaris
Campus Ridiculi
Horti Terentiani
Tabernæ Cædiciæ
Thermæ Commodianæ
Thermæ Severianæ
Balinea publica VI
Balineum Vettii Bolani
Balineum Torquati
Balineum Mamertini
Balineum Abaſcantiani
C Balineum Mettiani Secundiani
Balineum Antiochiani
Balinea reliqua privata ſine nomine XXCII
Lacus fund. XXCIII
In his
Lacus Promethei
Lacus Veſpaſiani, alias Vipſani
Lacus Sanctus
Lacus Sudans
Lacus Torquati
Lacus Publicus
Lacus Bivius
Lacus Spei
D Lacus Gratiæ
Lacus Mamertini
Lacus Salutaris
Lacus reliqui ſine nomine LXXII
Arcus IV
Arcus Druſi Neronis
Arcus Divi Trajani
Arcus Divi Veri Parthici
Arcus Bifrons
Sepulchra
Corneliorum Scipionum
Atiliorum Calatinorum
E Serviliorum
Cæciliorum
Horatiorum &c,
Horrea XIV
Piſtrina XII
Domus CXXI
Inſulæ IV. ∞ CCL
Regio in ambitu continet pedes XIII ∞ CCXXIII

M. VIBIO. M. LIC. CATINIO
VIBIONIN. PRÆCONI
DE. REGION. PORT. CAPEN
VIX. ANN. XLIIX. M. III. D. II
F M. VIBIVS. HILARVS. PRÆGVSTAT
REGIO. VRBIS. SECVNDA
COELIMONTIVM

Mons Cœlius, alias Qurrquetulanus, alias Auguſtus
Cœliolus
Subura

Suburæ meminit hæc vetus inſcriptio:

M. LIVIVS. M. L. AVCTVS
PRÆCO. DE. SVBVRA
LIVIÆ. DONATÆ. LIBER

Cœrolienſis
Vici IV
*
Vicomagiſtri XXXII
Curatores II
Denuntiatores II
Cohortes vigilum V
Lupariæ in Subura
Antrum Cyclopis

Prope hunc locum forte fuit vicus Cyclopis, de quo mentio eſt hic:

CVRTILIVS. HERMEROS
FECIT. SIBI. ET
CVRTILIÆ. ANTHIDI
CONIVGI. SVÆ. CARISSIMÆ
ET.LIBERTIS.LIBERTABVS.QVE
SVIS. POSTERIS. QVE. EORVM
MAGISTER. VICI. AB. CYCLOPIS
REGION. PRI. FABER. ARGENTARIVS

Caput Africæ
Arbor ſancta
Mica Aurea
Spolium Samarium
Luci II
Templum Tulli Hoſtilii
Templum Bacchi
Templum Fauni
Templum Divi Claudii
Templum Deæ Carnæ
Aediculæ VIII
Dianæ in Cœliolo
Fortunæ Barbatæ
Minervæ Captæ
*
Iſeum Metellianum
Minervium
Statua equeſtris M. Antonini Imperatoris
Ludus Matutinus

De ludo Matutino vidi has inſcriptiones:

T. FLAVIO. T. F. GERMANO
CVRATORI. TRIVMPHI. FELICISSIMI
GERMANICI. SECVNDI. IMP. CÆS. FL
DOMITIANI. AVGVSTI. EXORNATO
SACERDOTI. SPLENDIDISSIMO
PONTIF. MINOR. PROC. XX. HÆR
PROC. PATRIMONII. PROC. LVDI. MAGNI
PROC. LVDI. MATVTINI. PROC. REG. VRBIS
DEFVNCTO. IBI. OFFICIO. VIARVM
STERNENDARVM. VRBIS. PARTIBVS
DVABVS. PROC. XX. HÆR. VMBRIÆ
TVSCIÆ. PICENI. BRVTT. CALABR
ET. APVLIÆ. CVR . . . . . . VM
TECTORVM. OPERVM. PVBL
QVÆST. ÆD. II. VIR. FLAMINI. DIVI. AVG
II. VIR. QQ. PATRONO. COLONIÆ
. . . LIB. PATRONO. INCOMPARABILI
ET. FLAVIS. MAXIMO. ET. GERMANO
ET. RVFINO. FILIIS. EQVO. PVBLICO
ORNATIS

Item:

INVICTAE. DIANAE. VICTRICI. PRO
CVRATORES. LIB. COM. LVDI. MATVTINI
. . . . . . CAESARIS

Item

Item:

EVTYCHVS
AVG. LIB
NERONIANVS
MEDICVS. LVDI
MATVTINI. FECIT. SIBI. ET
IRENAE. LIB. CONIVGI
CARISSIMAE. ET
LIBERTIS. LIBERTABVS. Q
POSTERIS. QVE
EORVM

Ludus Gallicus

De ludo Gallico hoc vetus extat epigramma Romæ:

SILVANO. SANCTO
C. AVSTVRNIVS. MEDI
CVS. LVD. GALLIC
PORTICVM. ET. EXEDR
ET. SIGN. AEN
VOTO. SVSCEPT
L. M
DEDIC. KAL. MAI
L. MARCIO. ET
SEX. IVLIO. COS

Regia Tulli Hostilii
Armamentarium
Castra peregrina

Castra peregrina erant in Cœlio monte prope ædiculam S. Mariæ in Dominica, ut ex his inscriptionibus liquet, quæ in ejus area aliquot annis ante inventæ sunt:

PRO. SALVTE. ET. REDITV. D. N. IMP. CÆSARIS
VOTIS | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
PIO. FELICI. VOTIS
X. ANNALIB. INVICTO. AVG. DOMITIVS. BASSVS. 7 FR.
AGENS. XX. ANNALIB
FELICITER. VICE. PRINCIPIS. PEREGRINORVM. TEMPLVM. IOVIS. REDVCIS. C. P. O. FELICITER
CVLTV. DE. SVO. EXORNAVIT (MNI

Item:

COCCEIVS
PATRVINVS
PRINC
PEREGRI
NORVM

Mansiones Albanæ
Campus Martialis
Campus Fontinarum, alias Forinarum
Campus Cœlimontanus
Thermæ publicæ
Balineæ privatæ xxc
Lacus fund. sine nomine LXV
Macellum magnum
Horrea xxiii
Pistrina xxiii
Domus cxxxiii.
In his
Domus Vectiliana, alia Vitelliana
Domus Philippi
Domus Septem Parthorum
Domus Laterani
Cæsaris Dictatoris
Mamurræ Formiani
Tib. Claudii Centumali
Junii Senatoris
Stellæ Poetæ

A Tib. Claudii Clypti Hymnologi
Tetricorum
Turris Mamilia
Insulæ iii. millia cvi
Regio in ambitu continet pedes xiii. millia cc

REGIO. III. ISIS. ET. SERAPIS
MONETA

Carinæ
Vici viii
Vicus Albus
B Vicus Fortunæ vicinæ
Vicus Anciportus
Vicus Bassianus
Vicus Structorum
Vicus Asellus
Vicus Lanarius
Vicus Primigenius
Vicomagistri xxxii
Curatores ii
Denuntiatores ii
Caput Suburæ
Tribus Gratiæ aureæ, alias æreæ
Summum Choragium

C *Summi Choragii hanc mentionem extare vidi:*

HERCVLI. ET. SILVANO. EX. VOTO
TROPHIMIANVS
AVG. LIB
PROC. SVMMI. CHORAGI
CVM. CHIA. CONIVGE

Caput Sacræ viæ
Prætura præsentissima
Lucus Cuperius scholæ capulatorum
Templum Isidis & Serapidis Monetæ
D Templum Concordiæ virilis cum delubro
Ædicula viii
Ædicula Bonæ Spei
Ædicula Serapidis
Ædicula Sangi Fidoni
Ædicula Minervæ
Aedicula Isidis
Aedicula Veneris
Aedicula Aesculapii
Aedicula Volcani
Porticus Liviæ juxta templum Concordiæ virilis
Porticus Claudii Martialis
E Amphitheatrum Vespasiani, quod capit loca LXXVII. millia
Ludus Magnus

De Ludo Magno extat hæc antiqua inscriptio:

DIS. MANIBVS
M. CALPVRNIO. M. F. MEN
VOSENNIO
VIX. ANN. XXX. M. IIX
M. CALPVRNIVS. M. F. MEN
HILARVS. MEDICVS
LVD. MAGN
F FRATRI. PASSIM. FEC

Item:

L. FVRIO. L. F. PAL. VICTORI
PRAEF. PRAET. IMPERAT. OMNIVM
HONORATO. ET. DONATO. IN
PROVINCIAM. PARTHIAM
ET. VER..... CORON. MVRALI
VALLARI
HASTA. PVRA. SINE. VEXILLIS
OBSIDIONALI

QVE. CORONA. DONATO. PR. AEGYPTI
PRAEF. VRB
PROC.A.RAT.PRAEF.PRAETOR.MISSV...
RAVENNATIVM. PROC. LVDI. MAGNI
PROC. PROVINCIAE
HISPANIAE. ET. GALL. PRAEF. ALAE
FRONTONIANAE
TRIB. LEGIONIS. II. ADIVTRIC. VII.COH
BRACARVM. IN. BRITANNIA

Ludus Dacicus
Ludus Mamertinus
Castra Misenatium
Castra Misenatium vetera
Schola Quæstorum
Schola Capulatorum
Schola Galli
Thermæ Titi Cæsaris Augusti
Thermæ Trajani Cæsaris Augusti

In thermis Trajani inventa est hæc inscriptio:

IVLIVS. FELIX. CAMPANIA
NVS. V. C. PRAEFECTVS. VRBI
AD. AVGENDAM. THERMA
RVM. TRAIANARVM. GRATIAM
CONLOCAVIT

Thermæ Philippi Cæsaris Augusti.

Prope ædiculam S. Matthæi in Merulana, in thermis Philippi Imp. inventa est hæc inscriptio:

L. RVBRius. GETA. CVR. P. CCCXXIII
D. N. PHILIPPI. AVG. THERM....

Balineæ privatæ LXX
Lympheum Tib. Claudii Cæsaris Augusti
Lacus pastoris
Lacus sine nomine LXV
Horrea XXIX. alias XIX
Pistrina XXIII
Domus CLX.
In his
Aurea Neronis cum porticu
Domus Bruttiani
Domus Pompejani
Titi Cæsaris cum atrio, in quo fuit Laocoontis statua
Insulæ II millia DCCCVII
Regio continet in ambitu pedes XII. millia CDL

REGIO. IV. VIA. SACRA. alias
TEMPLVM. PACIS

Via Sacra
Ad Corneta
Vici VIII
Vicus Cyprius, post
Sceleratus
Vicus Eros
Vicus Veneris
Vicus Apollinis
Vicus Trium viarum
Vicus Anciportus minoris
Vicus Fortunatus minoris
Vicus Sandaliarius

Vici Sandaliari, & reg. IV. mentio est in vetusta hac inscriptione:

GERMANICO. CÆSARE COS
C. FONTEIO. CAPITONE
KAL. IVN
SEIÆ. FORTVNÆ. AVG
SACR
SEX. FONTEIVS. Ↄ. L. TROPHIMVS

A CN. POMPEIVS. CN. L. NICEPHORVS
MAG. VICI
SANDALIARI. REG. IIII
ANNI. XVIII. D. D

Vicomagistri XXXII
Curatores II
Denuntiatores II
Carinæ caput
Aequimelium
Bucena aurea
Sororium tigillum
Meta sudans
Caput Lynco
B Busta Gallica
Templa X
Templum Pacis, in quo inter cetera ornamenta erant templi Hierosolymorum
Templum Remi
Templum urbis Romæ, & Augusti
Templum Veneris cloacinæ
Templum divæ Faustinæ cum porticu
Templum Telluris in Carinis cum armamentario
Templum Solis
Templum Lunæ
Templum Concordiæ in porticu Liviæ
C Templum divi Nervæ in foro Transitorio
Aedes Jani Curiatii
Aedes Junonis Sororiæ in Carinis
Aedes Salutis
Aediculæ VIII
Aedicula Musarum
Aedicula Spei
Aedicula Mercurii
Aedicula Lucinæ Valerianæ
Aedicula Junonis Lucinæ
Aedicula Mavortii
Aedicula Juventutis
Aedicula Isidis
D Volcanale, ubi lotos a Romulo sata
Sacriporticus, alias Sacriportus
Porticus absidata
Area Victoriæ
Area Volcani, in qua sanguine per biduum pluit
Sacellum deæ Strennuæ
Colossus Solis altus P. CIIS alias CXX. habens in capite radios VII singulos pedum XXIIS
Apollo Sandaliarius
Odeum
Forum transitorium, alias Palladium, alias divi Nervæ, cum porticibus
Forum Cupedinis
E Basilica vetus L. Aemilii Paulli
Basilica Constantiniana
Secretarium populi Romani
Balneum Daphnidis
Balineæ privatæ LXXV
Lacus sine nomine LXXIX
Arcus Titi Cæsaris Vespasiani Augusti
Arcus L. Septimii Severi A.
Arcus Constantini Aug.
Horrea XIIX.
In his
Cantharia, alias Testaria
F Pistrina XXIIII
Domus CXXXVIII
In his
Regis Anci Martii, in via Sacra Sp. Cassii Viscellini in Carinis, ubi postea templum Telluris fuit
Domus Cn. Pompeii, post M. Antonii in Carinis
Domus avita Ciceronum
Domus alia C. Cæsaris in Sacra via
Domus M. Manilii
Domus Philippi in Carinis
Domus D. Cœlii Balbini Imp.
Insulæ II ∞ DCCLVIII.

Regio continet in ambitu pedes XIIII ∞ alias XVIII ∞

REGIO. V. ESQVILINA. CUM. TURRI ET. COLLE. VIMINALI

Mons Esquilinus, alias Cispius, Oppius, & Septimius
Mons Viminalis, alias Fagutalis
Aggeres Tarquinii Superbi
Clivus urbicus
Vicus patricius Figlinæ
Puticuli, alias puticulæ in Esquiliis
Spes vetus
Vici XV
Vicus Sucusanus
Vicus Ursi Pileati
Vicus Minervæ
Vicus Ustrinus
Vicus Palloris
Vicus Sejus
Vicus Silvani
Vicus Capulatorum
Vicus Tragœdus
Vicus Unguentarius
Vicus Paullinus
Vicus Patiores
Vicus Caticarius
Vicus Veneris placidæ
Vicus Junonis
Vicus Africus in Esquiliis antiquus
Vicomagistri LX
Curatores II
Denuntiatores II
Stationes cohort. VII. vigilum
Tabernola
Tres Tabernæ
Lucus Pœtilinus
Lucus Fageus, alias Fagutalis
Lucus Esquilinus
Lucus Querquetularius
Lucus Mephitis
Lucus Junonis Lucinæ
Lucus Viminalis, alias Jovis Viminei
Lucus Rubiginis
Templum Jovis Fagutalis, alias Viminei
Templum Junonis Lucinæ
Templum Minervæ Medicæ Pantheum
Templum Silvani sub Viminali cum porticu
Templum Aesculapii
Templum Veneris Erycinæ ad portam Collinam cum porticu
Aedes Veneris Verticordiæ extra portam Collinam, via Salaria
Aedes Rubiginis via Nomentana, extra portam Catulariam
Aedes Quietis extra portam Collinam
Aedes Honoris ad portam Collinam
Aedes Felicitatis
Aedes Malæ Fortunæ
Aediculæ XVI
Ædicula Fortunæ Sejæ
Ædicula Veneris placidæ
Ædicula Castoris
Ædicula Pollucis
Ædicula Silvani
Aedicula Apollinis
Aedicula Cloacinæ
Aedicula Herculis
Aedicula Mercurii
Aedicula Martis
Aedicula Lunæ
Aedicula Serapidis
Aedicula Vestæ

A Aedicula Cereris
Aedicula Proserpinæ
Aedicula Fortunæ parvæ
Sacellum deæ Næniæ extra portam Viminalem
Sacellum Querquetularium
Sacellum Jovis Fagutalis
Ara Jovis Viminei
Ara Malæ Fortunæ
Hercules Silvanus
Isis Patricia
Amphitheatrum Castrense
Circus Aureliani cum obelisco
Forum Esquilinum
B Basilica Sicini
Regia Ser. Tullii
Campus Esquilinus
Campus Viminalis sub aggere, in quo erat ædicula Fortunæ Parvæ
Horti Mæcenatis cum turri
Horti Plautiani, alias Planciani, alias Pallantiani
Horti Torquatiani
Castra Prætoria
Vivarium
Thermæ Olympiadis
Thermæ Novati
C Balineum Paulli
Balinea privata LXXV
Nympheum Alexandri Imp.
Lavacrum Agrippinæ
Lacus Promethei secund.
Lacus sine nomine CLXXIX
Castellum aquarum Marciæ, Juliæ, & Tepulæ
Arcus Gallieni
Macellum Livianum
Horrea XXIII
Pistrina XXII
Domus CXXC.
In his
D Domus regis Ser. Tullii
Q. Lutatii Catuli
M. Licinii Crassi divitis
Aquillii Jureconsulti
P. Virgilii Maronis
Propertii
A. Persii
C. Plinii Junioris
Licinii Imperatoris
Insulæ II ∞ DCCCL
Regio habet in ambitu pedes XV ∞ DCCCCL

E

REGIO. VI. ALTA. SEMITA

Mons Quirinalis, alias Agonius, Salutaris, Latiaris, & Mutialis
Campus Sceleratus ad portam Collinam
Clivus Publicus
Vici XIII, alias XII: non enim connumerant vicum Bellonæ
Vicus Bellonæ extra numerum
Vicus Mamuri
Vicus Albus
Vicus Publicus

F De Vico Publico extant hæ inscriptiones:

L. IVNIO. L. F. SABATI
NA. POLLIONI. A
ROMATARIO. A. VIC
PVBLIC. VIX. ANN
XLVII
L. IVNIVS. L. F. SYN
AVIVS. AROMAT
FRATRI. OPTIMO. PI
ENTISSIMO. FEC

Item :

T. FLAVIO. AVG. LIBERTO
EPAPHRODITO
CYRNEARIO.A.VIC.PVB
FLAVIA. AVG. LIBERTA
TYCHE. MAR. OLL. D.

Vicus Floræ
Vicus Quirini
Vicus Flavius
Vicus Fortunarum
Vicus Paccius
Vicus Tiburtinus
Vicus Salutis
Vicus Calidianus
Vicus Maximus
Cohortes vigilum III
Capitolium vetus
Malum Punicum
Decem Tabernæ
Ad Gallinas albas
Pila Honoris
Templa XV
Templum Salutis in colle Quirinali
Vicus Mustellarius antiquus extra numerum
Vicomagistri XLVIII. alias LII
Curatores II
Denuntiatores II
Templum Serapium, alias Serapidis
Templum Apollinis & Clatræ
Templum Floræ
Templum Veneris hortorum Salustianorum.

De quo mentio est in veteri epigrammate sic:

M. AVRELIVS. PACORVS
M. COCCEIVS. STRATOCLES
AEDITVI. VENERIS. HORTORVM
SALVSTIANORVM. BASEM. CVM
PAVIMENTO. MARMORATO
DIANAE
D. D

Templum Quirini cum porticu
Templum Minervæ Flavianæ
Templum Fortunæ Sejæ
Templum aliud Salutis
Templum Fidei
Templum Fortunæ Liberæ
Templum Fortunæ Statæ
Templum Fortunæ Reducis
Templum Fortunæ Publicæ
Templum Fortunæ Primigeniæ
Ædes divi Fidii in colle, alias sancti Fidii semipatris
Ædiculæ XVI
Ædicula Fortunæ Parvæ
Ædicula Genii Liberorum
Ædicula Genii Larum
Ædicula Dianæ Valerianæ
Ædicula Junonis Juliæ
Aedicula Spei
Aedicula Sangi, in qua lana, colus, & fusus Tanaquildis
Aedicula Silvani
Aedicula Veneris
Aedicula Herculis
Aedicula Victoriæ
Aedicula Matutæ
Aedicula Liberi Patris
Aedicula Saturni
Aedicula Jovis
Aedicula Minervæ

A Sacellum Quirini
Porticus Quirini
Porticus Milliaria
Area Candidi
Statua Quirini alta pedes XX
Statua Mamuri plumbea
Statua Fortunæ Publicæ in colle
Statuæ duæ marmoreæ Alexandri Magni Bucephalum domantis, opus Fidiæ & Praxitelis
Circus prope portam Collinam, juxta ædem Veneris Eryçinæ, cum obelisco, forte Salustii
Circus Floræ
Forum Salustii
B Forum Diocletiani
Senaculum Matronarum in colle Quirinali, quod Antoninus Alagabalus fecit
Horti Salustiani
Thermæ Diocletiani & Maximiani

In his thermis inventa est hæc inscriptio.

CONSTANTINVS. ET. MAXIMIANVS. INVICTI. AVG
SEVERVS. ET. MAXIMIANVS. CAESS
THERMAS. ORNAVER. ET. ROMANIS. SVIS
DEDICAVER

C Thermæ Constantini in colle

In ædicula quadam vetusta, pone thermas Constantini, adbuc hæc inscriptio extat:

PETRONIVS. PERPENNA. MAGNVS
QVADRATIANVS. V. C.ET.INL.PRAEF.VRB
CONSTANTINIANAS. THERMAS. LONGA
INCVRIA. ET. ABOLENDAE. CIVILIS. VEL
POTIVS. FERALIS CLADIS. VASTATIONE
VEHEMENTER.ADFLICTAS.ITA.VT.AGNI
TIONEM. SVI. EX. OMNI. PARTE.PERDITA
D DESPERATIONEM. CVNCTIS. REPARATIONIS. ADFERRENT. DEPVTATO. AB
AMPLISSIMO. ORDINE. PARVO
SVMPTV. QVANTVM. PVBLICAE
PATIEBANTVR. ANGVSTIAE. AB
EXTREMO
VINDICAVIT. OCCASV. ET. PROVISIONE
LARGISSIMA. IN. PRISTINAM
FACIEM. SPLENDOREMQVE. RESTITVIT

Balnea Paulli
Balnea privata LXXV
Lacus LXXV
Bibliotheca Ulpia. in thermis Diocletiani
E Horrea XIX
Pistrina XXIII
Domus CLV.
In his
Domus Corneliorum
Domus Attici
Domus C. Salustii
Domus T. Flavi Sabini
Insulæ III ∞ DV
Regio in ambitu continet pedes XV ∞ DG

REGIO. VII. VIA. LATA

Vici XL
F Vicus Ganymedis
Vicus Gordiani minoris
Vicus Novus
Vicus Caprarius
Vicus Solis
Vicus Gentianus
Vicus Sanci
Vicus Herbarius
Vicus Mansuetus
Vicus Sigillarius minor
Vicus Solatarius

Vicus Fortunæ
Vicus Spei majoris
Vicus Novus ulterior
Vicus Libertorum
Vicus Publii
Vicus Novus citerior
Vicus Statuæ Veneris
Vicus Archemorium, alias Archemonium
Vicus Æmilianus
Vicus Piſcarius
Vicus Cælatus
Vicus Victoris
Vicus Vicinus
Vicus Græcus
Vicus Lanarius ulterior
Vicus Pomonæ
Vicus Caput Minervæ
Vicus Trojanus
Vicus Peregrinus
Vicus Caſtus
Vicus Minor
Vicus Putealium
Vicus Scipionis
Vicus Junonis
Vicus Sellarius
Vicus Iſidis
Vicus Tabellarius
Vicus Mancinus
Vicus Lotarius
Vicomagiſtri CLX
Curatores II
Denuntiatores II
Cohortes VII primorum vigilum
Pila Tiburtina
Ad Manſuetos
Lapis Pertuſus
Templum Solis
Templum novum Spei
Templum novum Fortunæ cum porticu a Lucullo conditum, in quo erat ſtatua Minervæ, facta a Fidia, poſita a Paullo Aemilio
Templum novum Quirini
Aedicula Capraria
Porticus Conſtantini
Sacellum Genii Sangi
Equi æneI Tyridatis
Forum Syarium, alias Suarium

De quo mentio eſt in hoc vetuſto epigrammate:

DOMINO. NOSTRO
FL. CLAVDIO. CONSTANTINO
FORTISSIMO. AC
BEATISSIMO. CAESARI
FL. VRSACIVS. V. P.
TRIBVNVS. COHORTI
VM. VRBANARVM
X. XI. ET. XII. ET. FORI
SYARI

Forum Archemorium
Caſtra Gentiana, alias Gypſiana
Campus Agrippæ
Horti Argiani
Balnea privata LXXV
Nympheum Jovis
Lacus Ganymedis
Lacus ſine nomine LXXVI
Arcus DD. Marci & Veri
Arcus Gordiani junioris Aug.
Arcus Novus
Piſtrina XVII
Horrea XXV
Domus CXX

A In his
Domus Martialis
Inſulæ III ∞ DCC
Regio in circuitu continet pedes XXIII ∞ DCC

REGIO. VIII. FORUM. ROMANUM

Mons Saturnius, poſt Tarpejus, demum Capitolinus; alias Capitolium, ubi omnium deorum ſimulachra celebrabantur.

Arx Capitolii
Rupes Tarpeja, alias ſaxum Carmentale
B Clivus Capitolinus
Porta Stercoraria
Via Nova
Vici XII
Vicus Ligurum
Vicus Jugarius
Vicus Thurarius
Vicus Thuſcus
Vicus Unguentarius major
Vicus Unguentarius minor
Vicus nonus
Reliqui deſunt
C Vicomagiſtri XLVIII
Curatores II
Denuntiatores II
Cohortes Vigilum VI
Umbilicus urbis Romæ
Milliarium aureum
Porta Carmentalis
Puteal Libonis
Lacus Curtius
Pila Horatia, ubi tropæa locata
Scalæ annulariæ
Sub Novis
Ad Junium ſecundum Tiberim
D Luteolæ ad Jani templum
Marſyas
Faviſſæ Capitolinæ
Lucus Veſtæ Cuperius
Templa XXI
Templum Jovis Capitolini, alias optimi maximi, in quo erant tria delubra: medium Jovis; dextrum Minervæ; lævum Junonis, ibique in arca lapidea ſervabantur libri Sibyllini
Templum Jovis Feretrii
Templum divi Julii in foro, in quo ſimulachrum erat Veneris e mari exeuntis DD. ab Auguſto.
E Templum Caſtorum ad lacum Juturnæ, alias Caſtoris & Pollucis, in quo erat ſignum Floræ.

De hoc templo puto loqui hanc inſcriptionem:

C. TERENTIO. C. L. PAMPHILO
SAGARIO. POST. ÆDEM. CASTORIS
CALPVRNIÆ. Ɔ. L. SALVIÆ

Templum Concordiæ cum cella, inter forum & Capitolium a Camilla DD. In quo erat ſenaculum, ubi magiſtratus cum ſenioribus deliberabant. Erantque in eo hæc ſimulachra: Battonis adorantis Apollinem, opus Bedæ; Latonæ puerperæ Apollinem & Dianam ſubſtinentis, opus Euphranoris; Aeſculapii & Hygiæ, opus Niceratі; Martis & Mercurii, opera Piſicratis; Cereris & Jovis, opera Sthenis; & Victoriæ.
F
Templum Veſtæ cum atrio, ubi erant Palladium, Ignis, & Virgines Veſtales
Templum deum Penatium
Templum Romuli, alias Quirini in foro
Templum Jani Gemini æreum, quatuor portarum, cum ſigno Jani, opus Scopæ & Praxitelis ab Auguſto DD.

Templum divi Trajani
Templum divi T. Cæsaris Vespasiani
Templum Carmentæ
Templum Veneris Calvæ novum
Templum Veneris Calvæ vetus
Templum vetus Minervæ
Templum Nemesis cum simulachro
Templum Saturni cum ara, ubi erat ærarium, ante quod erat æneum Silvani signum.

Aerarium populi Romani præter omnium antiquariorum sententiam erat, ubi nunc est ædicula S. Salvatoris in statera, & olim fuit S. Saturnini, ut ex hoc epigrammate ibidem effosso constat:

L. CALPVRNIVS. PISO
M. SALVIVS
PR. AER.
AREAM. EX. S. C. A. PRIVATIS
PVBLICA. PECVNIA
REDEMPTAM. TERMINAVER

De templo Saturni, in quo erat ærarium, mentio est in antiquo marmore ita:

SANC. SAL.
T. PETIDIVS. T. F
FAB. LVCEIVS
VIII. VIR. AED. PLEB
POTESTAT. VIII. VIR
II. FANOR. VIII. VIR
III. AERARI. SAT
S. P. D. D

Templum divi Augusti
Templum Junonis Martialis
Templum Larum
Templum Veneris Genitricis, alias Veneris & Anchisæ cum atrio

Aedes x

Aedes Victoriæ
Aedes Opis & Saturni in vico Jugario
Aedes Martis Ultoris in foro divi Augusti
Aedes Vejovis inter arcem & Capitolium prope Asylum, cum ejus simulachro cupressino
Aedes Jovis Tonantis in clivo Capitolii, in qua erant signa Jovis Tonantis, opus Locræ; Jovis ex ære Deliaco, Castoris & Pollucis, opus Hygiæ.
Aedes Herculis Victoris parva & rotunda in foro Boario
Aedes Matris Matutæ
Aedes Vortumni in vico Thusco
Aedes Junonis Monetæ cum officina
Aedes Jovis Custodis DD. a Domitiano
Aedes Veneris Cloacinæ
Aedes Veneris Erycinæ
Aedes Salutis
Aedes Libertatis
Aedes Jovis Sponsoris
Aedes Mentis
Aedes Fidei in Capitolio
Aedes Fortunæ primigeniæ
Aedes Aii Locutii
Aedes Fortunæ prosperæ
Aedes Fortis Fortunæ in foro Boario

*
* Aediculæ XII

Aedicula Victoriæ DD. a M. Porcio Catone
Aedicula Juventutis
Aedicula Termini
Aedicula Concordiæ ærea supra Græcostasim
Aedicula Fortunæ obsequentis
Aedicula Matris Rumæ

* *
* *
* *
* *
* *
* *

Porticus Julia
Porticus Margaritariorum
Porticus Liviæ
Porticus Augusti
Porticus Minucia, alias Numicia
Porticus Nasicæ
Porticus Porphyretica
Porticus Capitolinæ
Porticus Constantini
Jani duo, celebris mercatorum locus ad arcum Fabianum, superior inferiorque
Atrium publicum in Capitolio
Atrium Minervæ
Atrium Vestæ
Area Opis } in vico Jugario.
Area Cereris }
Area Saturni ante ærarium
Sacellum Sumani
Sacellum Larum
Sacellum Pudicitiæ patritiæ
Sacellum Herculis in foro Boario
Delubrum Minervæ in foro
Delubrum Larum
Asylum inter duos locos, arcemque & Capitolium
Domus divi Tatii
Doliola
Sepulchrum Romuli
Sepulchrum Accæ Laurentiæ in via nova
Ficus Ruminalis
Lupercal Virginis
Germalus
Ara Saturni vetus
Ara Saturni nova ad lacum Curtii
Ara Junonis Jugæ in vico Jugario
Ara Jovis Pistoris in Capitolio

Signa & statuæ deorum

Signum Jovis imperatoris Præneste devectum
Signum æreum Jovis a Sp. Carvilio ex Samnitica præda factum
Signum Junonis DD. a Pompejo Bithynico
Signum Apollinis translatum ex Apollonia a Lucullo, altum cubitos XXX. alias XXXII
Signum Minervæ Catulianæ, opus Euphranoris.
Signa duo Herculis; alterum a P. Sempronio Saverrione dedicatum: alterum æreum, opus Lysippi, a Q. Fabio Maximo Tarento devectum
Signum Herculis tunicati juxta Rostra
Victoria aurea in templo Jovis opt. max.
Fides candida
Signum Vortumni in vico Jugario
Signum Matris Statæ
Tria signa deorum noxiorum, ante cellam Minervæ in templo Jovis Capitolini
Signum Boni Eventus } opera Praxitelis
Signum Bonæ Fortunæ }

Simulacra hominum

Statua divi Julii equestris in ejus foro
Divi Augusti
Divi Claudii II. aurea X. pedum in templo Jovis opt. max.
Divi Constantini equestris
Romuli & Remi infantium sub lupa
Septem regum in Capitolio
Attii Navi auguris ante Curiam
L. Junii Bruti primi cos. in Capitolio
P. Valerii Poplicolæ
Horatii Coclitis in comitio
Mucii Scævolæ
Annii fetialis equestris in atrio domus regis Superbi
M. Furii Camilli pro Rostris

Tullii Cœlii, L. Roſcii, Sp. Nautii } Legatorum populi Romani a Fidenatibus cæſorum pro Roſtris
C. Fulcinii
P. Junii, T. Coruncanii } Legatorum P. R. ab Illyriis cæſorum pro Roſtris
Cn. Octavii in legatione occiſi pro Roſtris
Equeſtris togata Q. Martii Tremuli ante templum Caſtorum
L. Cæcilii Metelli pont. max. in Capitolio
Q. Fabii Maximi ærea equeſtris in Capitolio
P. Scipionis Africani
L. Scipionis Aſiatici chlamydata & crepidata
M. Lepidi bullata & prætextata
Trebii ædilis in Capitolio
Sullæ dictatoris aurea equeſtris
Sullæ Felicis dictatoris ænea
Trium Sibyllarum pro Roſtris
Cœliæ v. v. equeſtris
Cajæ Suffetiæ v. Veſtalis
Corneliæ Gracchorum matris
Hermodori Epheſii LL. x tabularum interpretis in comitio
Alcybiadis, Pythagoræ } in comitio
Trophæa C. Marii aurea in Capitolio
Currus ſejuges a Cn. Cornelio poſiti
Simulachrum leonis pro Roſtris
Equus C. Cæſaris in ejus foro
Equus æneus Domitiani Auguſti
Equus æneus Trajani Auguſti
Equa cernens quatuor Satyros
Elephas herbarius
Æreum tauri ſimulachrum in foro Boario
Signum anſeris argenteum in Capitolio
Clypei XII inaurati
Clypeus Martis cum imagine Haſdrubalis
Ænearum tabularum publicarum tria millia
Ludus Aimilius, alias Lepidi

Fora

Forum Romanum, quod dicebatur magnum, alias vetus
Forum Cæſaris, in quo erant Veneris ſigna duo, alterum loricatum, alterum factum ab Arceſilao
Forum Auguſti, in quo erant ſtatuæ M. Valerii Corvini, & eburnea Apollinis
Forum Trajani cum porticu
Forum Boarium
Forum Piſcarium
Forum Argentarium
Curia
Curia Hoſtilia ſub veteribus
Curia Calabra in Capitolio, ubi pontifex minor pronuntiabat dies
Regia Numæ, alias Curia Pompiliana, in qua ſacrarium erat Opeconſivæ
Senaculum aureum
Baſilica Paulli Aimilii cum Phrygiis columnis in foro
Baſilica Julia

Hujus baſilicæ mentio eſt in hac inſcriptione paulo ante in foro Romano prope columnam inventa:

GABINIVS. VETTIVS
PROBIANVS. V. C. PRAEF. VRB
STATVAM. QVAE. BASILICAE
IVLIAE. A. SE. NOVITER
REPARATAE. ORNAMENTO
ESSET. ADIECIT
DEDIC. XV. KAL. FEBRVARI
. . . . . . PVBLICORVM
CORNELIO. ANNVLINO. II COS
ET. AVFID. FRONTONE

A Baſilica Ulpia, alias Trajani
Baſilica Porcia, ubi fuerat domus Q. Mænii
Baſilica Sempronia
Baſilica Argentaria
Baſilica Opimii
Comitium, in quo erat ficus Ruminalis
Roſtra populi Romani vetera
Roſtra populi Romani nova
Græcoſtaſis
Carcer imminens foro a Ser. Tullio ædificatus media urbe
Stationes municipiorum
Ludi litterarii
B Schola Xantha
Horti Aſiniani
Septem, alias quinque tabernæ argentariæ novæ
Balineum Polycleti
Balineæ privatæ LXVI
Lacus Juturnæ
Lacus ſine nomine CXX
Bibliotheca Capitolina
Bibliotheca templi divi Trajani
Arcus Fabianus
Arcus Tib. Cæſaris prope ædem Saturni
Arcus Trajani Cæſaris Auguſti
C Arcus Severi, & M. Antonini in foro Boario
Fornix Sertinii in foro Boario cum ſignis auratis
Columna C. Duilii
Columna Mænia
Columna Magn. lud. ſæcul.
Columna roſtrata in Capitolio
Columna divi Julii roſtrata pedum XX
Columna coclidis Trajani imp. alta pedes CXXIIX. habet gradus CXXCV. feneſtellas XLV
Sepulchrum C. Poblicii Bibuli ædilis plebis

Hujus ſepulchri adhuc ſuperſunt veſtigia, cum hac inſcriptione:

D

C. POBLICIO. L. F. BIBVLO. AED. PL. HONORIS
VIRTVTIS. QVE. CAVSSA. SENATVS
CONSVLTO. POPVLI. QVE. IVSSV. LOCVS
MONVMENTO. QVO. IPSE. POSTERI. QVE.
EIVS. INFERRENTVR. PVBLICE. DATVS. EST

Macellum . . . . .
Horrea XXIIX

In his

Germanica & Agrippiana
Piſtrina XXX
Domus CL

E In his

L. Tarquinii Superbi regis cum atrio
M. Manlii Capitolini
P. Scipionis Africani
T. Annii Milonis
P. Ovidii Naſonis
M. Valerii Amerini equitis Romani
Inſulæ III ∞ DCCCLXXX
Regio in ambitu continet pedes XIV ∞ DCCCLXVII

REGIO. IX. CIRCVS. FLAMINIVS

Collis Hortulorum, alias Hortorum
F Campus Martius
Via Fornicata
Via Recta
Vici XXX
Vicomagiſtri CXX
Curatores II
Denuntiatores II
Palus Caprea
Mimitia vetus
Mimitia frumentaria
Crypta Balbi

Ciconiæ nixæ
Meleagricum
Fregellæ
Lucus Mavortianus
Lucus Minervæ vetus
Lucus Petilinus major extra portam Flumentanam
Lucus Victoriæ
Lucus Lucinæ, ubi erat Terentum

Templa VIII

Pantheum Jovis Ultoris, in quo erant ſigna Herculis humi ſedentis; Minervæ ex ebore, opus Phidiæ; Veneris cum unione Cleopatræ.
Templum Jani prope theatrum Marcelli, cum ſigno Jani bifrontis
Templum Bruti Callaici, in quo erat coloſſus Martis, & ſtatua Veneris Gnidiæ nudæ
Templum Apollinis
Templum Neptuni juxta ſepta
Templum divi Antonini cum columna cochlide
Templum Minervæ Chalcidicæ
Templum Iſidis & Serapidis prope ovile

Aedes xx

Aedes antiqua Apollinis cum lavacro & coloſſo
Aedes Herculis magni cuſtodis circi Flaminii
Aedes Metelli, ubi erat ſtatua eburnea Jovis a Praxitele facta
Aedes Martis in circo Flaminio
Aedes Vulcani in circo Flaminio
Aedes Juturnæ ad aquam virginem
Aedes Bellonæ verſus portam Carmentalem in circo Flaminio, intra quam dabatur ſenatus legatis exterarum nationum, quos in urbem admittere nolebant
Ædes Minervæ
Ædes Fortunæ equeſtris vetus
Aedes Apollinis
Aedes Neptuni in circo Flaminio
Aedes Larium permarinum in campo Martio
Aedes Boni Eventus
Aedes Veneris Victricis
Aedes Caſtoris in circo Flaminio
Aedes Floræ
Aedes Junonis Reginæ
Aedes Dianæ
Aedes Herculis Muſarum
Aedes Junonis in porticu Octaviæ, ubi erant ſtatuæ Aeſculapii & Dianæ, opera Scopæ; Junonis, Veneris, & Jovis, opera Phyliſci Rhodii; ſimulachrum Junonis, opus Dionyſii & Polyclis; Dianæ, Latonæ, IX Muſarum, Apollinis nudi, Apollinis cytharam tenentis, opera Timantidis; Aeſculapii & Dianæ, opera Cephiſidori.

Aediculæ xxx

Porticus Q. Catuli
Porticus Philippi
Porticus Corinthia duplex Cn. Octavii
Porticus Argonautarum
Porticus Pompeii Magni, cum curia & atrio
Porticus Metelli
Porticus Agrippæ ante Pantheum
Porticus Octaviæ ſororis Auguſti, in qua erant ſchola, curia, & bibliotheca; delubrum cum ſigno Apollinis, opus Phyliſci Rhodii; item ſtatuæ Sauri & Batrachi; Veneris, opus Phidiæ; & Corneliæ Gracchorum matris
Porticus Trajani Aug. in campo Martio
Porticus Gordiani imp.
Porticus Gallieni imp.
Porticus Europæ
Atrium Pompeii
Sacrarium Numæ
Delubrum Jovis Statoris
Delubrum Cn. Domitii cum ſignis Neptuni, Thetidos, Achillis, Nereidum, & Tritonum, opera Scopæ.
Delubrum Apollinis in porticu Octaviæ
Ara Neptuni
Iſæum
Serapium
Minervium
Odeum
Minerva vetus cum luco
Jupiter Pompejanus pedum xxx
Coloſſus Apollinis
Equiria
Circus Flaminius
Circus Alexandri imp.
Stadium
Obeliſcus pro gnomone in campo Martio
Stabula quatuor factionum

Id eſt, Praſſinæ, Ruſſatæ, Venetæ, & Albatæ, de quibus in his antiquis inſcriptionibus mentio eſt:

M. AVRELIO. LIBERO
PATRI. ET. MAGISTRO
ET. SOCIO. DOMINO
ET. AGITATORI. FACTIONIS
PRASINAE
AVRELIVS. CAECILIVS. PLANETA
PROTOGENES. OB. III. PALMAR
HOC. DONVM. VOLVIT
D. D.

Item:

C. APVLEIVS. DIOCLES. AGITATOR
FACTIONIS. RVSSATAE
NATIONE. HISPANVS. LVSITANVS
ANNORVM. XXXVII. MENS. VII. D. XXIII
PRIMVM. AGITAVIT. IN. FACTIONE
ALB. ACILIO. AVIOLA. ET. CORNELIO
PANSA. COS
PRIMVM VICIT. IN. FACTIONE. EADEM
M. ACILIO. GLABRIONE. C. BELLICIO
TORQVATO. COS
PRIMVM. AGITAVIT. IN. FACTIONE
PRASINA
TORQVATO. ASPRENATE. II. ET. ANNIO
LIBONE. COS
PRIMVM VICIT. IN. FACTIONE. RVSSATA
LAENETE. PONTIANO. ET. ANTONIO
RVFINO. COS

Item:

C. APVLEIO. DIOCLI
AGITATORI. PRIMO. FACT
RVSSAT. NATIONE. HISPANO
FORTVNAE. PRIMIGENIAE
D. D
C. APVLEIVS. NYMPHIDIANVS
ET. NYMPHIDIA. FILII

Item:

CL. AVRELIO. POLYPHEMO
DOMINO. ET. AGITATORI
FACTIONIS. RVSSATAE. TOGENI
CAESAREO. SVI. TEMPORIS. PRIMO
ET. SOLO. FACTIONARIO. OB. GLORIAM

Item:

DIIS. MANIBVS
M. ANTONIO. M. F. ANIENSI
MATRINIO. EVOK. AVG
VIX. ANN. XXXIIX. M. VIII

M. NA-

M. ANTONIVS. M. F. ANIEN
PRIMIGENIVS
MEDICVS. FACT. RVSSAT
FRATRI. SANCTIS. FEC

Item:

Q. RAPIDIO. Q. F. LEM
SEPVLLIO
PROCVRATORI. DROMI
FACTIONIS. VENET
Q. RAPIDIVS. XENODO
TVS. ET. RAPIDIA
IVVENTINA
PAR
FECERE

Item:

Q. RAPIDIO. Q. F. LEM
MVLIONI
MORATORI. LVDI
CIRCEN. ET
AGITATORI
FACTION. VENET
VIX. ANN. LX
RAPIDIA. MARIT
PIISSIMO
B. M. F.

Item:

M. VIPSANIO. FVLLONI. TENTORI
M. VIPSANIO. EROTI. AVRIGATORI
M. VIPSANI. MIGNIONI VIATORI
M. VIPSANIO. QVARTIN. SVCCONDITORI
M. VIPSANIVS. RVFINVS. MEDICVS. FACT
VENETAE. OLL. IIII. DD

Theatrum Pompeii
Theatrum Lapideum
Theatrum Balbi capit loca XXX. ∞ XCV.
Theatrum Marcelli capit loca XXX. ∞

De Theatro Marcelli hæc extat inscriptio:

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F.
NERVAE. TRAIANO. AVG. GERM.
DACICO. PONT. MAX. TRIB. POT. VIII.
IMP. IIII. COS. V. P.P. OPTIMO. PRINCIPI
SAGARI. THEATRI MARCELLI
CVLTORES. DOMVS. AVG

Amphitheatrum T. Statilii Tauri
Naumachia Domitiani
Forum Ahenobarbi
Basilica Mattidii, alias Macidii, alias Matidiæ
Basilica Marciana
Basilica Antoniniana, ubi erat provinciarum memoria
Curia Pompeii cum atrio & porticu
Curia Octaviæ cum porticu, in qua erat signum Apollinis fulmen tenentis
Septa Agrippiana
Septa Trigaria
Ovile
Diribitorium
Villa publica, ubi primum census populi actus est
Carcer C. virorum
Horti Lucullani
Horti Agrippæ
Schola porticus Octaviæ, in qua erat statua Cupidinis, opus Praxitelis; quatuor Satyri, & duæ Nymphæ
Thermæ Agrippæ
Thermæ Neronianæ

A Thermæ Alexandrinæ
Thermæ Hadriani Imp.
Thermæ Decianæ
Balnea privata LXIV.
Lavacrum Apollinis
Lacus Thermarum Neronis
Lacus sine nomine
Fons Scipionum
Bibliotheca porticus Octaviæ
Arcus T. Cæsaris
Arcus divi Claudii
Columna coclidis Antoniniana, alta pedes CLXXV. habet gradus CCVI. & fenestras LVI.
B Columna index belli inferendi, ante ædem Bellonæ
Sepulchrum, sive Mausoleum Augusti, in quo erant duo pares obelisci magni, singuli pedum XLIIS.

De quo hæc extat inscriptio:

M. VLPIVS
AVG. L. AEGLVS
PROC. MAVSOLEI
IMAGINEM
CORINTHIAM
TRAIANI. CAESARIS
C COLLEG. FAENARIOR
D. D

Sepulchrum Domitiorum in colle hortulorum
Sepulchra in Campo Martio, Sullæ Felicis dictatoris, Juliarum Cæsaris amitæ & filiæ, Hirtii & Pansæ consulum.
Pistrina XXXII.
Horrea XXXII.
Domus CXL.
In his
Domus Alexandri Imperatoris
Domus Pinciorum in colle hortulorum
D Insulæ III. ∞ DCCXXCVIII.
Insula Philidis
Regio in circuitu continet pedes XXX ∞ DLX.

REGIO. X. PALATIVM

Mons Palatinus, alias Romulius
Via Nova
Prata Bacchii, ubi fuerunt ædes Vitruvii Fundani
Clivus Victoriæ
Vici VII.
Vicus Padi
E Vicus Curiarum
Vicus Fortunæ Respicientis
Vicus Salutaris
Vicus Apollinis
Vicus hujusque diei
Vicus Fortunæ Reducis
Vicomagistri XXIIX.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Roma Quadrata
Sedes Imperii Romani
Velia
F Summa Velia
Ad Capita Bubula
Sicilia in Palatio
Ad Mammam, hoc est diætæ Mammææ
Lucus Larum
Templa X.
Templum Jovis Statoris
Templum Fidei
Templum Apollinis Palatini dedicatum ab Augusto, ubi lychnuchi pendebant instar arboris mala ferentis, cum porticu & area, in quo erant simulachra dei Apollinis, opus Scopæ; Dianæ,

opus Timothei ; & ſigna IV. boum æneorum a Myrione facta
Templum Lunæ in Palatio
Templum Jovis, alias Solis Alagabali
Templum Auguſti
Templum Quirini prope Lupercal, ubi erat ſignum lupæ præbentis duobus pueris Romulo & Remo mammas
Templum Jovis Propugnatoris

De quo meminit hæc inſcriptio:

P. MARCIVS. VERVS
IMP. COMMODO. VI. ET. PETRO
NIO. SEPTIMIANO. COS
AN. P. R. C. DCCCCXLI. K. DEC
IN. PALATIO. IN. ÆDE. IOVIS
PROPVGNATORIS
IN. LOCVM. P. VERI
L. ATILIVS. CORNELIANVS
COOPTATVS

Templum Matris deum, alias Magnæ Matris Ideæ cum ſimulachro ejus ex Peſſinunte devecto
Templum Febris in Palatio cum ara
Ædes IX.
Aedes Conſi
Aedes deæ Viriplacæ in Palatio
Aedes Fortunæ Vicinæ
Aedes Rhamnuſiæ
Aedes Jovis Victoris
Aedes Dijovis
Aedes Orci
Aedes Veſtæ
Aedes Victoriæ
Ædiculæ VII
Porticus templi Apollinis cum ſtatua M. Varronis
Arca templi Apollinis Palatini
Sacellum Larum in Velia
Sacellum Volupiæ
Delubrum Junonis Soſpitæ
Delubrum Palatii
Delubrum Minervæ
Delubrum Latonæ
Pentapylon Jovis Arbitratoris
Auguratorium
Jovis Cœnatio
Curia Saliorum
Sacrarium Saliorum Palatinorum
Lupercal in Theatro
Caſa Romuli
Tigurium Fauſtuli
Ara Febris
Ara Palatina
Coloſſus Jovis Opt. Max. altus pedes CCL.
Fortuna Reſpiciens
Victoria Germaniciana
Coloſſus Apollinis Tuſcanici L. pedum in Bibliotheca Palatina
Statua aurea Britannici Cæſaris
Theatrum Statilii Tauri in Palatio
Curiæ veteres IV. id eſt, Forienſis, Rapta, Vellenſis, & Velitia
Balineæ Palatinæ
Balineæ privatæ XV.
Arcus Octavii patris Auguſti, cum ſignis Apollinis & Dianæ ex uno lapide, opus Fidiæ, quadriga & curru
Bibliothecæ Palatinæ duæ, videlicet, Latina Apollinis, in qua erat ſtatua Numeriani Imperatoris

De qua mentio eſt in his duabus inſcriptionibus:

OSSA
VIBIAE. SVCCESSAE. LIVIAE. AVG. SER
A AB. ARGENTO. POTORIO. ITEM. A. VESTE
L. VIRIVS. AVG. SER. PAMPHILVS. SCRIBA
LIB. ET. A. BIBLIOTHECA. LATINA
APOLLINIS. CONIVGI. FIDELISSIMAE
ET. PIISSIMAE. B. D. S. M

Item:

SVLPICIAE
THALLVSSAE
ANTIOCHVS. TI. CLAVDI
CAESARIS. A. BIBLIOTHECA
LATINA. APOLLINIS
B CONIVGI. SVAE
BENE. MERITAE

Item Bibliothecæ Græcæ:

DIS. MANIBVS
C. IVLIVS. FELIX
A. BIBLIOTHECA
GRÆCA. PALAT

Bibliotheca domus Tiberianæ
Septizonium Severi Imperatoris
C Sepulchrum Cinciorum
Piſtrina XII.
Horrea XVI.

In horreis Palatinis inventum:

IMP. T. CAESARI
DIVI. F.
VESPASIANO. AVG.
PLEBS. VRBANA
QVAE. FRVMENTVM
PVBLICVM. ACCEPIT
ET. TRIBVS

D Domus CXXCIX.
In his
Tulli Hoſtilii regis
Anci Martii regis
Ser. Tullii regis
Poplicolæ in Velia
L. Craſſi oratoris
L. Hortenſii oratoris
L. Sergii Catilinæ
M. Aemilii Scauri
C. Cæſaris dictatoris
E L. Annæi Senecæ
M. Valerii Flacci
D. Catuli
M. Ciceronis
Domus Auguſtana
Domus Tiberiana cum Bibliotheca
Domus Dionyſii
Domus Cejoniorum
Inſulæ ∞ DC.
Regio continet in ambitu pedes XI. ∞ DC.

REGIO. XI. CIRCVS. MAXIMVS

F Vici VIII.
Vicus Conſivius, alias Conſinius
Vicus Proſerpinæ
Vicus Cereris
Vicus Argæi
Vicus Piſcarius
Vicus Parcarum
Vicus Veneris
Vicus Sanctus
Vicus antiquus Publicii ad portam Trigeminam
Vicomagiſtri XXXII.
Curatores II.

Denuntiatores II.
Porta Trigemina
Salinæ ad portam Trigeminam
Velabrum majus in foro Olitorio
Argiletum
Lucus Semelis minor
Lucus Saturni
Templum Mercurii
Templum Castoris
Templum Herculis Victoris in foro Boario
Templum Jani ad forum Olitorium

Ædes XXII.

Aedes Summani, alias Ditis Patris
Aedes Cereris vetus
Aedes Proserpinæ
Aedes Veneris, opus Fabii Gurgitis
Aedes Portumni ad pontem Sublicium, alias Aimilium
Aedes Herculis Olivarii ad portam Trigeminam
Aedes Cereris
Aedes Pompeii, in qua erat Herculis signum a Myrone factum
Aedes Portumni vetus
Aedes Murciæ, alias Veneris Myrteæ
Aedes Consi subterranea, alias Neptuni equestris
Aedes Pietatis in foro Olitorio
Aedes Junonis Matutæ in foro Olitorio
Aedes Junonis
Aedes Pudicitiæ patriciæ
Aedes Pudicitiæ plebejæ in vico longo
Aedes Fortunæ virilis ad Tiberim, in qua erat statua lignea Ser. Tul. regis
Aedes Spei in foro Olitorio
Aedes Apollinis Medici
Aedes Liberi, Liberæque
Aedes Solis
Aedes Floræ

Aediculæ VIII.

Aedicula Veneris
Aedicula Junonis
Aedicula V....
Aedicula Juventutis } in circo
Aedicula Solis }
Aedicula Proserpinæ
Aedicula Cereris
Aedicula Parcarum
Area Sancta
Area Apollinis
Sacrarium Saturni cum luco
Sacellum Jovis Conservatoris
Sacrarium Numæ
Ara maxima, alias magna Herculis
Ara Consi
Ara Jovis Inventoris
Ara Accæ Laurentiæ in Velabro
Apollo Cœlispex
Hercules Triumphalis
Signa dearum Setiæ, alias Segestæ
Metiæ, ac } in circo maximo
Tutilinæ }
Circus maximus, qui capit loca CDXXCV ∞ in quo erant obelisci duo magni; quorum major est pedum CXXXII. minor pedum LXXXIIXS
Circus intimus
Forum Olitorium
Basilica Caii & Lucii Cæsarum

Prope ædiculam S. Mariæ Ægyptiacæ, quam Caii & Lucii basilicam esse Pyrrhus credit, hæ inscriptiones inventæ:

C. CAESARI. AVGVSTI. F
PONTIFICI. COS
DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS

Item:

L. CAESARI. AVGVSTI. F
AVGVRI. COS
DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS

Campus Trigeminorum
Tabernæ Bibliopolarum Argiletanæ
Emissarium cloacæ maximæ in Tiberim
Balineæ privatæ XV.
Lacus sine nomine XV.
Fornix Sertinii in circo maximo cum signis auratis
Columna Lactaria in foro Olitorio, ad quam infantes lacte alendos deferebant
Lupanaria
Horrea XVI.
Pistrina XII.
Domus CXXCIX.
Insulæ ∞ DC.
Regio in ambitu continet pedes XI. ∞ DC.

REGIO. XII. PISCINA. PVBLICA

Vici XII.

Vicus Veneris almæ
Vicus Piscinæ publicæ
Vicus Dianæ
Vicus Cejos
Vicus Triari
Vicus signi salientis
Vicus Laci tecti
Vicus Fortunæ mammosæ
Vicus Colafiti pastoris
Vicus portæ Rudusculanæ
Vicus portæ Næviæ
Vicus Victoris
Vicomagistri XLVIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Cohortes vigilum III.
Caput viæ novæ
Fons Lollianus
Ædes Bonæ deæ Subsaxanæ
Ædes Isidis

Ædiculæ XII.

Ædicula Veneris almæ
Ædicula Dianæ
Ædicula Fortunæ mammosæ
*
Area Radicaria
Ara Livernæ
Fortuna mammosa
Isis Athenodora
Signum delphini
Campus Lanatarius
Horti Asiniani
Thermæ Antoninianæ
Balineæ privatæ LXVIII
Lacus LXXX.

De quo mentio extat in veteri hac inscriptione:

APPIO. ANNIO. BRADVA
T. VIBIO. BARO. COS
MAGISTRI. FONTIS. LOLLIANI
M. VLPIVS. FELIX
N. CONFLONIVS. VITALIO
C. CLODIVS. SATVRNINVS

Septizonium vetus
Horrea XXIIX
Pistrina XXV.
Domus CXXIIX.

In his

Domus septem Parthorum

L. Fabii Cilonis
L. Cornificii
Privata Hadriani imp.
Insulæ ∞ CDXXCVI.
Regio in ambitu continet pedes XII.

REGIO. XIII. AVENTINUS

Mons Aventinus
Clivus Publicii
Vici XVII.
Vicus Fidii
Vicus Frumentarius
Vicus Trium viarum
Vicus Cæseti
Vicus Valerii
Vicus Laci Miliari
Vicus Fortunæ
Vicus Capitis canteri
Vicus Trium alitum
Vicus Novus
Vicus Loreti minoris
Vicus Armilustri
Vicus Columnæ ligneæ
Vicus Materiarius
Vicus Munditiei
Vicus Loreti majoris, ubi erat Vortumnus
Vicus Fortunæ dubiæ
Vicomagistri LXVIII
Curatores II.
Denuntiatores II.
Clivus publicus
Caput Armilustri
Doliolum
Remuria
Scalæ Gemoniæ
Lauretum
Mappa aurea
Spelunca Caci
Platanon
Lucus Lunæ in Aventino
Lucus Laurentinus
Lucus Platanorum
Lucus Loreti majoris
Lucus Loreti minoris
Lucus Hylernæ
Templa VI.
Templum Lunæ in Aventino magnum
Templum commune Dianæ
Templum Bonæ deæ in Aventino
Templum Libertatis
Templum Junonis reginæ DD. a Camillo captis Veiis.
Templum Isidis
Ædes VIII.
Ædes Consi
Ædes divi Tatii
Aedes Minervæ, alias Palladis in Aventino
Aedes Silvani
Aedes Mercurii
Aedes Herculis & Silvani
Aedes Matutæ cum æreis columnis, & atrio
Aedes Victoriæ in Aventino
Aediculæ XVII.
Aedicula Fidii, alias Fidei
Aedicula Fortunæ dubiæ
Aedicula Hylernæ
Aedicula deæ Tutilinæ
*
Porticus Aimilia
Porticus Fabaria, alias Faberii
Atrium Libertatis in Aventino
Atrium Matutæ
Sepulchrum divi Tatii
Area publica

A Area Pinaria
Ara Jovis Elicii
Vortumnus, alias ædes Vortumni
Fortuna Horreorum Galbinorum
Statua Minucii Augurini præfecti annonæ
Odeum
Numachia
Forum Pistorium
Campus Pecuarius, alias Pascuarius
Schola Cassii
Thermæ Varianæ

B *Thermarum Varianarum mentio est in hac inscriptione in Aventino versus P. S. Paulli inventa:*

AQVA. TRAIAN. Q. ANICIVS. Q. F. ANTONIAN
CVR. THERMARVM. VARIANARVM

Thermæ privatæ Trajani
Balineæ privatæ LXXIV.
Lacus LXXVIII.
Fons Silvani
Emporium extra portam Trigeminam
Sepulchrum C. Cestii VII. viri epulonum
Columna P. Mancini præf. annonæ
C Horrea XXXVI.
In his
Aniceti
Vargunteii
Galbiana

De quibus vetera hæc epigrammata mentionem faciunt:

NVM. DOM. AVG.
SACRVM
FORTVNAE. CONSER
VATRICI. HORREOR
GALBIANORVM
D M. LORINVS. FORTVNA
TVS. MAGISTER
S. P. D. D

Item:

NVM. DOM. AVG
GENIO. CONSERVATO
RI. HORREORVM
GALBIANORVM
M. LORINVS
FORTVNATVS
MAGISTER
E S.P.D.D

Horrea Domitiani Augusti
Pistrina XXX
Domus CIV.
In his
Domus Ulpiorum, alias privata Trajani

Privatæ Ulpiorum mentio est in hac antiqua basi, quæ ibidem in Aventino sub æde S. Priscæ versus circum maximum inventa est:

HERCVLI
F CONSERVATORI
DOMVS. VLPIORVM
SACRVM
M. VLPIVS......
VERECVNDVS

Domus Vitellii imp.
Ennii poetæ
Faberii scribæ
L. Licinii Suræ III. cos.
Insulæ II ∞ CDXXCVIII.
Regio in ambitu continet pedes XVI. ∞ CCC.

REGIO. XIV. TRANS. TIBERIM

Janiculus Mons
Vaticanus Mons
Insula
Navalia
Vici XXIII.
Vicus Censorii
Vicus Gemini
Vicus Rostratæ
Vicus Longi Aquilæ
Vicus Statuæ Siccianæ
Vicus Quadrati

De regione XIV. *& vico Quadrati mentio est in antiqua hac inscriptione :*

DIANAE
NEMORENSI. VESTAE
SACRVM. DIC
IMP. NERVA. TRAIANO. AVG
GERMANICO. III. COS. PRAEF
EIVS. T. VOLTEDIO. MAMILIANO
QVAESTORIB.
L. CAECILIO. VRSO. II. M. LVCRETIO
SABINO. II. AEDILIB
Q. VIBENNA. QVIETO
TI. CLAVDIO. MAGNO
P. CORNELIVS. TROPHIMVS. PISTOR
ROMANIENSIS. EX. REG. XIIII.
IDEM. CVR. VICI. QVADRATI
ET. LANIA. C. F. THYRONE. CONIVX
EIVS. VOTVM. LIBENS. SOLVERVNT

Vicus Raciliani majoris.
Vicus Raciliani minoris
Vicus Janiculensis
Vicus Bruttianus
Vicus Larum Ruralium
Vicus Statuæ Valerianæ
Vicus Salutaris
Vicus Paulli
Vicus Sex. Lucei
Vicus Simi Publici
Vicus Patratilli
Vicus Laci restituti
Vicus Saufei
Vicus Sergi
Vicus Ploti
Vicus Viberini
Vicus Gajanarum
Vicomagistri XCII
Curatores II
Denuntiatores II
Cohortes vigilum VII
Caput Gorgonis
Lucus Forinarum
Lucus Publicus
Lucus Vaticanus
Templum Fortis Fortunæ
Templum Apollinis in Vaticano
Templum Fortunæ Liberæ.
Ædes VI
Ædes Forinarum

De qua meminit vetus hic lapis :

I. O. M. N. AVG
SACR
GENIO. FORINARVM
ET. CVLTORIBVS. HVIVS
LOCI. TERENTIA. NICE
CVM. TERENTIO. DAMA
RIONE. FILIO. SACERDOTE
SIGNVM. ET. BASIM
DE. SVO. POSVIT

A Aedes Isidis Naumachinæ.
Aedes Jovis
Aedes Fauni.
Aedes Esculapii
Aedes Dianæ Suburbanæ
Aediculæ XXII
Janus Septimianus
Area Vaticana
Area Septimiana
Sacellum deæ Maniæ
Aræ XII. Jano dicatæ
Ara Martis
B Statua Valeriana
Statua Sicciana
Statua divi Julii in insula
Divæ Corniscæ.

De quibus extat hæc inscriptio :

DEIVAS
CORNISCAS
SACRVM

Hercules Cubans
Hippodromus
C Circus Vaticanus, alias Caii & Neronis, in quo obeliscus pedum LXXII. erat
Circus Domitiæ in pratis.
Stadius Publicus
Obeliscus magnus in insula
Naumachiæ II
Tribunal Aurelium.
Castra Lecticariorum
Castra Vetera
Campus Bruttianus
Campus Codetanus
Campus Vaticanus
Horti Cæsaris
D Horti Domitiæ
Horti Galbæ Imp.
Horti Martialis
Horti Getæ
Albiona
Prata Mucia
Prata Quinctia
Nosocomion, ubi ægroti curabantur in insula
Thermæ Septimianæ
Thermæ hyemales Aureliani Imperatoris
Balineum Ampelidis
Balineum Prisciliani
Balinea privata CXXXVI.
E Lacus CXXC
Sepulchrum Numæ regis in Janiculo
Sepulchrum St. Cæcilii poetæ
Sepulchrum Hadriani Imp.
Horrea XXII
Pistrina XXXII
Domus CL
In his
Domus Martialis
Insulæ III∞CDIX
Regio in ambitu continet pedes XXXIII∞ CDXXCIX

F

AQVAE. XX.

Aqua Appia
Aqua Anio vetus.

De Aniene veteri hæc antiqua inscriptio Romæ in plumbeo tubulo inventa est :

ANIO. VET. L. VALERIO. SER. OFF
PLVMB. PED. CCIX.

Aqua Marcia, alias Aufeja.

De aqua Marcia vetus hæc inscriptio Romæ inventa est in tubulo ad portam S. Laurentii:

P. CORNELIO. DOLABELLA. C. IVN. SILANO. COS
AQV. MAR

Item in ejusdem formis supra portam S. Laurentii Romæ:

IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS
FELIX. AVG. PARTH. MAXIM.
BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS
AQVAM. MARCIAM. VARIIS. KASIBVS. IMPEDITAM
PVRGATO. FONTE. EXCISIS. ET. PERFORATIS
MONTIBVS. RESTITVTA. FORMA. ADQVISITO
ETIAM. FONTE. NOVO. ANTONINIANO
IN. SACRAM. VRBEM. SVAM. PERDVCENDAM
CVRAVIT

Aq. Tepula
Aq. Julia
Aq. Virgo
Aq. Halsia, alias Halsietina, quæ & Augusta
Claudia Albudina, Cærulea, Curtia, Augusta

De aqua Claudia mentio est in hoc epigrammate.

D. M
CLEMENTI. CAESARVM
N. SERVO. CASTEL
LARIO. AQVAE. CL.
AVDIAE. FECIT. CLAV
DIA. SABBATHIS. ET. SI
BI. ET. SVIS

Anio Novus
Rivus Herculaneus
Aq. Crabra
Aq. Sabatina vel Cimina { Aurelia / Septimiana } trans Tiberim
Aq. Trajana

Aquæ Trajanæ meminit vetus epigramma in Aventino Romæ inventum in tubulis plumbeis sic:

AQVA. TRAIAN. Q. ANICIVS. Q. F. ANTONIANVS
CVR. THERMARVM. VARIANARVM

Aq. Alexandrina
Aq. Damnata
Aq. Annia
Aq Algentiana
Aq. Severiana
Aq. Antoniana
Aq. Setina

Procopius scribit suo tempore fuisse in urbe aquæductus XIV.

Quoniam quo loco, vel qua urbis regione reponerentur, non liquebat.

Petuscum Palati, regio urbis
Fregellæ, locus in urbe
Argæa, loca in urbe
Esculetum, locus in urbe
Clivus foro proximus
Vicus Publilius
Vicus Cosconius
Compitum Fabricii
Lucus Veneris Lubentinæ

Templa

Templa Fortunæ Virginis; Muliebris via Latina; Masculæ; Barbatæ; Equestris novæ; Plebejæ; Privatæ; Viscatæ; Blandæ; Convertentis, Bene Sperantis; Avertentis.

A Templa Jovis Victoris; Invicti; Pugnacis; Prædatoris; Mariani.
Templum Junonis Caprotinæ
Templum Apollinis Soliani
Templum Apollinis Tortoris
Templum Veneris Lubentinæ
Templum Veneris Victricis
Templum Herculis Defensoris
Templum Herculis via Latina
Templum Adonidis
Templum Annonæ Sanctæ
Templum Vacunæ
B Templum Justitiæ
Templum Themidis
Templum Erymnarum
Templum Clementiæ Cæsaris
Templum divi Augusti ad Minervam

De quo mentio est in hoc vetusto epigrammate:

DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM. EX
TABVLA
AENEA. QVAE. FIXA. EST. ROMAE. IN. MVRO
POST. TEMPLVM. DIVI. AVG. AD. MINERVAM

C Templum Justitiæ Augusti
Templum Fœcunditatis Poppeæ
Templum divi Hadriani

Ædes

Ædes Honoris & Virtutis Mariana
Ædes deum Consentum
Porticus Vipsani
Porticus Reguli
Porticus Stadiata
Porticus C. columnarum
Porticus Curva in hortis Commodianis
Atrium Sutorium
Sacrarium gentis Juliæ
D Sacellum Minucii
Sacellum Mutini
Ara Pacis
Ara Larum
Curiæ novæ proxime compitum Fabricii
Curia T. fata
Curia Titia
Curia Faucia, alias Saucia

Fora

Gallorum
Rusticorum
Aurelii
Cædicii

E Basilicæ

Vestini
Neptuni
Vascellaria
Flosselli
Sicini
Fulvia
Mammææ

Campi

Volcani
Jovis
Licinii
F Horti Mariani
Horti Serviliani
Horti Commodiani

Balinea

T. Claudi Etrusci
Statilii
Martialis
Annei Senecæ
Tuccæ
Fausti
Fortunati
Grylli

Lupi
Pontici
Severi
Pæti
Titii
Offonii Tigillini
Alexandri Imp.
Varii
Nymphæum Marci Imp. prope Septizonium
Gordiani Imperatoris
Lacus Servilius

Castra

Tabellariorum
Victimariorum
Salgamariorum
Salicariorum
Equitum singulorum
Horrea Sejana

De quibus meminit hæc inscriptio :

HOREOR. SEIAN
L. VOLVSIVS.ACYNDINVS
SIGNVM. AESCVLAPI
SVA. P. D. D
IN. VRBE. ROMA. ERANT

Montes VII

Palatinus
Capitolinus
Cœlius
Esquilinus
Quirinalis
Viminalis
Aventinus

Trans Tiberim

Janiculum
Vaticanus

Extra vetus pomœrium

Collis hortulorum
Regiones XIV
Vici CCX
Ædiculæ totidem
Vicomagistri DCCCXL
Curatores XXVIII
Denuntiatores XXIIX
Cohortes prætoriæ XVII
Cohortes vigilum VI
Cohortes urbanæ VI
Horrea CCCXXVII
Pistrina CCCXXIX
Balinea C ∞. IX
Lacus ∞ XCVIII
Domus ∞ ∞ CXVII
Insulæ XLI ∞ C ∞ XII

Lucus XXXII

Vestæ Cuperius
Jovis Viminei
Loreti minoris
Loreti majoris
Platanorum
Querquetularius
Cuperius Hostiliani
Cuperius Scholæ Capulatorum
Mavortianus
Vaticanus
Furinarum
Poetilinus

A Lunæ in Aventino
Lucinæ, ubi erat Terentum
Saturni
Semelis minor
Larum
Minervæ vetus
Victoriæ
Poetilinus major extra portam Flumentanam
Fagutalis
Esquilinus
Mephitis
Junonis Lucinæ
B Rubiginis
Veneris Lubentinæ
Laurentinus
Hylernæ
Publicus
Egeriæ
Camœnarum
Vaticanus

Fora XIX

Romanum, quod dicebatur magnum
Cæsaris dictatoris
Augusti Cæsaris
Boarium
C Transitorium, quod & divi Nervæ
Olitorium
Pistorium
Imp. Nervæ Trajani Cæs. Augusti
Domitii Ahenobarbi
Suarium, alias Syarium
Archemorium
Diocletiani Imp.
Gallorum
Rusticorum
Cupedinis ad Corneta
Piscarium
C. Crispi Salustii
D Aurelium
Cædicii

Basilicæ præter XIX. quæ citantur a P. Victore

Caii & Lucii Cæsarum
Sempronia

Castra præter ea quæ explicantur a P. Victore

Gyptiana & Vetera.

Campi XVII

Viminalis
Esquilinus
Agrippæ
Martius
Codetanus
E Bruttianus
Lanatarius
Pecuarius
Vaticanus trans Tiberim
Ridiculi
Martialis
Cœlimontanus
Furinarum
Trigeminorum
Volcani
Jovis
Licinii
F Thermæ præter XVI. a P. Victore in epilogo relatæ.
Neronianæ
Novati
Hadriani Imp.
Varianæ in Aventino

G. PANCIROLLI URBIS ROMÆ, DESCRIPTIO.

EJUSDEM DE QUATUORDECIM URBIS REGIONIBUS COMMENTARIUS.

REGIO I.



ORTA Capena, continet ædem Honoris & Virtutis, Camœnas, & Lacum Promethei. Balneum Torquati, & Vespasiani. Thermas Severianas, & Commodianas. Aream Apollinis, & Spei, & Galli. Vicum vitriarium. Aream panariam. Mutatorium Cæsaris. Balneum Bolani & Mamertini. Aream Carsuræ. Balneum Abascanti, & Antiochiani. Ædem Martis, & Minervæ, & Tempestatis. Flumen Almonis. Arcum Divi Veri Parthici, & D. Trajani, & Drusi. Vici x. Ædiculæ x. Vicomagistri XLVIII. Curatores II. Insulæ tria millia CCL. Horrea XIII. Balnea LXXXVI. Lacus LXXXIV. Pistrina xx. Continet pedes duodecim millia CCXIX.

REGIO II.

COElimontium, continet Templum Claudii. Macellum magnum. Luparios. Antrum Cyclopis. Cohortes vigilum. Castra peregrina. Caput Africæ. Arborem sanctam. Domum Philippi, & Vectilianam. Ludum Matutinum & Gallicum. Spoliarium. Samarium. Armamentarium. Micam auream. Vici VII. Ædiculæ VII. Vicomagistri XLVIII. Curatores II. Insulæ tria millia DC. Domus CXXIV. Horrea XIV. Balnea LXXXII. Lacus LXII. Pistrina XII. Continet pedes duodecim millia CC.

REGIO III.

ISis & Serapis, continet Monetam. Amphitheatrum, quod capit loca octoginta septem millia. Ludum Matutinum & Dacicum. Domum Brytti. Præsentissimum Choragium. Lacum pastoris. Scholam Quæstorum & Capulatorum. Thermas Trajanas, & Titianas. Porticum Livii. Castra Misenatium. Vici XII. Ædiculæ XII. Magistri XLIX. Curatores II. Insulæ duo millia septingentæ quinquaginta septem. Domus sexaginta. Horrea XIV. Balnea octoginta. Lacus LXV. Pistrina XVI. Continet pedes duodecim millia trecentos quinquaginta.

REGIO IV.

TEmplum Pacis, continet Porticum absidatam. Aream Vulcani. Aureum Buccinum. Apollinem Sandaliarium. Telluris templum. Horrea chartaria. Tigillum sororium. Colossum altum pedes centum duos semis. Habet in capite radia numero septem, singula pedum viginti duorum semis. Metam sudantem. Templum Romæ & Veneris. Ædem Jovis Statoris. Viam sacram. Basilicam Constantinianam. Templum Faustinæ. Basilicam Pauli. Forum transitorium, Suburam. Balneum Daphnidis. Vici XIII. Aediculæ VIII. Vicomagistri XLVIII. Curatores II. Insulæ II. millia, septingentæ quinquaginta septem. Domus octoginta octo. Horrea decem & octo. Balnea LXXV. Lacus LXXXIII. Pistrina XII. Continet pedes tredecim millia.

REGIO V.

ESquiliæ, continet Lacum Orphei. Macellum Liviani. Nymphæum D. Alexandri. Cohortes duas vigilum. Herculem Syllanum. Hortos Pallantianos. Amphitheatrum castrense. Campum Viminalem sub aggere. Minervam medicam. Isidem patriciam. Vici XV. Aediculæ XV. Vicomagistri quadraginta octo. Curatores II. Insulæ tria millia octingentæ quinquaginta. Domus CLXXX. Horrea XXIII. Balnea LXXV. Lacus LXXIV. Pistrina XV. Continet pedes quindecim millia DC.

REGIO VI.

ALta semita, continet Templum Salutis & Serapis. Templum Floræ. Capitolium antiquum. Statuam Mamurii plumbeam. Aedem Quirini. Malum punicum. Hortos Salustianos. Gentem Flaviam. Thermas Diocletianas, & Constantianas. x. Tabernas. Gallinas albas. Aream Candidi. Cohortes III. vigilum. Vici XVII. Aediculæ XVII. Vicomagistri XVIII. Curatores II Insulæ tria millia quadringentæ tres. Domos centum quadraginta sex. Horrea XVII. Balnea LXXXV. Lacus LXXII. Pistrina XVI. Continet pedes quindecim millia DCC.

REGIO VII.

VIa lata, continet Lacum Ganymedis. Cohortes VII. vigilum. Arcum novum. Nymphæum Jovis. Aediculam Caprariam. Campum Agrippæ. Templum Solis, & Castra. Porticum Gypsiani & Constantini. Templa duo nova, Spei & Fortunæ. Equum Tiridatis regis Armeniorum. Forum suarium. Hortos Largianos. Mansuetas. Lapidem pertusum. Vici XV. Aediculæ XV. Vicomagistri LXXVIII. Curatores II. Insulæ tria millia octingentæ quinque. Domus CXX. Horrea XXV. Balnea LXXV. Lacus LXXVI. Pistrina XV. Continet pedes XV. millia septingentos.

REGIO VIII.

FOrum Romanum & magnum, continet Rostra. Genium populi Romani aureum, & Equum Constantini. Senatulum. Atrium Minervæ. Forum Cæsaris, Augusti, Nervæ Trajani. Templum D. Trajani, & Columnam cochlidem altam pedes CXXVIII. semis gradus intus habet CLXXXV. Fenestras XLV. Cohortes VI. vigilum. Ba-

Basilicam argentariam. Templum Concordiæ. Umbilicum Romæ. Templum Saturnini & Vespasiani. Capitolium. Milliarium aureum Juliæ. Templum Castorum, Vestæ. Horrea Germaniciana & Agrippina. Aquam cernentem quatuor Scauros sub æde. Atrium Caci. Vicum jugarium unguentarium. Græcostasim. Porticum margaritariam. Elephantum herbarium. Vicos triginta quatuor. Ædiculas XXIX. Vicomagistros XLVI. Curatores II. Insulas tria millia octingentas octoginta. Domos CXXX. Horrea XVIII. Balnea LXXXIII. Lacus CXX. Pistrina XX. Continet pedes tredecim millia LXVII.

REGIO IX.

Circus Flaminius, continet Stabula numero IV. factionum. Ædem Herculis. Porticum Philippi. Minutias II. veterem, & Frumentariam. Cryptam Balbi. Theatra quatuor, in primis Balbi, quod capit loca triginta millia LXXXV. Campum Martium Trigarium. Ciconias nixas. Pantheum. Basilicam Matidii, & Martiani. Templum D. Antonini, & Columnam cochlidem, altam pedes LXXV. semis, gradus intus habet CCIII. Fenestras LVI. Adrianum. Thermas Alexandrinas, & Agrippinas. Porticum Argonautarum, & Meleagri. Iseum & Serapeum. Insulam Feliculæ. Vicos XXXV. Ædiculas XXXV. Vicomagistros XLVIII. Curatores II. Insulas duo millia septingentas LXXIV. Domus CXL. Horrea XXII. Balnea LXIII. Lacus LXIII. Pistrina XX. Continet pedes triginta duo millia D.

REGIO X.

Palatium, continet Casam Romuli. Ædem Matris Deum, & Apollinis Rhamnusii. Pentapylum. Domum Augustanam & Tiberianam. Aedem Jovis Victoris. Domum Dionis. Curiam veterem. Fortunam respicientem. Septizonium D. Severi. Victoriam Germanicianam. Lupercal. Vicos XX. Aediculas XX. Vicomagistros XLVIII. Curatores duos. Insulas duo millia DCXLIII. Domus LXXXVIII. Horrea XLVIII. Balnea XIV. Lacus LXXXIX. Pistrina XX. Continet pedes XI. millia sexcentos.

REGIO XI.

Circus maximus, qui capit loca quadringenta octoginta quinque millia, continet XII. Portas. Templum Mercurii. Aedem Ditis Patris. Cererem. Portam Trigeminam. Apollinem Cœlispicem. Herculem Olivarium. Velabrum. Arcum D. Constantini. Vicos XVIII. Aediculas XIX. Vicomagistros XIX. Curatores II. Insulas duo millia sexcentas. Domus LXXXIX. Horrea XVI. Balnea XV. Lacus XX. Pistrina XV. Continet pedes undecim millia quingentos.

REGIO XII.

Piscina publica, continet Aream radicariam. Viam novam. Fortunam mammosam. Isidem Athenodoriam. Aedem Bonæ deæ subsaxanæ. Signum delphini. Thermas Antoninianas. Septem domos Parthorum. Campum lanatarium. Domum Chilonis. Cohortes IV. vigilum. Domum Cornificii. Privatum Hadriani. Vicos XIV. Aediculas XVII. Vicomagistros XLVIII. Curatores II. Insulas duo millia quadringentas octoginta septem. Domus CXIV. Horrea XVII. Balnea LXIII. Lacus LXXXI. Pistrina XX. Continet pedes duodecim millia.

REGIO XIII.

Aventinus, continet Templum Dianæ & Minervæ. Nymphæa tria. Thermas Varianas & Decianas. Doliolum. Mappam auream. Platanones. Horrea Galbæ. Porticum fabariam Scholam Cassii. Forum pistorium. Vicos XVII. Aediculas XVII. Vicomagistros XLVIII. Curatores II. Insulas duo millia quadringentas octoginta septem Domus CXXX. Horrea XXV. Balnea LXIV. Lacus LXXXVIII. Pistrina XX. Continet pedes ducenta novem millia.

REGIO XIV.

Transtyberina, continet Gajanum. Vaticanum. Frygianum. Naumachias V. Hortos Domitios. Balneum Ampelidis & Prisci, & Dianæ molinas. Janiculum. Statuam Valerianam. Cohortes septem vigilum. Caput Gorgonis. Fortis Fortunæ Templum. Aream Septimianam. Herculem cubantem. Campum Brytianum & Codetanum. Hortos Getæ. Castra lecticariorum. Vicos LXXVIII. Aediculas LXXVIII. Vicomagistros XLVIII. Curatores III. Insulas quatuor millia quadringentas quinque. Domus CL. Horrea XXII. Balnea LXXXVI. Lacus CLXXX. Pistrina XXIII. Continet pedes triginta tria millia quadrigentos octoginta octo.

Bibliothecæ XXIX.

Ex iis præcipuæ duæ, Palatina & Ulpia.

Obelisci V.

In Circo maximo unus, altus pedes LXXXVIII. semis. In Vaticano unus, altus pedes LXXI. In Campo Martio unus, altus pedes LXXXII. semis. In Mausoleo Augusti duo, singuli pedum XLII. semis.

Pontes VII.

Aulius, Aurelius, Molvius, Sublicius, Fabricius, Cestius, & Probi.

Montes VII.

Cœlius, Aventinus, Tarpejus, Palatinus, Esquilinus, Vaticanus, Janiculensis.

Campi VIII.

Viminalis, Agrippæ, Maritus, Codetanus, Octavius, Pecuarius, Lanatarius, Brytianus.

Fora XI.

Romanum, Magnum, Cæsaris, Augusti, Nervæ Trajani, Aenobarbi, Forum Boarium, Suarium, Pistorum, Gallorum, & Rusticorum,

Basilicæ X.

Julia, Ulpia, Pauli, Neptuni, Matidii, Marciana, Bascellaria, Floscearia, Sicinii, Constantiana.

Thermæ XI.

Trajanæ, Titianæ. Agrippinæ, Syræ, Commodianæ, Severianæ, Alexandrinæ, Antoninianæ, Decianæ, Diocletianæ, Constantinianæ.

Aquæ XIX.

Trajana, Annia, Alsia, Claudia, Martia, Herculea, Julia, Augustea, Appia, Alsetina, Setina, Cimina, Aurelia, Damnata, Virgo, Tepula, Severiana, Antoniana, Alexandrina.

Viæ XXIIX.

Trajana, Appia, Latina, Lavicana, Prænestina, Tiburtina, Nomentana, Salaria, Flaminia, Clodia, Valeria, Aurelia, Campana, Ostiensis, Portuensis, Janiculensis, Laurentina, Ardeatina, Setina, Quintia, Cassia, Gallica, Cornelia, Triumphalis, Patinaria, Asinaria, Ciminia, Tiberina.

A *Horum Breviarium*.

Capitolia II. Circi duo. Amphitheatra duo. Colossi duo. Columnæ Cochlides duæ. Macella duo. Theatra III. Ludi IV. Naumachiæ V. Nymphæa XV. Equi magni XXIII. Deaurati LXXX. Eburnei LXXXIV. Arcus marmorei XXXVI. Portæ XXXVII. Vici CCCCXXIV. Ædes CCCCXXIV. Vicomagistri DCLXXII. Curatores XXIV. Insulæ per totam urbem numero quadraginta sex millia sexcentæ duo. Domus mille septingentæ octoginta. Balnea DCCCLVI. Lacus mille CCCLII. Pristina CCLIV. Lupanaria XLV. Latrinæ publicæ XLIV. Cohortes Prætoriæ decem. Urbanæ quatuor. Vigilum septem, quarum excubitoria XIV. Vexilla communia duo. Castra equitum, salgamariorum, peregrinorum.

G. PANCIROLLI
DE
QUATUORDECIM REGIONIBUS
URBIS ROMÆ,
EARUNDEMQUE ÆDIFICIIS TAM PUBLICIS QUAM PRIVATIS.



PRIMUS Romulus urbem in tres partes divisit, ut Dionysius, Varro, & Livius tradunt. Quare a tribus regionibus tribus sunt appellatæ, Tatiensium, Ramnum, & Lucerum, a Tatio, Romulo, & Lucumone, vel a *Luco*, ut vult Pedianus *in* 3. *in Verrem*. Deinde aucta urbe, receptisque in eam VII. collibus, Ser. Tullus Romam in quatuor regiones divisit. Dionysius *lib.* 4. *Tullus*, inquit, *postquam* VII. *colles uno muro complexus est, urbem in quatuor partes divisit, a collibus cognominatas, Palatinam, Suburbanam, Collinam, Esquilinam, & quatuor tribus esse voluit, quæ ad id temporis tres fuerant*. Postremo Augustus in XIV. regiones divisit, ut auctor est Tranquillus, *in Augusto cap.* 30. *Spacium*, inquit, *urbis in regiones vicosque divisit*. quod & Plinius Tacitusque testantur. Has regiones Sext. Rufus & P. Victor viri Consulares sub Valentiniano & Valente descripserunt, notabilia quæque loca nominantes, sed mutili etiam inter se variant. Alia ante Notitiam nostram utriusque Romæ descriptio reperitur, sed quo auctore ignoratur, nec tempus, quo scripta sit, apparet. Sed non longe post præfatas condita videtur; certum est eam post Constantium, cujus thermarum in VI. regione meminit, & ante Theodosium juniorem scriptam fuisse, quia plura Deorum gentium templa ponit, quæ ab illo jussa sunt dirui, *in l ultim. C. Theod. de Paganis*. Id fuit anno humanæ salutis 428. Constantinus enim antea sacrificia quidem, & sequentes Principes prohibuerant, *l.* 1. *& seqq. C. de Pagan.* sed delubra ornamenta civitatum decoris causa stare permiserant, *l.* 3. *C. eodem titulo*, ea tamen, quæ in agris erant, templa Arcadius & Honorius destrui præceperunt, *l.* 16. *C. Theod. eodem tit. de Pag.* Theodosius vero cuncta solo æquari B jussit, *dict. l. ultim C. Theod. eod.* etsi aliqua insigniora adhuc Martiano imperante remanserunt, *l. nemo*, *C. eodem*. Itaque hanc descriptionem ferme supra dictis supparem fuisse credendum est, cum omnes eadem fere loca contineant, eamque in scriniis Principum, quemadmodum & Notitiam ipsam, conservatam fuisse puto, quam etsi intactam relinquere cogitassem, cum tamen plura Constantinopolis loca explicuerim, etiam hæc Romæ quanquam obscurissima pro virium mearum tenuitate declarare tentavi. In primis autem est animadvertendum quamque harum regionum proprium nomen habere. Nam prima porta Capena, secunda Cœlimontium, tertia Isis & Serapis, & aliæ ab C insignioribus locis nomen obtinent. Hic non omittendum Valentinianum proprium cuique regioni archiatrum honorarium a populo percepturum constituisse, *l.* 8. *C. Th. de Med. & Prof.*

PORTA CAPENA. A proxima hac porta prima denominata est regio. Solinus tradit *regem Italum a Sicilia cum Siracusanis ad Janum venisse, ejusque consilio & auxilio civitatem juxta Albulam condidisse, Capenam nomine, a qua postmodum Capena porta est dicta*. Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. XXX. urbis portas apertas, & VII. tunc clausas fuisse scribit. Sed quod sub posterioribus Principibus fuerint, non apparet; continet autem hæc regio sequentia.

D HONORIS & VIRTUTIS ædes. Has bello Gallico ad Clastidium M. Marcellus voverat, & V. Cos. ad portam Capenam ædificavit. postmodum ejus filius dedicavit, coactusque est duas utrique Honori & Virtuti contiguas ædes facere, clamantibus Pontificibus, utrique in una æde non recte posse litari, nec quis eorum iratus placandus esset, posse discerni, ut *lib.* 27. Livius, & Valerius *lib.* 1. *cap.* 1. Plutarchus *in Marcello*, & Lactantius tradunt. Hæc ædes a Vespasiano restaurata fuit, ut in nummis habetur. Hæ autem duo templa connexa fuisse creduntur, ut significarent ad honorem

non nisi virtute perveniri. Alteram his ædem C. *Marius submissiorem exstruxit, ne forte publicis auspiciis officeret, & ideo eam Augures demolirentur*, ut Festus memorat. De hoc templo ita Vitruvius *lib.* 3. *cap.* 1. *Ad Mariana Honoris & Virtutis sine postico a Mutio facta*, & *lib.* 7. *in proœmio*. *C. Mutius magna scientia confisus, ædes Honoris & Virtutis Marianæ cellæ columnarumque & epistyliorum symmetriis legitimis artis institutis perfecit. Id vero si marmoreum fuisset, ut haberet ab arte subtilitatem, sic a magnificentia & impensis auctoritatem, in primis & summis operibus nominaretur*. Sed hic prior Marcelli ædes intelligitur.

CAMOENAS. Templum Herculi Musisque Fulvius Nobilior dedicavit, ut Eumenius *in oratione pro reparandis scholis* scribit; id erat in Circo Flaminio in IX. regione. De hoc non intelligi hic puto, sed de alio, quod Martius Philippus Augusti vitricus dedicavit. De quo hæc Tranquillus *in Augusto c.* 29. *Ceteros*, inquit, *principes viros hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis vel novis, vel refectis, vel excultis urbem adornarent, multaque a multis extructa sunt, ut a Martio Philippo ædes Herculis & Musarum*. Plutarchus *in Problematibus Rom.* refert Romanos communem aram Herculi Musisque statuisse, quia Hercules Evandrum literas docuit: Eumenius vero vult Fulvium Nobiliorem primum novem Musarum signa ab Ambriciensi oppido translata sub tutela Herculis consecrasse, quia Musæ defensione Herculis sunt juvandæ, & virtus Herculis Musarum voce ornanda. Varro *Musas* primo *Casmenas*, mox *Carmenas a carmine*, postremo *Camœnas* dictas fuisse putat. Plinius *lib.* 34. *c.* 5. scribit *notatum ab auctoribus L. Actium poetam in Camœnarum æde maxima forma statuam sibi posuisse, cum ipse brevis admodum fuisset*.

LACUM PROMETHEI. *Lacus est, qui habet perpetuam aquam, l.* 1. *§. ut ne in flum. publ. navig. lic.* sed hic accipitur pro aquæ publicæ receptaculo, quæ ex castello in lacus, & balneas, & hortos irrigandos derivabatur; in lacu lintea & sordes abluebantur, potabant equi, & alia ad emundandum necessaria fiebant, ut in Consulari, quarum in Notitia utriusque Imperii est dictum. Hic lacus a Prometheo nomen habet, quod ejus statuam, ut puto, prope teneret, sed alii LXXXIII. sine nomine infra in hac regione lacus recensentur. M. Agrippa DCC. Romæ fecit. Plinius *lib.* 36. *cap.* 15. *Agrippa*, ait, *in Aedilitate sua, adjecta Virginea aqua, cæterisque corrivatis & emendatis, lacus* DCC. *fecit, præterea fontes* CV. *castella* CXXX. *Post hunc Claudius*, inquit Tranquill. *rivum Anienis novo lapideo opere in urbem perduxit, divisitque in plurimos & ornatissimos lacus*.

BALNEUM TORQUATI & VESPASIANI. Titum Vespasianum intelligit, qui amphitheatrum, & prope balneum celeriter ædificavit. Tranquillus *in Tito*, *Amphitheatro*, inquit, *dedicato, thermisque juxta celeriter exstructis, munus edidit apparatissimum*. De his thermis celeriter exstructis intelligit Martialis scribens,

Hic ubi miramur velocia munera thermas.

De his ita Dion *in Tito*: *Amphitheatrum venationum causa, & balnea suo nomine dedicavit*. Forte ibi & Torquati theatrum fuit, de quo nihil reperi. Apud Sex. Rufum & P. Victorem legitur, *Lacus Torquati & Vespasiani*. sed utrunque stare potest, nam lacus ad usum balnei erant.

THERMAS SEVERIANAS & COMMODIANAS. De thermis Severi ita Spartianus scribit: *Opera publica præcipua ejus extant Septizonium & Thermæ Severianæ*. Commodi vero thermarum his verbis Lampridius meminit: *Opera ejus præter lavacrum*,

A *quod Cleander ejus nomine fecerat, nulla extant*.

AREAM APOLLINIS, & SPEI, & GALLI. *Area*, ait Varro *lib.* 4. *de Lingua Latina*, *ubi frumenta secta arescunt, & teruntur. Propter horum similitudinem loca in urbe pura areæ vocantur*. Tranquill. *in C. Cæsare c.* 26. scribit C. Julium Cæsarem forum de manubiis inchoasse, *cujus area supra sestertium millies constitit*. ea summa efficit, ut vulgo vocant, millionem auri. Forte est area, quæ hic *Galli* appellatur, Sex. Rufus legit *Galliæ*, ex cujus manubiis est facta, quam separat ab area Apollinis & Spei, ut & P. Victor, qui tres horum areas constituunt. Recensentur autem sex areæ in prima
B hac regione, & tres aliæ in VI. XIII. & ultima regione, quæ videntur fuisse ante templa Deorum. Aliæ vocabantur Campi. Alia Apollinis ædes in monte Palatino fuit, ut auctor est Plinius, *lib.* 36. *cap.* 5. quod & Tranquillus tradit *in Augusto cap.* 36. & Ovidius *in Fastis*, Horatius, & Propertius. Spei vero ædem a Collatino consecratam M. Cicero *in Legibus* prodit eam in foro olitorio conflagrasse. Livius *lib.* 1. & 4. 3. *Decadis* scribit, de qua infra in septima regione, nec ad hunc locum pertinet.

VICUM VITRIARIUM. Hic vicus neque in Sex.
C Rufi, neque in P. Victoris descriptione habetur. Hujus loco legitur, *Vicus trium ararum*. Quæ vero essent hæ aræ, non liquet. si legimus *Vitriarium*, intelligemus ibi vitra facta fuisse.

AREAM PANARIAM. Sex. Rufus & P. Victor legunt PINARIAM. Erant Pinarii & Pontii duæ familiæ, quas sacra sua peragere Hercules docuit, ut *lib.* 1. Dionysius, Livius, ac Festus tradunt. Potuit hæc esse area ante ædes Pinariorum. si legimus PANARIAM, a pane ibi vendito nomen habebit.

MUTATORIUM CÆSARIS. Ita & apud Rufum & Victorem. *Mutatorium* Esajas *cap.* 3. *accipit pro*
D *ornamento vestis muliebris, quod pectus & humeros protegit*. quemadmodum D. Hieronym. interpretatur. Sed hic pro ædificio accipitur, forte pro domo publica, quam Cæsar Pontifex Maximus habitavit. Tranquill. *in Cæsare c* 46. *Habitavit primo*, inquit, *in suburra, modicis ædibus. Post autem Pontificatum maximum in sacra via domo publica*. Item Dion. *lib.* 43. *Decretum est*, inquit, *ut Cæsar in publico habitaret*. Mutatorium potest appellari, quod eam Cæsar mutaverit.

BALNEUM BOLANI & MAMERTINI. *Nero Vectium Bolanum legionis tribunum cum Verulano Severo in subsidium Tigroni misit*, ut *lib.* 15. Tacitus
E scribit. *Postea missus in Britanniam, Trebellio Maximo, qui inde fugerat, Præfectus successit*, ut *in Julio* Agricola, & *lib.* 18. idem Tacitus memorat. Hujus forte fuit hoc balneum. Mamertinus vero sub Trajano urbi præfuit, ac jussu Principis D. Clementem in Tauricam Chersonesum deportavit, ut apud Metaphrastem & Surium 23. Novembr. legitur. Sed antea Nerone imperante apud Martyrologium 14. Martii habetur D. Paulum & alios martyres in custodia Mamertini detentos fuisse. Longitudo temporis non repugnat, quin hic Mamertinus carcerem Mamertinum extruere, & hoc etiam balneum condere potuerit. Alius fuit Mamertinus Comes largi-
F tionum a Julio apostata creatus, ut *lib.* 21. Ammian. tradit. Mox an. 364. Cos. cum Nevita est factus, Marcell. *lib.* 21. Demum Italiæ, Africæ, & Illyrico P. P. Valentiniano imperante præfuit, Marcell. *lib.* 26. Sed quis horum id balneum fabricaverit, non constat; ego tamen priorem ejus auctorem malo credere. Quod hi forte conjunctim hoc balneum ædificaverunt, utrique adscribitur.

AREAM CARSURÆ. Cujus hæc sit, dubitatur.

BALNEUM ABASCANTI & ANTIOCHIANI.

Abascantus Augusti libertus fuit, ut ex sequenti inscriptione patet Romæ inventa. ABASCANTO AVG. LIB. ÆDITVO ÆDIS NEPTVNI QVÆ EST IN CIRCO FLAMINIO FLAVIVS ASCANIVS ET PALLANS CÆS. N. SER. ADIVTOR A RATIONIBVS PATRI PIISSIMO FEC. is potuit hoc balneum exstruxisse. Alius fuit Abascantus sub Severo & Antonino: ad quem extat horum Principum *l. 2. C. de serv. pign. dato*, & annos ætatis traxit usque ad Philippos, sub quo sive ob hoc balneum, sive ob aliam causam Reipub. debitor factus, ad eam necessitatem redactus est, ut fere bonis cedere cogeretur, ut indicat l. Philippi ad eum scripta *in l. 2. C. de bon. ceder. poss. Antiochianus eodem tempore fuit unus ex P. P. Heliogabali*, ut in eo auctor est Lampridius, ad quem, si is non est alius, extat Alexandri Imp. *l. si ea quæstio, C. de his quib. ut indign.* Hunc cum Abascanto balneum hoc ædificasse puto. Sed apud Rufum & Victorem separantur. Alius fuit Antiochianus sub Diocletiano, ad quem est illius *l. secundus creditor, C. de pignor.*

ÆDEM MARTIS, & MINERVÆ, & TEMPESTATIS. Hæ quoque ædes apud Rufum & Victorem sejunctæ nominantur: sed hujus nostræ descriptionis auctor ædem unam tribus assignat, forte tria sacella uno templo continebantur. *Marti ultori Augustus in Capitolio templum dicavit*, ut auctor est Dion. *lib.* 54. & Tranquillus *in Augusto cap.* 29. quod est in VI. regione, & ideo de hoc non potest hic intelligi. In 10 etiam regione erat alia ædes Minervæ, & Minervium. Tempestati vero extra portam Capenam in hac regione M. Marcellus ædem extruxit, quod in Corsicam & Sardiniam navigans, tempestatem passus ab ea evaserit; cujus rei meminit Ovidius hoc carmine,

Te quoque tempestas meritam delubra fatentur,
Cum pene est Corsis obruta puppis aquis.

FLUMEN ALMONIS. Almo fluvius non procul ab urbe Tiberi miscetur, in quo Galli Cybeles Matris deum sacerdotes eius statuam quotannis VI. Kalend. April. lavabant. Ovidius *in Fastis*,

Est locus in Tiberi, quo lubricus influit Almon
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpurea canus cum Veste sacerdos
Almonis dominam, sacraque lavit aquis.

Urbius sequester ad Virgilianum filium, *Almon*, ait, *ubi Mater deum* VI. *Kal. April. lavatur*. idem affirmant Ammian. *lib.* 23. Lucanus *in* 1. Claudianus, & Valerius Flaccus *lib.* 8. *Argonaut.*

ARCUM DIVI VERI PARTHICI, & DIVI TRAIANI, & DRUSI. Tres arcus Rufus & Victor distinguunt, prout separatim eos factos fuisse dubitandum non est. L. Verus frater M. Antonini contra Parthos missus Antiochiæ luxuriæ se dedit, & exercitum amplissimum Avidio Cassio commisit, qui de hostibus victoriam retulit, unde Verus Parthicus est cognominatus, qui ipse videri voluit vicisse, & cum Marco fratre triumphavit: hoc bellum in arcu Romæ erecto est expressum, de quo hic intelligitur. Historiam Dion, Capitolinus, & Eutropius recitant. Trajanus ex Dacis luculentam victoriam reportavit, & Daciam provinciam Imperii Rom. fecit, Armenis Parthisque bellum intulit, ac Imperium ad Tigrim usque protulit, ut iidem auctores referunt. quæ omnia in hoc arcu marmoreo sunt expressa. Cujus vero Drusi arcus fuerit, de quo hic agitur, difficile est invenire. crediderim esse Drusum Tiberii Principis progenitorem, qui, ut ait Tranquillus *in Tiberio c.* 3. *hostium duce Druso cominus trucidato, sibi posterisque suis cognomen invenit. Traditur etiam pro prætore ex provincia Gallia retulisse aurum Senonibus olim obsidione Capitolii datum, nec, ut fama est, extortum a Camillo*. ei arcum a Tiberio factum puto, cum tempore Reip. eos extructos non inveniam.

Enumeratis insignioribus locis primæ regionis ejus velut breviarium subjicit, & dispersa ac prætermissa colligit.

VICI X. Supra ex Tranquillo *in Augusto c.* 90 diximus Augustum spacium urbis in regiones vicos que divisisse, ut illas annui magistratus sortito tuerentur, hos magistri e plebe cujusque viciniæ electi, qui infra Vicomagistri appellantur. Hæc autem regio habuit vicos X. Sex. Rufus ponit IX. vicos. P. Victor VIII. scilicet vicum Honoris & Virtutis, ubi earum erat ædes, de qua supra est dictum. Vicus Fortunæ Obsequentis. Plura Romæ fuere Fortunæ templa, quorum duo Ser. Tullus rex condidit, alterum Bonæ Fortunæ in foro boario, alterum Virilis in ripa Tiberis, ut in IV. auctor est Dionysius. erat & Malæ Fortunæ ædes in Esquiliis. Equestris juxta theatrum, & aliæ. item vicus Sulpitii citerioris, alius ulterioris, Drusianus, Pulcrarius, Trium ararum, Fabricii. Victor addit vicum Camœnarum. cum Vitriario supra nominato sunt vici X.

ÆDICULÆ X. Præter supra dictas erant in hac regione ædiculæ seu parvæ ædes, & quasi sacella X. hinc nomine, ita ut quilibet vicus haberet suam ædiculam, quemadmodum hodie quælibet curia vel parochia suum templum.

In Constantinopolis descriptione nonnisi ecclesiæ Christianorum nominantur. Hic tantum templa Gentilium, quod forte Gentilis hanc descriptionem fecerit, vel nondum insignes fabricatæ essent ecclesiæ.

VICOMAGISTRI XLVIII. Cuique vico Augustus e plebe plures magistros præfecit, ut supra dixi, qui Vicomagistri sunt appellati, & cuique vico IV. aut V. sunt præfecti, quandoque pauciores. Rufus & Victor quaternos Vicomagistros cuique vico assignant. Hæc descriptio quaternos ubique ponit, præterquam in VI. & XI. regione, ubi forte est mendum. Constantinopoli vero quælibet regio urbis quinos tantum Vicomagistros habebat. Hoc credo quietis vicorum curam habuisse.

CURATORES II. In descriptione Constantinopolis declaratur curatorem, qui ibi unus tantum in quaque regione statuitur, totius regionis sollicitudinem habuisse. Romæ quælibet regio binos habuit curatores, qui ab Augusto magistratus sunt appellati, ut supra ex Tranquillo vidimus. Hi præcipue curabant, ne quis in sua regione indebite vectigalibus, aut aliis injuste oneraretur. Capitolinus *in M. Antonino, Dedit*, inquit, *curatoribus regionum ac viarum potestatem, ut vel punirent, vel ad Præf. urbi puniendos remitterent eos, qui ultra vectigalia quicquam ab aliquo exegissent*. Hi veste prætoria, & duobus lictoribus in vicis, quibus præerant, certis diebus utebantur, ut lib. 55. Dion tradit. Alexander Imp. hos singulos in quaque regione esse voluit. Lampridius, *Fecit*, inquit, *curatores* XIV. *sed ex Cos. viros, quos audire negotia urbana cum Præf. urbi jussit, ita ut omnes aut magna pars adessent, cum acta fierent*. Hi lites regionum curabant, sed postea ad duos sunt reversi. Præter curatores Constantinopoli erat in qualibet regione vernaculus unus, qui interpretatur fuisse velut servus & internuncius regionis: is Romæ non erat, sed ejus vice fungebantur bini denuntiatores in qualibet regione apud Rufum & Victorem, qui hic desiderantur. Hi erant ministri curatorum, & aliorum vicomagistrorum, & ut est *Bidellus* dictus in publicis Gymnasiis.

INSULÆ tria millia CCL. Hæc Constantinopoli non nominantur. Erant proprie insulæ, quæ ab utroque latere hinc inde itinera habebant, in

quæ pluebant, fronte in fastigium desinebant: domus vero erant ampliores & testudinatæ, a quatuor partibus pluentes, ut in marmoribus vetustis Romæ visitur. Domus incuria librarii desunt, quæ ex Rufo & Victore sunt reponendæ, videlicet domus CXXI.

HORREA XIII. Plura erant horrea in hac regione Romæ, quam in tota civitate Constantinopolis, ubi v. tantum reperiebantur. Alexander enim Imperator plura in quaque regione horrea fecit. Erant autem horrea, in quæ aurum, argentum, gemmas, & preciosa quæque cives deferebant, qui timebant, ne domi expilarentur, prout in prima regione Constantinopolis latius exposui. Lampridius *in Alexandro*, *Horrea*, inquit, *in omnibus regionibus publica fecit, ad quæ conferrent bona hi, qui privatas custodias non haberent*. In hæc puto bona gratuito aut viliore precio suscepta fuisse. In privata horrea soluta pensione periculo suscipientium deferebantur. Labeo *in l. cum in plures §. locator. ff. locati*. *Locator*, inquit, *horreorum propositum habuit se aurum, argentum, margaritam non recipere suo periculo, deinde cum sciret has res inferri, passus est proinde eum futurum tibi obligatum, ac si propositum fuit, remissum videtur*. Erant & horrea frumentaria, & olearia, ut in regione Constantinopolis.

BALNEA LXXXVI. Balnea quoque Alexander omnibus regionibus addidit, quæ forte non habebant: *Nam & hodie multa dicuntur Alexandri*, ait Lampridius. Constat autem veteres frequenter balneis usos, unde septies die Commodum lavisse, & in balneis comedisse Lampridius scribit.

LACUS LXXXIV. De lacubus plura supra diximus in lacu Promethei. Constantinopoli lacus non inveniuntur, sed horum loco cisternæ. Sext. Rufus XI. lacus nominat, *Promethei*, *Sanctum*, *Vespasiani*, *Sudantem*, *Torquati*, *Publicum*, *Bivium*, *Spei*, *Gratiæ*, *Mamertini*, & *Salutarem*. Præterea LXXI. sit ne nomine, qui omnes sunt LXXXII. P. Victor duos tantum recenset, *Promethei* & *Vespasiani*, cum tamen eodem ferme tempore uterque illorum scripserit. Hæc descriptio duos amplius quam Rufus habet.

PISTRINA XX. ita & P. Victor, Rufus, si non est mendosus, habet XII. *Pistrinum locus est, in quo pinsitur, & molis teritur frumentum, ac panis conficitur*. Hic notandum molendinorum, quæ hodie ubique sunt in usu, nullam mentionem fieri, cum tamen notam eorum rationem haberent. Plinius lib. 18. cap. 10. loquens de pistrinis, & arte pinsendi. *Major*, inquit, *pars Italiæ ruvido utitur pilo, rotis etiam, quas aqua verset obiter & molat*. Procopius quoque est auctor lib. 1. de bello Gothico, *Bellissarium Romæ obsessum molas in Tiberi aptasse, quæ rotis aquarum impetu versatis molebant*. Puto hæc molendina tum in usu fuisse, sed quia ubique non erat aqua, & longius moletrinas petere nolebant, propinqua quælibet regio pistrina habuit, quæ cum in hac essent XX. quodlibet pristinum plus minus LVIII. insulis & domibus sufficiebat. Rufus & Victor quorundam deorum ædes, templa, areas & arcus nominant, quæ in hac descriptione desunt, quia eo tempore forte non extabant. Hæc regio

Continet PEDES duodecim millia CCIX. circuitum regionis explicat, qui capiebat plus minus duobus milliariis cum dimidio. Quinque enim pedes passum continent, & mille passus milliarium, *l. mille passus de ver. sig.* quemadmodum Isidorus & nostri interpretes affirmant, *gloss. & Bar. in l. 3. eod.* Rufus & Victor plus scribunt: *Regio*, inquit, *in ambitu continet pedes* XIII. CCXXIII. *excedit duo milliaria cum dimidio*.

REGIO URBIS II. COELIMONTIUM.

COELIMONTIUM dicta est hæc regio a monte Cœlio, qui eam occupat, qui est unus ex VII. collibus Romæ. *Dictus est autem Cœlius*, inquit Varro, *a Cœlio Vibieno Thusco duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Latinum regem*. De hoc monte ita Livius lib. 1. *Cœlius additur urbi mons, & quo frequentior habitaretur, eam sedem Tullus Hostilius regiæ capit*. Arsit hic mons sub Tiberio, ut Tacitus lib. 4. scribit, qui subjicit, *Eum antiquitus Querquetulanum cognominatum fuisse, quod talis sylvæ frequens, fœcundusque erat, mox Cœlium appellatum a Cœlio Vibenna, qui dux gentis Hetruscæ cum auxilium tulisset sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit, nam scriptores in eo dissentiunt, cætera non ambigua sunt; magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitavisse, unde Thuscum vicum e vocabulo advenarum dictum. Incipit hic mons ab ecclesia S. Joannis Lateranensis*, inquit Pomponius Lætus. Continet hæc regio.

TEMPLUM CLAUDII. intelligit Claudium Cæsarem, quem hic dictum Sext. Rufus appellat. Nero enim primum imperium adeptus, inter Divos Claudium retulit, eique templum, & flaminem Claudianum decrevit. Tacitus *in fin. lib. 12. Cœlestes*, inquit, *honores Claudio decernuntur*. Tranquillus *cap. 9. in Claudio, in Nerone*. *Orsus hinc*, ait, *a pietatis ostentatione Claudium apparatissimo funere elatum laudavit, consecravitque*. Propterea Dion *in Claudio* scribit, *L. Julium Galionem fratrem Senecæ dixisse, Claudium unco in cœlum tractum fuisse, quia fuerat necatus, & Nero ipse dicebat boletos cibum Deorum esse, quod Claudius boleto veneno infecto in numerum Deorum relatus fuisset. Agrippina ergo illi templum facere cœpit, sed Nero diruit, postea Vespasianus instauravit*. Tranquil. *in Vespasiano c. 9. Fecit*, inquit, *templum D. Claudii in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum*.

MACELLUM MAGNUM. *Macellum*, inquit Festus, *dictum a Macello quodam, qui exercebat in urbe latrocinium, quo damnato, Censores Æmilius & Fulvius statuerunt, ut in domo ejus obsonia venderentur*.

LUPARIOS. Luparia est civitas Hispaniæ Ptolemæo, & Aprutii. Luparius etiam est, qui venatur lupos, sed hic locum insignem hujus regionis intelligit.

ANTRUM CYCLOPIS. Virgilius vasto in antro Cyclopas habitasse, ac Jovi fulmina fabricasse fingit, quod vastum forte hoc antrum esse Cyclopis dixerunt. Panvinius in hac regione recitat antiquum epitaphium Curtilii Fabri argentarii, qui fuit magister vici ab Cyclopibus regionis primæ.

COHORTES VIGILUM. Deest numerus cohortium, qui ex Rufo & Victore est addendus, & legendum *cohortes quinque vigilum*. Augustus, pluribus uno die incendiis exortis, septem cohortes opportunis locis constituit, ut binas regiones urbis unaquæque cohors tueretur, præpositis eis tribunis, & super omnes Præfecto vigilum, ut Ulpianus ac Paulus *in l. 2. & 3. de offic. præf. vigil.* Tranquillus *in Augusto c. 30.* & Dion *lib. 55.* referunt. Sed neque fuere hic stationes, neque hic numerus cohortium postea est observatus, ut binas regiones singula cohors tueretur, cum in hac essent quinque, in V. II. in VI. III. in VII. VII. in VIII. VI. in XII. IV. in XIV. VII. Itaque omnes fuerunt cohortes XXXIV. Dion *in Augusto* auctor est præter has Augustum sex millia hominum in præsidiis urbis collocasse, & in quatuor partes divisisse.

CASTRA PEREGRINA. Blondus lib. 2. Romæ instauratæ refert Augustum primum Romæ castra

peregrina, in quæ milites reciperentur, instituisse, sed nullo auctore nititur: imo Tranquillus *in Augusto cap.* 48. contrarium affirmat his verbis. *Neque tamen unquam plures quam tres cohortes in urbe esse passus est, easque sine castris.* Dion vero scribit Augustum equites peregrinos nominatos Batavos in urbe statuisse, ex Batavia insula Rheni contractos, quos forte castris munivit peregrinis vocatis. Auctor Marcellinus *lib.* 16. *ad fin.* Chonodomarium Alemannorum regem a Juliano apostata captum, & Romam ad Constantium August. missum in castris peregrinis, quæ in monte sunt Cœlio, morbo veterni consumptum fuisse.

CAPUT AFRICÆ. Caput mulieris Africam referentis intelligit.

ARBOREM SANCTAM. Forte alicui numini pro templo dicatam, quod apud Ethnicos fieri consueverat, ut auctor est Plinius lib. 12. cap. 1. Si regio urbis conveniret, arbitrarer intelligi corneam hastam, quam Plutarchus scribit Romulum exercendi causa jaculatum terræ affixam in arborem excrevisse, quæ sacra est appellata, & muro circumdata pro templo habita exaruit læsis radicibus, dum C. Julius Cæsar ibi gradus struit. Nomen tamen sanctæ arboris mansit, & alias illi substitutas fuisse est verisimile.

DOMUM PHILIPPI & VECTILIANAM. Apud Rufum & Victorem hæ domus separantur, & pro *Vectiliana*, & forte rectius legitur *Vitaliana*. Fuit Vitalianus Præfectus prætorio Maximini Imper. ferus & crudelis, illi charissimus, & devotissimus, qui Romæ Gordiani Principis jussu in ædibus est occisus, prout lib. 7. Adrianus narrat. Hic pater D. Justinæ fuisse existimatur. Alius fuit Vitalianus sub Honorio & Theodosio *in l. nemo C. de assessor.* de quo hic non puto intelligi: cujus vero Philippi domus celebretur, dubium est. Romæ fuit L. Philippus orator, de quo plura Cicero *in Bruto*, & lib. 3. *de Orat.* qui etiam Cos. fuit. Hunc esse puto, cujus porticus infra in IX. ponitur, & a Plinio *lib.* 35. *cap.* 10. & 21. cum piscina *lib.* 9. *cap.* 54. celebratur. Alius fuit Martius Philippus Augusti vitricus, a quo ædem Herculis conditam Tranquillus scribit *in Augusto cap.* 9. fuit & Philippus Imp. & alius sub Commodo Præfectus Ægypti, D. Eugeniæ pater, de quo plura Metaphrastes 25. & ultimus sub Honorio & Theodosio Præfectus prætorio Illyrici, *l.* 6. *omni C. de sacr. eccles.* de primo intelligi puto. Horum domus tanquam insignes hic nominantur.

LUDUM MATUTINUM, & GALLICUM. Hi quoque apud Rufum & Victorem separantur. Ludus erat domus, in qua gladiatores se exercebant. Herodianus in 7. *Apertis*, inquit, *gladiatorum ludis, atque unoquoque propriis armis ornato, ad castra contenderunt.* Valerius *libr.* 2. *cap.* 1. *P. Rutilius*, inquit, *ex ludo C. Aurelii Mauri doctoribus gladiatorum accersitis, vitandi, atque inferendi ictus subtiliorem rationem ingeneravit.* Gellius *libr.* 12. *cap.* 3. *Accepimus*, inquit, *ferum quendam in ludo Cæsaris gladiatorem, qui cum vulnera ejus a medicis exsecarentur, ridere solutus fuit.* Matutinus ludus videtur fuisse, in quo mane gladiatores exercebantur, Gallicus, in quo Galli. Alius ludus matutinus, & Gallicus infra in 3. regione invenitur. Aliquot inscriptiones Panvinius utriusque ludi recitat, ex quibus apparet singulos ludos suum medicum habuisse, nec immerito, cum plures verisimile sit ludendo vulneratos fuisse.

SPOLIARIUM SAMARIUM. Hæc a librario diversa scribuntur, sed a Rufo & Victore pro uno, apud quos legitur spolium Samarium: sed puto legendum, *spoliarium*, quod erat locus Romæ, ubi latrones necabantur & sepeliebantur. Lampridius *in Commodo*, inquit, *Patriæ parricida, gladiator in spoliario lanietur.* & infra: *Qui Senatum occidit, in spoliario ponatur.* & rursus idem repetitur. Seneca *lib.* 14. *epistolar. Nunquid aliquem esse tam cupidum vitæ putes, ut jugulari in spoliario, quam arena malit?* Plinius *in Panegyrico*: *Quam juvat cernere ærium silens & quietum, & quale ante delatores erat. Nunc templum illud non spoliarium civium, cruentarumque prædarum receptaculum.* Forte quod ibi fontes spoliati virgis cæderentur, mox securi percuterentur. Samarium vero videtur esse locus, in quo ulmi semina feruntur: *Samara* enim *est ulmi semen*, inquit Plinius *lib.* 16. *cap.* 17. unde Samarium potest vocari locus, ubi hæc semina sunt sata; Samariumque a spoliario arbitror dividendum, ut sint duo loca separata, quia nec Lampridius nec Seneca hæc conjungunt.

ARMAMENTARIUM. Locus erat, in quo arma ad armandos milites, aut populum reponebantur, quale Venetiis esse videmus. Sed Romæ magis pompæ quam belli causa in armamentario asservabantur, ait Herodotus *lib.* 7. *Gallicanus*, inquit, *bellum civile atque omnibus perniciosum suscitavit. Quippe jussis effringi publicis armamentariis, in quibus pompæ magis instrumenta quam belli asservabantur, unde sibi quisque munimentum corporis accommodaret, ad castra contenderunt.* Quibus verbis plura Romæ armamentaria fuisse significat, quæ tempore hujus descriptionis in unum contracta erant, ibique potissimum ad tuendum corpus arma reponebantur.

MICA AUREA. Hæc filia fuit Philodemi Eliensis, quam virginem honestissimam cum Lucius Aristotemi Eliensium tyranni filius adamaret, & ad stuprum trahere vellet, renitentem jugulavit, ut in libro *de claris mulieribus* late Plutarchus recitat. Ejus statua aurea in hac regione sita erat, & Mica proprium hujus puellæ nomen fuit. Sed forte intelligit effigiem ursæ, Mica aurea dictæ, quam sævam, & homines ambedentem, & aliam nomine Innocentiam Valentinianus habebat. Marcellinus *lib.* 29. *Illud*, inquit, *nec præteriri æquum nec sileri, quod cum duas haberet ursas sævas, & hominum ambestrices, Micam auream, & Innocentiam, cura agebat enixa, ut earum caveas prope cubiculum suum locaret, Innocentiam denique post multas, quas ejus laniatu cadaverum viderat sepulturas, ut bene meritam in sylvas abire dimisit innoxiam.*

VICI VII. Rufus habet VIII. Victor XIII. in quo mendum esse puto: quia non habet nisi ædiculas VII. cum tot solerent esse ædiculæ, quot vici.

ÆDICULÆ VII. quot erant vici, quia quisque vicus suam ædiculam habere consueverat.

VICOMAGISTRI XLVIII. Rufus scribit XXXII. Victor XXIV. assignans cuique vico ternos Vicomagistros, sed alter quaternos attribuit, & ponit XXXII. sed nostra descriptio cuique regioni XLVIII. attribuit, exceptis VI. & XI. regione, quarum alteri XVIII. alteri XIX. adscribit: sed in numeris est error, quia infra in urbis breviario recensentur Vicomagistri DCLXXII. qui numerus efficitur ex XLVIII. decies & quater multiplicatis.

CURATORES II. ita & apud Rufum ac Victorem, de quibus supra dixi.

INSULÆ tria millia DC. Victor scribit III. *millia* CVI

DOMUS CXXIV. Victor CCXXXIV.

HORREA XIV. Rufus & Victor XXIV.

BALNEA LXXXII. Victor scribit, *Balneæ privatæ* LXXX. Rufus XX.

LACUS LXII. Victor LXV. Rufus vero *Lacus fud.* XI. sine nomine.

PISTRINA XII. Victor XXIV.

Continet PEDES duodecim millia CC. plus minus II. duobus milliariis cum dimidio. Rufus & Victor scribunt, *Regio continet in circuitu pedes*

XIII. *millia* CC. qui etiam plures domos, campos, & alia nominant, quæ hic omittuntur.

REGIO III.

ISIS & SERAPIS, continet MONETAM. Rufus & Victor habent, *Isis & Serapis*. *Monetæ*: ut hæ tres dictiones sint III. regionis inscriptio. In nostra vero descriptione pro titulo hujus regionis ponitur Isis & Serapis, quæ continet Monetam, & alia, quæ sequuntur. Puto etiam eorum templa postea, ut infra dicetur, diruta, & duas horum Deorum ædiculas, quas in hac regione Rufus statuit, illi nomen indidisse: ipsorum vero templa infra in IX. regione Iseum & Serapeum ponuntur. erant autem hæc præcipua Ægyptiorum numina: Isis Ægypti genius creditus est, qui in dextra sistrum tenebat, quo Nili accessus significabatur, in sinistra situlam, qua omnium lacunarum affluentia ostendebatur, ut in 8. Virgil. Servius recitat, qui eandem terram fuisse cum Macrobio scribit. Alii Lunam interpretantur, ut Diodorus Siculus, & Plutarchus, qui de Iside & Osiride opusculum composuit. Romæ Isidis simulachri altare cane sustineri Dion *in Heliogabalo* scribit: infra etiam in v. regione est Isis patricia. Serapidis vero historiam D. Augustinus ita explicat *lib.* 18. *cap.* 5. *Rex Argivorum Apis navibus transvectus in Ægyptum, cum ibi mortuus fuisset, factus est Serapis omnium maximus Ægyptiorum Deus. Nominis autem hujus, cur non Apis etiam post mortem, sed Serapis appellatus sit, facillimam rationem Varro reddidit; quia, inquit, arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes jam σαρκοφάγον vocant, σορὸς dicitur Græce, & ibi eum venerari sepultum cœperunt, priusquam templum ejus esset exstructum, velut sorosapis, vel sorapis primo, deinde una litera, ut fieri assolet, commutata, serapis dictus est. constitutum etiam de illo, ut quisquis eum hominem dixisset fuisse, capitalem penderet pœnam: & quoniam fere in omnibus templis, ubi celebrantur Isis & Serapis, erat etiam simulachrum, quod digito labiis impresso admonere videretur, ut silentium fieret, hoc significare idem Varro existimat, ut homines eos fuisse taceretur.* Hactenus D. Augustinus. *Hunc autem honorem*, inquit Suidas, *obtinuit, quia in Memphide Aegypti urbe regnans, in magna annonæ difficultate propriis proventibus Aegyptios aluit.* Diodorus lib. I. dicit hunc Jovem, alios Dionysium appellare. Macrobius per eum *solem*, per Isidem *terram* vult intelligi. Tacitus *libr.* 20 *Annal.* putat esse Æsculapium, qui morbis medetur, de quo plura Rufinus *lib.* II. *Hist. Eccles.* Eusebius *lib.* 20. *de Præparat. Evangel.* & Plutarchus in libro *de Iside, & Osiride*. Hæc autem Aegyptiorum numina prius Romani sunt aversati: nam anno, quo Milo Clodium interfecit, horum templum a privatis conditum Senatusconsulto est eversum, sed ob religionem, quæ populi mentibus irrepserat, eos Deos esse, aliud illis extra pomœrium condiderunt, ut lib. 40. Dion narrat: forte fanum privatim factum postea dirutum in hac regione fuit, cui & nomen dedit. Demum quo anno occisus est Pompejus, cum erecta essent eorundem templa, vatum sententia rursus cum nemoribus sunt eversa, eoque in loco vasa fictilia humanis ossibus plena sunt inventa, Dion *lib.* 42. postmodum sub triumviris eadem templa sunt restituta, Dion *lib.* 47. Augustus tamen ea neglexit, quæ in Aegypto nec videre voluit, ut Tranquillus memorat *in Augusto, cap.* 93. Dion *lib.* 53. addit Augustum vetuisse, ne intra pomœrium eorum sacra fierent. Mox Agrippa edicto prohibuit, ne in suburbano intra 500. passus agerentur. Tiberius vero non modo horum sacra interdixit, sed & Isidis templum demolitus, ejus statuam in Tiberim mergi jussit. Joseph. *libr.* 18. *cap.* 4. *Antiq. Jud.* Tacit. *libr.* 2. Tranquill. *in Tiberio cap.* 36. Rursus vero hæc templa reparata sub Tito Imperat. igne e cœlo misso consumpta, ac denuo sunt restituta: nam Serapium sub Antonino Pio instauratum fuisse in marmore legitur, & Lampridius scribit Alexandrum Imperatorem Isium & Serapium decenter ornasse, additis signis, & Deliacis, & omnibus mysticis. ea sunt, quæ infra in IX. regione statuuntur. Serapidis ædicula infra in v. regione est posita. Hæc autem Isis & Serapis nuncupata continet sequentia, primo

MONETAM. Templum Junonis Monetæ intelligit, in quo pecunia cudebatur, ob hanc causam, ut auctor est Suidas *in verbo*, cum Romani in bello, quod contra Pyrrhum & Tarentinos gerebant, pecunia indigerent, Junonis opem implorarunt, ea vero respondit non defuturam illis pecuniam, si armis juste uterentur. Quod cum ex voto successisset, Junonem monetam sunt venerati, nam ob consilium datum monetam in ejus templo cudi statuerunt. Macrobius scribit Kal. Junii ei ædem dicatam fuisse *lib.* I. *Saturnal. cap* 12. Unde ante hic mensis Junonius dicebatur. Livius lib. VII. ab V. C. auctor est L. Furium Camillum, Dictatorem contra Auruncos creatum, inter dimicandum ædem Junoni Monetæ vovisse, & cum victor fuisset, Senatum ædem anno, postquam vota erat, fieri jussisse, eamque in area collocasse, ubi antea Manlii Capitolini domus fuerat. Alii in Aventino monte, alii in Capitolio locatam volunt. Cicero *lib.* I. *Divin.* scribit post maximam illam cladem a Senonibus Gallis factam, auditam vocem ex arce Junonis fuisse. ex quo Juno illa appellata moneta est, a monendo. Ovid. *in Fastis* in arce eam fuisse tradit.

Arce quoque in summa Junoni templa monetæ
Ex voto memorant facta Camille tuo.

Plutarchus *in Romulo* scribit Tacitum regem Sabinorum tenuisse eam partem urbis, ubi postea fuit Monetæ templum. Servabantur in æde monetæ libri lintei, in quibus Imperii Rom. facta conservabantur.

AMPHITHEATRUM, quod capit loca octoginta septem millia. Rufus habet, *Amphitheatrum Flavii scilicet Vespasiani*, ut explicat Victor, quod capit loca LXXVII. millia, alias LXXXVII. millia. Hujus meminit Tranquillus *in Vespasiano*. *Fecit*, ait, *amphitheatrum urbe media, ut destinasse compererat Augustum*. Id postmodum Titus dedicavit. Idem Tranquillus *cap.* 7. *Amphitheatro*, inquit, *dedicato, thermisque juxta celeriter extructis, munus edidit apparatissimum*. Idem refert Eutropius *in Tito*: *Romæ*, ait, *amphitheatrum ædificavit, & quinque millia ferarum in dedicatione ejus occidit*. quod & Eusebius *in Chronicis* ab illo mutuatus recitat. Alio nomine vocatur *arena*, formam ovalem habens, undique lapideis sedibus circumdata, in qua gladiatores in se, & cum bestiis certabant. Aliud amphitheatrum fecit in alia urbis regione, hortante Augusto, Statilius Taurus, ut auctor est Tranquillus *in Augusto cap.* 29. Aliud in hac regione Titus extruxit, juxta quod posuit thermas, ut Tranquillus tradit *in Tito cap.* 7. de quo posset hic intelligi. Amphitheatrum nunc Colossum a Colosso, qui ibi erat, appellari auctor est Pomponius Lætus de antiquitatibus urbis.

LUDUM MATUTINUM, & DACICUM. Apud Rufum & Victorem legitur *Ludus Magnus* pro matutino, cujus duas inscriptiones recitat Panvinius. Magnus hic ludus dictus est, ad differentiam aliorum, quos magnitudine superabat. Dacicus vero e-

rat, in quo ex Dacia gladiatores exercebantur, sicut Gallicus, in quo Galli, de quo in superiori regione. Rufus & Victor hos duos ludos separant. Si legimus matutinum, intelligemus, in quo mane gladiatores exercebantur, aut quod forte prope deæ matutæ, id est, matutini temporis templum hic ludus esset.

DOMUM BRYTTI. Rufus & Victor pro *Brytti* habent, *domus Bryttiana*, credo legendum *Bruti*, vel *Brutiana*: Græci enim librarii sæpe ponunt *u*, pro *y*, ut ex lectione Pandectarum Florentinarum apparet: quare hujus descriptionis librarius Græcus fuisse videtur. Cujus vero Bruti hæc domus extiterit, difficile est discernere; plures enim fuere.

PRÆSENTISSIMUM CHORAGIUM. Rufus & Victor legunt *Summum Choragium*, mox *Prætura Præsentissima*. Antiquam inscriptionem summi choragii Panvinius recitat, ita ut hæc lectio videatur probabilior. Utrunque idem potest significare, & accipi pro præsentissimo, id est præstantissimo. *Choragium*, inquit Festus, *est instrumentum scenarum*: sed hic non instrumenta, sed ædificia demonstrantur, unde capitur pro loco, in quo chori Comœdiarum & Tragœdiarum exercebantur: choragus vero est, qui chorum ducit, & chorus etiam locum ipsum, ubi chori exercebantur, significat, ut ex Homero Suidas tradit: xv. *personæ*, inquit, *constituebant chorum in tragœdia*, XXIV. *in comœdia*. De choragio Apulejus *in Apologia*. Plautus *in Captivis* & *Persa*. Tranquillus *in Augusto cap.* 70. Hic itaque locum significari puto, in quo Prætor in ludis choros agi jubebat, & ideo Præturæ vocabatur. Vel præsentissima prætura locus posset appellari, ubi Prætor judicabat, præsentium enim est tribunal in quo milites judicabantur *in Novell.* 22. *in fin.*

LACUM PASTORIS. De lacubus in prima regione dictum fuit. Hic autem factus fuit a pastore, puto Junio Pastore, qui anno salutis 169. cum L. Aeliano sub M. Antonino Cos. fuit: is forte est, quem Plinius in epistolis se defendisse ad Tranquillum scribit *lib.* 1. *epist.* 18. Alius fuit Pastor Romanus pater Sisti primi Pontif. Maximi.

SCHOLA QUÆSTORUM & CAPULATORUM. Ita & Victor, qui has scholas divisit. Rufus pro capulatis habet Gallos. *Scholæ*, inquit Festus, *dictæ sunt a χολάζω, id est, a vacatione, quod cæteris rebus omissis vacare liberalibus studiis pueri debeant.* Postea ordines in palatio Principis scholæ sunt dictæ, quæ præpositos & tribunos habebant, *l.* 1. *C. de com. & trib. schol. l.* 1. *C. de privil. schol. l.* 1. *C. de anno civ.* Sed hic schola pro loco accipitur ubi Quæstores & Capulatores rationes olei tractabant, quod inter populum dividebatur: Cajus enim Julius Cæsar, Africa devicta, statuit inde Romam xx. myriades, id est cc. millia medimnorum Atticorum frumenti, & olei librarum myriades ccc. id est, tricies centena millia, seu, ut vulgus vocat, tres milliones advehi. Plutarch. *in C. Julio Cæs.* Aliud etiam ex Thuscia & Campania veniebat, ut suo loco est dictum. Olei vero admensores & distributores, Capulatores appellabantur, a capula, quod erat vas utrinque ansatum, ad oleum in alia vasa transfundendum comparatum: & capulare est oleum capula in aliud vas transfundere: Cato *de re rustica*, *cap.* 67. *Custos oleum frequenter capulet. Fraces quotidie ejiciat, amurcam commutet, & qui hoc agit, capulator vocatur.* idem Cato, *cap.* 66. *Præmittit custodes, & capulatoris officia.* Mox subjicit, *Continuo capulator concha oleum, quam diligentissime poterit, tollat, nec cesset.* Colum. *lib.* 12. *c.* 50. *Quod primum*, ait, *oleum defluxerit, in rotundum labrum protinus capulator depleat, & in fictilia vasa huic usui parata defundat.* In hanc ergo scholam Quæstores & Capulatores conveniebant, ubi erat oleum populo dividendum. Hi dabant illi ra-

A tionem, id est, nomina accipientium, & quantitatem olei datam scribebant. Itaque aut una horum schola fuit, aut si duæ erant, eas conjunctas fuisse oportet. Infra in v. regione est vicus capulatorum.

THERMAS TRAJANAS & TITIANAS. Hæ a Rufo Victore separantur. Multa ædificia publica Trajanum extruxisse Dion refert, inter quæ Thermæ fuerunt. De thermis Titi ita Tranquillus *c.* 7. *Amphitheatro dedicato, thermisque juxta celeriter extructis, munus edidit apparatissimum, largissimumque.* Unde Epigrammatarius poeta:

B *Hic ubi miramur velocia munera thermas.*

PORTICUM LIVII. Tam Rufus quam Victor rectius legunt, *Liviæ*: addit Victor *cum templo*. Hanc porticum nomine uxoris Augustus fecit. Tranquillus *in Augusto cap.* 29. 97. *Quædam etiam*, inquit, *opera sub nomine alieno, nepotum scilicet, uxoris, sororisque fecit, ut porticum, basilicamque Livii & Caii: item porticus Liviæ & Octaviæ, theatrumque Marcelli.* Hæc ille. Domum Ovidii Pollionis, qui servos murænis comedendos objiciebat, in hanc porticum Augustus ab eo hæres factus convertit, ut Dion scribit. *Pollio*, inquit, *moriens domum suam Augusto, & eum locum, cui Pausilipus nomen, quique est inter Neapolim & Puteolos, reliquit.* Sed hanc domum Augustus, ut memoria nominis ejus ex urbe deleretur, funditus evertit, atque in eo loco porticum nomine Liviæ ædificavit. Hanc porticum Strabo deambulationem appellat: amœnitatis enim & deambulandi gratia Romæ fiebant, quandoque ut solem arcerent. Tacit. *lib.* 50. loquens de incendio Romæ a Nerone excitato, *Porticus*, inquit, *amœnitati dicatæ latius periere.* Hæ statuis marmoreis imaginibusque exornabantur. Marcellus *in l. Seja, alias l. Lucius.* §. 1. *de aur. & arg. legat. Hæredem*, inquit, *meum volo, ut in patria mea faciat porticum publicam, in qua poni volo imagines argenteas, item marmoreas.* Porticum Liviæ Plinius scribit *lib.* 14. *cap.* 1. subdivales ambulationes habuisse, ac vite 12. amphoras vini faciente inumbratam. *Una vitis*, inquit, *Romæ in Liviæ porticibus subdivales deambulationes umbrosis operculis opacat, eademque duodenis musti amphoris fœcunda.*

CASTRA MISENATIUM. Notum est ex Tacito *lib.* 4. *post princ.* Tranquillo *in Augusto cap.* 49. & Vegetio *lib.* 4. *cap.* 33. Augustum duabus classibus mare mediterraneum tutatum fuisse, altera in supero mari apud Ravennam locata, altera infero apud Misenum, quam tuentes milites Misenates vocabantur. Hi castra Romæ habebant, classe hyeme aut alias in portu quiescente, quæ castra Misenatium sunt dicta. Rufus scribit, *Castra Misenatium* II. Victor, *Castra Misenatium vetera*.

VICOS XI. Rufus & Victor habent VIII. *Album Fortunæ vicinæ. Anciportum. Bussianum. Structorum. Asellum. Lanarium. Primigenium.*

ÆDICULAS XII. Tot erant ædiculæ quot vici. Apud Rufum & Victorem sunt VIII. quot apud eos & vici: quilibet enim vicus suam habebat ædiculam. Sunt autem ædiculæ *Spei, Serapidis, Sangi, Fidoni, Minervæ, Isidis, Veneris, Aesculapii, Vulcani.*

MAGISTROS XLIX. Legendum, Vicomagistri XLVIII. ut legitur fere in omnibus aliis regionibus: quilibet enim vicus VIII. Vicomagistros habebat. Rufus & Victor XXIV. ternos enim Vicomagistros pro singulis vicis ponunt.

CURATORES II. De quibus supra dictum fuit.

INSULAS duo millia DCCLVII. Apud Rufum & Victorem II. millia DCCCVII.

DOMUS LX. Rufus & Victor CLX.

HOR-

HORREA XIV. Rufus XIX. Victor XXIX.

BALNEA octuaginta. Idem Rufus. Victor, *Balneæ privatæ* LXXV.

LACUS LXV. Idem Victor. Rufus, *Lacus* XXV. sine nomine.

PISTRINA XVI. Rufus & Victor, *Pistrina* XXIII.

Regio continet PEDES duodecim millia trecentos quinquaginta plus minus duobus milliariis cum dimidio. Rufus & Victor XII. ∞. CCCCL. & addunt quædam, quæ hic omittuntur, ut caput suburræ, & quædam templa.

REGIO IV.

TEMPLUM PACIS. Inscribitur hæc regio, ab eo tanquam insigniori nomen habens. Hoc enim templum omnium magnificentissimum a Vespasiano conditum fuit. Tranquillus *cap.* 9. *in Vespasiano*, *Fecit*, inquit, *& nova opera, templum Pacis foro proximum, divique Claudii in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum*. Vespasiano VI. & Tito IV. Coss. id dedicatum fuisse Dion refert. Is fuit annus salutis 76. De hoc ita Plinius *lib.* 36. *cap.* 15. *Nonne inter magnificam basilicam Pauli columnis e Phygibus mirabilem, forumque divi Augusti, templum Pacis, divi Vespasiani Imperatoris Augusti pulcherrima operum, quæ unquam?* sæpiusque egregia ejus ornamenta recenset *lib.* 34. *cap.* 8. *lib.* 45. *cap.* 10. *lib.* 36. *c.* 5. & *cap.* 7. Josephus *lib.* 7. *de Bello Judaico*: *Post triumphos*, inquit, *Vespasianus Paci templum ædificare decrevit: itaque mira celeritate, & quæ hominum cogitationem superat, effectum est. Magna divitiarum largitate usus insuper perfectis picturæ & statuarum operibus id exornavit: omnia namque in illud fanum delata sunt, quorum visendorum studio per totum orbem, qui ante nos fuerunt, vagabantur. Hic reposuit quæ Judæorum fuerant instrumenta*. Hæc ille vasa, & donaria templi Hierosolymitani, ibi reposita fuisse intelligit. Hoc templum ab ægrotis frequentatum fuisse Galenus *in libro de pulsibus* scribit. Herodianus *lib.* 1. quoque id Commodo imperante incendio consumptum fuisse his verbis tradit: *Cum exiguus terræmotus antecessisset, seu nocturni casu fulminis, sive igne aliquo in ipso terræmotu velut extrito, totum de improviso Pacis templum consumptum incendio est: quod unum opus cunctorum tota urbe maximum fuit atque pulcherrimum. Idem templum omnium opulentissimum, egregieque munitum, multoque ornatum auro & argento. Quippe universi suas illic divitias quasi in thesaurum congerebant. Adeoque per noctem debacchatus ignis multos ex opulentis egenos reddidit*. Hæc ille. Id templum rursus exstructum tempore hujus descriptionis extitisse videtur, vel si adhuc solo æquatum erat, IV. regioni nomen dedit, quæ continet sequentia.

PORTICUM ABSIDATAM. Apsis est arcus; ita Dion appellat arcus qui triumphales Romæ visuntur, & duos in subalpinis; itaque interpretor hanc porticum Apsidatam fuisse, quæ instar arcuum erecta res gestas alicujus Principis marmore sculptas exprimebat. Alias enim pro re memoranda non poneretur, quod fornicata esset hæc porticus, quales alias plures fuisse credendum est. *Absidata* vero hic pro *apsidata* vocatur, ut & apud Rufum & Victorem legitur, quod est idem. A quo vero facta sit hæc porticus, difficile est invenire.

AREAM VULCANI. Apud Rufum legitur, *Vulcanale*; apud Victorem legitur, *Ara Volcani cum Volcanali. Alias area Vulcani cum Vulcanali. Ubi lotos a Romulo sata, in qua area sanguine per biduum pluit*. Hæc Victor. Significat hanc aream seu campum Vulcanali seu templo Vulcani conjunctum fuisse. Id Romulus ex decima spoliorum hostibus adempta condidit. Plinius *lib.* 16. *cap. ult.* loquens de loti arboris vetustate, *Altera lotus*, inquit, *in Vulcanali, quod Romulus constituit ex victoria de decumis, æquæva urbi intelligitur, ut auctor est Massurius. Radices ejus in forum usque Cæsaris per stationes municipiorum penetrant*. Hæc ille. Est autem lotus prægrandis arbor, dulcem & gratum fructum ferens cerasis similem, & advenis patriæ oblivionem inducens. Quare Homerus *in* 3. *Odyss.* Ulyssis socios, cum eum degustassent, vix ex Africa abduci potuisse cecinit. Romulum capta Cameria inde quadrijugum æreum currum in Vulcani templum transtulisse, ibique sui statuam Victoria coronatam locasse. Dionysius *lib.* 2. *Antiquitat. Roman.* & Plutarchus *in Romulo* scribunt, ac demum ipsum in eodem templo extinctum. Livius *lib.* 9. auctor est Cn. Flavium Appii Cœci scribam post publicatos fastos ædem Concordiæ in area Vulcani fecisse.

AUREUM BUCINUM. Rufus habet, *Bucena*. Victor, *Bucina aurea. alias Bucinum aureum*. Plinius *lib.* 9. *c.* 36. *Bucinum*, inquit, *est minor concha, ad similitudinem ejus buccini, quo sonus editur*. sed de quo intelligatur, ambigitur. ingentis magnitudinis vel concham vel tubam fuisse oportet, in loco a quo non facile posset dimoveri.

APOLLINEM SANDALIARIUM. A Vico Sandaliario, ubi sandalia vendebantur, hic Apollo est denominatus, ad differentiam alterius Apollinis Palatini nuncupati, cui in Palatino monte Augustus templum dicaverat, ut auctor est Tranquillus *in Augusto cap.* 29. *&* 31. Statuam etiam Apollinis ex Sicilia Romam transvehi Tiberius jussit, quam in novi templi bibliotheca posuit. Tranquill. *in Tiberio cap.* 74. Hic non templum, sed ejus statuam significari puto. Vici Sandaliarii Romæ hæc inscriptio legitur:

GERMANICO CÆSARE. C. FONTEIO CAPITONE COS. K. JAN. STATÆ FORTVNÆ AVG. SACR. SEX. FONTEIVS CL. TROPHIMVS. GN. POMPEIVS GN. F. NICEPHOR. MAG. *magister* VICI SANDALIARII REG. IV. ANN. XVIII. DD.

Hujus vici etiam Gellius meminit *lib.* 18. *cap.* 4. *In Sandaliario*, inquit, *forte apud librarios fuimus*. est autem sandalium genus calcei.

TELLURIS TEMPLUM. Tellus Rhea, Ops, Cybeleque, & aliis nominibus est cognominata; plura de ea D. Augustinus *de civitate Dei lib.* 7. *c.* 23. *& seqq.* ex Varronis libro de diis selectis, & ipsius sacerdotibus Gallis adducit. Hoc fanum ædificatum a populo Rom. in area eversæ domus Sp. Cassii, qui suspectus fuerat regnum affectasse, Dionysius *lib.* 8. Valerius *lib.* 6. *cap.* 3. *de severitate Senatus*, inquit, *populusque Rom. non contentus, Sp. Cassium capitali supplicio afficere, interempto domum superjecit, in solo autem ædem Telluris fecit*: idem L. Florus & Cicero *pro domo*: & in *Philippicis* ait in ea armamentarium fuisse, quo populus armabatur. Addit Plinius *lib.* 34. *c.* 6. *Sp. Cassium, qui regnum affectaverat, statuam apud ædem Telluris sibi posuisse*, & *ipsam a Censoribus conflatam*.

HORREA CHARTARIA. Apud Rufum legitur, *Testaria*, apud Victorem, *Cantharia*, vel *Testariæ*, alias *Testaria*. Credo retinendum *Chartaria*, in quibus charta conservabatur, ut alia in aliis horreis. Testaria enim vel Cantharia ad rem vix faciunt.

TIGILLUM SORORIUM. Nota est ex Dionysio *lib.* 3. & Livio *lib.* 1. historia Horatiorum & Curiatiorum, qui tergemini fratres, hi pro Albanorum, illi pro Romanorum imperio utrinque decertarunt, & cum unus ex Horatiis fratribus superstes Curia-

tios occidisset, ac Capenam portam ingressus sororem Curiatii sponsi mortem deflentem vidisset, & eam interfecit. Quare parricidii reus factus a populo ob recentem victoriam est absolutus, sed quibusdam sacrificiis est expiatus, inter alia sub jugum est missus, quod sororium tigillum appellarunt. *Est autem*, inquit Dionysius, *mos Romanis, quoties hostes traditis armis deditionem faciunt, duo tigna recta humi defigere, hisque tertium transversum superimponere, & sub eo captivos transmittere, moxque dimittere liberos. Hoc ipsi jugum vocant*], *quod tum expiatores inter piamina postmodum adhibuerunt juveni. Locum, ubi id factum est, omnes Romamani sacrum existimant. Est autem in angiportu, qui a Carinis ducit ad Vicum Cyprium, ubi & aræ manent tum positæ, & lignum super eas transversum infixum duobus inter se adversis parietibus, quod capiti exeuntium imminet, vocaturque a Romanis Tigillum sororium. Eo loco hujus casus monumentum Pop. Roman. annuis honorat sacrificiis*. Hæc ille. Addit Livius: *Id jugum hodie quoque semper refectum manet, sororiumque tigillum vocatur*.

COLOSSUM. Altum pedes centum duos semis. Habet in capite radia numero septem, singula pedum viginti duorum semis. Idem Victor, qui appellat *radios*, non *radia*. Colossum Neronis intelligit, a Zenodoro factum, de quo ita Plinius *lib.* 34. *cap.* 4. *Verum omnem amplitudinem generis statuarum vicit ætate nostra Zenodorus, Mercurio facto in civitate Galliæ Avernis per annos* x. *pedum* cccc. *immani precio. Is postquam satis ibi artem approbaverat, Romam accitus est a Nerone, ubi destinatum illius Principis colossum fecit, centum decem pedum longitudine, qui dicatus solis venerationi, est damnatus sceleribus illius Principis. Mirabantur in officina non modo ex argilla similitudinem insignem, verum & de parvis admodum surculis, quod primum operis instar fuit. Ea statua indicavit interiisse fundendi æris scientiam, cum & Nero largiri aurum argentumque paratus esset, & Zenodorus scientia fingendi cælandique nulli veterum postponeretur*. Hactenus Plinius. Hunc postea Vespasianus erexit, cum templum Pacis condidisset. Dion *in Vespasiano*, *Vespasiano* VI. inquit, *& Tito* IV. *Coss. templum Pacis dedicatum est, & colossus sacra via collocatus, quem ferunt fuisse altum pedes centum*. Huic imago Neronis erat, vel Titi, ut ab aliis traditum est. *Hujus colossi caput Commodus postea deposuit, quod erat Neronis, & suum imposuit, & titulum more solito subscripsit*, inquit Lampridius. Id hodie in porticu Conservatorum esse fertur. *A Coleto primo ejus auctore colossum dictum* Festus putat. De colossis late Plinius *lib.* 34. Virgil. *in* 12. *Æneid.* fingit regem Latinum XII. radios in capite gestasse tanquam solis nepotem.

——— ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt.

METAM SUDANTEM. Ad hunc locum tubis & tibiis canere discebant, ut videtur velle Seneca *in Epistolis ad Lucillum*. *Essedas*, inquit, *transcurrentes porro & fabrum inquilinum, & ferrarium vicinum, aut hunc, qui ad metam sudantem tubas experitur & tibias, neque cantat, sed exclamat*. Hanc metam *lateritiam* fuisse Marlianus scribit, in cujus vertice Jovis simulacrum fuit, *ex ea aquæ emanasse feruntur, unde populus sitim extingueret, & ob id sudans*, inquit, *est appellata*. est autem meta lapis coni imagine quadam prominens, & Plinius umbram terræ similem esse dicit metæ & turbini inverso. Triangularem fuisse Gellius significat, *lib. Noct. Attic. c.* 20. cum scribit, *metæ trianguli, quam pyramidem appellant*.

TEMPLUM ROMÆ & VENERIS. Rufus habet *Templum urbis Romæ, & Augusti*. Victor, *Templum urbis Romæ*, a quo uterque templum Veneri separat. Rufo adversatur Tranquillus *in Augusto cap* 25. ita de Augusto scribens, *Templa quamvis sciret etiam Proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia, nisi communi suo Romæque nomine recepit. Nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore*. Ex quibus verbis in provinciis tantum, & non in urbe templum Romæ Augustoque commune fuisse apparet. Ipsi defuncto templum & cœlestes religiones decretas, Tacitus *lib.* 1. & alii referunt. Venerem vero hanc Cluacinam esse Panvinius scribit, quod falsum arbitror, quia Cluacina eadem Murtius vel Myrtea dicebatur, ut Plinius *lib.* 15. *cap.* 9. testatur, quam apud Circum maximum fuisse auctor est Tertullianus *de spectaculis, de loco*. Livius quoque scribit Q. Fabium Gurgitem Cos. filium ex multa fœminarum strupi damnatum ædem Veneris prope Circum fecisse. Veneri genitrici a C. Julio Cæsare in foro, quod dedicaverat, positum fuisse Dion *lib.* 47. Plutarchus, Appianus *lib.* 35. *cap.* 4. *&* 22. & Plinius memorant: Plinius *lib.* 8. *c.* 7. & Plutarchus *in Pomponio*, scribunt altero Pompeii Consulatu templum Veneri victrici dicatum fuisse; sed de quo hic intelligatur, ambigo.

ÆDEM JOVIS STATORIS. Hæc a Romulo est consecrata. Dionysius *lib.* 3. *Consecravit*, inquit, *Romulus Jovi Statori apud portam Mugoniam ducentem e via sacra in palatium, quod exercitum ipsius fugientem Deus post preces stare fecisset, & uti viribus*. Idem Livius *in.* 1. Cicero in oratione prius quam iret in exillum, *Te*, inquit, *Jupiter stator, quem vere hujus Imperii statorem majores nostri nominaverunt, cujus in templo hostilem impetum Catilinæ repuli a muris, cujus templum a Romule, victis Sabinis, in palatii radice cum victoria est collocatum, oro atque obsecro ferre opem pariter Reipubl. cunctæque civitati, meisque fortunis*. Verum D. Hieronymus & D. Augustinus *in* 3. *de Civitate Dei*, *a stando*, quod rectius stet, Jovem statorem dictum putant. At Seneca *lib.* 4. *de beneficiis* aliam reddit caussam. *Nonquemadmodum*, inquit, *historici reddiderunt ex eo, quod post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quod stant beneficio ejus omnia, stator stabilitorque est*. In nummis Antonini Pii & Gordiani a tergo imago stans nuda, & dextra hasta nixa, sinistra fulmen tenet cum hac inscriptione JOVI STATORI.

VIAM SACRAM. *Hanc*, ait Festus, *quidam ita appellatam esse existimant, quod in ea fœdus ictum sit inter Romanos & Tatium Sabinorum regem; quidam quod eo itinere utantur Sacerdotes Edulium sacrorum perficiendorum causa. Itaque ne eatenus quidem, ut vulgus opinatur, sacra appellanda est a regia ad domum regis sacrificuli, sed etiam a regis domo ad sacellum Sereniæ, & rursus a regia usque in arcem. Nec appellari debere ait Verrius, sed disjuncte ut cæteras vias, Flaminiam, Appiam, Latinam, ut ne Novamiriam quidem, sed Novam viam*. Hæc Festus. Itaque a Sereniæ sacello ducebat in arcem. Alii volunt sacram viam appellatam, quia sacra quotquot mensibus illac in arcem ferebantur, perque eam augures ex arce profecti inaugurare solebant. Cœl. Rhodigin. *lib.* 13. *cap.* 12. *Lection. antiquar*. Erat & Athenis sacra via, in qua Eleusinæ sacra agebantur.

BASILICAM CONSTANTINIANAM, a Constantino ædificatam. Eadem basilica Salvatoris est dicta, ubi in argenteo fastigio in sella quinque pedum sedebat, pensans libras 120. erant ibi & XII. Apostoli quinorum pedum, pensantes libras 90. cum coronis ex argento purissimo pensantibus lib. 140. & Angeli 4. ex argento quinorum pedum, pen-

ſantes ſinguli lib. 115. cum gemmis Alabandenſi. Hujus viginti ipſum penſabat lib. 2. & 25. ut ex *Actis S. Sylveſtri* recitat Cæſar Baron. *in Annalibus* an. 324. Alii non de templo, ſed de baſilica Roman. intelligunt. Erat baſilica, ædificium teſtudinatum, altis columnis ſuffultum, qualia hodie templa fiunt, quæ inde baſilicæ appellantur. eam Virgilius *in 7. Æneid.* deſcribit:

Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis,
Urbe fuit ſumma, Laurentis regia Pici:
Horrendum ſilvis & religione parentum.
Hic ſceptra accipere, primoſque attollere faſces
Regibus omen erat: ——

Latini regiam vocant. Romæ in ea cauſas exercere, legatos audire, & negocia publica tractare ſolebant, circum etiam tabernas habebat, in quibus vel argentea vaſa, vel veſtes, aliaque venalia erant, Vitruv. *lib.* 5. *cap.* 1. Auctor eſt Aſconius Catonem & Flaccum Cenſores, empta a Memmio domo, primos in foro baſilicam fabricaſſe. Inter alias, quæ hic x. numerantur, Conſtantinus & ipſe ſuam baſilicam condidit. Alii baſilicas XXII. Romæ ponunt. De baſilicis alibi latius diſſerui.

TEMPLUM FAUSTINÆ, uxoris M. Antonini Philoſophi. Capitolinus *in Marco*, *Petiit*, inquit, *a Senatu, ut honores Fauſtinæ ædemque decernerent.* & paulo poſt, *Divam etiam Fauſtinam a Senatu appellatam gratulatus eſt.* Fecit & coloniam vicum, in quo obiit Fauſtina, & ædem illi extruxit, cujus nomen Caracalla abrogavit. Spartianus *in Antonino Caracalla*, *Antoninus*, inquit, *inter Deos relatus eſt. Habet templum, habet Salios, habet ſodales Antoninianos, qui Fauſtinæ templum, & divale nomen eripuit.* Hujus quæ adhuc extant cum hac inſcriptione, creduntur eſſe columnæ. *Divo Antonino, & D. Fauſtinæ ex S. C.* Dion ſeu Xiphilinus nihil de hoc templo dicit.

BASILICAM PAULI. L. Paulum Æmilium intelligit, quem cum C. Claudio Marcello, ut Cæſari adverſarentur, Coſ. Pompejus fecit: *At ille*, inquit Appian. *lib.* 2. *de bellis civilib. mille & quingentis talentis Paulum benevolum ſibi reddidit, ut neque pro ipſo quicquam ageret, nec contra moliretur. Paulus baſilicam valde inclytam ſuo nomine ex pecuniis hujuſmodi publice conſtituit.* Hactenus Appianus. Cicero *ad Atticum* de hac baſilica, dum ædificaretur, ita ſcripſit: *Paulus in medio foro baſilicam jam pene texuit illis iiſdem antiquis columnis, illam autem, quam locavit, fecit magnificentiſſimam. Quid quæris? nihil gratius illo monumento, nihil glorioſius.* Hanc baſilicam Plinius *lib.* 36. *cap.* 15. extollit: *Nonne*, inquit, *inter magnifica baſilicam Pauli columnis e Phrygibus mirabilem, forumque D. Auguſti pulcherrima operum, quæ unquam &c.*

FORUM TRANSITORIUM. Hoc forum a Domitiano factum *in Chronicis* Euſebius memorat. Tranquillus *in Domitiano cap.* 5. *Excitavit & forum*, inquit, *quod nunc Nervæ vocatur.* In hoc foro ſtatuas D. Principibus Alexander. Imp. erexit. Lampridius, *Statuas*, inquit, *coloſſeas vel pedeſtres nudas, vel equeſtres D. Imperatoribus in foro D. Nervæ, quod tranſitorium dicitur, locavit, omnibus cum titulis, & columnis æreis, quæ geſtorum ordinem continerent exemplo Auguſti, qui ſummorum virorum ſtatuas in foro ſuo e marmore collocavit additis geſtis.* Hæc ille. Tranſitorium autem quidam dictum putant, quod per illud in forum magnum Auguſti & Cæſaris iretur. Sed ego interpretor humile & inornatum, ut *in Nerone* Tranquillus accipit *cap.* 30. *Domum*, inquit, *a Palatio Exquilias uſque fecit, quam tranſitoriam, mox reſtitutam auream nominavit.* Capitur enim pro translatitio. Rufus habet, *Forum tranſitorium cum templo D. Nervæ.*

A SUBURRAM. *Vicus erat prius Succuſanus dictus a ſtativo præſidio ibi locato, quod ſolitum ſit ſuccurrere Exquiliis, Gabinis eam partem urbis infeſtantibus*, ut ex Verrio Feſtus tradit. Inde IV. urbis regio ſub Servio Tullo rege Suburra appellabatur, ut auctores ſunt Dionyſius *lib.* 4. *Antiq. Rom.* & Plinius *lib.* 18. *cap.* 3. In hoc vico meretrices diverſoria habebant. Martialis:

Famæ non nimium bonæ puellarum,
Quales in media ſedent Suburra,
Vendebat modo præco Gellianus.

BALNEUM DAPHNIDIS. Vix eſt, ut hoc nomen
B proprium credatur, Romanis nobilibus inſolitum. Forte a proximo laureto, vel fructibus lauri, qui daphnides dicuntur, hoc balneum nomen accepit.

VICI VIII. ſcilicet Sceleratus, Eros, Veneris, Apollinis, Trium viarum, Anciportus minor, Fortunatus minor, Sandalarius, ut apud Rufum.

ÆDICULÆ VIII. quot & vici; ſcilicet Muſarum, Spei, Mercurii, Juventutis, Lucinæ Valeriæ, Junonis, Lucinæ Mavortii, Iſidis.

VICOMAGISTRI XLVIII. Apud Rufum & Victorem XXXII. Sed in hac deſcriptione ſingulis fere vicis ſeni dantur Vicomagiſtri, & ideo rectius ſcri-
C bitur XLVIII.

CURATORES II. ut in omnibus regionibus.

INSULÆ II. millia ſeptingentæ quinquaginta ſeptem. Unam amplius Rufus & Victor addunt.

DOMUS octoginta octo. Rufus & Victor CXXXIX.

HORREA decem & octo. concordant & alii.

BALNEA LXXV. Addunt Rufus & Victor *balneæ privatæ*, & recte: publicæ enim thermæ vocantur.

LACUS LXXVIII.

PISTRINA XII. Victor, XIII. Rufus XXIII. Alia quædam addunt Rufus & Victor, quæ in noſtra deſcriptione omittuntur.

Regio continet PEDES tredecim millia. excedit
D duo milliaria cum dimidio. Rufus habet. *Regio in circuitu continet pedes* XVIII. *millia*, qui numerus excedit tria milliaria cum dimidio.

REGIO V. ESQUILIÆ.

ESQUILINUS & Viminalis colles juſta magnitudine oppidi intra urbem a Ser. Tullo rege additi, ut *in* IV. auctor eſt Dionyſius, & Livius *in* I. hanc regionem tenent. & ideo poſt Rufum Victor ita inſcribit: *Regio T. Exquilina cum turri & colle Viminali.* Dictæ ſunt Exquiliæ ab excubiis a Tullo, qui ibi habitavit, & in loco factis. ut Ovidius ſignifi-
E care videtur *in* I. *Faſtorum*:

Excubias ubi rex Romanus agebat,
Qui nunc Exquilias nomine collis habet.

Et ideo per *x* eſſet ſcribenda hæc dictio. Alii ab excolendo deducunt, quod hic collis antea neglectus a Tullo fuerit excultus: *Exquiliæ*, inquit Pomponius Lætus, *incipiunt a templo S. Petri ad vincula, & protenduntur uſque ad eccleſiam S. Crucis, inde ad thermas Diocletiani, & circumeundo includunt S. Mariam Majorem, & S. Praxedem uſque ad S. Petrum*
F *ad vincula. circuitus eſt quatuor millium paſſuum*, ut vult Merula *lib.* I. Continet hæc regio

LACUM PROMETHEI. Ita hunc lacum appellatum puto ob ſtatuam Promethei ibi poſitam.

MACELLUM LIVIANI. A Livia uxore Auguſti fabricatum. Apud hoc poſtea Liberius Papa ædem B. Mariæ ad nives ædificavit *in lib. de Rom. Pont. in Liberio.*

NYMPHÆUM D. Alexandri. Nymphæa erant ampla ædificia, in quibus nuptias celebrabant, qui ædes ad hoc idoneas non habebant, ut Zonaras *in Leone Magno* interpretatur; ſed alii pro lavacro

accipiunt , ut Suidas , qui aquam ex foro in *νύμ-* A
φεια λουτρὰ derivatam fuiſſe ſcribit , ſed proprie lavandis mulieribus addictum fuiſſe Cœlius Rhodiginus putavit. Theodoſius Cyro P. P. committit, ut ipſe arbitretur , quantum aquæ thermis , quantum nymphæis ſit indulgendum *in l. ſi quis* 2. *D. de aquæduct.* Lampridius ſcribit Alexandrum balnea omnibus regionibus addidiſſe , quæ forte non habebant: *Nam hodie quoque* , inquit, *multa dicuntur Alexandri*. Sub balneis credo comprehendi & nymphæa.

COHORTES DUAS VIGILUM. Rufus & Victor habent *ſtationem cohortium* VII. *Vigilum*. Puto legendum *duas* , quia in VIII. regiones ſtatuuntur B
aliæ VI. & in ultima VIII. & eſſet nimis magnus numerus cohortium; cum ab initio non fuerint niſi XIV. Eas tamen tenues fuiſſe.

HERCULEM SYLLANUM. Herculis ſtatuam a Cornelio Sylla ex reſponſo Euboico , ut ferunt , hoc in loco erectam.

HORTOS PALLANTIANOS. Pallas potentiſſimus libertorum Claudii Imperatoris omnium opulentiſſimus evaſit. Auctor fuit Claudiani Sen. Conſ. ut libera mulier, quæ alterius ſervo ſe conjunxiſſet, illi ſerviret, *C. de Claudia. Senat. Conſ. tol. §. ult. Inſtitut. de ſucceſſ. ſubla. Ob quod illi* , inquit Tacitus C
lib. 12. *prætoria inſignia, & centies quinquagies ſeſtertium cenſuit deſignatus Conſul Barea Soranus. Additum a Scipione Cornelio grates publice agendas , quod regibus Arcadiæ ortus veterrimam nobilitatem uſui publico poſtponeret, ſeque inter miniſtros principis haberi vellet. Aſſeveravit Claudius contentum honore Pallantem inter priorem paupertatem ſubſiſtere. Et fixum eſt ære publico Senatuſconſultum, quo libertinus ſeſtertii ter millies poſſeſſor antiquæ parſimoniæ laudibus cumulabatur*. Hæc Tacitus. efficit ſumma tres milliones auri, quos tenebat Pallas. Erant autem centum quinquaginta millia aureorum illius temporis ipſi decreta a Senatu, quorum 48. libram efficiebant, D
unde immenſas opes quæſivit. Plinius *lib.* 33. *c.* 10. *Multos* , inquit, *cognovimus ſervitute liberatos opulentiores, pariterque tres Claudii principatu, Pallantem, Calliſtum, & Narciſſum*. Demum Nero Pallantem veneno ſuſtulit , ut ejus divitiis potiretur. Tacitus *lib.* 14. *in fin. Libertorum*, inquit, *potentiſſimos veneno interfeciſſe creditum eſt. Doriphorum, quaſi adverſaretur nuptiis Poppeæ, Pallantem, quod immenſam pecuniam longa ſenecta detineret*. Id ſignificat & Tranquillus de Nerone loquens *cap.* 25. libertos divites olim adoptionis, mox & dominationis ſuæ fautores veneno partim cibis, partim potionibus indito intercepit. Inter alia vero Pallas hortos ſibi in E
hac regione comparaverat Pallantianos vocatos. Humatus fuit in via Tiburtina intra primum ab urbe lapidem. Plinius junior *lib.* 7. *epiſt.* 6. *Eſt*, inquit, *via Tiburtina intra primum lapidem , monumentum Pallantis ita inſcriptum*. Huic Senatus ob fidem, pietatemque erga patronos, ornamenta prætoria decrevit, & ſeſtertium centies quinquagies, cujus honore contentus fuit, quia ſcilicet decretam pecuniam non accepit. partem præfati Senat. Conſ. Plinius alibi recitat *lib.* 9. *epiſt.* 6.

AMPHITHEATRUM CASTRENSE. Plura a diverſis facta fuere amphitheatra. id forte fuit, quod inchoatum a Caligula juxta Septa Tranquillus ſcribit, ſepta F
caſtra intelligens, unde Caſtrenſe dici potuit: ſepta tamen proprie tabulata vocabantur, quibus ſeptus erat campus Martius. Potuit etiam id eſſe amphitheatrum, quod hortante Auguſto Statilius Taurus exſtruxit. Tranquill. *in Auguſto cap.* 29.

CAMPUM VIMINALEM ſub aggere , Addit Panvinius, *in quo erat ædicula Fortunæ parvæ, Viminalis collis & porta*, ait Feſtus, *appellantur, quod ibi viminum ſylva fuiſſe videtur, ubi eſt & ara Jovi Viminio conſecrata*. Idem & Varro; Aggerem, opinor, intelligit a Tarquinio Superbo factum , de quo ita Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. *Urbs clauditur ab oriente aggere Tarquinii Superbi, inter prima opere mirabili. Namque eum muris æquavit, qua maxime patebat aditu plano, is adhuc cernitur*.

MINERVAM MEDICAM. Hygeia ab Athenienſibus Minerva colebatur. De Medica nihil comperi, cujus ſimulacrum in hac regione ſitum erat. Forte a veſte ſericea, id eſt peplo, quo erat induta, Medica eſt vocata: veſtem enim ſericeam medicam dictam Cœlius Rhodiginus affirmat *c.* 1. *lib.* 16. *Lection. antiq.*

ISIDEM PATRICIAM. De Iſide ſupra in III. regione eſt dictum. Hæc Patricia dicta , vel quod præcipue a patribus coleretur, vel, quod verius puto, quia prope vicum patritium erat, de quo ita Martialis:

Sed domus in vico Lælia patricio.

Is erat in Exquiliis, ubi patricios Ser. Tullus habitare juſſit.

VICI XV. ſcilicet Sucuſanus. Urſi pileati. Minervæ. Ultrinus. Palloris. Sejus. Silvani. Capulatorum. Tragœdus. Unguentarius. Paullinus. Paſtoris. Caticarius. Veneris Placidæ. Junonis.

ÆDICULÆ quoque XV. quot erant vici. videlicet Sejæ. Veneris Placidæ. Caſtoris. Palloris. Silvani. Apollinis. Cloacinæ, Herculis. Mercurii. Martis. Lunæ. Serapidis. Veſtæ. Ceteris. Proſerpinæ. Harum plures vicis nomen dederunt.

VICOMAGISTRI quadraginta octo, ut in aliis regionibus. Rufus & Victor habent LX. ſcilicet quatuor Vicomagiſtros pro vico.

CURATORES II.

INSULÆ tria millia octingentæ quinquaginta. idem Rufus & Victor III. CIC. DCCCL.

DOMUS CLXXX. ut & Victor. Rufus CLXX. inter has erat domus Galli Aquilii Jureconſ. in colle Viminali, quam omnium conſenſu ea ætate pulcherrimam fuiſſe Plinius memorat *lib.* 17. *cap.* 1.

HORREA XXIII. ita & Victor. Rufus XXVII. vel, ut alii, C.

BALNEA LXXV. ſcilicet privata, ut apud Rufum & Victorem.

LACUS LXXIII. Rufus LXXIX. Victor CLXXIX.

PISTRINA XV. Rufus XXXII. Victor XXII.

Regio continet PEDES quindecim millia DC. plus tribus milliariis cum dimidio. Rufus & Victor legunt, *Regio in ambitu continet pedes* XV. *millia* DCCCCL. eſſet plus minus quatuor milliariis. iidem alia addunt templa, lucos, campos, & hujuſmodi, quæ hic omittuntur.

REGIO VI. ALTA SEMITA.

ALTA SEMITA. *Hæc regio a ſemita, quæ alte dorſum Quirinalem montis aſcendebat*, inquit Pomponius Lætus, *eſt appellata*. Continet autem

TEMPLUM SALUTIS & SERAPIS. Saluti templum C. Junius Bubulcus in bello adverſus Samnites vovit. *Cenſor in colle Quirinali*, ait Victor, *faciendam locavit. Dictator dedicavit*, ut Livius *lib.* 9. tradit. Ab hujus ædis vicinitate Salutaris porta nomen Romæ habuit. Rufus & Victor ædem Salutis a Serapi ſeparant, de qua ſupra latius in III. regione eſt dictum.

TEMPLUM FLORÆ. Apud Victorem additur & *Circus*. Floralia. Lactantius *lib.* 1. *divin. inſt. cap.* 20. de hac ita ſcribit: *Flora cum magnas opes ex arte meretricia quæſiviſſet, populum Romanum ſcripſit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant Floralia, quod quia Senatui flagitioſum videbatur, ab ipſo nomine argumentum ſu-*

mi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur. Deam finxerunt esse, quæ floribus præesset, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus aut vitibus bene prospereque florescerent, eum colorem secutus in Fastis Poeta non ignobilem Nympham narrravit, quæ Chloris vocitata, eamque Zephyro nuptam, quasi dotis loco id accepisse muneris a marito, ut haberet omnium florum potestatem. Hæc Lactantius. Floræ templum Lucius & Marcus Publicii Ædiles constituerunt, quod vetustate consumptum Augustus instauravit, Tiberiusque dedicavit, de quo loquens Tacitus *lib.* 2. ita scribit, *Iisdem temporibus Deum ædes vetustate aut igne abolitas, cœptasque ab Augusto dedicavit Libero, Liberæque, & Cereri juxta Circum maximum, quas Aulus Posthumius Dictator voverat: eodemque in loco ædem Floræ ab Lucio & Marco Publiciis Ædilibus constitutam.* Hæc ille. Floræ IV. Kal. Majas ludos Floralia dictos celebrabant, in quibus omnes nequitiæ cum nudis mulieribus peragebantur. *Hos M. Portio Catone spectante populus erubuit postulare, ut mimæ nudarentur, quod cum ex Favonio amicissimo una sedente cognovisset, e theatro discessit, ne præsentia sua spectaculum impediret*, ut Valerius refert *lib.*2. *cap.* 10. Scribit Porphyrion Ædiles in Floralibus cicer & fabam spargere solitos. De obscenitate horum ludorum D. Augustinus *lib.* 2. *de civitate Dei c.*26. & Ovidius *in Fastis lib.*4. & Lactantius *in* 1. Addit Victor hic Circum fuisse, qui fuit Caii, & Neronis, tertiumque habebat obeliscum, ut Plinius narrat *lib.*34. *c.*11. erant autem Romæ tres Circi: hic, de quo loquimur, Flaminius in IX. regione, & Maximus in XI. ubi de Circis dicetur.

CAPITOLIUM ANTIQUUM. In Capitolio a Tarquinio Prisco templum Jovi est inchoatum, & a Superbo perfectum, ut Dionysius, Livius, Plutarchusque referunt: *Capitolium*, inquit Varro, *est dictum, quod hic dum fundamenta foderentur ædis Jovis, caput hominis inventum dicitur. Hic mons ante Tarpejus dictus, a virgine Vestali Tarpeja, quæ ibi a Sabinis necata armis, & sepulta.* Hæc Varro. Antea vero *Saturnius* vocabatur, ut *lib.*2. Dionysius memorat. Quod autem ibi caput inventum, eam arcem Imperii rerumque caput fore interpretatum est. Arnobius caput illud Toli Vulcentomi fuisse scribit *lib.*6. qui a Germani servulo occisus, ibi sepultus fuit. In eo colle locus asyli, & Tarpeja rupes erat, ad quam centum gradibus ascendebatur. Dion. *lib.*43. Aureum Virgilius appellat *in* 8.

Hinc ad Tarpejam Sedem & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.

Ter flagravit; primum bello civili, Scipione & C. Norbano Coss. Sylla restituit, & Luctatius Catulus dedicavit: iterum arsit, Vitellianis contra Sabinum Vespasiani Imp. fratrem pugnantibus, ut *lib.*19. auctores sunt Tacitus, & Plinius *lib.*53. *cap.*13. & *lib.* 34. *cap.*7. & Tranquillus *in Vitellio*. Tertio Vespasiano extincto, quod a Domitiano instauraratum fuit. Sed hoc puto esse Capitolium infra in 8. regione situm, quod unum erat ex VII. spectaculis urbis.

Antiquum vero hoc Capitolium vocatur ad differentiam alterius, *quia*, ait, Pomponius Lætus, *hic etiam fuit templum Jovis, quod templo Capitolino erat antiquius, & erat pars collis Quirinalis.* Victor hoc omittit. Rufus *vetus* appellat. Varro *lib.*4. *de Lingua Latina* probat *vetus* appellari, *quod ibi sacellum Jovis, Junonis, Minervæ, & id antiquius æde, quæ in Capitolio est facta.* Tertullianus *de spectaculis* omnium Deorum templum fuisse asserit: *Capitolium*, inquit, *omnium dæmonum templum est, in eoque jura civilia, & artes liberales docebantur*, *l.ultim. C.Theod. de stud. liberal.urb. Rom. & Constant.*

A STATUAM MAMURII PLUMBEAM. Mamurius fuit faber insignis, qui Numæ Pompilio II. Romanorum regi ancilia fabricavit illi simillima, quod e cœlo delapsum ferebant, ne agnitum furto auferri posset, ut *in* 2. *Romanar. Antiquit.* Dionysius & Livius memorant. Ovidius *lib.*3. *Fastorum*,

Mamurius morum fabræne exactior artis,
Difficile est illud dicere, clausit opus.

Et Propertius *lib.* 4. *Eleg.* 2. In *Actis D. Susannæ* recitatis a Cæsare Baronio *in Annalibus* anno 295. fit mentio vici Mamurii. *Facta*, inquit, *hæc sunt* B *in* VI. *regione apud vicum Mamurii ante forum Sallustii.* Mamurio eximio artifici ob memoriam plumbea statua erecta fuit, quæ vico numen dedit.

ÆDEM QUIRINI. Tacitus Sabinorum rex a Romulo in urbem receptus *Capitolium, & Quirinalem collem occupavit*, ait Dionysius *lib.*1. Soli, Lunæ, Saturno, & Quirino, aliisque diis templa condidit. Quirinum autem alii Martem esse volunt, *Is cum sævit, Gradivus, cum tranquillus est, Quirinus dicitur*, ut ait Servius, *in* 1. *Æneid. in carmine*,

——— Remo cum fratre Quirinus
Jura dabant ———

C *unde*, inquit, *duo habet templa, unum in urbe, quod Quirini est, aliud extra urbem in Appia via, prope portam, quasi Bellatoris & Gradivi.* Alii volunt Romulum a quiri, id est, hasta, quam gestabat, dictum, alii a Curibus, id est, Sabinis, quos domuit. Is extinctus, postquam Proculus asseruit se illum in cœlum euntem vidisse, Deus putatus est: Livius *in* 1. exstruxit & Augustus ædem Quirino LXXVI. columnis ornatam, ut refert Dion. *lib.* 45. de qua hic potest intelligi, id Dorica structura fuisse Vitruvius scribit.

MALUM PUNICUM. Non arborem, sed pomum D significat, ex ære aut marmore, ut puto, effictum, *ad quod* (subdit Victor) *Domitianus DD. id est, domum dedicavit.* Templum Minervæ Flavianæ, alias templum gentis Flaviæ, & erat domus, in qua ipse natus fuerat. Tranquillus *in Domitiano cap.* 1. *Domitianus*, inquit, *natus est* IX. *Kal. Novembris, patre Cos. designato, inituroque mense Septembri honorem, regione urbis* VI. *ad malum punicum domo, quam postea in templum gentis Flaviæ convertit.* Hic ergo erat vicus ad malum punicum dictus. Alii volunt ab arbore mali punici, quæ illic speciosa succreverat, nomen habuisse.

HORTOS SALLUSTIANOS. A.C. Crispo Sallustio E historiarum scriptore hi comparati excultique esse creduntur, qui cum universum fere patrimonium profudisset, ac domum paternam vendidisset, ut ab adulterii crimine de quo accusatus erat, se redimeret, Gell. *lib.*17. *c.* 18. Raph. Volaterr. a C. Julio Cæsare Numidiæ est præfectus, ex cujus expilatione ditissimus factus, hortos amœnissimos sub Quirinali intra pomœrium ad Collinam portam, prope malum punicum, & Tiburti villam emit, quam adeo diligenter excoluit, ut in deliciis horti Sallustiani semper sint habiti, & primum ab Augusto, Nerone, aliisque Principibus pro re amœna fuerint F possessi. Tacitus *lib.*13. loquens de Nerone, *Regredienti*, inquit, *per Flaminiam, compositas insidias fato evitavit, quoniam diverso itinere Sallustianos in hortos remeaverit.* Plinus *lib.*7. *c.*6. & Dion *lib.* 43. scribunt, imperante Augusto, in hortis Sallustianis Pusionis & Secundillæ immania cadavera decem pedum & trium unciarum pro miraculo condita fuisse. Vopiscus etiam auctor est Aurelianum in hortis Sallustianis & Domitiæ libenter vixisse, & in illis porticum miliarensem exornasse. Ulpianus *in l. apud Julianum §. pen. de legat.* 1. *Si Sallustianos*, inquit, *hortos, qui sunt Augusti, legaverit*

quis, furiosi est talia legata testamento adscribere. Addunt his Rufus & Victor *templum Veneris in hortulis Sallustianis*. In Pandectis Flor. horti cum aspiratione scribuntur.

GENTEM FLAVIAM. In Rufi & Victoris codicibus deest, sed hujus loco habet Victor, *Templum Minervæ Flavianæ*. Alias templum gentis Flaviæ, quæ erat domus ejus. Nec aliud hic significari arbitror, etsi fieri potest, ut adhuc hanc regionem gens Flavia incoleret. De hoc templo ita Tranquillus *in Domitiano cap.* 5. *Excitavit & templum Flaviæ genti, ex qua ipse ortus erat*. De hoc sensit Martialis, cum dixit:

Addita quid Latio Flavia templa foro.

Voluit intelligere gentem Flaviam inter deos relatam. Hæc orta est ex T. Flav. Petronio municipe Reatino, in Sabinis centurione, mox argentario & publicano in Asia, ex quo genitus est Sabinus pater Vespasiani Imperat. quemadmodum Tranquillus memorat *in Vespasiano c.*1.

THERMAS DIOCLETIANAS & CONSTANTINIANAS. Has Victor dividit. Rufus vero legit, *Thermæ Diocletianæ & Maximianæ*: quam lectionem castigatiorem puto, etsi *Constantinianæ*, vel rectius *Constantiæ* dici possunt, quas Constantius postea exornavit. Has in honorem Diocletiani Maximianus ex Africa reversus ædificavit ann. salutis 298. & alias sibi Carthagine in Africa: cum enim defessus esset in Christianis militibus occidendis, eos ad hoc opus faciendum damnavit, in quod totum septennium consumpsit, ut *in Actis* D. Marcelli a Surio 26. Septemb. & Baronio *in Annalibus an.* 298. recitatis liquet, quæ ita se habent: *Tempore illo, quo Maximianus ex Africæ partibus rediit Romam, volens placere Diocletiano Augusto, ut in nomine ejus thermas ædificaret, cœpit ob invidiam Christianorum omnes milites, sive Romanos, sive alterius generis, ad afflictionem laboris compellere, & per varia loca alios ad lapides, alios ad arenam fodiendam damnare*. Eusebius *in Chronicis*: *Hoc anno*, inquit, xv. *Imperii Diocletiani, thermæ Diocletiani Romæ factæ & Maximiani Carthagine*. Has postmodum Constantius pater Magni Constantini & Collegæ Imperii dedicarunt, ut sequens docet inscriptio. Panvinius *in Fast.* CONSTANTIVS ET MAXIMIANVS INVICTI AVGG. SEVERVS ET MAXIMINVS CÆS. THERMAS ORNAVER. ET ROMANIS SVIS DEDICAVER. & ob id *Constantianæ* non *Constantinianæ* hæ thermæ sunt appellatæ. Erant tamen & Constantini thermæ Romæ, quarum Ammianus *lib.*27. meminit. Quia vero Diocletianæ thermæ Sanctorum manibus sunt extructæ, aliis omnibus eversis, harum muri adhuc conservantur, & in ecclesiam S. Mariæ & Angelorum sunt conversæ, inquit Baron.

DECEM TABERNAS. Ita & Victor. Rufus legit, *Tres tabernas*. Hunc locum esse puto, quem Martianus *regionem taberniolam* vocatam esse asserit, & Varro *viam taberniolarum* appellat. Martianus vero *lib.* 4. *cap.* 20. *topograph. urb.* ex inscriptione marmoris effossi x. tabernas in valle D. Agathæ fuisse affirmat.

GALLINAS ALBAS. Hujus denominationis causam Tranquillus & Plinius referunt; ille *in Serv. Galba cap.*1. ita scribit: *Liviæ olim post Augusti statim nuptias Vejentanium suum revisenti prætervolans aquila gallinam albam ramillum lauri rostro tenentem, ita ut rapuerat, dimisit in gremium. Cumque nutriri alitem, pangi ramulum placuisset, pullorum soboles provenit, ut hodie quoque ea villa ad gallinas vocetur. Tale vero lauretum ut triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent. Fuitque mos triumphantibus alias confestim eodem loco plangere, & observatum est sub cujusque obitum arborem ab ipso institutam clanguisse. Ergo novissimo Neronis anno & sylva omnis exaruit radicibus, & quicquid ibi gallinarum erat, interiit, ac subinde tacta de cœlo Cæsarum æde, capita omnibus statuis simul deciderunt*. Plinius & ipse eandem historiam hoc modo narrat: *Liviæ Drusillæ, quæ postea Augusta matrimonii nomen accepit, cum pacta esset illa Cæsari gallinam conspicui candoris, sedenti aquila ex alto abjecit in gremium illæsam, intrepideque miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramum onustum suis baccis; conservari alitem & sobolem jussere aruspices, ramumque eum seri, ac rite custodiri, quod factum est in villa Cæsarum fluvio Tiberi imposita juxta nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur ad gallinas, mireque sylva provenit. Ex ea triumphans postea Cæsar laurum manu tenuit, coronamque in capite gessit, ac deinde Imperatores Cæsares cuncti, traditusque mos est ramos, quos tenuerunt, serendi, & durant sylvæ nominibus suis discretæ*. Hæc ille. Cujus verba apposui, ut eadem historia a duobus viris illustribus explicata clarius innotesceret. Legunt autem Rufus & Victor, *Ad gallinas albas*, ut hanc villam vocari Tranquillus & Plinius referunt, quæ sub hac VI. regione videtur contineri.

AREAM CANDIDI. Forte Julius Vespronius Candidus intelligitur, qui iterum sub Trajano, & tertium sub Hadriano Cos. fuit, quem Plinius *ad Ursum Epist.* 20. *lib.*5. scribit dicere solitum, aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam, illa vix uni aut alteri contingit. Ad eum magistratu fungentem Pius scripsit *in l.*7.§.1. *de accus.* Alii Candido, Carus, Carinus, Numerianusque Impp. *l.* 4. *C. de delator.* ac Diocletianus, Maximinusque, *l. eos* 5. *C. de testibus* scribunt, quem tum magistratu aliquo functum fuisse puto. Flavii quoque Candidi meminit Paulus *in l.si ita stipulatus* 126. §. Chrysogonus *de verborum obligat.* item legitur Candidus magister militum Zenonis Imperat. cognatus Asparis. Sed de quo hic intelligatur, non facile est discernere. Ante ejus ædes area hic pro insigni ponitur. Victor & Rufus habent, *aream Callidii*, a quo etiam vicus Callidius in hac regione est denominatus: sed ejus nullibi mentionem fieri invenio.

COHORTES III. VIGILUM.

VICOS XVII. Rufus & Victor XII. nempe *Album, Publicum, Floræ, Quirini, Flavii, Mamurii, Fortunatum, Paccium, Tiburtinum, Salutis, Callidianum, Maximum*.

ÆDICULAS XVII. quot hic ponuntur vici. Rufus XVI. nominat, scilicet *Fortunæ Parvæ, Genii Liberorum, Genii Larum, Dianæ Valerianæ, Junonis, Juliæ, Spei, Sangi, Silvani, Veneris, Herculis, Victoriæ, Matutæ, Liberi Patris, Saturni, Jovis, Minervæ*.

VICOMAGISTROS XVIII. Legendum XLVIII. ut in aliis regionibus, & habet Rufus. Victor legit LXVI. ut puto, mendose.

CURATORES II. ut alii.

INSULAS tria millia quadringentas tres. Rufus III. CIↃ. DV. Victor III. CIↃ. DC.

DOMUS centum quadringentæ sex. Rufus CXLV.

HORREA XVII. Rufus & Victor XIX.

BALNEA LXXV. Ita & Victor. Rufus, *Balneæ privatæ*. LXV.

LACUS LXXIII. Rufus LXXVI. Victor LXXVIII.

PISTRINA XVI. Rufus XXIII. Victor XXI. Alia addunt Rufus & Victor hic omissa, ut domum Aquilii Jureconsulti.

Regio continet PEDES quindecim millia DCC. Rufus & Victor, *Regio continet in circuitu pedes* XV. *millia* DC. Excedunt tria milliaria.

REGIO VII. VIA LATA.

A VIA, quæ lata mediam regionem ſecabat, nomen habuit; continet autem

LACUM GANYMEDIS. A ſimulacro Ganymedis hic lacus nomen habuit: id forte, quod e Butthireo Lycio Myronis diſcipulo factum Plinius deſcribit *lib.* 34. *c.* 8. ſcilicet, aquilam ſentientem quid rapiat in Ganymede, & quid ferat, parcentem unguibus etiam per veſtem. Prope lacum eſt *vicus Ganymedis* apud Rufum.

COHORTES VII. VIGILUM. Addit Victor *primanarum*.

ARCUM NOVUM. Forte Conſtantini arcum intelligit, poſt quem non multo poſt hanc deſcriptionem urbis factam puto. Is erat in ſtagnis Neronianis cum hac inſcriptione: IMPERATORI CÆSARI FLAVIO CONSTANTINO MAXIMO PVBLII FILIO AVGVSTO S.P.Q.R. Quod inſtinctu mentis divinitatis magnitudine cum exercitu ſuo tam de tyranno, quam de omni factione uno tempore juſtis Remp. ultus eſt armis, arcum trimphis inſignem dicavit.

NYMPÆUM IOVIS. De Nymphæo ſupra in v. regione: hoc Jovis ab ejus ſimulachro ſigno prope poſito dictum puto.

ÆDICULAM CAPRARIAM. A qua etiam *vicus caprarius* in hac regione a caprio denominatus.

CAMPUM AGRIPPÆ. Campus ab area amplitudine differt, ut campus Martius. Suum campum Agrippa ad ambulandum lapide ſtravit: *Plura enim*, inquit Tranquillus *in Auguſto cap.* 29. *& egregia Romæ fecit*. Hunc campum, Agrippa defuncto, Auguſtus ac diribitorium ab eo cœptum fabricari perfecit, & dedicavit, ac publicum fecit, quem poſtea Pola Agrippæ ſoror porticibus exornavit, ut tradit Dion. *lib.* 55.

TEMPLUM SOLIS, & CASTRA. Rufus hæc divìdit, & caſtra geminat, ſcilicet *Gentiana*, & *Gyptiana*, Victor, *Gentiana*, & *Gypſiana* pro iiſdem ponit. Sunt autem caſtra, in quibus Lollianus Gentianus Conſularis, *ideſt*, *exercitibus Præfectus*, milites continebat. Aſiam Proprætor rexit, deinde ſub Pertinace Conſularis, *l.* 2. *§.* 1. *de iis qui not. infam.* ideſt univerſo exercitui præfuit, ut Capitolinus *in Pertinace*, & marmoris ſequens inſcriptio indicat, C. EPIDIO L. F. POL. RVFO LOLLIAN. GENTIANO AVGVRI COS. PROCOS. PROV. ASIÆ LEG. LEG. PR. PR. PROV. LVGDVNENSIS. COMITI IMP. SEVERI ET ANTONINI AVGG. LEG. LEG. XX. Vicus Gentianus ab eodem in hac regione eſt denominatus.

PORTICUM GYPSIANI, & CONSTANTINI. Apud Rufum & Victorem deeſt *Gyptiani*, cujus nullibi invenio mentionem fieri, ſicut nec Conſtantini porticus. Blondus *lib.* 5. *Romæ inſtauratæ* ſcribit in Exquiliis, ubi nunc equi marmorei Praxitelis & Phidiæ opera viſuntur, thermas fuiſſe Conſtantini. *Extant vero*, inquit, *in porticu equis illis contigua ſtatuæ quatuor marmoreæ pedeſtres, quarum baſibus Conſtantini nomen inſcriptum eſt*. Ego illam potius porticum, quam thermas fuiſſe arbitror.

TEMPLA DUO NOVA SPEI & FORTUNÆ. Hæc Rufus & Victor dividunt. M. Cicero *de Legibus* ædem Spei a Collatino Romæ dedicatam fuiſſe ſcribit. Sed aliud Spei templum Attilius Regulus in bello contra Pœnos vovit, ut auctor eſt Tacitus *lib.* 2. *Spei*, inquit, *ædes a Germanico ſacratur. Hanc Attilius voverat eodem bello Punico*. Hoc templum in foro olitorio Livius locat *lib.* 1. *decade* 3. dum ait *ædem Spei*, *quæ in foro olitorio fuit*, *fulmine ictam fuiſſe*: idem *lib.* 4. Q. Fabio Coſ. Fil. & T. Sempronio Gracco Coſ. incendio conflagraſſe ſcribit.

A Fortunæ vero plura Romæ templa fuere erecta, duo Ser. Tullo rege, ut auctor eſt Dionyſius, alterum Bonæ Fortunæ in foro boario, ob perpetuum ejus favorem, alterum Fortunæ Virili in ripa Tiberis, cui cum virgines thure ſacrificaſſent, ſi quod vitium in corpore habuiſſent, illud futurum virum ignoraturum credebant. Blond. *lib.* 1. *Romæ triumphantis*, *in fine*. Hanc Fortunam Maſculam Tullus vocavit, illam Parvam & Brevem, ut ſignificaret ſe ejus ope ex parvo & humili ad regnum provectum, ut Plutarchus refert *in Problemate Roman.* 74. omnia enim hic rex Fortunæ adſcribebat, cum qua conſuetudinem ſe habere affirmabat, ipſamque ad ſe in
B cubiculum per feneſtram delabi ſolitam, ut auctor eſt Plutarchus *in libro de Fortuna Romanorum*, ubi plura ab hoc rege templa condita fuiſſe ſcribit: unum in Capitolio Fortunæ Primigeniæ, aliud Indulgentis ſeu Obſequentis, & Clementis. Tertium fuit in palatio Idiæ, id eſt Privatæ Fortunæ delubrum, item Ixeutriæ ſeu tenaciter attrahentis: aliud ad fontem muſcoſum Partheniæ, ideſt, virginis, item in magno angiportu Euelpidis ſeu bonæ Spei, item ad Veneris Maſculæ aliam Fortunæ ædiculam, quorum bonam partem Servius Tullus conſecravit. Denique aliud Fortunæ Muliebris tem-
C plum Senatus dicavit, cum mater Martii Coriolani precibus ab eo obtinuiſſet, ut obſeſſam patriam diſcedens liberaret, ut late hanc hiſtoriam *in Coriolano* Plutarchus, Liviuſque *lib.* 2. recitant. Sed Plutarchus *in libro de Fortuna Roman.* Virilis Fortunæ fanum Anco Martio quarto Romæ regi adſcribit. Fuere & alia Fortunæ ſub diverſis cognominibus templa erecta, ut Equeſtri Fortunæ a Q. Fulvio dedicatæ, quemadmodum Livius eſt auctor *lib.* 4. & 5. quæ ad rem noſtram non faciunt. Aliud in curia Hoſtilia bonæ Fortunæ templum a M. Lepido in gratiam Julii Cæſaris conditum Dion ſcribit *lib.* 44. *poſt princ.* Ego hic de duobus templis no-
D vis Spei & Fortunæ intelligi puto, quæ antiquitus non erant, & Fortunam Euelpidem referebant, & ob id unum Spei & Fortunæ templum nominatur. Addit Panvinius cum porticu a Lucullo conditam, in qua erat ſtatua Minervæ facta a Phidia, poſita a Paulo Æmilio. Fecit & Nero templum Fortunæ, de quo Tranquillus, & Plinius *lib.* 36. *cap.* 22. quæ ad rem non facit.

EQUUM TIRIDATIS regis Armeniorum. Rufus & Victor habent *equum æneum Tiridatis*: is Vologeſi Parthorum regis frater fuit, ut Tacitus *lib.* 12. refert, qui cum Corbulone copiarum Romanarum
E præfecto pacem iniit, ut ipſe Armeniæ regnum teneret hac conditione, ut diadema apud ſtatuam Neronis deponeret, nec niſi ejus manu reſumeret. Quare Romam ad accipiendum cum tribus millibus Parthorum uſque in Italiam equo vectus venit, galeam auream pro tegumento geſtans, inde curribus a Nerone miſſis vectus eſt, qui *in eum*, *quod vix credibile videatur*, inquit Tranquillus *cap.* 29. *octingenta nummum millia diurna erogavit*, ideſt, octo millia aureorum illius temporis, quæ eſſent plus minus decem millibus noſtrorum aureorum, idque novem menſibus, quibus iter fecit, hoc actum eſt. *Nero Pompeii theatrum operuit auro in*
F *unum diem*, ait Plinius *lib.* 33. *cap.* 3. *quo Tiridati regi Armeniæ oſtenderet*, eique diadema impoſuit, late Tacitus *lib.* 13. Dionque in *Nerone* hanc hiſtoriam recitant, Tranquillus *in Nerone cap.* 13. adduntque abeunti ſuper ſeſtertium millies contuliſſe, quæ fuit ſumma vicies centum millia aureorum illius ſæculi: excedit quatuor, ut vocant, milliones aureorum noſtrorum. Tiridatis equus ob facti memoriam æneus Romæ factus in hac regione eſt locatus.

FORUM SUARIUM, ubi ſues vendebantur: ſicut & forum boarium, ubi bos æreus erat. Plinius *lib.*

34. *cap.*2. & forte boves vendebantur. Huic foro præerat Tribunus, curans, ne quid inordinate in eo fieret, & Præfecto, ubi eum paruisse Notitia utriusque Rom. Imperii indicat. De hoc sequentem inscriptionem Panvinius recitat. DOMINO NOSTRO FL. CLAVDIO CONSTANTINO FORTISSIMO AC BEATISSIMO CÆSARI FL. VRSACIVS V.P. *vir perfectissimus* TRIBVNVS COHORTIVM VRBANARVM X. XI. XII. ET FORI SVARII.

HORTOS LARGIANOS. Ex hac lectione emendandi sunt Rufus & Victor, qui habent *Argianos*. Tres insignes Largos fuisse invenio: T. Largum Dictatorem, qui templum Saturni in foro dedicavit, ut Macrobius *lib.* I. *Saturnal. c.*8. tradit: Valerium Largum, qui apud Augustum Ælium Cornelium Gallum poetam, & Virgilii carmine conspicuum, & Ægypto Præfectum accusavit, quod in eum contumeliosus esset. Quare is magistratu & bonis exutus, ac exulare jussus, se ipsum interfecit, cui in præfectura Largus successit, ut Dion *lib.*53. memorat. Hic Largiani S.C. auctor fuisse creditur, *§.ult. Instit. de success. libert.* Idem forte & hortos instruxit. Alius fuit Licinius Largianus Hispaniæ citerioris præses, cui tuber mordenti denarium dentibus infixum Plinius scribit *lib.*19. *c.*22. Orator fuit, & primus auditores corrogavit, qui se dicentem plausu exciperent, ut Plinius *lib.*2. *epist.*14. scribit. Alii post eum laudatores nummis conduxerunt. Alius fuit Latinus Largus, qui sæpe Julium Paulum Jureconsultum consulit, *l.*56. *de ædil. edict. l.*83. *§.ult. de legat.*2. *l.pen. § ult. de except. rei judic.* sicut Largus Euripp
ianus Scævolam, *l.*21. *§.*4. *de ann. legat.* sed hos ut obscuriores hortorum nostrorum auctores fuisse non puto.

MANSVETAS. Rufus habet, *Vicum Mansuetum*. Victor, *Ad Mansuetas*, quod est idem, unde hic deest præpositio, *Ad Mansuetas*: *Mansuetum*, inquit Festus, *dicitur quasi ad manum venire suetum*. Alii ajunt, neque ex misericordia mœstum, neque ex crudelitate sævum, sed modestia temperatum.

LAPIDEM PERTVSVM. Marc. Varro *lib.*4 *de Lingua Latina* scribit Dii Fidii perforatum fuisse tectum, ut videatur divum, id est, cœlum. Hic forte fuit hujusmodi lapis, vel alius ad alium usum pertusus.

Vicus XV. Victor X. Rufus XL. videlicet *Ganymedis*, *Gordiani*, *Minorem*, *Novum*, *Caprarium*, *Solis*, *Gentianum*, *Sangi*, alias *Sanci*, *Herbarium*, *Mansuetum*, *Sigillarium minorem*, ubi sigilla, id est, *parvæ statuæ* vendebantur, Gellius *lib.* 5. *cap.* 4. *Solatarium Fortunæ*, *Spei majoris*, *Novum ulteriorem*, *Libertorum*, *Publii*, *Novum citeriorem*, *Statuæ Veneris*, *Alchemorium*, alias *Archemonium*, *Æmilianum*, *Piscarium*, *Cœlatum*, *Victoriæ*, *Vicinum*, *Græcum*, *Lanarium ulteriorem*, *Romanæ*, *Caput Minervæ*, *Trojanum*, *Peregrinum*, *Castum*, *Minorem*, *Puteolum*, *Scipionis*, *Junonis*, *Sellarium*, *Isidis*, *Tabellarium*, *Mancinum*, *Lotarium*.

ÆDICVLAS XV. quot erant vici.

VICOMAGISTROS XLVIII. quot erant in aliis regionibus.

CVRATORES II.

INSVLÆ tria millia octingentæ quinque. Rufus & Victor III. millia CCCLXXXV.

DOMVS CXX.

HORREA XXV.

BALNEA LXXV.

LACVS LXXVI.

PISTRINA XV. Rufus XXVII. Victor XVI.

Regio continet PEDES XV. millia septingentos, sunt plus tribus milliariis Italicis. Rufus, & Victor XIII. *millia* DCC. Alia addunt Rufus, & Victor quæ hic omittuntur.

REGIO VIII. FORVM ROMANVM & MAGNVM.

A FORO magno denominatur hæc regio: hæc planicies erat Capitolio subjecta, a Tatio Sabinorum rege & Romulo complanata. Dion. *lib.*2. *Iidem*, inquit, *planiciem Capitolio subjectam excisa sylva & stagno, quod propter loci cavitatem erat aquarum e vicinis montibus manantium receptaculum, terra congesta repleto, in hujus, quod nunc est, fori usum verterunt: ubi magna hominum frequentia negociabatur, circa Vulcani templum paulum supra forum eminens*. Postea Tarquinius Priscus forum porticibus circundedit, ac tabernas argentarias circum disposuit, Livius *lib.* I. de eo loquens, *Ab eodem rege*, inquit, *circa forum privatis ædificanda divisa sunt loca, porticus tarbenæque factæ*. Vitruvius *lib.*5. *c.*1. describens forum, ait, *Circa in porticibus argentariæ tabernæ, mænianæque superioribus coaxationibus collocantur*. Quare Ulpianus scribit *in l Fulcinius §. illud ex quib. caus. in poss. eat.* debitores venientibus creditoribus in foro circa columnas aut stationes solitos fuisse occultari. Tabernas in foro fuisse etiam Quintilianus affirmat. id fuit forum præcipuum Romæ. Aliud fecit C. Julius Cæsar cæteris pulchrius, quod *magnum* est dictum, ut auctor est Dion *lib.* 43. de quo infra. Continet hæc regio

ROSTRA. Id erat templum in foro curiæ junctum, quod postea alio translatum fuisse Asconius scribit *in Verrem.* Livius *lib.*8. *Rostra*, inquit, *dictum est templum seu forum ante curiam Hostiliam, in qua erat pulpitum ornatum ex rostris navium Antiatium, ex quo loco concionari solebant*. id & Varro *lib.*5. *de Lingua Latina* narrat. Plinius *lib.*34. *cap.*5. scribit C. Menium Cos. in suggestu rostra devictis Antiatibus fixisse anno urbis CCCCXVI. idem *lib.* 16. *cap.*4. *Antea*, ait, *rostra navium tribunali præfixa foro decus erant, veluti populo Rom. corona imposita. Postquam vero Tribunitiis seditionibus calcari ac pollui cœpere, postquam vires ex publico in privatum magis, singulisque civium quæri, & sacrosancta omnia profana facere, tum a pedibus eorum subiere in capita civium rostra*. Hæc ille. significat rostra navium, quæ stabant, a pedibus concionantium in capita civium transisse ob rostratas coronas, quæ capitibus imponuntur. Apud Rufum & Victorem legitur, *Rostra populi Romani* II. quia, ut dixi, duo fuere.

GENIVM POPVLI ROMANI AVREVM, & EQVVM CONSTANTINI. Cuique loco Genium attributum esse veteres existimabant. Virgilius *in* 3.

> *Incertus Geniumque loci, famulumve parentis*
> *Esse putet*.

Nos Angelum oppidorum custodem & tutelarem vocamus: ita & populum Romanum suum habuisse Genium dicebant: de quo late Plutarchus *in Fortuna populi Romani*. Is in Trajani Hadrianique nummis viri imagine cernitur dextra pateram supra aram sertis ornatam porrigere, læva vero velut flagellum manu quatit. In aliis Hadriani numismatis vir habitu militari cum veste ad crucis medium circumvoluta, dextera pateram ritu sacrificantis tenet, læva cornu copiæ cum hac inscriptione: GEN. P.R. id est, *Genius populi Romani*, qui in foro aureus erat positus. Genio additus erat equus æneus vel marmoreus Constantini, qui a Rufo & Victore omittitur.

SENATVLVM. Legendum Senaculum. Rufus & Victor, *Senaculum aureum*. Locus erat, in quo Senatus habebatur. *Tria*, inquit, Festus, *erant* Ro-

Romæ Senacula, in quibus Senatus haberi solitus erat. Unum, ubi nunc est ædes Concordiæ, inter Capitolinum & forum, in quo solebant magistratus de R. P. cum senatoribus deliberare. Alterum ad portam Capenam. Tertium circa ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere nolebant, Senatus dabatur. De primo hic intelligitur. Varro quoque *lib.5. de Lingua Latina*, quid sit Senaculum, declarat.

ATRIUM MINERVÆ. Atrium differt ab area, quod hæc porticibus caret. Atrium vero est porticus circundans aream templi ante portas, quale est Romæ ante templum D. Petri. Græci *aulam* appellant. Virg. III. *Æneid.*

Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Unde recte Festus, *Atrium*, inquit, *est genus ædificii ante ædes continens mediam aream*, quæ sæpe peristylio & porticibus circundabatur; sic Asinius Pollio, ait Tranquillus *in Augusto c.*29. fecit atrium Libertatis, id est aream porticibus circundatam ante ædem. Forte intelligit Minervam a Q. Catulo infra Capitolium dicatam, de qua Plinius *lib.*34. *c.*8. *Euphranoris*, inquit, *est Minerva Romæ, quæ dicitur Catuleana, infra Capitolium a Q. Luctatio Catulo dicata.*

FORUM CÆSARIS AUGUSTI. Tam Rufus quam Victor duo fora statuunt, alterum *Cæsaris*, alterum *Augusti*; cui addit Victor, *cum æde Martis ultoris*, & recte. *Forum*, inquit Festus, *pluribus modis intelligitur, primo negotiationis locus, ut forum Flaminium, forum Julium, ab eorum nominibus, qui ea fora constituenda curarunt. Alio, in quo judicia fieri, cum populo agi, conciones haberi solent.* Hactenus Festus. hæc fora uterque tam Cæsar quam Augustus ad judicia exercenda instituit. De foro Cæsaris ita Appian. *lib.*2. *de Bellis Civilibus: Erexit & Veneri genitrici templum, ut voverat, ad Pharsalicum bellum iturus: atrium quoque templo circunduxit, quod Romanum forum esse voluit, non rerum quidem venalium, sed eorum, qui ad jura simul convenirent, quemadmodum peras aut quærentibus, aut explicantibus jura cernuntur.* Hæc Appianus, qui hujus fori formam graphice describit. Area enim circa templum relicta, porticibus eam circundedit, & illud fuit atrium & forum, quod prius Cæsar ob ludos, deinde Marcellus Octavia Augusti sorore genitus sine ludis velis inumbravit, ut salubrius litigantes consisterent, ut auctor est Plinius *lib.*13. *c.*1. idem *lib.*36. *cap.*15. scribit solum ejusdem fori sestertiis MCC. emptum fuisse. Auctor est Dion *lib.* 45. hoc forum pulchrius Cæsaris Romæ fuisse, & magnum appellatum, cui Cæsar Veneris templum adjunxit, tamque ab ea originem traheret. Suum quoque forum Augustus ob judicia criminalia exercenda instituit. Tranquillus *in Augusto cap.*29. *Publica*, inquit, *opera plurima extruxit, ex quibus præcipua, forum cum æde Martis ultoris. Fori extruendi causa fuit hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere. Itaque festinantius, nec dum perfecta Martis æde, publicatum est, cautumque, ut separatim in eo publica judicia & sortitiones judicum fierent.* Hæc ille. In hoc foro Augustus statuas summorum virorum marmore additis gestis collocavit, ut auctor est *in Alexandro* Lampridius. Ædem Marti bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat. Sanxit ergo, ut de bellis triumphisque consuleretur hic Senatus: provincias cum imperio petituri hinc deducerentur, quique victores rediissent, huc insignia triumphorum inferrent. Hoc forum & templum Vespasiani scribit Plinius *lib.* 36. *cap.* 15. esse pulcherrima operum, quæ unquam. id ab Hadriano instauratum fuisse Spartianus scribit. Panvinius in eo statuas M. Valerii Corvini & eburneam Apollinis locat.

FORUM NERVÆ TRAJANI. Apud Rufum totum hoc deest. Apud Victorem tantum *Trajani* nomen legitur, qui Nerva Trajanus appellatur, patris adoptantis nomen ferens, quemadmodum & Hadrianus Trajani nomen gerebat, unde hoc forum Trajani tantum esse significatur. non etiam Nervæ, quod *transitorium* vocabatur, & supra in IV. regione statutum esse vidimus. Trajanus suum forum, effosso monte & complanato, fecit, ut Xiphilinus ex Dione scribit. *Locum*, inquit, *montuosum, quanta est altitudo columnæ, perfodit, forumque eo pacto complanavit.* Hoc forum Apollodorus architectus fecit, quem Hadrianus occidit. Dion, *Hadrianus*, inquit, *Apollodorum architectum, qui Trajani forum, methodium, & gymnasium illo jubente fabricaverat, primum urbe expulit, postea interfecit.* De hujus fori ornamentis ita Gellius: *In fastigiis fori Trajani simulachra sunt sita, circum undique inaurata, equorum atque signorum militarium, subscriptumque est manubiis.* Ibidem erat & Claudiani poetæ statua ab Arcadio & Honorio posita. Hoc forum porticus cum columnis miræ magnitudinis circundabant, in quas summorum virorum statuas pulcherrimas, auctore Lampridio, Alexander transtulit: in medio columnam cochlidem, de qua mox dicetur, habebat, & in areæ medio equum Trajanum portantem, quem se imitari unquam posse Constantius negabat, cum Romam venisset, ut auctor est Ammianus *lib.* 16. cujus effigies in nummis Trajani visitur. *Triumphalis quoque arcus*, ait Dion, *præter alia multa, quæ in ejus honorem & decreta & facta fuerant, in ejus foro substructus.* Cum igitur celeberrimum esset hoc forum, ubi edicta ac jura plerumque publicabantur, *l.* 1. 3. *&* 31. *C. Theod. de petit. & ultro datis.* Aliud forum, quod Nervæ est dictum, a Domitiano conditum fuit, ut auctor est Tranquillus *in Domitiano cap.* 5. *Excitavit forum*, inquit, *quod nunc Nervæ vocatur, forte quod ab eo sit exornatum.*

TEMPLUM DIVI TRAJANI, & COLUMNAM COCHLIDEM. Altam pedes CXXVIII. semis. Gradus intus habet CLXXXV. Fenestras XLV. idem Victor, qui addit equum æneum. Rufus hæc omittit. Hoc templum, defuncto Trajano, a Senatu, petente Hadriano, est decretum; quod ostendit illa dictio D. quæ denotat illo jam mortuo, & divo facto, templum erectum. Spartianus *in Hadriano*, loquens de Hadriano, *Trajano*, inquit, *divinos honores datis ad Senatum & quidem accuratissimis literis postulavit, & cunctis volentibus meruit, ita ut Seaatus multa, quæ Hadrianus non postulaverat, in honorem Trajani sponte decerneret.* Hæc ille. De columna vero ita Dion seu Xiphilinus *in Trajano*: *Bibliothecas extruxit, ac in foro suo columnam maximam collocavit, partim sepeliendi sui causa, partim ut opus, quod ipse circa forum fecerat, posteris ostenderet.* Hæc Dion. Ambitiosum ergo sepulchrum hac columna sibi Trajanus extruere voluit, ibique ejus ossa condita fuere, ut auctor est Dion *in Hadriano*, & Eutropius *in Trajano*: circum hanc columnam Trajani gesta sculpta visuntur, imaginibus ab imo ad summum capreoli instar circumvolutis, omnesque in plano consistentibus ejus magnitudinis esse videntur, cum tamen superiores ab inferioribus magnitudine differant. In basi hæc scripta sunt, *Senatus Populusque Romanus Imp. Cæsari Divi Nervæ filio, Nervæ Trajano August. Germanico, Dacico, Pontifici Max. Trib. Pot.* XVII. *Imp.* VI. *Cos.* VI. *P. P.* ad declarandum quantæ altitudinis mons, & locus tantis operibus sit.

COHORTES VI. VIGILUM. Has Rufus omittit, si vetustate corrosæ non sunt.

BASILICAM ARGENTARIAM. Supra diximus hoc fuisse ædificium testudinatum columnis suffultum, tabernis circum dispositis, in quibus in hac basilica argentum, ornamentaque aurea & argentea vendebantur, & ob id argentaria vocabatur. De hac basilica intelligit Labeo seu Jabolenus *in l. pediculis §. item cum quæreretur de aur. & arg. leg.* cum quæreretur de tali legato. *Hoc amplius filia mea dulcissima de medio sumito, tibique habeto ornamentum omne meum muliebre cum auro, & si qua alia muliebria apparuerint: cum testatrix negociatrix fuerit, an non solum argentum, quod in domo, vel intra horreum usibus ejus fuit, legato cedit, sed etiam quod in basilica fuit muliebre: respondit, si testatrix habuit proprium argentum suum ad usum paratum, non videri id legatum, quod negociandi causa venale proponi soleret, nisi de eo quoque sensisse is, qui petit, probet.*

TEMPLUM CONCORDIÆ. Plura Concordiæ templa sunt dicata; primum, quod Furius Camillus vovit ob seditionem Romæ ortam, flagitante plebe alterum ex suo corpore Consulem creari; quod cum obtinuisset, Concordiæ in foro & concione dicatum est templum, ut auctor est Plutarchus *in Camillo in fine*, & Ovid. *in Fastis*, de quo hic intelligitur. Aliud fecit Gn. Flavius scriba Appii Claudii Cæci, qui jus civile reconditum in penetralibus Pontificum evulgavit, fastosque circa forum in albo proposuit, ut, quando lege agi posset, sciretur. Is ædem Concordiæ in area Vulcani summa nobilium invidia dedicavit, ut Livius *lib.*9. tradit, quæ est in III. regione urbis. Tertia ædes Concordiæ in arce locata est, quam L. Manlius in Gallia Prætor ob seditionem militarem biennio ante voverat, ut Livius *lib.*2. *dec.*3. tradit. Quartum Concordiæ templum extinctis cum C. Gracchoo tribus millibus civium L. Opimius dedicavit magno cum plebis dolore. Itaque per noctem sub ipsius templi hypogrammate quidam scripserunt, opus Vecordiæ templum Concordiæ facit, ut Plutarchus *in Gracchis ad finem* memorat. De hoc templo meminit & Div. Augustinus *lib.* 3. *de Civitate Dei*. Quintum a populo Rom. novæ Concordiæ in gratiam C. Julii Cæsaris est ædificatum, tanquam ipse populis concordiæ esset auctor, ut *lib.* 44. Dion narrat, *paulo post princ.* Sextum a Tiberio Concordiæ templum conditum idem Dion, & Tranquillus, & Ovidius *in Fastis* scribunt. Hic illud significari puto, in quo Senatum habitum fuisse supra diximus, *in hac regione, in verb. Senaculum.* quod Festus inter Forum & Capitolium locat *in verb. Senaculum.* Plinius *lib.*34. *cap.* 8. scribit a Sthene Cererem, Jovem, & Minervam in templo Concordiæ Romæ factas.

UMBILICUM ROMÆ.

TEMPLUM SATURNI & VESPASIANI. Hæc Rufus dividit. Victor ponit templum Titi Vespasiani Augusti, & duplicem aram Saturni. Primum Romæ Tatium regem Sabinorum Saturno templum dicasse Dionysius *lib.* 2. *cap.* 8. refert. Macrobius *lib.* 1. *Saturnalium* scribit Tullum Hostilium, cum bis de Albanis, & tertio de Sabinis triumphasset, fanum Saturno ex voto consecrasse, & Saturnalia tum primum Romæ instituta, quamvis Varro, inquit, vult L. Tarquinium regem ædem Saturni ad forum faciendum locasse, T. vero Largum dictatorem Saturnalibus eam dedicasse. Habet aram & ante se cœnaculum. in hoc templo fuit ærarium populi Rom. ut inter alios Festus, *in verb. ærarium*, & Macrobius animadvertunt, quod a Valerio Publicola institutum fuisse Plutarchus refert, sive quod nullum sub Saturno furtum sit commissum, sive, ut vult D. Cyprianus, quod primus in Italia nummos signaverit. Tranquillus auctor est a Munatio Planco Saturni templum factum, quod multi credunt ab eo restitutum, Tranq. *in August. cap.* 29. Ibidem monumenta publica, ac publicarum rationum libri conservabantur. Tranquillus *in C. Julio Cæsare, Tabulas*, inquit, *veteris ærarii debitorum vel præcipuam calumniandi materiam exussit Cæsar.* Hæc ille. Eodem in loco signa militaria reponebantur. Livius, *Signa*, inquit, *eo die a Quæstoribus ex ærario prompta.* Huic contiguum forte Vespasiani in divos relati templum fuit.

CAPITOLIUM. De hoc dictum in VI. regione: olim duplex Capitolium fuit, *vetus*, & *novum*, de quo hic intelligitur. Unde Virgilius Capitolia in plurali appellat;

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho.

Et alibi. Hic fuit templum Jovis magni Capitolini quadratum quoquoversus pedes C. altitudinem CL. Pomponius Lætus *de Rom. Ant.*

MILLIARIUM AUREUM JULIÆ. Milium Dion *lib.*54. appellat: *Augustus*, ait, *quæ sunt circa Romam, præfectus, aureum milium vocatum fecit, & viis duos prætorios viros, duos lictores præmittentes præfecit.* Plutarchus *in Galba* columnam auream in foro fuisse scribit, in qua incisæ omnes Italiæ viæ finiebant. Miliarium aureum vocat Tranquillus *in Othone cap.*6. quod in foro sub æde Saturni fuisse dicit his verbis: *Ergo destinata die præmonitis consciis, ut se in foro sub æde Saturni ad miliarium aureum operirentur, mane Galbam salutavit:* idem tradit Tacitus *lib.*17. Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. *compita Larium* CCLXV. *passuum, ejusdem spacium. mensura currente a milliario in capite Romani fori statuto, ad singulas portas, quæ sunt hodie numero* XXXVI. Macer *in l. mille de verb. sign. Mille passus*, inquit, *non a milliario urbis, sed a continentibus ædificiis numerandi sunt.* Milliarium vero Juliæ dictum est forte in honorem Juliæ Augusti filiæ, vel legendum *Liviæ*. Sed hæc dictio apud Victorem non reperitur.

TEMPLUM CASTORUM. Addit Victor *ad lacum Juturnæ*, quod & Ovidius *in Fastis* apud eum fuisse significat:

Fratribus illa dies, fratres de gente Deorum
Juxta Juturnæ composuere lacus.

Pomponius Lætus *de Rom. Ant.* scribit prope parvum fontem in fine Romani fori hoc templum fuisse. Fuerunt Castores duo fratres, Castor & Pollux, hic pugil, ille equorum domitor, Cares Latine, Græce Dioscuri, id est, Jovis filii ex Leda nati, unde fingebantur forma duorum fratrum formosi & robusti cum pileis aut cassidibus in capite, ut vult Apulejus *lib.*10. stellarumque apicibus insignes: Catullus quoque contubernales pileatos appellat quia erant Lacones, qui cum pileis militabant. Cicero *in* 3. *de natura deorum* scribit ædem in foro Castori & Polluci ab A. Posthumio dedicatam; aliqui opinantur eum locum esse, ubi nunc est D. Cosmæ & Damiani templum. Etsi utrique fratri fanum dicatum erat, Castoris tamen, tacito nomine Pollucis, vocabatur, unde jocus M. Bibuli Collegæ C. Julii Cæsaris in Ædilitate apud Tranquillum *in C. Julio Cæsare cap.*10. ita de Cæsare loquentem: *Venationes ludosque cum Collega & separatim edidit, quo factum est, ut communium quoque impensarum solus gloriam caperet, nec dissimularet Collega ejus M. Bibulus evenisse sibi, quod Polluci: ut enim geminis fratribus æde in foro constituta tantum Castoris vocaretur, ita suam Cæsarisque munificentiam unius Cæsaris dici.*

VESTÆ TEMPLUM. Primus Numa Vestæ templum Romæ dedicavit, etsi hoc alii Romulo adscribant, de quo late *lib.*1. Dionysius differit.

id erat rotundum, in medio habens ignem, quod in terræ medio ignis esse credatur. Hanc ædem Syracusana superficie, id est, *ære tectam* fuisse Plinius scribit *lib.*34. *c.*3. columnas extra Circum habebat: nunc D. Stephani templum vocatur. Vestam Ovidius terram & ignem vult esse. Cicero *in* 2. *de natura deorum* a Græco sermone derivat, quo ἑςία vocatur. Habitu mulieris sedentis & tympanum in manu gestantis fingebatur, quod terra ventos in se contineat.

HORREA GERMANICIANA & AGRIPPINA. A Germanico & Agrippina condita; ille fuit filius Claudii Drusi privigni Augusti, quem jubente Augusto Tiberius ejus patruus adoptavit, §. *ult. Instit. de adopt.* Agrippinamque M. Agrippæ ex Julia Augusti filia natam uxorem duxit, ut Tacitus *lib.* I. scribit. Hæc horrea, sive a Germanico, sive Agrippina facta, utriusque conjugis nomen conservarunt. Victor hæc separat, alia Germanico, alia Agrippinæ tribuens.

AQUAM CERNENTEM *quatuor Scauros sub æde*. Rufus & Victor rectius legunt, *equa cernens quatuor Satyros*. Marmoreæ erant effigies vel æreæ: forte hi sunt quatuor Satyri a Plinio *lib.*36. *c.*5. descripti, quorum auctor ignoratur. *Multa*, inquit, *in eadem schola sine auctoribus placent, Satyri quatuor, ex quibus unus Liberum patrem palla velatum Veneri præfert. Alter Liberum similiter. Tertius ploratum infantis cohibet. Quartus cratere alterius sitim sedat*. Quod vero subjicitur, *sub æde*, deest nomen illius Dei.

ATRIUM CACI. Rufus & Victor hoc omittunt. Lego *antrum* pro *atrio*. Cacus Vulcani filius insignis latro fuit, qui boves Herculis apud Evandrum hospitantis cauda aversas in antrum traxit, quarum mugitu audito, Hercules furtum cognovit, & in antrum descendens Cacum occidit, ut late *in* VIII. *Æneid.* Virgilius tradit:

Hic spelunca fuit vasto summota recessu.

Semihominis Caci facies, qui hic cum antro repræsentatur.

VICUM JUGARIUM UNGUENTARIUM. Apud Rufum est, *alias Ligurius*. Apud Victorem, *Vicus jugarius, item & thurarius, ubi sunt aræ, alias areæ Opis & Cereris cum signo Vortumni*. Ita ille: puto hos duos vicos fuisse, prout a Rufo & Victore separantur, *jugarium*, ut ait Festus, *ab ara Junonis jugæ est nuncupatum, quam putabant matrimonia jungere*. Sed & Jugatinum deum invenerunt, ut ex Varrone *in* 6. *de civitate Dei* D. Augustinus refert, qui mares & fœminas conjungebat. Vicus jugarius a porta Carmentali in forum tendebat, ut ex Livio Marlianus probat. Alter erat vicus unguentarius, in quo unguenta vendebantur.

GRÆCOSTASIN. Locus est, ubi Græcorum aliarumque nationum legati subsistebant a Senatu audiendi, a Græcis nomen habuit, etsi alii ibi stabant. Varro *lib.*5. *de Lingua Latina*, *Sub dextra*, inquit, *hujus a comitio locus substructus, ubi nationum subsisterent legati, qui ad Senatum essent missi, is Græcostasis appellatur a parte, ut multa*. Hæc Varro. Dicitur Græcostasis, id est *Græcorum statio*. Capitolinus *Græcostasium* vocat, quod post incendium ab Antonino Pio restitutum scribit.

PORTICUM MARGARITARIAM. Puto sub qua margaritæ vendebantur.

ELEPHANTUM HERBARIUM. Elephantis simulachrum.

VICOS XXXIV. Rufus & Victor XII. videlicet *Jugarium, Thurarium, Tuscum, Unguentarium majorem, Unguentarium minorem, Novum, Ligurum*, Reliqui desunt.

ÆDICULAS XXIX. Victor XII. quot ponit vicos, qui si sunt XXXIV. tot etiam erunt ædiculæ.

VICOMAGISTROS XLVIII.

CURATORES II.

INSULAS tria millia octingentas octuaginta. Idem Rufus & Victor.

DOMUS CXXX. Victor CL.

HORREA XVIII. Victor XXVIII.

BALNEA LXXXIII. Victor, *Balneas privatas* LXVI.

LACUS CXX.

PISTRINA XX. Victor XXX.

Continet regio PEDES tredecim millia LXVII. Victor: *Regio in ambitu continet pedes* XIV. *millia* DCCCCLXVII. Alias XII. *millia* DCCCCLXVII. plura alia idem ponit, quæ hic desunt.

REGIO IX. CIRCVS FLAMINIUS.

C. FLAMINIUS COS. qui ad Trasimenum ab Annibale occisus est, Livius *lib.* 2. *decis.*3. hunc Circum fecit, *a quo*, ait Festus, *Flaminius Circus, & via Flaminia sunt dicta*. Huic Circo Cn. Octavius, qui de Perseo rege navalem triumphum egit, duplicem porticum adjecit, quæ *Corinthia* est appellata, a capitellis æreis columnarum, ut auctor est Plinius *lib.*34. *cap.* 3. Varro *lib.* 4. *de Lingua Latina* Circum Flaminium dictum scribit, *qui ædificatus est circa Flaminium campum, & quod ibi quoque ludis Tauriceis circum metas currunt*. Hæc ille. in eo enim quadrigæ per portas XII. ingressæ septem metas circumibant, & qui ante vertisset, palmam obtinebat, ut late Cassiodorus *lib.* 3. *variarum ad Faustum præpositum* refert. Hæc prius Flaminia prata vocata fuisse Livius affirmat: *Ea omnia*, inquit, *in pratis Flaminiis acta, quem nunc circum Flaminium appellant*. idem Livius *eodem libro*: *Itaque inde consules, ne criminationi locus esset, in prata, ubi nunc ædes Apollinis est, jam tum Apollinarem appellabant, advocavere Senatum*. Continet hæc regio

STABULA IV. FACTIONUM. Quatuor erant quadrigariorum factiones. Prasina, quæ viridi panno vestiebatur, & ver referebat, ut ait Cassiodorus *lib.*3. *variar. ad Faustum præpositum*. Veneta, cœrulei coloris, hyemi respondens. Alba autumnum, Rosea æstatem referens; quod & Tertullianus *de spectaculis cap.*6. ante ipsum retulit. Quæque factio suum in Circo stabulum habebat: Caligula ob ingens aurigandi studium sæpe ibi morabatur. Tranquillus *in Calligula cap.*55. loquens de eo, *Prasinæ*, inquit, *factioni ita addictus & deditus, ut cœnaret in stabulo assidue & maneret*.

ÆDEM HERCULIS. Victor habet *ædem Herculi magno custodi Circi Flaminii*. Hanc ædem ex carmine Sibyllino L. Syllam posuisse ferunt, ut Circum præfatum custodiret, quod & Ovidius *in Fastis* significat hoc carmine:

Altera pars Circi custode sub Hercule tuta est,
Quod deus Euboici carmine munus habet.

Id est monitu Sibyllæ Euboiæ. Eumenius vero a Fulvio Nobiliore hanc ædem positam scribit. *Ædem*, inquit, *Herculis Musarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit, non id modo secutus, quod ipse literis, & summa poetæ amicitia duceretur, sed quod in Græcia cum esset Imperator, acceperat Herculem Musagetem esse*, id est, Comitem Ducemque Musarum.

PORTICUM PHILIPPI. Non Philippum Imperatorem, sed Martium Philippum credo intelligi Augusti vitricum, cui Actia ejus mater mortuo patre Octavio nupsit, Tranquill. *in Augusto cap.*8. & 29. is hortatu Augusti ædem Herculis Musarum extruxit, ut Tranquillus scribit *in Augusto cap.*29. Philippi porticus Plinius meminit *lib.*35. *cap.*10. 11. qui dicit Xeuxidis manu pictam esse Romæ Helenam in

Philippi porticibus, & in iisdem esse Theodori manu bellum Iliacum pluribus tabulis depictum, *eod. lib.*35. *c.*11. Alius fuit L. Philippus orator a Cicerone *lib.*3 *de Oratore*, & *in Bruto*, & a Plinio piscinis murenarum celebratur *lib.*9. *cap.*54. de quo non puto hic intelligi.

MINUTIAS II. Veterem & Frumentariam. Rufus & Victor legunt *Mimitia*. Sed Lampridius *in Commodo* habet *Minutia*: *Signum*, inquit, *Herculis æneum sudavit in Minutia per plures dies*. Duo hæc fuere ædificia, in quorum altero frumentum venditum fuisse videtur. Ab aliquo Minutiorum, qui plures Romæ fuere, nomen habuisse possunt. Sed a Deo Minutio potius hæc derivata crediderim, cui ibi dedicatum erat facellum, a quo porta Minutia est dicta, ut Festus tradit. *Minucia*, inquit, *porta appellata est, eo quod proxima esset sacello Minucii*. & subdit, *Minucia porta Romæ est dicta ab area Minucii, quem deum putabant*.

CRYPTA BALBI. Cornelium Balbum intelligit Cæsaris & Ciceronis familiarem, de quo *in epistolis* jocatur, *Quæso ne pluris Balbos quam disertos putes*. Huic *Gadibus nato*, ait Plinius *lib.*5. *cap.*5. *civitas Romana cum Balbo majore patruo data*, qui de Garamantis triumphavit, Balbus major Cos. fuit, & a Sylla proscriptus, Plinius *lib.* 7. *cap.*43. Minor Balbus hortante Augusto theatrum & cryptam condidit. Erat hæc subterraneus locus concameratus, seu in fornicem versus, & amplus, qui per multa millia passuum excurrebat, per quem aqua excurrebat. Juvenalis:

Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburræ.

Similes adhuc visuntur, & una per mediam Augustam Taurinorum Secusium usque extenditur, alta pedes XV. lata IV. Aliæ erant cryptæ in ædificiis in quibus histriones parabantur, ut Tranquillus *in Caligula c.*58. scribit, quas ad hanc pertinere non puto.

THEATRA QUATUOR. In primis BALBI, quod capit loca triginta millia LXXXV. Victor XXX. CIↃ. XCV. & addit CL. *Cæsar dedicavit, & appellatur a vicinitate*. Hactenus Victor. Theatrum hoc fecit Cornelius auctor cryptæ, de quo supra dixi, hortatu Augusti, ut Tranquillus *in Augusto cap.*29. ac Dion *lib.*54. tradunt. L. Cornelium Balbum credo intelligi, quem Dion *lib.*48. de Gadira insula Hispaniæ oriundum Consulem fuisse scribit, & adeo divitem, ut populo viritim XXV. drachmas testamento legaverit. Proponuntur autem hic theatra quatuor, & unum tantum nominatur, unde apparet tria desiderari, quæ ex Rufo & Victore sunt addenda; & sunt, theatrum Marcelli, capit loca XXX CIↃ. ubi erat aliud templum Jani. Id fecit Augustus nomine Marcelli, Octaviæ sororis suæ, & C. Marcelli filii, ut Tranquillus memorat *in Augusto cap.*29. & Plutarchus *in Marcello in fine*. *Hic*, inquit, *dum ædilitatem ageret, paulo post quam Cæsaris filiam duxisset uxorem, mortem sponsus obiit. Ad ejus decus & memoriam Octavia mater bibliothecam construxit, Cæsar theatrum Marcelli nomine inscripsit*. Idem refert Dion *lib.*54. *Eo die*, inquit, *Trojam lusit, & 600. feras interfecit*. Id fuisse Pompeii theatrum, quod imperfectum reliquerat, vult Dion *lib.*43. Sed & Victor ut diversa ponit.

Tertium ergo fuit theatrum Pompeii, de quo ita Plinius *lib.*7. *c.*7. *Pompejus Magnus ornamentis theatri mirabiles forma posuit effigies, ob id diligentius magnorum artificum ingeniis elaboratas, inter quas legitur Eutychia cum* XX. *liberis rogo illata. Trallis enixa* XXX. *partus, Alcippe elephantum*. De eodem theatro hæc Tertullianus *de spectaculis cap.*7. *Pompejus Magnus solo theatro se minor cum illam aram omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animadversionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupavit, cui subjecimus*, inquit, *gradus spectaculorum, ita damnatum, & damnandum opus templi titulo prætexuit, & disciplinam superstitione delusit*. Hoc theatrum ex lapide extructum Tacitus scribit, cum prius ex tabulis quotannis fieret, id Caligula absolvit, ut ait Tranquillus. Dion *lib.*39. auctor est, quo die hoc theatrum Pompejus consecravit, musica, & gymnica certamina ipsum exhibuisse. Fuit amphitheatrum lapideum in campo Martio Statilii Tauri, ædificatum Augusto IV. Cos. quod gladiatorio munere consecravit. Quare a pop. Rom. obtinuit, ut quotannis Prætorem posset creare, quemadmodum *lib.*51. Dion memorat.

CAMPUM MARTIUM. Is antiquitus inter Tiberim & urbem Marti sacer fuerat, in quo reges & magistratus creabantur, equi & juventus exercebantur, ut *in* V. Dionysius refert. Tarquinius vero contempta religione eum severat, quo expulso, segetes cæsæ, & in fluvium projectæ insulam Aesculapio sacram paulatim alia adjecta materia creaverunt. Idem Livius *lib.*1. In campo Martio comitiis habitis magistratus creabantur. De quo hæc Strabo *lib.*5. *Campi Martii admirabilis magnitudo simul & curules cursus, & alia equestria certamina expedita suppeditat, multis pila, circulo, palestrave se exercentibus. Quid perennes solo herbæ, coronatique usque ad fluminis alveum colles? scenicarum ostentatio picturarum, hujusmodique spectacula præstant, ut difficulter & invitus abscedas. Huic proximus alter adjacet campus, & innumerabiles circum circa porticus, horti nemorosi, theatra tria, simul & amphitheatrum, templa magnificentissima inter se contigua*. Hæc ille. Exercitia, quæ ibi fiebant, egregie Poeta in VII. *Æneid.* describit:

Ante urbem pueri, & primævo flore juventus,
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus.
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.

Tertio Cal. Majas in hoc campo Equiria celebrabantur, id est, *equorum cursus a Romulo Marti institutus*, ait Festus, & Ovidius *in fin.*2. *Fastorum*:

Jamque duæ restant noctes de mense secundo,
Marsque citos junctis curribus urget equos,
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quæ deus in campo prospicit ipse suo.

Gellius vero *lib.*6. *cap.*7. scribit C. Taratiam virginem Vestalem campum Tiberinum sive Martium populo Romano donasse: ibi nunc esse ecclesiam S. Laurentii in Lucina Pomponius Lætus tradit *de Rom. Antiquit.* ubi effossum esse memorandum horologium scribunt, quod septem gradus circum habebat & lineas metallo inaurato distinctas. Solum campi cum iisdem lineis erat ex lapide amplo quadrato, & in angulis quatuor venti & opere vermiculato, quod opus Agrippa fecit, & picturis porticus antea a Lepido in septis ædificatas exornavit, ut *lib.*63. Dion tradit

TRIGARIVM. Locus, in quo trigæ currebant. Plinius *lib. ult. c.ult. ad fin. Ne equos quidem in Trigariis præferri ullis vernaculis animadverto*, id est nullibi sunt præstantiores equi Italis ad currendum in Trigariis. Rufus, & Victor, *Septa Trigaria*.

CICONIAS NIXAS. Simulachrum ciconiarum, quæ ova pepererant. Has publice alebant Romani, quia Gallis, qui urbem ceperant, nocte Capitolium invadentibus, ciconiarum clangore, & alarum strepitu excitati hostes repulerunt. Dionys. & Livius.

PANTHEVM. id est *omnibus diis sacrum templum*. Fecit hoc M. Agrippa, quod etiam nunc extat, in Beatæ Virginis & omnium Sanctorum memoriam

Deo dicatum. De quo ita Plinius *lib.* 36. *cap.* 5. *Agrippæ Pantheum decoravit. Diogenes Atheniensis & Caryatides in columnis templi ejus probantur inter pauca operum, sicut in fastigio posita signa, sed propter altitudinem loci minus celebrata. In honore est, & in templo illo Hercules, ad quem Pœni omnibus annis humana sacrificaverunt victima, humi stans ante aditum porticus ad nationes.* Idem Plinius *lib.* 34. *cap.* 3. loquens de Pantheo, ait, *Syracusana sunt in Pantheo capita columnarum a M. Agrippa posita.* Sed idem alibi scribit *lib.* 36. *cap.* 15. *Pantheon Jovi ultori ab Agrippa factum.* Dion vero *lib.* 53. Pantheon dictum scribit secundum aliquos, quia Agrippa plurium Deorum imagines sub simulachris Martis & Veneris ibi posuit; ipse vero existimat, quia factum fuit cœli instar rotundum, ac velut Deorum omnium habitatio. *Voluit quidem M. Agrippa*, ait Dion, *ibi Augusti simulachrum erigere, & templum ab eo denominare, sed neutrum admittente Augusto, prioris Cæsaris, Augusti & suam statuam in vestibulo erexit.* Hæc ille. Id templum culmen laminis argenteis tectum habuisse Pomponius Lætus scribit *de Rom. antiquitate*: *Quas*, inquit, *Constans nepos Heraclii veniens ad urbem sustulit.*

BASILICAM MATIDII & MARTIANI. Victor pro *Matidii* habet *Macidii*, cujus basilicam ab alia Martiani separat: sed ego puto legendum, *Mattidiæ*, ut infra in Breviario urbis habet Victor, & *Marcianæ*, quæ fuere sorores Trajani, nam a nomine Marcianæ sororis Martianopolim urbem condidit, ut auctor est Marcellinus, & sequens inscriptio arcus Anconitani indicat Martianam Trajani sororem fuisse.

PLOTINÆ AVG. CONIVGI AVG. DIVÆ MARTIANÆ AVG. SOROR. AVG.

Mattidiæ meminit Spartianus *in Hadriano*, loquens de Hadriano: *Digressus est*, inquit, *ad inspiciendas reliquias Trajani, quas Attianus, Plotina, & Mattidia deferebant.* Aliqui volunt Mattidiam Martianæ filiam fuisse, cujus in numismatis nomen apparet. Hæ præfatam basilicam condiderunt.

TEMPLUM DIVI ANTONINI & COLUMNAM COCHLIDEM altam pedes CLXXV. semis; gradus intus habet CCIV. fenestras LVI. Victor gradus CCVI. fenestras LVI. Hoc templum, & columnam Antonini Pii fuisse ferunt, qui tamen Hadriani sepulchro est illatus, quemadmodum *in Marco Antonino* Capitolinus scribit. Hæc Trajani columnam superat, cujus æmula fuit. Antonini enim gesta, imaginibus eam capreoli instar circundantibus, continet, & hodie visitur. Victor in hac regione ponit basilicam Antoninianam, in qua provinciarum memoria conservabatur, id est, quot sub Imperio essent provinciæ, & qui ad eas regendas missi essent, ut continet Notitia magistratuum Imperii Romani.

HADRIANEUM. Pontem, credo, intelligit, & sepulchrum Hadriani. Nam ita de eo Spartianus scribit: *Fecit & sui nominis pontem, & sepulchrum, juxta Tiberim.* Dion in eodem: *Sepultus est*, inquit, *juxta flumen ad pontem Ælium, ubi monumentum fecerat, propterea quod Mausoleum plenum erat, in quo nemo amplius sepultus est.* Hactenus Dion. Hoc fuit e regione Mausolei Augusti, ubi prius ipsius, mox & aliorum Antoninorum cineres sunt conditi. Hodie castellum S. Angeli vocatur. Apud Victorem vel Rufum id omittitur.

THERMAS ALEXANDRINAS, & AGRIPPINAS. Victor habet *Thermæ Neronianæ*, quæ postea Alexandrinæ, mox thermæ Agrippæ. Lampridius scribit Alexandrum Imp. balnea omnibus regionibus addidisse, quæ forte non habebant. *Nam hodie quoque*, inquit, *multa dicuntur Alexandri.* Itaque Neronianas restituere potuit, quæ postea Alexandri sint dictæ. Idem tamen scribit Alexandrum proprias thermas fecisse, his verbis: *Braccariorum, Lintea-*

A *riorum, & ceterarum artium pulcherrimum vectigal instituit, ex eoque jussit thermas, & quas ipse fundaverat, & superiores, populi usibus exhiberi. Sylvas etiam in thermis publicis deputavit. Addidit & oleum luminibus thermarum, cum antea non ante auroram paterent, & antea solis occasum clauderentur.* Hæc ille. M. Agrippa & ipse inter alia plura opera etiam thermas fecit, quas forte ut plures alias Alexander instauravit, & ideo Alexandrinis conjunguntur. Dion *lib.* 53. loquens de Agrippa: *Thermas*, inquit, *fabricavit, quas Laconicas nuncupavit, quia Lacedæmonii se exercentes denudantur, & oleo unguntur.* B *In his plura signa posuit & fœcundissimæ artis, inter quæ distringentem se, & quem*, inquit Plinius *lib.* 34. *cap.* 8. *M. Agrippa ante thermas suas dicavit, mire gratum Tiberio Principi, qui non potuit temperare sibi in eo, quanquam imperiosus sui inter initia principatus, transtulitque in cubiculum, alio ibi signo substituto: tum quidem tanta populi Rom. contumacia fuit, ut magnis theatri clamoribus reponi Apoxiomenon conflagitaverit, princepsque quanquam adamatum reposuerit.* idem Plinius *lib.* 35. *cap.* 4. *M. Agrippa*, inquit, *vir rusticitati quam deliciis propior fuit: verum illa novitas duas tabulas Ajacis & Veneris mercata est a Cizycenis* XIII. *pondo.* C *In thermarum quoque calidissima parte marmoribus incluserat parvas tabellas paulo ante quam restringerentur sublatas.* Hæc Plinius, qui alio in loco *lib.* 36. *cap.* 25. has thermas lithostrotas fuisse scribit his verbis: *Lithostrota cœptavere jam sub Sylla parvulis certe crustis, pulsa deinde ex humo pavimenta in cameras transiere, ut pronum vitium, & hoc certe inventum ab Agrippa in thermis, quas Romæ fecit. Figlinum opus encausto pinxit, in reliquis albaria adornavit.* Hæc ille. Fecit & Agrippina mater Neronis thermas, ubi Marianus *lib.* 4. *cap.* 21. *topograph. urbis* duo Bacchi simulachra inventa fuisse scribit cum hoc indice, in lavacro Agrippinæ. D De quibus hic forte posset intelligi. Claudius præf. urbi sub Valentiniano thermis Agrippæ porticum adjecit. Marcell. *lib.* 29. *in fin. Claudius*, inquit, *P. V. porticum excitavit ingentem lavacro Agrippæ contiguam, Eventus boni cognominatam ea re, quod hujus nominis prope visitur templum.*

PORTICUM ARGONAUTARUM, & MELEAGRI. Notum est heroes quinquaginta Argonautas vocatos in Colchidem ad rapiendum vellus aureum ivisse, qui ita ab Argo navi, cujus faber Argus vocabatur, dicti fuere. Horum simulacrum a Buthyreo Lycio Mironis discipulo factum Plinius memorat *lib.* 34. *c.* 8. quod in hac porticu positum ei nomen dedit. E Dion *lib.* 53. *Porticum*, ait, *Neptuni dictam post victoriam navalem fecit, & Argonautarum pictura illustravit.* Argonautarum tabulam emptam ab Hortensio oratore sestertiis XLIV. id est 1100. aureis illius temporis Plinius scribit *lib.* 35. *c.* 11. de qua hic non puto intelligi. Meleagri quoque fabula in eadem porticu fuisse, quæ ex Ovidio *in* 8. *Metamorph.* est nota: is tandiu erat victurus, quandiu stipes quidam superstes fuisset; cum ergo avunculos interfecisset, mater Althea, dolore ex fratrum morte concepto, stipitem in ignem conjecit, unde Meleager est extinctus. Victor legit *Meleagricum*.

F ISEUM & SERAPIDEUM. De Isi & Serapi late supra dictum est in III. regione, cui nomen dederunt. In hac vero regione eorum templa fuere, quæ Alexander Imp. signis ornavit. Lampridius *in Alexandro*, *Iseum*, inquit, *& Serapeum decenter ornavit additis signis Deliacis, & omnibus mysticis.* Alii legunt *Isium & Serapium*.

INSULAM FELICULÆ. Erat hæc alta & insignis insula seu domus, plura cœnacula & cubicula habens, quam Tertullianus adversus Valentinianum pro ampla & in plures deitates divisa citat: loquens enim de insania Valentiniani, qui XXX.

deos somniabat, & cuique suum cœlum assignabat, ait: *Meritorum factus est mundus, insulam Feliculam credas, tanta tabulata cœlorum nescio ubi.* Acgesippus Feliculam puellam comitem D. Petronillæ D. Petri filiæ fuisse scribit, quæ cum Flacco nubere noluisset, neque idolis immolare, martyrio est coronata, de qua Martyrologium 13. Junii. Ejus cœnobium in Sicilia fuisse D. Gregorius *lib.* 10. *epist.* 9. memorat. Sed hæc insula an ab ea vel alia Felicula sit denominata, non ausim affirmare. Apud Victorem legitur, *Phelidi*, sive *Filidis*; sed alia est verior lectio, cui Tertullianus adstipulatur. Plura a Victore in hac regione recitantur, quæ nostra descriptio prætermittit. Epilogus.

VICOS XXXV. Victor XXX. quorum nomina ignorantur.

ÆDICULÆ XXXV. quot & vici, Victor XXX. quarum nomina XX. Panvinius recitat.

VICOMAGISTROS XLVIII. quot in aliis regionibus. Victor CXX. quaternos singulis vicis attribuens, qui est mendosus, quia infra in Breviario urbis colligit fuisse Vicomagistros DCLXXII. qui numerus XIV. regionibus congruit, dando XLVIII. cuique regioni.

CURATORES II.

INSULAS duo millia septingentas LXXIV. Victor CIↃ. DCCLXXXVII.

DOMUS CXL.

HORREA XXII.

BALNEA LXIII. Victor *balineas privatas* LXIII.

LACUS LXIII.

PISTRINA XX. Victor XXXII.

Regio continet PEDES triginta duo millia D. sunt ultra sex milliaria in ambitu. idem Victor.

REGIO X. PALATIUM.

PALATIUM. Mons antiquus Romæ primum habitatus, ubi Romulus regiam habuit, ut auctor est Dionysius *lib.* 2. & 3. a quo & tribus Palatina una ex quatuor urbis, ut Plinius scribit. Palatium a *Palatia* urbe Livius derivat *lib.* 1. Festus a *Palanto*, alii ab aliis deducunt. Augustus quoque ibi cum militibus habitavit. *Inde factum est*, inquit Dion, *ut ubicunque degat Imperator, ejus domus palatium appelletur*. quod nomen etiam ad alia majora ædificia est derivatum, quæ & ipsa palatia nominantur. Hic collis totam hanc regionem continet.

CASAM ROMULI. Ex Dionysio & Livio diximus Romulum Palatinum montem incoluisse, quod & Plutarchus affirmat: *Romulus*, inquit, *eam urbis partem incoluit, qua ex palatio in circum maximum itur, juxta quem locum sunt, quos pulchri littoris gradus vocant*. Casam vero appellat, quia tum humilis erat præ aliis magnificisque postea factis ædificiis.

ÆDEM MATRIS DEUM, & APOLLINIS RHAMNUSII. Mater Deum etiam *Magna Mater*, *Rhea*, *Ops*, *Cybele*, aliisque nominibus appellatur, eademque est tellus mater omnium, quia divitias opesque generat, ut ex Varrone *in* XII. *de Civitate Dei* Div. Augustinus refert: *Tympanum*, inquit, *quod habet in manu, orbem terræ significat, turres in capite oppida, sedens, quod cum omnia moveantur, ipsa sola consistit*. plura alia recitat, quæ nimis longum esset referre. Fuit ejus ædes in palatio, in quo locatum est ipsius simulachrum ex Pesinunte advectum: ex libris enim Sibyllinis Romani quinque legatos ad regem Attalum miserunt, ut illud ex Pesinunte Romam deferrent, quod cum obtinuissent, navi ad ostium Tiberis est devectum, cum optimus civium illud esset excepturus, P. Scipio filius ejus, qui in Hispania occiderat, optimus judicatus id excepit, & matronis manu trahendum commisit. ibi Claudiæ Vestalis pudicitia apparuit, quæ vado hærentem navem cingulo facile traxit. Idolum in æde Victoriæ in palatio pridie Idus April. est locatum, ut Livius tradit *lib.* 9. *decad.* 2. postea ei ædes est facta & dedicata, quo die ludi instituti Megalesia vocati. Pomponius *in l.* 2. *§. fuit post eos, de orig. jur.* quoque C. Scipioni Nasicæ attribuit optimi cognomentum. Tria P. Victor separat, nempe *ædem Matris deum, Apollinis, & Rhamnusiæ*, quam lectionem castigatiorem puto, quia Apollinem Rhamnusium nullibi legi. Possemus tamen intelligere Rhamnusium, id est, sapientem, nam *Rhamnusii sapientes vocantur*, inquit Suidas in verbo Ῥαμνουσία.

De æde Apollinis ita Victor.

Ædes Apollinis, ubi lychni pendebant,
Instar arboris mala ferentis.

Hunc lychnum in expugnatione Thebarum Alexander Luciniæ ademptum & ipse Apollini dicaverat, & Augustus suo Apollini consecravit. Plinius *lib.* 34. *cap.* 3. *Placuere*, inquit, *& lychni pensiles in delubris arborum modo mala ferentium lucentes, qualis est in templo Apollinis Palatini, quem Alexander Thebarum expugnatione captum Luciniæ dicaverat eidem Deo.* Hactenus Plinius. hoc templum in palatio fecit Augustus cum porticu & bibliotheca, & ob id Palatinum est nuncupatum. Tranquillus *in Augusto cap.* 29. *Templum*, inquit, *Apollinis ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a Deo aruspices pronunciaverant, addidit porticus cum bibliotheca Latina Græcaque, quo loco jam senior sæpe Senatum habuit, decuriasque judicum recognovit.* Hæc ille. Bibliothecæ Augustus L. Virium præfecit, qui libros scriberet, & eorum curam haberet, ut sequens ostendit epigramma:

OSSA VIBIÆ SVCCESSÆ LIVIÆ AVG. SER. AB ARGENTO POTORIO. ITEM A VESTE L. VIRIVS AVG. SER. PAMPHILVS SCRIBA LIB. ET A BIBLIOTHECA LATINA APOLLINIS CONIVGI FIDELISSIMÆ ET PIISSIMÆ B. D. S. M. *bene de se meritæ*.

Apollinis Palatini simulachrum ex insula Pontia a M. Lucullo Romam advectum Plinius scribit *lib.* 4. *cap.* 13.

RHAMNUSIÆ quoque templum in palatio fuit; ita enim malo legere, quam *Apollinis Rhamnusii*. Erat autem Rhamnusia Nemesis, eademque Adrastia, quam veteres omnia scelera punire putabant, & bonis præmia largiri. Dicta est autem Rhamnusia a Rhamno Atticæ pago, ubi primum eam ab Erechtheo Nemesii filio Veneris specie ramum ex malo arboris manu tenentis erectam fuisse Suidas scribit. Rhamnus vero genus rubi ibi abundans Rhamno loco Atticæ nomen dedit. Roma templum huic deæ posuit in Capitolio, ut inde suam urbem posset ulcisci, inquit Pomponius Lætus *lib.* 2. sed credo legendum pro Capitolio, *palatio*, in quo ejus fanum erat locatum.

PENTAPYLUM. Addit Victor *Jovis Arbitratoris*. Pentapylon est porticus habens quinque ordines columnarum quadratarum, pyla enim est quadrata columna. Arbitrator vero Juppiter cognominatur, tanquam ex æquitate omnia statuens & pensitans.

DOMUM AUGUSTANAM & TIBERIANAM. De domo Augusti in palatio ita Tranquillus *in Augusto cap.* 72. *Habitavit primo juxta Romanum forum supra scalas annularias in domo, quæ Calvi oratoris fuerat, postea in palatio; sed nihilominus ædibus modicis Hortensianis, & neque laxitate, neque cultu conspicuis, ut quibus porticus breves essent Albanarum columnarum, & sine marmore ullo aut insigni pavi-

mento conclavia, ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hyeme & æstate mansit, quamvis parum valetudini suæ urbem hyeme experiretur, assidueque in urbe hyemaret, si quando quid secreto aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis, quem Syracusas & Tegnophyon vocabat, huc transibat, aut in alicujus libertinorum suburbanum. De eadem domo Augusti hæc Dion: *Decretum est, ut ante palatia sua haberet lauros propositas, ex quibus penderet corona, quæ facta esset ex quercu, quasi ipse hostes perpetuo vinceret, & cives conservaret. Porro regiæ palatia appellantur, non quod sint ita casu & fortuito nominatæ, sed quod Cæsar habitabat in palatio, atque ibi suos milites habebat. Domus enim Romuli palatium dicebatur a loco, in quo esset ædificata. Quamobrem licet alibi habitet Imperator, tamen domus, ubi habitat, palatii nomen habet.* Hæc Dion. Tiberius vero prius in carinis in domo Pompejana habitavit, ut auctor est Tranquillus, mox ab Augusto adoptatus transiit in palatium, ac ibi propriam sibi domum ædificavit Tiberianam dictam. Addit Panvinius cum bibliotheca *in Tiberio c.15.*

ÆDEM JOVIS VICTORIS. Hanc ædem Q. Fabius Cos. vovit in bello, quod adversus Samnites & Gallos Senones gessit. Livius *lib.10. 1. decad. Fabius*, inquit, *ædem Jovi Victori, spoliaque hostium cum vovisset, ad castra Samnitium perrexit, potitusque victoria, spolia hostium conjecta in acervum Jovi Victori cremavit.*

DOMUM DIONIS. Credo Cassii Coccei cognominati ex Nicea civitate Bithyniæ nobilis historiographi, qui LXXX. libris in decades VIII. divisis Romanorum historiam usque ad Alexandrum Mammææ est prosecutus, ut Suidas refert. Aproniani Dalmatiæ & Ciliciæ præsidis filius fuit. Dion *in Hadriano in princ.* Senator Africam proconsul, Dalmatiam & Pannoniam præses rexit, quemadmodum ipse *lib.* 49. narrat. Demum Cos. fuit. Dion *lib.* 58. ejus domus ut insignis hic ponitur. Victor pro *Dione* ponit *Dionysii*. Sed mihi alia lectio magis placet.

CURIAM VETEREM. *Curia erat*, inquit Festus, *ubi publicas curas gerebant*. Curiam, puto, Hostiliam intelligit, a Tullo Hostilio rege factam, quod templum fuit. Livius *in* 1. *Templum*, inquit, *ordini ab se facto curiam fecit, quæ Hostilia usque ad patrum nostrorum ætatem est appellata.* Hoc significat & Poeta *in* VII. *Æneid.* cum ait, *hoc illis curia templum*, quam centum columnis suffultam describit, & vult esse basilicam. Sed curiam Hostiliam P. Victor in II. regione locat. Quare hic curia ab Augusto in palatio facta significari videtur, quam & Servius in supra scriptum carmen sentit. Panvinius hic IV. veteres curias ponit, *Foriensem*, *Raptam*, *Vellensem*, *& Velitiam*; sed Victor, & hæc descriptio *unam*.

FORTUNAM RESPICIENTEM. Simulachrum Fortunæ significat, quæ præteritos respicit, & nomen dedit vico Fortunæ Respicientis, quem hic Victor ponit. De Fortuna plura in VII. regione supra diximus.

SEPTIZONIUM D. SEVERI. Hoc sibi sepulchrum Severus in via Appia e regione D. Gregorii exstruxit, cujus hodie apparet vestigium columnarum pulchritudine & magnificentia spectabilium, quæ miro ordine aliæ supra alias in orbem dispositæ fuisse videntur; tres adhuc apparent zonæ, quæ ascendentes columnas ab inferioribus separant, & septem fuisse videntur, unde & Septizonium creditur dictum. Spartianus *in Severo: Opera publica*, inquit, *præcipue ejus extant, Septizonium & thermæ Severianæ*. Non tamen ibi, sed in Antoninorum sepulchro Severus est humatus, ut Dion refert; item Spartianus: *Urnulam*, ait, *auream Severi reliquias continentem Antoninorum sepulchro illatam aliqui dicunt, cum Septimius Severus illic, ubi vita functus est, esset incensus; cum Septizonium faceret, nihil aliud cogitavit, quam ut ex Africa venientibus suum opus occurreret. Medium simulachrum ejus locatum additum Palatinis ædibus. Is regium arcum ea parte facere voluisse perhibetur, quod etiam post Alexander cum vellet facere, ab aruspicibus dicitur esse prohibitus, cum hos sciscitans non litasset.* Hæc Spartianus. Idem Dion: *Nisi quod*, ait, *cineres Severi in urna ex porphyro conditos fuisse.* Verum Julius Capitolinus *in Geta* sentit Severum in Septizonio sepultum: *Geta*, ait, *illatus est majorum sepulchro, hoc est Severi, quod est in Appia via euntibus ad portam dextram specie Septizonii extructum, quod ille sibi vivus ornaverat.*

VICTORIAM GERMANICIANAM. A Germanico factam, de quo latius supra in VIII. regione, ubi de ejus horreis est dictum. De hac Victoria nihil præcise legi: sed apud Tacitum *lib.2.* constat plures honores & divinos, arcusque & clypeos mortuo Germanico decretos, & subjicit, statuarum locorumve, in queis coleretur, haud facile quis numerum inierit.

LUPERCAL. Victor, *Lupercal in theatro*. Locus fuit in Palatini radicibus, ab Evandro Pani Deo Arcadiæ dicatus, qui Lycæus vocatur, eo quod non sinat lupos in oves sævire. Alii volunt Romulum & Remum ibi a lupa nutritos. Ovidius *in* 2. *Fastorum:*

Illa loco nomen fecit, locus ille Lupercal,
Magna dati nutrix præmia lactis habet.

Virgilius *in* 8. *Æneid.*

—— & gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de monte Lycæi.

Antrum fuit prope tres columnas, ait Pomponius Lætus: ibi etiam templum est conditum. Justinus *lib.42.* ex Trogo: *In Palatini*, inquit, *radicibus templum Lycæo, quem Græci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit. ipsum dei simulachrum nudum caprina pelle amictum est, quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur.* Hæc ille. Dionysius *lib.1. Arcades*, inquit, *templa construunt, primo quidem Lycæo Pani in loco, quem Romani Lupercal appellant, nos Lycæum dicere possumus; & nunc quidem ædificiis circum occupantibus omnia, difficilis conjectura est, qualis olim loci natura fuerit, sed, ut fertur, erat tum spelunca sub tumulo magno, denso querceto contecta, & sub petris profundi fonticuli, solumque rupibus contiguum nemorosum, & frequentibus ac proceris opacum arboribus, ibi ara dicata deo more patrio sacra fecerunt, quæ nostro quoque tempore faciunt Romani mense Februario post brumam.* Hæc Dionysius. *Lupercal*, ait Livius, *ludicrum in monte Palatino*. Plura alia Victor in hac regione recenset, quæ nostra descriptio omittit.

VICI XX. Victor VIII. Alii VII. videlicet *Padi*, *Curiarum*, *Fortunæ Respicientis*, *Salutaris*, *Apollinis*, *Hujusque diei*, *Fortunæ Reducis*.

ÆDICULÆ XX.
VICOMAGISTRI XLVIII. Victor XXVIII.
CURATORES II.
INSULÆ duo millia DCLXIII.
HORREA XLVIII.
BALNEA XIV.
LACUS LXXXIX. Victor LXXX.
PISTRINA XX.

Regio continet PEDES XX. millia sexcentos, ultra duo millia passuum.

REGIO XI. CIRCUS MAXIMUS.

TRes Romæ Circi fuere; Flaminius, a quo IX. regio nomen habuit, ut supra est dictum, Maximus, & Neronis. Circus Maximus primo a Romulo in raptu Sabinarum designatus, ut ait Plutarchus *in Romulo*, mox a Tarquinio Prisco rege conditus fuit inter Palatinum & Aventinum montes. *Ubi*, inquit Dionysius *lib.* 3. *circumquaque operta tecto fecit sedilia. Nam antea stantes spectare solebant, furcis tabulata sustinentibus. Locos spectaculorum in* XXX. *curias distribuit, ut curialium quisque suo loco spectaturus sederet. quod opus & ipsum procedente tempore annumerandum erat inter totius orbis pulcherrima. Longitudo enim ejus est trium stadiorum cum dimidio, latitudo quatuor jugerum. A duobus majoribus lateribus, & uno minore cingitur Euripo, qui aquas recipiat decempedali profunditate simul & latitudine. Post Euripum extructæ sunt triporticus, imæ habent lapidea paulum scandentia, sicut in theatris, sedilia. Super duplici contignatione sunt lignea. Duas majores porticus tertia minor conjungit, transversum lunata specie opposita, ut ex tribus una conficiatur amphitheatralis, octo stadiorum amplitudine, capax* XL. *millium hominum. Reliquum e minoribus latus, quod subdivale est, habet fornicatos carceres, unde equi emittantur, omnes uno clausos repagulo. Externe ambit Circum simplex porticus habens officinas, & superne cellas, per quas spectatores intrant, & ascendunt per officinas singulas, ut nulla confusio exoriatur inter tot millia tum venientium tum discedentium*. Ita Circum Dionysius describit. Plin. vero *lib.* 36. *cap.* 15. a C. Julio Cæsare Circum maximum factum fuisse scribit, quod intelligendum est instauratum. *Circum maximum*, inquit, *a Cæsare Dictatore extructum longitudine stadiorum trium, latitudine unius, sed cum ædificiis jugerum quaternorum ad sedem* CCLX *millium inter magna opera dicimus*. Hæc ille. prædictos carceres & metas antea ex topho & ligno Claudius ex marmore inauratasque fecit. Tranquillus *in Claudio c.* 21. *Circo*, inquit, *maximo marmoreis carceribus, auratisque metis, quæ utraque & tophia & lignea antea fuerant, excultos propria Senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis, ac super quadrigarum certamina Trojæ lusum exhibuit*. Hæc Tranquillus. Locos unde spectabant, foros dictos fuisse Livius *lib.*1. Idem Festus monet, ibi quadrigas cursum exercuisse, ut supra diximus. Tertius fuit Circus in VI. regione ad templum Floræ Caii & Neronis dictus, in quo tertius erat obeliscus, de quo Plinius *lib.*36. *c.*11.

CIRCUS MAXIMUS, qui capit loca quadringenta octoginta quinque millia. Plinius CCLX. millia. Victor CCCXXCV. Dionysius dicit CL. millium hominum, sed postea ampliatum fuit.

Continet XII. PORTAS. Victor XII. carceres. Cassiodorus *lib.* 3. *variar. ad Faustum epist.* 51. vero ait XII. portas fuisse instar XII. signorum cœlestium, & XII. mensium, *Bissena*, inquit, *ostia ad* XII. *signa posuerunt, ut quasi per* XII. *signa digrediens annus integer signaretur. Biga quasi Lunæ, quadriga quasi Solis imitatione reperta est*. & infra VII. *metis omne certamen peragitur in similitudinem hebdomadis reciprocæ. obeliscorum quoque prolixitates ad cœli altitudinem sublevantur, sed potior Soli, inferior Lunæ dicatus est*. Hæc Cassiodorus, qui plura ad Circum pertinentia recitat, multa a Tertulliano *de spectaculis cap.*VI. *de arte Circi* mutuatus. Major obeliscus erat pedum CXXXII. Minor pedum LXXXVIII. S. Circus erat circumdatus columnis cum epistyliis aureis, & statuis. Ejus pavimentum fuit ex chrysocolla. Pomponius Lætus *de Rom. Antiq.* Hæc dura est materies, quæ nascitur, postquam aurum est effossum, cujus retinet colorem, in cætero est lapis.

TEMPLUM MERCURII. Causa hujus templi in Circo condendi fuit, quia Castori aurigæ & Polluci hic Circus erat dicatus, quibus Mercurius equos dederat. Tertullianus *de spectaculis cap.*6. *de arte Circi*, loquens de Circo maximo: *Castori*, inquit, *& Polluci deputatur hæc species, quibus equos a Mercurio distributos Stesichorus docet*.

ÆDEM DITIS PATRIS. Quadriga vectum fuisse Plutonem poetæ fingunt, cujus nomina equorum etiam Claudianus recitat, & ob id ipsum quoque in Circum introduxerunt. Diespitrem Ditem Patrem Lactantius & Isidorus appellant.

CEREREM. Id est *ædem Cereris*, ut habet Victor. De hac ita Plinius *lib.*35. *c.*12. *Plastæ laudatissimi fuere Demophilus & Gorgasus, iidemque pictores, qui Cereris ædem Romæ ad Circum maximum utroque genere artis suæ excoluerunt, versibus inscriptis Græce, quibus significarunt a dextera opera Demophili esse, a læva Gorgasi. Ante hanc ædem Thuscanica omnia in ædibus fuisse auctor est M. Varro. Ex hac scilicet plastice, cum reficerentur, crustas parietum excisas tabulis marginatis inclusas esse, item signa ex fastigiis dispersa*. Hæc ille.

PORTAM TRIGEMINAM. Blondus *lib.* 1. *Instaur. Romæ* multum laborat in explanando nomine hujus portæ, nec se unquam potuisse ejus derivationem invenire fatetur. Aliqui Trigeminam dictam volunt, quia per eam trigemini fratres Horatii contra Curiatios pugnaturi exierunt, quod tamen Blondus improbat, & eam vult esse, quæ nunc S. Pauli dicitur. Hujus portæ sæpe Livius meminit, & Julius Frontinus.

APOLLINEM COELISPICEM, qui cœlum, vel Cœlium montem conspiciebat.

HERCULEM OLIVARIUM. Primus Olympiæ oleastro Hercules est coronatus, ut Plinius *lib.* 16. *cap.* 44. & alii tradunt. Hinc Olivarius dici potuit ea corona redimitus. Hoc fuit Myronis opus Eleutheritæ, de quo loquens ita Plinius *lib.*34. *cap.* 8. scribit: *Fecit etiam Herculem, qui est apud Circum maximum in æde Pompeii magni*. Hæc ille. Eum in Circo consecrarunt: quia Olympia quadrigis vicerat, in quibus oleastro victores caput cingebant. Plinius *lib.* 15. *c.*4. inde forte Olivarius est dictus.

VELABRUM. Locus Romæ, ubi oleum vendebatur. Plautus *in Captivis: Omnes compacto rem agunt, quasi in Velabro olearii*. Ibidem caseus omnium præstantissimus fumo conditus conficiebatur, quem Martialis Velabrensem appellat *lib.*11.

Vel Velabrensi massa recocta foco.

Horatius *lib.*2. *Satyr.*3.

—— *cum Velabro omne macellum*.

De hoc etiam Propertius *lib.* 4. *ad fin.* Tranquillus *in C. Julio Cæsare cap.*37. *Gallici*, inquit, *triumphi die Velabrum prætervehens, pene curru excussus axe disfracto*. Idem *in Nerone cap.*26. *Diruto Circi maximi arcu, per Velabrum, Forumque, Palatium & Apollinem petiit*. De eodem *lib.*4. & 5. *de Lingua Latina* Varro. Victor duo Velabra ponit, majus & minus. Olim locus paludosus fuit, itaque transituri in Aventinum ferebantur cymbula, & solvebant stipem. *Pecunia autem, quæ nautis pendebatur, velatura appellabatur, unde velabatrum*, inquit Pomponius Lætus.

ARCUM D. CONSTANTINI. Hunc arcum a Trajano Imper. inchoatum Constantinus superato ad Milvium pontem Maxentio tyranno sibi constituit, adjectis victoriæ insignibus. Est omnium, qui supersunt, integerrimus ad angulum Palatini montis prope theatrum positus. Blondus *lib.*3. *Romæ instau-*

instauratæ in stagnis vult ædificatum fuisse. In triplicem fornicem versus quatuor habet marmoreas striatasque columnas superiores trabes sustinentes, supra quas hæc est inscriptio, IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO MAXIMO P.F. AVGVSTO P.F. Q.R. QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS VLTVS EST ARMIS. ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

VICOS XVII. Victor VIII. *Confinium*, *Proserpinæ*, *Cereris*, *Argæi*, *Piscarium*, *Parcarum*, *Veneris*, *Sanctum*. Panvinius addit Vicum antiquum Publicii ad portam Trigeminam.

ÆDICULAS XIX. Credo legendum XVIII. quot erant vici. Nam quique vicus suam habebat ædiculam, ut etiam hic ponit Victor.

VICOMAGISTROS XIX. Legendum XLVIII. ut habent aliæ regiones, ut supra dixi. Victor habet XXXVIII. errore librarii.

CURATORES II.

INSULAS duo millia sexcentas.

DOMUS LXXXIX.

HORREA XVI.

BALNEA XV.

LACUS XX. Victor XV.

PISTRINA XV. Victor XI.

Regio continet PEDES undecim millia quingentos ultra duo milliaria.

REGIO XII. PISCINA PUBLICA.

PISCINA, quæ XII. regioni nomen dedit, est aqua conclusos pisces continens. Varro *lib.* 3. *de re rustica c.* 3. *Piscinas*, inquit, *dico eas, quæ in aqua dulci aut salsa inclusos habent pisces ad villam*. Sed hic erat locus aqua plenus sine piscibus, ad natandum paratus, & ob id piscina publica vocabatur, quæ postea esse desiit. Festus, *Piscinæ*, inquit, *publicæ hodie nomen manet, ipsa non extat, ad quam & natatum & exercitationis alioqui causa veniebat populus*. Martialis:

Piscinam peto, non licet natare.

Plinius *lib.*2. *epist.*17. *ad Gallum*, *Cohæret*, inquit, *calida piscina, ex qua natantes mare aspiciunt*. Hæc a Sidonio Apollinari baptisterium appellatur, quasi lavacrum, *Piscina*, inquit, *seu Græcari mavis, baptisterium*. Hæc ille. Marmore circundatam fuisse hanc piscinam est credendum, cum scribat Seneca Thasio lapide privatas piscinas in balneis cingi. *Pauper*, inquit, *sibi videtur, nisi Thasius lapis quondam rarum in templo spectaculum piscinas nostras circundedit, in quas multa sudatione corpora animata demittimus*. Hujusmodi fuit piscina Siloe, quæ etiam natatoria dicitur, *Joan.*9. & probatica piscina *Joan.*5. Græci κολυμβρῆθαν, id est *natatoriam* vocant. Ab hac piscina publica vicus piscinæ publicæ est dictus. auctor est Lampridius Heliogabalum natasse in piscinis unguento infectis aut croco. Continet

AREAM RADICARIAM. In qua radices vendebantur. Radicem autem Dioscorides vocat raphanum.

VIA NOVA. Victor, Caput viæ novæ, quod ibi caput marmoreum vel æneum alicujus locatum erat, vel quod ibi esset initium viæ novæ. Gellius *lib.*16. *c.*17. scribit *Ajum Deum appellatum aramque ei statutam, quæ est in infima nova via, quod in eo loco divinitus vox edita erat*.

FORTUNAM MAMMOSAM, a fœcunditate ita dictam, quod velut lacte Romanos aleret. Mammosa autem est, quæ habet magnas mammas. Plinius thus mammosum mammas imitans ad diffe-

A rentiam masculi appellat: Plinius *lib.* 12. *cap.* 14. quem sensum si sequamur, pro Fortuna Muliebri Mammosa acciperetur, de qua supra est dictum; ab hac vicus in hac regione Fortunæ Mammosæ est dictus.

ISIDEM ATHENODORIAM. Victor legit *Antenodoram*. primum significat Athenarum aut Palladis donum, secundum Anthenoris donum. prior lectio hoc simulachrum Athenis Romam delatum esse significat. Alexander ab Alexandro *lib.* 6. *Gen. dier. cap.*8. duas Isides Romæ fuisse scribit, unam Patriciam, de qua supra in quincta regione, alteram Antenodoram, cujus templum in regione Mar-

B tii campi fuit proximum Tiberi, juxta septa, & ovile, de quo hic agitur.

ÆDEM BONÆ DEÆ SUBSAXANÆ. Hanc magnam Matrem, & Terram, Majamque esse ostendere Macrobius laborat: alii Fauni filiam, alii, ut Lactantius *lib.* 1. *de fals. relig. c.* 22. ejus uxorem fuisse dicunt, & a viro cæsam, quod vinum bibisset. Plutarchus *in Problematibus* Flavii vult uxorem fuisse. De hac late Alexander ab Alexandro *lib.*6. *Genial. dier.cap.*8. qui dicit duas Romæ ædes Bonæ Deæ fuisse, unam in Aventino, alteram juxta Isidis templum ad Novam viam, quæ est ista, de qua

C loquimur. Subsaxana autem forte dicta fuit, quod sub saxum montis esset locata.

SIGNUM DELPHINI. Hujus simulachri nulla, quod sciam, memoria habetur. Plinius *lib.*33. *c.*11. auctor est C.Gracchum delphinos quinis millibus sestertiis in libras emisse. Sed hi hominis privati fuere.

THERMAS ANTONINIANAS. Ab Antonino Caracalla factas omnium celebratissimas, de quibus ita Spartianus *in Antonino Caracalla*: *Opera Romæ reliquit thermas nominis sui eximias, quarum cellam solearem architecti negant posse ulla imitatione, qua facta est, fieri*. Nam & ex ære vel cupro can-

D celli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota credita est, & tantum est spacii, ut id ipsum fieri negent potuisse dicti mechanici. De his ita Eutropius *in Antonino*: *Opus egregium fecit lavacri, quæ Antoninianæ appellantur*. Blondus *lib.*2. *Hist. Rom.* dicit eas fuisse, ubi nunc est templum S. Priscæ. Alii dicunt S.Balbinæ. Earum etiam nunc extant reliquiæ.

SEPTEM DOMOS PARTHORUM. Qui sint hi Parthi, qui Romæ septem domos habuerunt, difficile est invenire; si quid conjectura assequi licet, forte Parthos intelligit Severum Romam secutos, post bellum cum illis confectum, quos gemmis

E onustos illis temporibus se vidisse Tertullianus scribit *de habitu muliebri*. *Vidimus*, inquit, *Romæ de fastidio Parthorum, & Medorum, ceterorumque Gentilium suorum coram matronis erubescentem, nisi quod nec ad ostensionem fere habentur. latent in cingulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu novit, & in peronibus uniones emergere de luto cupiunt. Denique tantum gemmarum habet, quod gemmatum esse non debet, si non comparet, aut ideo comparet, ut neglectum esse ostendatur. Sed & parietes Tyriis, & hyacinthinis, & illis regiis velis, quæ vos operose resoluta transfiguratis,*

F *pro pictura abutuntur*. Hæc ille. Luxum ostendit Parthorum in vestibus, quas gemmis onustas gestabant, & in locis occultis, & in ædibus, quarum parietes purpura tegebant, & fœminas taxat, quæ illos luxu superabant. Has Romæ speciosas domos ædificasse Severus videtur, cum in eo ita Sex.Victor scribat: *Ad largiendum liberalis in amicos, in inimicos pariter vehemens, quippe qui Lateranum Chilonem, Æmilianum Bassum, ceterosque alios ditaret, ædibus quoque memoratu dignis, quarum præcipuas videmus, Parthorum quæ dicuntur & Laterani.*

CAMPUM LANATARIUM. A lana ibi vendita nomen habuisse videtur, etsi vocabulum sit inusitatum.

DOMUM CHILONIS. Legendum est *Cilonis*, Fabius Cilo intelligitur, qui imperante Severo bis urbi præfuit, ut Dion, Spartianus, uterque *in Antonino Caracalla*, & Ulpianus, *l.8. §.3. de pœnis*, *l.6. de interdict.* tradunt. Consul Pertinacis Imp. jussu Commodi occisi cadaver clam nocte humavit. Lamprid. *in Commodo in fine*. Idem Antoninum Caracallam educaverat, & pene ab eo occisus est, sed tumultu populari servatus, ut Dion & Spartianus scribunt *in Antonino Caracalla*. Is speciosam domum in urbe ædificavit, quæ pro insigni hic ponitur.

COHORTES IV. Victor *cohortes* III *vigilum*.

DOMUM CORNIFICII. L. Cornificium intelligit, qui hortatu Augusti ædem Dianæ Romæ condidit, ut auctor est Tranquillus *in Augusto c.29.* Hic in Sicilia exercitui Augusti præfuit, & ab hostibus adventu Agrippæ evasit. Dion *in Augusto*: *Cornificius*, inquit, *qui Cæsariano exercitui in Sicilia erat præfectus, periclitabatur, ne, si in loco consisteret, inopia cibariorum expugnaretur, quod si recederet, ne una cum exercitu periret, circumstantibus hostibus & eminus jaculantibus ac opportunis locis invadentibus. Tamen quia Agrippa transierat in Siciliam, Mylasque ceperat, ac hostes insecutus ad eum venerat, præter spem evasit. Qua ex re propter suam & militum salutem tanta lætitia efferebatur, ut Romæ, quoties foris cœnaret, elephanto veheretur, & magnificas ædes habuit*, quæ hic celebrantur.

PRIVATUM HADRIANI. Victor, *Privata Hadriani*, scilicet domus, quam nondum Imperator habitabat. Capitolinus *in M. Antonino*: *Jussus*, inquit, *in Hadriani e privata domum migrare, invitus de maternis hortis recessit*.

VICOS XIV. Victor XII. videlicet *Veneris almæ*, *Piscinæ Publicæ*, *Dianæ*, *Cejos*, *Triari*, *Salientis Signi*, *alias Aquæ Salientis*, *Laci tecti*, *Fortunæ Mammosæ*, *Colafiti Pastoris*, *alias Colapeti*, *Portæ Rudusculanæ*, *seu Raudusculanæ*, *Portæ Næviæ*, *Victoris*.

ÆDICULAS XVII. Lego XIV quot erant vici.

VICOMAGISTROS XLVII.

CURATORES II.

INSULAS duo millia quadringentas octoginta septem. Victor II. millia CDLXXXVI.

DOMOS CXIV.

HORREA XVII. Victor XXVIII. alias XXVI.

BALNEA LXIII. Victor XLIV.

LACUS LXXXI.

PISTRINA XX.

Continet regio PEDES duodecim millia, ultra duo milliaria.

REGIO XIII. AVENTINUS.

AVentinus, inquit Dionysius *lib.3. altus ambitu* XVIII. *ferme stadiorum, id est, ultra duo milliaria: ab Anco rege fossa & muro est cinctus, tum sylvis varii generis & precipue lauro obsitus, unde lauretum pars ejus dicitur: nunc totus refertus est ædificiis, ubi inter alia pulchra Dianæ templum visitur*. Hæc Dionysius. *Dictus est autem Aventinus*, ut idem & Festus tradunt, *quod ibi rex Albanorum Aventinus bello fuerit extinctus atque sepultus*. At M.Varro *lib.4. de Lingua Latina*, *Aventinum*, ait, *aliquot de causis dicunt*: *Nævius, ab avibus, quod eo se ab Tiberi ferrent aves. Alii ab rege Aventino Albano, quod ibi sit sepultus. Alii ab adventu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianæ templum sit constitutum. Ego maxime puto ab advectu. Nam olim paludibus mons erat ab reliquis disclusus, itaque eo ex urbe qui advehebantur ratibus quadrantem solvebant*. Hæc Varro. Totus hic mons XIII. regionem urbis occupabat. Continebat autem

TEMPLUM DIANÆ & MINERVÆ. Victor, *Templum commune Dianæ*, ita appellat, quia ut Livius scribit, consilio Servii Tulli regis Latini populi cum populo Romano hoc templum utrisque commune condiderant. *Evenit autem*, inquit Livius, *ut bos in Sabinis miranda magnitudine ac specie nasceretur, fixaque per multas ætates cornua in vestibulo templi Dianæ monumentum ei fuere miraculo. Cecinere vates, cujus eam civitatis civis Dianæ immolasset, ibi fore Imperium, id carmen pervenerat ad antistitem fani Dianæ. Sabinus ut primum apta dies sacrificio visa est, bovem Romam actam deducit ad fanum Dianæ, & ante aram statuit: ibi antistes Romanus, cum eum magnitudo victimæ celebrata fama movisset, memor responsi Sabinum ita alloquitur. Quidnam tu hospes paras*, inquit, *inceste sacrificium Dianæ facere? quin tu ante vivo perfunderis flumine. Infima valle præfluit Tiberis. Religione tacitus hospes descendit ad Tiberim. Interea Romanus immolat Dianæ bovem*. Hæc Livius. Cornuaque bovis diu in ejus templi vestibulo appensa stetere: eandem historiam Plutarchus *in Problematis Problem.3. Rom.* narrat: *In cæteris Dianæ templis*, inquit, *cervorum cornua affiguntur, in Aventino autem tantummodo boum, & hoc factum ex Jubæ & Varronis monumentis*. De hoc templo ita Martialis:

Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.

MINERVÆ templum a Victore omittitur, unde idem potuit utrique Deæ esse commune. Vicum tamen Minervæ ponit. Pompejum magnum Minervæ ex manubiis templum dicasse Plinius *lib.7. cap.26.* scribit, in quo breviarium ipsius gestorum scriptum erat.

NYMPHÆA TRIA. Hæc etiam Victor omittit. De nymphæis late supra in V. regione est dictum in nymphæo Alexandri. Capitolinus scribit Romæ nulla Gordiani Imp. opera extare, præter quædam nymphæa & balneas, & hæc forte erant ab ipso extructa. Josephus *de Bello Judaico lib. 1. cap. 16.* nymphæa lacus interpretatur, loquens enim de Herode majore: *Apud Ascalona*, inquit, *nymphæa sive lacus ornatissimos & balneas constituit*.

THERMAS VARIANAS & DECIANAS. Heliogabalum Antoninum etiam Varium appellatum Lampridius scribit *in Heliogabalo in princ.* postmodum loquens de ejus operibus subdit: *Opera publica ipsius, præter ædem Heliogabali Dei, & amphitheatri instauratio post exustionem, & lavacrum in vico Sulpicio, quod Antoninus Severi filius cœperat, nulla extant. Et lavacrum quidem Antonini Caracalla dedicaverat, & lavando, & populum admittendo, sed porticus defuerant, quæ postea ab hoc sub Decio Antonino exstructæ sunt & ab Alexandro perfectæ*. Hæc ille. Lego autem apud Lampridium, pro *sub Decio Antonino*, *subdititio Antonino, quia Pseudantoninus*, ait Dion, *Heliogabalus vocabatur*; vel, si legamus *Decio*, delenda est dictio *Antonino*: nam ut ait Eutropius, *Decius Imperator lavacrum seu thermas fabricavit, quæ Decianæ sunt nuncupatæ*. Apud Victorem deest, *Decianas*. Harum thermarum in Aventino est hæc inscriptio: AQVA TRAIANA Q. ANICIVS Q.F. ANTONINIA. CVR. THERMARVM VARIANARVM.

DOLIOLUM. Hujus nominis causam refert Festus: *Doliola*, inquit, *locus in urbe sic vocatus, quia in adeuntibus Gallis Senonibus urbem sacra in eodem loco doliolis reposita fuerunt, qua de causa in eodem loco ne despuere quidem alicui licebat*. Idem tradit Livius *lib. 5.* qui a Flamine Quirinali Vestalibusque sacra doliolis condita fuisse scribit. At M. Varro

*lib.*4. *Est locus*, inquit, *qui vocatur Doliola, ad cloacam maximam, ubi non licet despuere a doliolis sub terra. Eorum duæ traditæ historiæ. Quod alii esse ajunt ossa cadaverum. Alii Numæ Pompilii religiosa quædam post mortem ejus infossa.* Hic locus religionis causa, ut puto, nominatur. A

MAPPAM AUREAM. Mappa signum erat cursus equorum incipiendi: ea enim missa a magistratu cursum Circensem auspicabantur. Unde Tranquillus *in Nerone cap.* 22. *Nero aurigare*, inquit, *& spectari voluit in Circo maximo, aliquo liberto mittente mappam, unde magistratus solent*. Quintilianus etiam dixit mappa Circo usitatum esse nomen, propterea quod in Circensibus spectaculis pro signo mittebatur a magistratu. Hinc Martialis ait *lib.*12. B

Cretatam prætor cum vellet mittere mappam,
Prætori mappam surripit Hermogenes.

Hæc velut signum currendi in hac regione alicui muro aurea erat affixa.

PLATANONES. Locus platanis consitus, & velut sylva platanorum, quas Claudium Principem in suburbano habuisse Plinius scribit *lib.* 12. *cap.*1. Arbor umbræ causa tantum expetita, quæ æstate solem arcet, hyeme admittit. Unde Virgilius dicit: C

Atque ministrantem platanum potantibus umbram.

Hic locus pro insigni censetur.

HORREA GALBÆ. Victor habet, *Horreorum Galbianorum Fortunæ*. Hoc dicitur, quia simulachrum Fortunæ Conservatricis his horreis astabat, quod ea tueri a gentibus credebatur, ut sequens ostendit inscriptio: NVM. DOM. AVGG. SACRVM FORTVNÆ CONSERVATRICI HORREORVM GALBIANORVM M. LORINVS FORTVNATVS MAGISTER S.P. D.D. id est, Numini dominorum Augustorum, scilicet Theodosii junioris, & Valentiniani III. Lorinus sacrum illud sua pecunia dedicavit: appellatur magister, nimirum regionis hujus XIII. Hæc autem fuisse arbitror horrea Galbionis ducis Valentiniani, qui missus est in Africam contra Bonifacium tyrannum circa annum salut.429. ut *in Chronicis* auctor est D. Prosper. Lego igitur *Galbionis*, non Galbæ, quia Galbiana, non Galbana vocantur. & ita appellantur in Notitia utriusque Imperii, sub Præfecto urbi, quibus curator horreorum Galbianorum nuncupatus præficiebatur, cum essent Romæ præcipua, & ibi latius de his disserui. D

PORTICUM FABARIAM. Sub. qua faba vendebatur. E

SCHOLAM CASSII. Cum plures fuerint Cassii, de quo hic intelligatur, difficile est discernere. De schola supra dictum est in III. regione. Hic forte est, qui etiam viam Cassiam stravit, de qua Festus.

FORUM PISTORIUM. Ubi panem pistores vendebant.

VICOS XVII. Plures Victor nominat, scilicet *Fidei, Frumentarium, Cæseti, Valerii, Laci miliari, Fortunæ, Capitis canteri, Trium alitum, Novum, Loreti minoris, Armilustri, Consi, Tacii, Columnæ ligneæ, Materiarii, Mundiciei, Loreti majoris, Fortunæ Dubiæ.* F

ÆDICVLAS XVII. quot erant vici.

VICOMAGISTROS XLVIII. Victor mendose habet LXVIII.

CURATORES II.

INSULÆ duo millia quadringentæ octoginta septem.

DOMUS CXXX. Victor CIV.

HORREA XXV. Victor XXXVII.

BALNEA LXIV. Victor LXXIV.

LACUS LXXXVIII. Victor LXXVIII.

PISTRINA XX. Victor XXX.

Continet regio PEDES ducenta novem millia; præpostere posita est dictio *ducenta*, cum scribendum esset IX. millia CC. Victor habet, *Regia in ambitu habet pedes* XVI. CIↃ. CCC. quæ mensura excederet tria milliaria, cum Dionysius scribat ambitum totius Aventini non excedere XVIII. stadia, id est duo milliaria, & quartam partem. Nostra descriptio non pervenit ad duo milliaria.

REGIO XIV. TRANSTIBERINA.

IN hac regione trans Tiberim Janiculum fuit, ubi Hetruria incipiebat. Hunc montem Ancus Martius munivit. Dionysius *lib.*3. loquens de Anco ait: *Muro cinxit & Janiculum montem in adversa ripa imminentem Tiberi, collocavitque in eo præsidium, ut ab Hetruscis tutior esset navigatio fluminis, quam totam eam ripam tenentes infesti erant negotiatoribus. Sublicium quoque pontem mere ligneum, cui compingendo nefas est quicquam ferri ærisve addere, ille imposuisse Tiberi dicitur, qui hodie quoque superest, & sacer habetur ab omnibus.* Hæc ille. Hæc regio pestilens a vilibus habitabatur. Continet

CAIANUM. Obeliscum puto intelligi a Cajo principe in Vaticano locatum. Plinius *lib.*16. *cap.*40. *Abies*, inquit, *admirationis præcipuæ visa est in navi, quæ ex Ægypto Caii principis jussu obeliscum in Vaticano Circo statutum quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum adduxit*. Hic obeliscus hodie visitur. De eodem ita idem Plinius *lib.*36.*cap.* 11. *Tertius obeliscus est in foro Vaticano Caii & Neronis principum Circo. ex omnibus unus omnino fractus in molitione ejus, quem fecerat Sesostridis filius Nuncoreus*. Apud Victorem deest *Cajanum*. Tantum legitur, *Vicus Cajanarum*. Ambit hæc regio circiter passuum tria millia.

VATICANUM. Gellius *lib.*16. *cap.* 17. *Agrum Vaticanum*, inquit, *& ejusdem Deum præsidem appellatum acceperamus a vaticiniis, quæ vi atque instinctu ejus Dei in agro fieri solita essent. Sed præter hanc causam M.Varro in libris divinarum aliam esse tradit istius nominis rationem: Nam sicut Ajus, inquit, Deus appellatus, araque ei statuta est, quæ est in infima nova via, quod eo in loco divinitus vox edita erat, ita Vaticanus Deus nominatus, penes quem essent vocis humanæ initia, quoniam pueri simulatque parti sunt, eam primum vocem edunt, quæ prima in Vaticani syllaba est: idcirco vagire dicitur, exprimente verbo sonum vocis recentis*. Hæc Gellius. Festus vero Pompejus, *Vaticanus collis*, ait, *appellatus est, quod eo potitus est populus Rom. vatum responso expulsis Hetruscis*.

FRYGIANUM. Id aliud esse non puto, quam templum Phrygiæ Matri dicatum; & legendum, *Phrygianum*. hoc nomen apud Victorem non invenitur.

NAUMACHIAS VI. Lacus erant, in quibus naves pugnabant, seu navale prælium populo repræsentabatur: omnes erant circa Tiberim, unde aqua ad implendos lacus extrahebatur: una ex his ab Augusto facta fuit. Tranquillus in eo *cap.* 43. *Item navale prælium circa Tiberim dedit cavato solo, in quo nunc Cæsarum nemus est*. Hæc ille. Permansit hic naumachiæ locus etiam Tiberio imperante: Tranquillus enim de eo loquens *in Tiberio cap.* 72. *Bis*, ait, *omnino toto secessus tempore Romam redire conatus, semel triremi usque ad proximos naumachiæ hortos subvectus est* Lacum hunc naumachiæ Augustus propria aqua ex Alsatio deducta implevit: ut Julius Frontinus his verbis significat: *Quæ ratio moverit Augustum providentissimum principem producendi Alsitiam aquam, quæ vocatur Augusta, non satis perspicio, nullius gratiæ, imo parum salubrem, & nusquam in usus populi fluentem, nisi forte, cum opus naumachiæ aggrederetur, ne quid salubrioribus aquis*

detraheret, hanc proprio opere perduxit, & quod naumachiæ cœperat superesse, subjacentibus hortis, & privatorum usibus ad irrigandum concessit. Hactenus Frontinus. Alium locum ob naumachiam effodit Domitianus, ut auctor est Tranquillus in eo *cap.4. Edidit*, inquit, *navales pugnas pene justarum classium effosso & circumstructo juxta Tiberim lacu, atque inter maximos imbres prospectavit.* Hæc ille. Ediderat & Julius Cæsar naumachiam, sed in campo Martio defosso, immissaque aqua, & navibus introductis, ut auctor est Dion *lib.43.* Alias naumachias alii principes ediderunt: sed forte delenda est dictio seu nota v. qua Victor caret, & tantum habet, *naumachiæ* Alii scribunt *naumachias duas*.

HORTOS DOMITIANOS. Domitiæ Longinæ hortos intelligit, in quibus libenter versatum fuisse Aurelianum Vopiscus memorat: *Displicebat*, inquit, *ei, cum esset Romæ, habitare in palatio, ac magis placebat in hortis Sallustianis vel Domitiæ vivere.* Hæc ille. Fuit Domitia uxor Domitiani Imp. Longina cognominata, quam ille *Ælio Lamiæ nuptam in matrimonium abduxit*, ut ait Tranquillus *in Domitiano cap.3.* & licet Dion scribat ob adulterium cum Paride saltatore commissum repudiatam, apud illum tamen semper mansit, quam Tranquillus *cap.17.* ejus cædi interfuisse & Dion consciam fuisse scribunt.

BALNEUM AMPELIDIS, & PRISCI, & DIANÆ MOLINAS. Victor hæc dividit, & legit, *Balneum Ampelidis, balneum Priscillianæ, Deæ Maniæ sacellum.* & ita credo hunc locum restituendum: illud enim verbum, *Molinas*, nihil significat. Quæ vero fuerit Ampelis, & qui Priscus, difficile est invenire: si legeretur Ampelii, is sub Valentiniano urbi præfuit, *l.2. de offic. præf.urb.* & potuisset hujus balnei fuisse auctor. Prisci quoque plures fuere, quorum unus fuit dux Decii, ut refert Jornandes. Alius fuit procurator Cæsaris Antonini, *l.pen.ff. de auct.tut.* Neratius etiam & Jabolenus Jureconsl. Prisci sunt cognominati, & alius Priscus sub Gordiano floruit; *l.eum qui C.de inoff.testam.* unde discerni non potest, quis hoc balneum fabricaverit.
Mania vero, ut Varro *lib.8. de Lingua Latina*, & Macrob. *lib.1. Saturnal.* scribunt, *erat mater Larium seu Penatum, cui pueri mactabantur ex Apollinis responso, qui capita ei jusserat sacrificari.* Ceterum Brutus, pulso Tarquinio, allii, & papaveris capitibus introduxit illi litari. *Manias etiam appellabant larvas, id est, Manes, quos deos esse putabant ab inferis ad superos emanantes, quorum mater erat Mania seu avia*, ut ait Festus.

JANICULUM. Montem trans Tiberim fuisse in hujus regionis initio diximus; inde autem nomen habuit, inquit Festus, *quod per eum populus Romanus primitus transierat in agrum Thuscum, &* velut illuc eundi janua fuerit. Aliam derivationem tradit Macrobius, scilicet a Jano, qui ibi habitabat, & sepultus est; & hoc sequitur Virgilius VIII. Æneid.

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Solinus: *Quis dubitat Janiculum a Jano fuisse conditum?* idem Dionysius & Ovidius.

STATVAM VALERIANAM. Valeriani Imp. puto patris aut filii.

COHORTES VII. VIGILUM.

CAPVT GORGONIS. Gorgones tres fuere sorores Phorcinis filiæ, Euryale, Stheno, Medusa, capita draconibus innata habentes, dentes instar dentium suum prominentes, manibus & alis per aera ferri, ac ipsas intuentes in saxa vertere dicebantur. Porro Perseus Medusæ decollatæ caput clypeo affixit, quod spectantes in saxa converti ferebantur; ejus simulachrum hoc in loco erat affixum.

FORTIS FORTUNÆ TEMPLVM. Forti Fortunæ templum, ut multa alia, a Tatio Sabinorum rege vota Varro *lib.4. de Lingua Latina* scribit. Sed alibi idem Varro *lib.5* a Ser. Tullo rege Romæ hoc templum dicatum fuisse narrat. *Dies*, inquit, *Fortis Fortunæ appellatus ab Servio Tullo rege, quod is fanum Fortis Fortunæ secundum Tiberim extra urbem Romam dicavit Junio mense.* At Livius Carvilium Cos. ex bello Hetrusco æris gravis in ærarium trecenta nonaginta millia tulisse memorat, de reliquo ære ædem Fortis Fortunæ faciendam prope ædem Matutæ locavisse. Hæc ille. Forte Carvilius collabentem instauravit. Alia vix esse potest, cum uterque eodem in loco hanc ædem statuat extra urbem secundum Tiberim. Fortunam vero multis nominibus appellabant; Publicam, quod Reip. faveret; Masculam, quæ maribus; Muliebrem, quæ mulieribus; Virilem, quæ adultis; Primigeniam, quæ primigenitis; Fortem, quæ ex insperato aderat; Equestrem, celeriter venientem; Obsequentem ad omnia vota præsentem; Parvam, humiles extollentem; Sejam, segentibus faventem; Prosperam, semper propitiam; Malam, jugiter adversantem, & alia hujusmodi deliramenta, quibus mirum est non modo populum Rom. sed & alios fere omnes tanta cæcitate arte diaboli oppressos fuisse. Templum Fortunæ Romæ sub Maxentio conflagrasse Zosimus *lib.2.* scribit.

AREAM SEPTIMIANAM. Campus a Septimio Severo Imp. exornatus.

HERCULEM CUBANTEM. Simulachrum Herculis cubantis. Hunc in Pantheo M. Agrippæ fuisse Plinius *lib.36. cap.5.* scribit. *In honore*, inquit, *est & in templo illo Hercules, ad quem Pœni omnibus annis humana sacrificaverunt victima, humi stans ante aditum porticus ad nationes sitæ*, sed hic dicitur humi stetisse, non cubasse, unde eum a nostro diversum esse puto.

CAMPUM BRYTIANUM, & CODETANVM. Hos Victor dividit: & campum Brutianum appellat. Ab eodem Bryto seu Bruto, cujus domus pro insigni in III. regione supra ostenditur, hunc campum complanatum exornatumque puto.
Codetanum vero campum a Codeta liberto Veri Imp. fratris M. Antonini philosophi exornatum intelligit. Is plurimum apud patronum potuit, ut in eo & *Marco* Capitolinus scribit. Ad hoc campum Codetanum conditum puto, quia alium hujus nominis non invenio.

HORTOS GETÆ. Omnibus notum est Getam Cæsarem Severi Imperatoris filium & Antoninum Caracallæ fratrem fuisse, a quo est intellectus.

CASTRA LETICARIORUM. Certum est lecticarios esse illos, qui lecticam ferunt. Martianus, *in l.legatis §.1. de leg.3. Si servus*, inquit, *ex officio ad artificium transierit, quidam recte putant legatum extingui, quia officium artificio mutatur, cum lecticarius cocus postea factus est.* Hic lecticarius est, qui fert lecticam, quod est officium; cum postea fit cocus, est artifex: ita etiam intelligunt, Paulus *in l.servis urbanis, 56. §.pen. de leg.3.* Ulpianus *l.29.de ver. obl.* Pomponius *in l.si ex toto, §.ult. de leg.1.* & Scævola *in l.uxori, 13.de aur. & arg.legato.* Constantinus vero lecticarios pro fabris lecticas facientibus accepit *in l.1.C. de excus.artific.* Hic vero videndum de quibus loquatur, & quæ sint castra lecticariorum, si pro fabris intelligimus, castris opus non est: sed quique in suis ergasteriis, quemadmodum alii artifices, operabantur. Si pro his qui lecticas ferunt, vix mihi persuadeo tot fuisse, ut in castra essent conjiciendi. Nobiles enim a suis lecticariis servis ferebantur, pauperes his non utebantur. Quare censeo hinc lecticarios pro vespiloni-

bus & cadaverum bajulis accipi: ita appellat Justinianus *in Novella* 43. *in princ. Constantinus*, inquit, *& Anastasius lecticariorum seu decanorum numerum ad certam mensuram redegerunt mille centum:* ita etiam Græce bis appellat λεκτικαρίως *in Novella* 59. §. 1. Hi prius Constantinopoli, ubi ingens erat populus, 950. hoc officio fungebantur. *l. 9. c. de sacr. san. eccles.* postea ad numerum M. C. sunt aucti, *Novella* 43. *&* 59. Constantinus 190. ergasteria ad hunc usum deputaverat, postmodum Anastasius ea ad M. C. auxit. Romæ quoque, ubi magna populi erat frequentia, plurimi, qui humandis mortuis operam darent, fuerant instituti lecticarii a portandis lectis nominati, alias decani vocabantur, *l. 4. ad Novellam* 43. & quia magnus erat horum numerus, in unum locum erant conjecti, qui castra lecticariorum dicebantur, & hunc credo esse verum hujus dictionis sensum. Dicuntur autem lecticarii, quia lectum ferebant, super quo decumbebat cadaver, ait Justinianus *in Novel.* 59. *cap.* 4. & quandoque plures lectos pompæ causa præferebant, quibus præstituit, quantum consequi debeant ex reditibus M. C. ergasteriorum ad hoc munus destinatorum: lecticarios vero vult gratuito omnibus defunctis hoc præstare officium, nisi heredes defuncti plures ad funus lectos exposcant.

VICOS LXXVIII. Victor XXIII. Sunt autem hi. Vicus Censorii, Gemini, Rostratæ, Longi Aquilæ, Statuæ Siccianæ, Quadrati, Raciliani majoris, Raciliani minoris, Janiculensis, Brutianus, Larum ruralium, Statuæ Valerianæ, Salutaris, Paulli, Sex. Luceii, Simi Publici, Patratilli, Laci restituti, Saufei, Sergi, Ploti, Tiberini, Gajanarum.

Ædes LXXVIII.

VICOMAGISTROS XLIII. quot sunt in aliis regionibus. Victor ponit LXXXVIII.

CURATORES II.

INSULAS quatuor millia quadringentas quinque.

DOMOS CL.

HORREA XXII.

BALNEA LXXXVI. Victor CLXXXVI. quem puto mendosum, quia nulla regio ad hunc numerum pervenit.

LACUS CLXXX.

PISTRINA XXII.

Continet regio PEDES triginta tria millia quadringentos octoginta octo, excedunt sex milliaria. est latior regio cæteris.

Totius vero urbis ambitum Plinius suo tempore millium passuum XIII. & CC. fuisse scribit, id est ultra XIII. milliaria. *Aurelianus vero Imp.* ait Vopiscus, *muros urbis sic ampliavit, ut quinquaginta prope millia eorum ambitus teneret.* Sed hoc tempore eum non tam latum fuisse numerus ædificiorum & ambitus regionum, qui ad hanc amplitudinem non perveniunt, ostendunt.

EPILOGUS RERUM INSIGNIUM URBIS.

BIBLIOTHECÆ XXIX. Ex his præcipuæ duæ.

PALATINA, & ULPIA. Victor addit has publicas fuisse, id est, ab omnibus potuisse adiri. Hæ in regionibus supra nullibi sunt nominatæ, sed hic non sunt visæ prætermittendæ. Quæ vero omnes essent, & a quo conditæ, sciri non potest. De Palatina bibliotheca, Latina, & Græca supra X. regione est dictum. Ulpia ab Ulpio Trajano est dicta, & quem bibliothecam exstruxisse Dion scribit. Hæc in ejus templo erat, in qua edicta Prætorum, libri lintei atque elephantini, Principum gesta, ac Senatusconsulta continebantur. Gellius *lib.* 11. *cap.*

A 17. *Edicta*, inquit, *veterum Prætorum, sedentibus forte nobis in bibliotheca templi Trajani, & aliud quid requirentibus, cum in manus incidissent, legere atque cognoscere libitum est.* Hæc ille. In ea Numeriano Cæsari statuam dicatam Vopiscus scribit. *Statua*, inquit, *illi non quasi Cæsari, sed quasi Rhetori decreta est ponenda in bibliotheca Ulpia, cui subscriptum est. Numeriano Cæsari oratori temporibus suis potentissimo.* Idem Vopiscus narrat Aurelianum in libris linteis quotidiana sua scribi præcepisse, qui erant in Ulpia bibliotheca. Hæc in thermas Diocletianas postea est translata. Vopiscus *in Probo: Usus sum*, inquit, *libris ex bibliotheca Ulpia ætate*
B *mea thermis Diocletianis.*

Erant & aliæ bibliothecæ Romæ, ut Luculli, quam omnibus adeundam exhibebat. Plutarchus *in Lucullo: Plurimos*, inquit, *pulcherrimeque scriptos coegit libros, & studioso cuique, & bibliothecæ, & quæ circa eam erant, scholæ atque deambulachra libere perpetuoque patebant, quo se Græci, cum per ocium licuisset, velut in amœnissimum Musarum diversorium conferre solebant, ibi loquendo, legendo, disputando diem jucunde terebant.* Hucusque Plutarchus. Celebratur & bibliotheca Asinii Pollionis, quæ prima Romæ publicata: M. Varronis adhuc viventis &
C aliorum illustrium virorum imaginibus est exornata. Plinius *lib.* 7. *cap.* 30. *M. Varronis*, ait, *in bibliotheca, quæ prima in urbe ab Asinio Pollione de manubiis publicata Romæ, & unius viventis posita imago est haud minore, ut quidem reor, gloria principe oratore, & cive ex illa ingeniorum, quæ tunc fuit, multitudine uni hanc coronam dante, quam cum eidem Pompejus Magnus piratico ex bello navalem dedit.* Hæc ille. De imaginibus illustrium virorum in hac bibliotheca primum positis idem Plinius hæc scribit *lib.* 35. *cap.* 2. *Asinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus bibliothecam dicando ingenia hominum Remp. fecit.* Hactenus ille. Gel-
D lius *lib.* 6. *cap.* 8. Pacis bibliothecæ meminit. Quatuor Græci, & tres Latini bibliothecis præficiebantur, qui libros componerent, & vetustate læsos describerent, iisque ex publico salarium dabatur, *l.* 2. *C. Theod. de stud. lib. urbis Rom. & Constantin.* Alias Romæ bibliothecas, a quibus, & quando conditæ sint, difficile est invenire.

OBELISCI V.

HI vel errore librarii, vel aliam ob causam in regionibus sunt prætermissi. cum tamen urbem mirifice exornarent, nec Constantino-
E poli inveniuntur. *Est obeliscus*, inquit Marcell. *asperrimus lapis in figuram metæ cujusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, utque radium imitetur gracilescens paulatim, specie quadrata in verticem productus angustum, manu lævigatus artificis. Formarum autem innumeras notas hieroglyphicas appellatas initialis sapientiæ vetus insignivit auctoritas.* Hæc ille. Obeliscum ex Ægypto advectum in Circo maximo Augustus locavit. Plinius *lib.* 36. *cap.* 9. *Obeliscus*, ait, *quem D. Augustus in Circo magno constituit, excisus rege Semneferreo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit*, CXXV. *pedum est & dodran-*
F *tis, præter basim ejusdem lapidis. Is vero, qui est in Campo Martio, novem pedum minor est, a Sesostride inscriptam ambo rerum naturæ interpretationem Ægyptiorum opera philosophiæ continent. Ei D. Augustus addidit mirabilem usum ad deprehendendas solis umbras, dierumque ac noctium magnitudines, strato lapide ad obelisci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ confecto die sexta hora, paulatimque per regulas, quæ sunt ex ære incisæ, singulis diebus decresceret, ac rursus augesceret, digna cognitu res ingenio fœcundo. Manlius mathematicus apici auratam pilam addidit, cujus vertice umbra colligeretur in semetip-*

ſam, alia atque alia incrementa jaculantem, apice, A ut ferunt, a capite hominis intellecta. Tertius eſt in Vaticano Caii & Neronis principum Circo, unus ex omnibus omnino fractus in molitudine ejus, quem fecerat Seſoſtridis filius Nuncoreus. Hæc Plinius. Quibus verbis duos obeliſcos Romam ab Auguſto advectos, & tertium in Vaticano poſitum ſcribit. Sequentes principes alios advexerunt, quorum inquit Marcellinus *lib.* 17. alter eſt in Vaticano, de quo locuti ſumus, alter in hortis Salluſtii, duo in Auguſti monumentis ſunt. itaque erant ſex, non quinque, & ita legendum, ut apud Victorem: *Obeliſci magni* VI. Duo in Circo maximo. Major eſt peditum CXXXII. Minor pedum LXXXVII. ſemis. Unus in Va- B ticano pedum LXXII. Unus in Campo Martio pedum LXXII.

Duo in Mauſoleo Auguſti pares, ſinguli pedum XLII. ſemis, in inſula Tiberis unus, hic minimus inter magnos non connumeratur. Literas hieroglyphicas obeliſco inciſas, qui eſt in Circo, Marcellinus interpretatur *lib.* 17. Ego eas brevitatis cauſa omiſi.

PONTES VII.

ÆLIUS, Aurelius, Molvius, Sublicius, Fabricius, Ceſtius, & Probi. Victor facit VIII. & addit Janiculenſem. C

PONS ÆLIUS ab Ælio Hadriano juxta ejus ſepulchrum nunc caſtellum S. Angeli dictum ædificatus fuit. Spartianus *in Hadriano*: *Fecit*, inquit, *& ſui nominis pontem & ſepulchrum juxta Tiberim*. Idem & Dion: *Sepultus eſt*, ait, *juxta flumen ad pontem Ælium, ubi monumentum fecerat, propterea quod Mauſoleum plenum erat, in quo nemo amplius ſepultus eſt*.

AURELIUS. Factus a M. Aurelio Antonino philoſopho. De quo tamen nihil legi. Capitolinus ſcribit Tiberim ſub M. Aurelio graviter inundaſſe, & multa vexaſſe ædificia; *quæ mala Marcus*, inquit, *temperavit*, & hac occaſione forte hunc pontem ex- D truxit. Addit Victor, *alias Vaticanus*.

MOLVIUS. Poſtea Milvius eſt dictus. Hunc molem appellant. Ammianus auctor eſt a M. Scauro L. Syllæ privigno in cenſura factum fuiſſe; in via Flaminia ſitus eſt, plus minus duobus millibus paſſuum ab urbe diſtans. Forte a milvis eo convolantibus nomen habuit.

SUBLICIUS. Hunc pontem ad Janiculum montem in adverſam Tiberis ripam tendentem Ancus Martius rex fecit. Dionyſius *lib.* 3. *Sublicium*, inquit, *pontem mere ligneum, cui compingendo nefas eſt quicquam ferri æriſve addere, ille impoſuiſſe. Tiberi dicitur, quique ſupereſt, & ſacer habetur ab omnibus.* E *Quod ſi qua pars ejus ſarcienda eſt, id pontifices curant non ſine ſolenni ſacrificio*. Hæc ille. Ab eo Horatius Cocles hoſtes repulit, Plin. *lib.* 34. donec cæſus, & quia clavis confixus ægre ſolvi potuit, poſtea nullo ferro eum transfigi placuit. Plinius *lib.* 36. *cap.* 15. *Romæ*, inquit, *ſine ferreo clavo pontem ſublicium fieri, poſtquam Coclite Horatio defendente ægre revulſus eſt*. Capitolinus ab Antonino Pio reſtitutum ſcribit. Dictus eſt autem ſublicius pons, quod ex ilice eſſet compactus, vel a ſublicibus, quæ lingua Volſca ſunt longæ trabes. eſt propric palus aqua ad extruendum pontem defixus. *Hic pons poſtea ab Æmi-* F *lio Prætore*, ait Pomponius Lætus, *factus eſt lapideus, & appellatus Æmilius*.

FABRICIUS. Hunc pontem L. Fabricius fieri curavit, ut ejus arcubus inſculpta adhuc extans indicat inſcriptio: L. FABRICIVS C. F. CVR. FACIVNDVM CVRAVIT. & ab alio latere. L. FABR. & ſub fornice feneſtræ. IDEM PROCVRAVIT. Ab alia parte arcuum legitur. Q. LEPIDVS M. F. M. LOLLIVS M. E. COSS. S. C. PROBAVERVNT. Hic pons conjungebat inſulam Tiberis continenti. De quo ita Horatius:

Atque a Fabricio non triſtem ponte reverti.

Hodie pons quatuor capitum dicitur quatuor Jani vel Termini quadrifrontibus ſimulachris in aditu pontis a ſiniſtra collocatis, inquit Marlianus.

CESTIUS, a C. Ceſtio Gallo ejus conditore, ut puto, dictus, quem cum M. Servillio Rufo Honiano Coſ. fuiſſe Plinius *lib.* 10. *cap.* 43. & Tacit. *lib.* 5. *Annali.* ſcribunt. Id fuit ſub Tiberio anno humanæ ſalutis XXXVI. Patrem habuit Ceſtium Senatorem. quem Tiberius ad accuſandum Minutium Therinum impulit, ut auctor eſt Tacitus, & hujus pontis curator eſſe potuiſſet. Nunc S. Bartholomæi pontem vocari Marlianus ſcribit, quem ſub nomine Gratiani inſtauratum inſcriptio ibi in tabula marmorea indicat.

PROBI. Intelligo Imperatoris, quem multos pontes extruxiſſe Vopiſcus memorat. In regionibus hujus deſcriptionis ſupra explicatis nullus pons nominatur, ſed hic ſimul collecti fuere, & alium addit Victor in noſtra deſcriptione omiſſum.

MONTES VII.

COELIUS, Aventinus, Tarpejus, Palatinus, Exquilinus, Vaticanus, Janiculenſis.

De his montibus ſupra dictum fuit. De Cœlio in II. regione. De Aventino in XIII. quibus nomen dederunt. De Tarpejo in VI. & VIII. regione. De Palatino in X. De Exquilino in V. De Vaticano & Janiculo in XIV. regione.

CAMPI VIII.

VIMINALIS, Agrippæ, Martius, Codetanus, Octavius, Pecuarius, Lanatarius, Brytianus.

CAMPUS Viminalis eſt in V. regione ſub aggere. Campus Agrippæ in VII. Campus Martius in IX. Codetanus & Britianus in XIV. Lanatarius in XII. Campus Pecuarius & Octavius in deſcriptionibus regionum omittuntur. Panvinius Pecuarium in XIII. regione locat, a pecoribus, ubi vendebantur, credo denominatum. *Alias*, inquit Victor, *legitur Paſcuarium, in quo paſcebant pecora*. Octavius campus ubi eſſet, non legitur. Hunc campum forte Auguſtus in honorem Octaviæ ſororis fecit, ut porticum, & alia. Tranquillus *in Auguſt. cap.* 29. *Quædam*, inquit, *opera ſub nomine alieno, nepotum, & uxoris, & nepotis, fecit, ut porticum*. Has eſſe puto, quas Joſephus Octavianas ambulationes appellat, in quibus Veſpaſianum & Titum triumphantes a Senatu exceptos fuiſſe ſcribit, *lib.* 7. *cap.* 24. *de bello Judaico*. unde apparet campos loca fuiſſe ad deambulandum. Alium ponit campum Victor ultra Tiberim Vaticanum.

FORA XI.

ROMANUM, Magnum, Cæſaris, Auguſti, Nervæ Trajani, Ænobarbi, Boarium, Suarium, Piſtorium, Gallorum, & Ruſticorum.

Forum Romanum magnum eſt in VIII. regione, cui etiam nomen dedit. Fora Cæſaris, Auguſti, & Nervæ Trajani ſunt in VIII. regione. Forum Ænobarbi ſupra eſt prætermiſſum. Puto ſignificari Gn. Domitium Ænobarbum, qui cum L. Craſſo Oratore primo Conſul, poſtea Cenſor fuit anno ab urbe condita DCLXII. Hi ob morum diſſimilitudinem contrarii fuere; Craſſus magnificam in palatio domum habitabat, & cum Ænobarbus graviter increparet Cenſorem tanti habitare, offerretque pro domo multa millia nummum, *Craſſus ut præſens ingenio faceto lepore ſolers ſe concedere, reſpondit, exceptis ſex arboribus, ac ne uno quidem nummo,*

si hæ adimerentur, emptam volente Domitio: Crassus, utrumne ego sum, inquit, quæso Domiti exemplo gravi, & a mea ipsa censura notandus, qui in domo, quæ mihi hæreditate obvenit, comiter habitem, an tu, qui sex arbores æstimes? Hæ fuere loti patulo ramorum opacitate lascivæ. Hæc Plinius *lib.* 17. *cap.* 1. qui eundem Ænobarbum Ædilem ursos Numidicos C. & totidem venatores Æthiopes in Circo dedisse scribit, *lib.* 8. *cap.* 36. Hunc forum istud instituisse arbitror.

FORUM SUARIUM. Est in VII. regione. Boarium in VIII. Rufus locat & Piscarium, ubi pisces vendebantur. Forum Boarium ab æreo simulachro tauri ibi posito dictum Plinius significat, cum scribit *lib.* 34. *cap.* 2. *Bos æreus ex Ægyna insula captus in foro Boario est Romæ*. Festus & Varro, *quod boves ibi venderentur*. Pomponius Lætus *de Rom. Antiq.* ibi duos Janos, id est porticus, in quas mercatores se reciperent, fuisse scribit. Forum Piscarium secundum Tiberim fuisse Varro tradit. Pistorium, ubi panis vendebatur, in XIII. regione erat. Gallorum vero & Rusticorum supra omittitur, forte in quibus hi nundinas exercebant, aut ubi Gallorum busta erant, qui a Camillo fuerant occisi. Locus ille erat in media urbe, & busta Gallorum vocabatur. Varro *lib.* 4. *Locus*, ait, *ad busta Gallica, quod Roma recuperata, Gallorum ossa, qui possidebant urbem, ibi coacervata & consita*. Idem Livius *lib.* 5. Alia fora addit Victor, quæ hic omittuntur, & XVII. regione censet inter alia Olitorium, ubi olera vendebantur: *In eo*, inquit, *columna est lactaria, ad quam infantes lacte alendos deferunt: ibi enim oportuit nutrices esse, quæ illis lac præberent*. Asconius extra portam Carmentalem fuisse scribit. Varro, *Olerum*, inquit, *ibi copia, ubi olim macellum fuit*.

BASILICÆ X.

JULIA, Ulpia, Pauli, Neptuni, Matidiæ, Martiana, Bascellaria, Floscellaria, Sicinii, Constantiniana. Victor XIX. recenset. Sed nos nostras prosequemur, quarum tres tantum Constantini in IV. regione, Matidiæ & Martiani in X. supra sunt nominatæ.

JULIA basilica a C. Julio Cæsare dedicata, ut *in Chronicis* Eusebius testatur; cui ædificandæ se præfuisse Vitruvius scribit: de hac sentit & Tranquillus *in C. Julio Cæsare cap.* 10. *Ædilis*, inquit, *præter comitium & forum, basilicasque, etiam Capitolium ornavit porticibus ad tempus extructis*. Quid vero esset basilica supra in IV. regione est declaratum, ubi de basilica Constantiniana est actum.

ULPIA, ab Ulpio Trajano est condita.

PAULI, illius puto, qui Perseum regem Macedoniæ profligavit, ac tantum auri argentique in ærarium Rom. tulit, ut nullum tributum civibus solviusque ad Hirci & Pansæ Consulatum opus fuerit, censuramque gravem gessit, ut auctor est Plutarchus, qui ejus gesta scribit.

NEPTUNI. Hæc basilica a templo vel signo Neptuni nomen habuit, forte in Circo Flaminio, ubi Neptuni templum cum ejus signo insigni fuit, a Plinio celebrato *lib.* 36. *cap.* 5. *Sed in maxima*, inquit, *dignatione Gn. Domitii delubro in Circo Flaminio Neptunus ipse, & Thetis, atque Achilles*, cujus templi Abascantum Augusti libertum æditum fuisse supra in I. regione ex vetusto marmore ostendimus. Sed ego puto hic intelligi porticum Argonautarum, quæ erat in VII. regione, & Neptuni appellatam Dion *lib.* 53. affirmat, ob victoriam navalem in mari obtentam ipsi dedicatam. Porticus vero & basilica sæpe pro iisdem ponuntur; cum hæc esset tectum, columnis instar porticus suffultum.

MATIDII. Legendum *Matidiæ* ut apud Victo-

A rem, ut dictum est in IX. regione, ubi hæc erat basilica.

MARCIANA. A Marciana sorore Trajani, ut in IX. regione supra est dictum, ubi harum erant basilicæ.

BASCELLARIA. Victor *Vascellaria*, *alias Vastellaria*.

FLOSCELLARIA. Victor *Fillicelli*, alias *Floscelli*.

SICINII. Alias *Sicinimi* apud Victorem. Forte L. Sicinium Dentatum intelligit, paulo post exactos reges Tribunum plebis, qui centies vicies semper victor pugnavit, pluribusque coronis, armillis, hastis, torquibusque est donatus, ut tradit Plinius *lib.*

B 7. *cap.* 28.

CONSTANTINIANA. A Constantino condita, de qua supra in III. regione. Alias IX. basilicas addit Victor, quæ in hac descriptione omittuntur.

THERMÆ XI.

TRajanæ, Titianæ, Syræ, Commodianæ, Severianæ, Alexandrinæ, Antoninianæ, Decianæ, Diocletianæ, Constantinianæ. Hæ supra in suis regionibus sunt explicatæ.

Trajanæ sunt in III. regione. Agrippinæ in IX.

C Quæ Syræ hic vocantur, in XII. varie appellantur, ab Heliogabalo conditæ, qui fuit Syrus. Commodianæ & Severianæ sunt in I. regione. Alexandrinæ in IX. Antoninianæ in XII. Decianæ in XIII. Diocletianæ & Constantinianæ in VI. Victor alias V. addit, quæ hic omittuntur.

AQVÆ XIX.

TRajana, Ania, Alsia, Claudia, Martia, Herculea, Julia, Augustea, Appia, Alsetina, Setina, Ciminia, Aurelia, Damnata, Virgo,

D Tepula, Severiana, Antoniniana, Alexandrina.

TRAJANA aqua in numismatis Trajani repræsentatur; visitur hominis imago super gramine humi fusa, supra quem duæ columnæ pontem substinent, unde guttæ aquæ in terram cadunt. Inscriptum est, S. P. Q. R. OPTIMI PRINCIPI AQVA TRAIANA S. C. Aliud ejus numisma in medio apsidem instar hemicycli continet: humi procumbit mulier cum virga. Inscriptum est S. AQVÆ TRAIANÆ. C. Ferunt hanc esse aquam Claudiam, quam in Aventinum derivavit, & a se Trajanam appellavit. Alii volunt aquam significari ab ipso inventam, & in urbem deductam. Alia

E sunt hujusmodi numismata idem significantia.

2 ANIA. Hæc aqua Ania est dicta, quia ab Aniene in Tiberim defluente derivatur: *Plin. lib.* 3. *cap.* 5. & 12. unde per simplex in est scribenda: *Post annos* XL. *quam Appia perducta est, an. ab urbe condita* CCCCLXXXIX. *M. Curius Dentatus, qui Censuram cum L. Papyrio gessit, Anienis, qui nunc dicitur vetus, aquam perducendam in urbem ex manubiis de Pyrrho captis curavit, Sp. Calvisio, L. Papyrio Coss. Post biennium deinde actum in Senatu de consummatione ejus aquæ operis. Post an.* IX. *Minutius prætor edidit. Tum ex S. C. dumviri aquam perducentes creati Curius & Fulvius Floccus*

F *locaverunt; Curius in* V. *diem quam erat creatus Duumvir, decessit. Gloria perductæ pervenit ad Fulvium. Concipitur Anio vetus supra Tibur* XX. *milliario extra portam Trigeminam, ubi partim in Tiburtinum usum distribuebatur, partim Romam deducebatur. Quæ minus salubris in hortorum irrigationem, atque ut in ipsius urbis sordida existeret ministeria. Ductus ejus habebat longitudinem passuum* XLIII. *millium. Ex eo rivus erat subterraneus passuum* XLII. *substructione supra terram passuum* DCCIII. Hæc Frontinus.

3. ALSIA. Hujus nominis fluvium ponit Plinius in Venetia, sed de hoc non intelligitur, sed de aqua quæ ab Alsia oppido vel lacu Alsietino, est derivata, unde Victor legit *Alsia*, *alias Alsietina*, *alias Halsientina*, quæ & Augusta, quia ab Augusto est deducta. Sed Victor Alsiam cum Alsietina, de qua infra, confundit.

4 CLAUDIA. Aquæ ductum intelligit inchoatum a Caligula, & perfectum a Claudio. Tranquillus *in Claudio cap.* 20. *Opera*, ait, *magna potius quam necessaria quam multa perfecit, sed vel præcipua, aquæ ductum a Cajo inchoatum*, & postea: *Claudiæ aquæ gelidos atque uberes fontes, quorum alteri Cœruleo, alteri Curtio, & alteri Albudino nomen est, simulque rivum Anienis novo & lapideo opere in urbem perduxit, divisitque in plurimos & ornatissimos lacus*. Frontinus ait id fuisse anno post urbem conditam DCCC. *Alteri*, inquit, *quod ex fontibus Cœruleo Curtioque perducebatur, Claudiæ nomen datum. Hæc bonitate proxima Maniæ. Altera, quoniam Anienis aquæ in urbem fluere cœperant, ut facilius appellationibus dignoscerentur, Anio novus vocari cœpit*. Priori Anieni cognomen veteris adjectum. Idem ferme Plinius *lib.* 36. *cap.* 15. *Vicit*, inquit, *antecedens aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a C. Cæsare, & peracti a Claudio. quippe a lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, ut in omnes urbis partes levarentur, influxere Curtius & Cœruleus fontes. Erogata in id opus sestertia quingenta quinque millia*. Hæc ille. De hac aqua hæ Romæ extant inscriptiones. *Tib. Claudius Drusi F. Cæsar Augustus Germanicus, Pontif. Maxim. Tribunitia potestate* XII. *Cos.* V. *Imperator* XVII. *Pater patriæ, aquas Claudiam ex fontibus, qui vocabantur Cœruleus & Curtius, a milliario* LXII. *sua impensa in urbem perducendas curavit*.

Alia.

IMp. Cæsar Vespasianus August. Pont. Max. Trib. Potest. II. *Imp.* VI. *Cos.* III. *Desig.* IV. *PP. aquas Curtiam & Cœruleam perductas a Divo Claudio, & postea intermissas dilapsasque per annos novem sua impensa urbi restituit*.

Alia.

IMp. T. Cæsar Divi F. Vespasianus Augustus, Pontifex Maximus, Tribunic. potestate X. *Imperator* XVII. *Pater patriæ, Censor, Cos.* VIII. *aquas Curtiam & Cœruleam perductas a Divo Claudio, & postea a Divo Vespasiano patre suo urbi restitutas, cum a capite aquarum a solo vetustate dilapsæ essent, nova forma reducendas sua impensa curavit*. Concipiebatur Claudia aqua via Sublacensi ad milliarium XXXVIII. diverticulo sinistrorsum intra passus CCC. ex dictis fontibus amplissimis & speciosis Cœruleo, qui a similitudine appellatus erat, & Curtio. *Claudiæ ductus habet longitudinem passuum* XLVI. *millium*: ait Frontinus. De hac aqua latius in Notitia Imperii Occidentalis in Consule aquarum est dictum.

5. MARTIA. De hac aqua, Virgine, & Appia hæc Plinius *lib.* 36. *cap.* 15. *Sed dicantur vera æstimatione invicta miracula, quæ Q. Martius rex fecit, jussus a Senatu aquarum Appiæ & Anienis tegula ductus reficere, novam a suo nomine appellatam cuniculis per montes actis intra præturæ suæ tempus adduxit. Agrippa vero in ædilitate sua adjecta Virginea aqua, cæterisque corrivatis & emendatis lacus* DCC. *fecit*. Idem *lib.* 31. *cap.* 3. *Clarissima aquarum omnium in toto orbe frigoris salubritatisque palma præconio urbis Martia est inter reliqua Deum munera urbi tributa. Primus in urbem ducere auspicatus Ancus Marcius e regibus. Postea Q. Martius rex in prætura. Rursusque restituit magnus Agrippa*. Hactenus Plinius. *Concipitur Marcia via Valeria ad milliarium* XXXIII. *diverticulo euntibus ab urbe Roma dextrorsus millia passuum* VI. *Sublacensi. Habet longitudinem a capite ad urbem passuum* LX. *millium &* MDCCX. *semis*. Hæc & plura Frontinus. Aquam Martiam interruptis aquæductibus deficientem M. Agrippa suo ære restituit. Dion *lib.* 49.

6. HERCULEA. Non a Commodo, qui se Herculem fingebat & vocabat, hæc aqua est denominata. Nec a Maximiano, qui & ipse eo modo se appellabat. Nam Plinius hujus aquæ meminit, qui ante hos longe fuit; ipse Virginem aquam vult denominari, qui Herculaneum rivum refugiat. Quare ab aliquo signo Herculis vel templo unde oritur, dicta verisimilius creditur.

7. JULIA. A Julio Cæsare introducta: *Juliæ*, inquit Frontinus, *ad caput mensura iniri non potuit, quoniam ex pluribus acquisitionibus constabat. Et ad* VI. *ab urbe milliarium universa in piscinam recipiebatur, ubi dabat quinarias* MCCVI. *Accipiebat autem post hortos Pallantianos ex Claudia quinarias* CLXII. *erantque Juliæ cum acceptis quinariæ* MCCCLXVIII. Hæc Frontinus.

8. AVGVSTEA. Nascitur ultra fontem Martiæ, cujus ductus donec Martia accedat efficit passus DCCC. Hanc Augustus in supplementum Martiæ, quoties siccitates agerent, auxilio aquæ ejusdem opere subterraneo perduxit. Ab inventore Augusta appellatur, ut auctor est Frontinus.

9. APPIA. Ab Appio Claudio Censore postea Cœco in urbem invecta, M. Valerio Maximo & P. Decio Murena Coss. ann. XX. post Samniticum bellum cœptum. Collegam habuit C. Plautium Venocem cognominatum ob aquarum venas, quas scrutabatur, qui censura se abdicavit, ab Appio deceptus, qui se idem facturum simulaverat, sed in magistratu permansit, donec aquæductum perficeret. Concipiebatur hæc aqua in agro Lucullano via Prænestina inter milliarium VI. & VIII. diverticulo sinistrorsus passuum DCCLXXX. Excurrebat in longum ultra XXII. millia passuum. Junctus ramo Augustæ erat altitudinis pedum V. latitudinis unius & drodrantis, ut auctor est Frontinus. Hunc aquæductum vetustate collapsum M. Titius Prætor anno ab urbe cond. DCVIII. restituit. In Circum ad Naumachiam hæc aqua duci consueverat.


10. ALSETINA. Ab Alsatio fonte unde capiebatur, nomen habuit: eadem Augusta est nominata, quia ab Augusto deducta. Frontinus: *Quæ ratio moverit*, inquit, *Augustum providentissimum principem producendi Alsitiam aquam, quæ vocatur Augusta, non satis perspicio, nullius gratiæ, imo parum salubrem, & nusquam in usus populi fluentem, nisi forte cum opus Naumachiæ aggrederetur, ne quid de salubrioribus aquis detraheret: hanc proprio opere perduxit, & quod Naumachiæ cœperat superesse, hortis subjacentibus, & privatorum usibus ad irrigandum concessit. Concipitur ex lacu Alsietino via Claudia milliario* XIV. *diverticulo dextrorsus passuum* VI. *millium D. Ductus efficit longitudinem passuum* XII. *millium* CXLII. Hæc Frontinus. Puto vero pro Alsetina *Alsitia* legendum.

11. SETINA. A Setino Campaniæ agro deducta, vel a Setina via, de qua infra.

12. CIMINA. A Ciminia sylva prope agrum Tusculanum, de qua Plinius *lib.* 2. *cap.* 98. vel a Ciminia via, juxta quam transibat.

13. AURELIA. A. L. Aurelio Cotta, qui fuit Cos. annis septem ante tertium bellum Punicum, ut auctor est Plinius *lib.* 33. *cap.* 3. qui etiam Aureliam viam fecit, & forum Æmilium extruxit.

14.


Fig XX
SOLIS
SERAPIDIS
TEMPLUM
SOLIS IN HORTIS
NOVE INFORO BOARIO.

14 DAMNATA. Propter insaubritatem ita dicta.

15 VIRGO. Hanc M. Agrippa adduxit an. ab urb. cond. 735. ut auctor est Dion. *lib.* 54. *Aquam*, inquit, *Virginem dictam proprio ære deducens Augustam appellavit*. Plinius *lib.* 31. *cap.* 3. *Idem M. Agrippa*, ait, *Virginem adduxit ab octavi lapidis diverticulo duo millia passuum, Prænestina via, juxta est Herculaneus rivus, quem refugiens virginis nomen obtinuit*. Hæc ille. Cassiodorus vero *lib.* 7. *var. in formula comitivæ*, virginem dictam putat, quia purissima nullisque sordibus polluta currit. Frontinus: *Quia quærentibus aquam militibus puella virguncula quasdam venas monstravit, quas secuti ingentem aquam invenerunt. Ædicula fonti apposita hanc virginem pictam ostendit. Concipitur Collatina via ad* VIII. *milliarium palustribus locis, sed aliis aquis adjunctis venit per longitudinem passuum* XIV. *millium* CV. Hæc Frontinus.

16 TEPULA. De hac ita Frontinus: *Gn. Servilius Cæpio, & C. Cassius Longinus, qui Rivalla appellatus est, Censores, anno ab urbe condita* DCCXVII. *Plauti Hipsapone & Ful. Flacco Coss. aquam quæ vocatur Tepula, ex agro Lucullano, quem quidam Tusculanum credunt, Romam & in Capitolium adducendam curaverunt. Tepula concipiebatur via Latina ad* XL. *milliarium diverticulo euntibus ab Roma dextrorsum millium passuum duum, inde rivo suo in urbem perducebatur Juliæ post mixta ab Agrippa. Hujus aquæ fontes nulli erant, venis quibusdam constabat, quæ interceptæ fuerunt in Juliam. Caput ergo ejus observandum erat a piscina Juliæ. Ex ea enim primum accipiebat quinarias* CXC. *Deinde statim ex Martia quinarias* CXII. *Præterea ex Aniene novo ad hortos Epaphroditianos quinarias* CLXIII. *Fiunt omnes quinariæ* CCCCXLV. Hæc Frontinus. Quinaria autem erat mensura aquæ inter unciam & digitum. Cur autem hæc aqua Tepula vocaretur, Frontinus non explicat, forte a loco unde extrahebatur ita est dicta.

17 SEVERIANA. A Severo Imp. derivata. Forte ad thermas Severianas, quas fecit, ut Spartianus memorat.

18 ANTONINIANA. Ab Antonino Caracalla deducta ad thermas, quas eum omnium pulcherrimas exstruxisse Spartianus scribit, & Antoninianas nuncupatas. Alias aquas addit Victor, quæ hic omittuntur.

19 ALEXANDRINA. Ab Alexandro Imp. perducta ad balnea, quæ plura illum fecisse in omnibus regionibus, quæ forte non habebant, Lampridius scribit, & multa Alexandri sunt dicta. *Thermas*, inquit, *sui nominis fecit juxta eas, quæ Neronianæ fuerant, aqua inducta, nunc Alexandrina quæ dicitur*.

VIÆ XXIX.

TRAJANA, Appia, Latina, Lavicana, Prænestina, Tiburtina, Nomentana, Salaria, Flaminia, Æmilia, Clodia, Valeria, Aurelia, Campana, Ostiensis, Portuensis, Janiculensis, Laurentina, Ardeatina, Setina, Quintia, Cassia, Gallica, Cornelia, Triumphalis, Patinaria, Asinaria, Ciminia, Tiberina.

Vias, quæ hic recensentur, publicas esse credendum est, quas Græci βασιλικὰς, id est, *regias*, Latini *prætorias* vel *consulares* appellant; *l.* 2. *§. viarum ff. ne quid in loco pub.* alii *militares* vocant; *l. ult. §. ult. ff. de loco & itin. pub. Theophil. Instit. de lege Aquil.* quoniam per eas prætores aut Consules, exercitusve duci consueverant. His muniendis primum quatuor viri sunt constituti, *l.* 2. *§. eodem tempore, & quatuor viri, de orig. jur.* quos Prætorios Augustus esse voluit, binosque his lictores dedit. Dion *lib.* 54. *C Gracchus diligentem circa viarum procurationem se præstitit*, inquit Plutarchus *in Gracchis. Rectis enim regionibus vias deduxit, & eas partim lapide incusso stravit, partim arenæ munivit aggeribus, iniqua adæquans, & quantum valles torrentesque abrumpebant, pontibus æquali altitudine ac proclivitate conjungens, pulcherrimam operis speciem ostendit. Dimenso præterea viarum spatio singulis milliariis columnas lapideas spatii signa præferentes constituit. Alios insuper lapides parum inter se distantes ex utraque viarum parte disposuit, ut ex illis facile & sine saltu in equos esset ascensus*. Hæc Plutarchus. Viarum munitarum in nummis Augustorum sæpe fit mentio.

M. Æmilio Cos. Censores vias in urbe silice sterni, extra glarea substrui marginarique curaverunt, ut Livius memorat. *Postea C. Gracchus*, ait Plutarchus, *rectis regionibus vias deduxit, & partim lapide incusso stravit, partim arenæ munivit aggeribus, iniqua adæquans, & quantum valles torrentesque abrumpebant, pontibus æquali altitudine ac proclivitate conjungens, pulcherrimam operis speciem ostendit. Dimenso præterea viarum spatio singulis milliariis columnas lapideas spatii signa præferentes constituit. Alios insuper lapides parum inter se distantes ex utraque viarum parte disposuit, ut ex illis facile & sine saltu in equos esset ascensus*. Hæc Plutarchus. Postea semper sternendis viis Romani studuerunt, & vias muniri ac sterni lege sanxerunt, *l.* 1. *& toto tit. de via publ.* unde viæ, quæ hic nominantur, omnes lapide quadrato erant extructæ, quarum etiam hodie in regno Neapolitano pars strata visitur.

1 TRAJANA. Hujus in numismatis Trajani extat memoria, in quorum aversa parte mulier humi jacens rotam sustinet. Hæc viam, quam terit, insinuat. Inscriptum est, VIA TRAIANA. Aliud simile continet mulierem jacentem, quæ sinistra ramum arboris frondosum tenet, dextra supra genu rotam regit: subtus scriptum est, VIA TRAIANA. circa marginem, OPTIMO PRINCIPI. Hanc viam lapide quadrato stratam fuisse credendum est, sed quæ aut ubi fuerit, apud me non constat. In marmore Auximi fit mentio C. Oppii curatoris viarum, Clodiæ, Anniæ, Cassiæ, Ciminæ, Trium Trajanarum, & Amerinæ.

2 APPIA. Ab Appio Claudio Cœco, Censore, qui aquam Appiam deduxit, strata. Livius: *memoriæ felicioris nomen Appii, quod viam munivit, & aquam duxit*. Cicero *pro Milone*: *Hoc sæpe ab istis dicitur, quasi Appius ille Cæcus viam muniverit, non qua populus uteretur, sed ubi impune postea sui latrocinarentur*. De hac via ita Strabo *lib. Geograph.* 5. loquens de Latio: *Hoc loco mari adjungitur Appia via strata a Roma usque Brundusium, ac plurimum peragrata. Penes Terracinam vero Romam iter facienti fossa ad Appiam viam opponitur, & quidem multis in locis, quam & palustres & fluviatiles implent aquæ, per quam nocturna maxime fit navigatio, ut qui primis inscendant tenebris, oriente Sole egressi viæ Appiæ reliquum evadant*. & infra: *Præclarissimæ sunt viæ, Appia, Latina, Valeria; Appia quidem Latinæ partes separans usque Sinuessam protenditur; maritimas in Sabinis usque ad Marsos. Inter has media Latina est, quæ ad Casinum oppidum Appiæ conjungitur, a Capua* XIX. *distans stadiis. Valeria os viæ principium Latinæ ab Appia sinistrorsum est, prope Romam deflectens, dehinc per Tusculanos transiens montes inter oppidum Tusculum & Albanos ducitur montes, ad oppidulum descendens Algidum & Pictas diversorum*. Hæc ille. *A porta Capena hæc via incipiebat, quam usque urbem Capuam Appius muniendam curavit*, ut ait Frontinus *de aquis post princ.* Pomponius Lætus ait Brundusium usque, & aliarum viarum reginam vocat.

3 LATINA. Hanc mediam inter Appiam & Valeriam fuisse diximus ex Strabone, qui hæc addit *lib.* 5. *In Latina insignes sunt ædes, urbesque Ferentium*,

Frusinum, juxta quas Cosas labitur flumen; Fabrateria, juxta quam Trerus amnis fluit.

4 LAVICANA. A porta Esquilina incipiebat. Strabo *lib.* 5. *In unum cadit Labicana, a porta Esquilina incipiens, a qua & Prænestina. A sinistra vero & hanc, & Esquilinum omittens campum, ultra centum & XX. stadia pergit. Cum autem Labico vetusto sane oppido cæterum disjecto, & in sublimi sito propinquat, & hoc, & Tusculum relinquit a dextra, ad Pictas vero & Latinum finem accipit. Hic locus stadiorum* CCX. *spacio distat Roma.* Hæc Strabo.

5. PRÆNESTINA. De hac supra ex Strabone, qui subdit: *Gabii extant in Prænestina via siti, ubi latomiæ sunt plures quam reliquæ, lapides Romæ suppeditantes, distantes Roma & Præneste ex æquo ad stadia* C.

6 TIBURTINA. Per Tibures transiens, ubi Tiburtinus lapis. Victor addit, *vel Gabina*, quæ forte ad Gabios tendebat.

7 NOMENTANA. A Viminali porta ad Nomentum Sabinorum oppidum tendebat. De quo Virgilius *in* 6. *Æneid.*

Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam.

Hæ civitates, inquit Servius, *sunt priscorum Latinorum & Albanis regibus constitutæ.* Victor addit, *vel Figulensis, in qua Figulina exercebatur, alias Ficulnensis.*

8 SALARIA. Ita appellatam Plinius scribit *lib.* 31. *cap.* 7. quoniam illa sal in Sabinos portari consueverat. Strabo ita de hac via & superiore: *Rerum scriptor Fabius auctor est Romanos tum primum divitiarum sensum accepisse, cum hujus potiti sunt gentis. Per ipsos via Salaria non magnæ longitudinis strata est, in quam & Nomentana incidit, apud Heretum Sabinorum vicum supra Tiberim jacentem ex eadem Collina porta inchoans.*

9 FLAMINIA. A C. Flaminio Cos. strata. Strabo *lib.* 5. *Alia vero est Æmilia, quæ Flaminiam excipit. Eodem enim in consulatu M. Lepidus & C. Flaminius collegæ fuerunt. Victores autem Ligurum stravere, hic Flaminiam e Roma per Thusciam & Umbriam usque Ariminum; alter reliquam usque Bononiam, & ex ea Aquilejam prope Alpium radices, ducto per gyrum circa paludes opere.* Hæc ille. Livius vero *lib.* 39. scribit Æmilium Cos. subactis Liguribus viam a Placentia productam Flaminiæ comilisse, unde Arimino ad Trebiam Placentiæ flumen extendebatur. Cicero *epistola* 1. *ad Atticum* scribit Thennum curatorem viæ Flaminiæ fuisse. Auctor est Tranquillus *in Augusto cap.* 30. & Dion *lib.* 53. Augustum sumpsisse sibi viam Flaminiam Arimino tenus muniendam. quod Dion *lib.* 53. eum fecisse scribit, cum per eam exercitum esset ducturus. In hac fuit villa Cæsarum ad Gallinas albas in VI. regione.

10 ÆMILIA. De hac supra.

11 CLAUDIA. A porta Flumentana incipiens Flaminiæ jungebatur. Ovidius *in Fastis*:

Nec quæ pinnifera positos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ.

Quare constat hanc viam ab uno ex gente Claudia ante Augustum stratam.

12 VALERIA. De hac in Appia & Latina dictum. A Tiburtinis incipiens per Marsos Corfinium usque pervenit. In ea erat Valeria civitas, quæ provinciæ nomen dedit. Forte a Valeria Diocletiani filia dicta, quæ etiam alii Valeriæ in Pannonia denominationem attulit.

13 AURELIA. A L. Aurelio munita, ut supra in aqua Aurelia. Hic etiam Aureliæ portæ nomen dedit, a qua hæc via incipiens per maritima Pisas versus in Hetruriam tendit. Hujus etiam Cicero *in Catilin.* meminit: *Demonstrabo*, inquit, *iter: Aurelia via profectus est.* ibid. *forum Aurelium* nominat, dum ait: *Quid ego te invitem, a quo jam sciam esse præmissos, qui te ad forum Aurelium præstolentur armati?* Ejusdem meminit & Celsus *in l. quidam in testamento. de l.* 2. cum proponit legatum fuisse reip. Graviscanorum in tutelam viæ reficiendæ, quæ est in colonia eorum usque ad viam Aureliam. In hortis Aureliæ viæ Galbam sepultum fuisse Tranquillus scribit.

14 CAMPANA. A Cœlimontana porta incipit, mox in duas vias dividitur, quæ non multo post Latinæ junguntur; quod per Campaniam transeat, nomen hoc habuit.

15 OSTIENSIS. Quæ secundum Tiberim Ostiam ducit.

16 PORTUENSIS. Ad portum Ostiæ a Claudio Imp. extructum dirigitur.

17 JANICULENSIS. A Janiculo in Hetruriam tendit. de quo dictum est supra in XIV. regione.

18 LAURENTIANA. A Laurento Latinorum oppido, ad quod inter Ostiensem & Ardeatinam tendebat, est appellata, vel a Laurento sylva, in qua Valentinianus fuit interfectus. In Appiam viam incidebat, in eaque Terminalia festa Termino dicata celebrantur.

19 ARDEATINA. Quæ ducit ad Ardeam oppidum Rutulorum coloniam distantem a mari, inquit Strabo *lib.* 5. stadiis LXX. ubi erat conventus & celebritas Latinorum.

20 SETINA. Tendebat ad Setinum Campaniæ oppidum, de quo supra in aqua Setina.

21 QUINTIA. A L. Quinto Cincinnato dictatore appellata, cui, inquit Plinius *lib.* 19. *cap.* 3. *aranti quatuor sua jugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellantur, viator attulit Dictaturam.* quod & Dionysius *lib.* 10. & Livius tradunt.

22 CASSIA. *A Cassio strata*, ait Festus. extra portam Flumentanam Sutrium Viterbiumque mittebat. C. Cassium esse puto, quem cum M. Messala censorem fuisse Plinius *lib.* 7. *cap.* 25. memorat, præcipua enim sternendarum viarum cura erat censorum.

23 GALLICA. Interpretor, quæ in Galliam Cisalpinam mittebat.

24 CORNELAI. Forte a Cornelio Balbo, qui theatrum suasu Augusti fabricavit, strata, de quo Tranquillus, & supra in IX. regione est dictum.

25 TRIUMPHALIS. Qua triumphantes ibant in Capitolium, portaque Triumphalis, per quam ingrediebantur. Eam describit Blondus *lib.* 10 *triumphantis Romæ.*

26 PATINARIA. In qua Romæ patinæ vendebantur.

27 ASINARI. Per quam frequentius asini commeabant, quæ erat inter Ardeatinam & Latinam. Victor ponit hortos Asinianos in XII. regione.

28 CIMINIA. De hac dictum est supra in aqua Ciminia.

29 TIBERINA. Quæ secundum Tiberim tendit, vel potius ad Tiberinam insulam ducit: cujus originem Dionysius & Livius referunt. Victor *Galliam* addit & *Flaviam*.

BREVIARIUM URBIS.

CAPITOLIA II. Vetus in VI. regione, Novum in VIII.

CIRCI II. Flaminius in IX. Maximus in XI. regione, quibus utrique Circi nomen dederunt.

AMPHITHEATRA II. Primum in III. regione. alterum Castrense dictum in V. regione.

COLOSSI II. Unus tantum in IV. regione ponitur: alter ubi esset, non apparet, si non est statua Quirini alta pedes XX. in VII. regione.

COLUMNÆ COCHLIDES II. Altera in VIII. regione, in IX. regione altera.

MACELLA II. Magnum in II. regione, Macellum Liviani in V.

THEATRA III. In IX. regione nominantur IV. in primis Balbi. Alia reticentur, sed addendum ex Rufo & Victore, *Marcelli*, *Lapideum*, *& Pompeii*, unde hic pro tribus legendum quatuor, de quibus supra dictum fuit.

LUDI IV. Victor. *Ludi* VI. *alias* VII. *alias* V. sed hic sunt IV. duo in II. regione, Matutinus & Gallicus; alii duo in III. Magnus & Dacicus. Forte apud Victorem *Schola Cassii* in XI. regione pro ludo accipitur.

NAUMACHIÆ V. In regionibus supra ommittuntur, quia, ut puto, esse desierant, & exsiccata earum loca. Unam nominat Frontinus trans Tiberim ex Alsetia aqua ab Augusto conceptam, de qua supra diximus in ea aqua. Aliam Naumachiam circa Tiberim Domitianus excitavit, *e cujus lapide*, ait Tranquillus *in Domitiano cap.* 15. *Maximus Circus deustis utrinque lateribus postea extructus est*. Aliam in XIV. regione Naumachiam Victor ponit. Aliarum memoria interiit.

NYMPHEA XV. Victor XII. unum est Alexandri Imp. in V. regione, alterum Jovis in VII. tria in XIV. quinque in XIV. sunt in totum X. Reliqua, credo, perierant.

EQVI MAGNI XXII. Qui & ubi essent, in regionibus non apparet.

DEAURATI LXXX. Victor: *equi ænei inaurati* LXXXIV.

EBURNEI LXXXIV. Victor: *equi eburnei* CXXIV. *alias* XCIV. neque de iis aliud constat.

ARCUS MARMOREI XXXVI. Neque hi omnes in regionibus supra visuntur. Tres in I. regione statuuntur, Veri Parthici, Trajani, & Drusi, Victor addit *arcum bifrontem*, qui sunt quatuor. in IV. regione addit & *arcum Titi*; in VII. qui adhuc extat, est arcus novus. Victor addit *Veri & Marci Augustorum*, & in VIII. *arcum Fabianum*. De quo ita Asconius *in* II. *contra Verr. Fornix Fabianus arcus est juxta Curiam in Sacra via a Fabio censore constructus, qui devictis Allobrogibus Allobrox cognominatus est. Ibi statua ejus posita propterea est*. ita ex vetusto codice Asconium est emendandus. Hunc autem *fornicem Fabianum* etiam Cicero appellat *in* II. *contra Verrem, & pro Plancio*. Constantini arcus est in XI. in capite viæ Appiæ. Arcus Domitiani in via Flaminia, & Severi in foro Boario adhuc visuntur, quos vitiis librariorum hic prætermitti puto. Hi sunt XII. Reliquorum non extat memoria.

PORTÆ XXXVII. Plinius XXXIV. ponit his verbis *lib.* 3. *cap.* 5. *Urbem tres portas habentem Romulus reliquit, aut, ut plurimis tradentibus credimus, quatuor. Mœnia ejus collegere ambitu Imperatoribus Censoribusque Vespasianis anno conditæ* DCCCXXVIII. *pass.* XIII MCC. *complexa montes* VII. *Ipsa dividitur in regiones* XIV. *Compita earum* CCLXV. *ejusdem spacii mensura currente a milliario in capite Romani fori statuto ad singulas portas, quæ sunt hodie numero* XXIV. *ita ut* XII. *portæ semel numerentur, prætereanturque ex veteribus* VII. *quæ esse desierunt. efficit passuum per directum* XXXMDCCCLXV. *Ad extrema vero tectorum cum castris Prætoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum mensura colligit paulo amplius* LXX. *M. P. Quod si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari*. Hæc ille. Marlianus contendit XXIV. tantum portas fuisse, exceptis VII. quæ esse desierunt. Earum hæc nomina ponit.

1 Carmentalis, quæ & Scelerata.
2 Romana.
3 Pandana.
4 Janualis.
5 Flumentana.
6 Collatina.
7 Collina, quæ & Quirinalis Agonensisque.
8 Viminalis, quæ & Figulnensis.
9 Querquetulana.
10 Esquilina.
11 Nævia.
12 Cœlimontana.
13 Gabiusa.
14 Ferentina.
15 Capena, nunc S. Sebastiani.
16 Trigemina.
17 Navalis.
18 Aurelia.
19 Fontinalis.
20 Triumphalis.
21 Romanula.
22 Mutionis.
23 Ratumena.
24 Saginalis.
25 Labicana.
26 Raudusculа.
27 Lavernalis.
28 Javenalis.
29 Salutaris.
30 Piacularis.
31 Catularia.
32 Munutia.
33 Mugiona.
34 Stercoraria.

VICI CCCCXXIX. Hic numerus non respondet vicis regionum, qui sunt CCC. & pauciores apud Rufum & Victorem. Unde mendum in alterutris locis esse oportet.

De ædibus idem dicendum quod de vicis.

VICOMAGISTRI DCLXXII. Ex hoc apparet quamlibet regionem XLVIII. Vicomagistros habuisse, & ubique ita legendum.

CURATORES XXIV. Idem Victor; sed necesse est legere XXVIII. quia singula regio habet Curatores duos.

INSULÆ. Per totam urbem numero quadraginta sex millia, sexcentæ duæ. Neque hic numerus insulis regionum respondet, quæ sunt 44698.

DOMUS. Mille septingentæ octoginta. Neque hinc numerus domibus regionum convenit, quæ sunt 1700.

BALNEA DCCCLVI. In regionibus sunt 936.

LACUS mille CCCLII. In regionibus sunt 1153.

PISTRINA CCLIV. In regionibus 253.

LUPANARIA XLV. Luxuria illorum temporum agnoscitur. In regionibus ut loca fœtida omittuntur.

LATRINÆ PUBLICÆ XLIV. Victor CXLIV *Dictæ sunt*, ait Varro, *quasi Lavatrinæ*.

COHORTES PRÆTORIÆ X. Puto legendum *Prætorianæ*, quæ personam Cæsaris tuebantur. Augustus enim præter legiones XXIII. aut XXV. ut alii volunt, quas in provinciis alebat, X. millia militum ad sui corporis tutelam detinebat, quos in partes seu cohortes, ut hic vocantur, sub totidem tribunis diviserat, ut auctor est Dion *lib.* 55. quælibet cohors ex mille constabat. Prius circa palatium August. & in diversis Romæ locis excubabant, postea Tiberius a Sejano eorum præfecto persuasus, eos in una castra redegit. Tacitus *libro quarto post principium*: *Vim*, inquit, *præfecturæ modicam antea intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent, numeroque & robore, & visu inter se fiducia ipsis, in cæteros metus crearetur. Prætendebat lascivire militem diductum: si quid subitum ingruat, majore auxilio pariter subveniri, & severius acturos, si vallum statuatur procul Urbis illecebris*. Idem Tranquillus significat *lib.* 3. *cap.* 5. *Romæ*, ait, *castra*

Tranquillus significat *lib. 3. cap. 5. Romæ*, ait, *castra constituit, quibus Prætorianæ cohortes vagæ ante id tempus & per hospitia dispersæ continerentur*. Hæc castra prætoria pro prætorianis Plinius appellat: *Ad extrema vero*, inquit, *tectorum Romæ cum castris prætoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum mensura collegit paulo amplius* LXX. *millia passuum*. Ex his verbis Plinii & supra Taciti apparet hæc castra in suburbiis ad tectorum Urbis extrema fuisse, quæ hic a Victore ponuntur, sed hæc nostra descriptio omittit.

URBANÆ QUATUOR. Præter milites prætorianos ad urbem custodiendam, ne quis tumultus oriretur, Augustus sex millia millitum constituit, quos in quatuor cohortes, singulas 1500. milites continentes divisit, ut *lib.* 55. Dion memorat. Hi in urbe castra habebant, quæ urbana ab Ulpiano vocantur: *in l. si maritus*. 15. *§.* 1. *ad l. Jul. de adult. Si quis*, inquit, *præsens sit, vice tamen absentis habeatur, ut puta, qui in vigilibus, vel urbanis castris militat, dicendum est deferri hunc posse*. Hæc ille. Ipsi milites a Paulo Urbaniciani sunt vocati. *In Urbanicianis*, ait, *in l. qui mittuntur*. *§.* 1. *ex quib. caus. major. militibus idem D. Pius constituit, ut reipub. causa abesse videantur*. Hi etiam *prætorii* nominantur, quoniam a Prætore tutelari dicto regebantur, quia urbis tutelam habebat, sicut tutelares Dii nuncupantur, qui oppida tuentur. Ulpianus librum singularem de officio Prætoris tutelaris scripsit, in quo has cohortes prætorias appellat, (*in l. 9. si tribun. de excus. tuto.*) & cuique suum tribunum præfuisse significat. Prætor vero tutelaris unus est ex tredecim Augusto inventis. *l. 2. §. capta. ff. de orig. jur.*

VIGILUM VII. Quarum excubitoria XIV. *Pluribus uno die ortis incendiis*, VII. *cohortes*, ait Paulus *in l. 3. de offic. præf. vigil. opportunis locis Augustus constituit, ut binas regiones urbis unaquæque cohors tueatur, præpositis eis tribunis, & super omnes spectabili viro, qui Præfectus vigilum appellatur*. Hæc Paulus. idem & Tranquillus *in Augusto cap.* 30. significat, cum ait: *Adversus incendia excubias nocturnas vigilesque commentus est. Nocturni custodes* a Modestino vocantur, *in l. sed & miles. 8. §. qui autem. 8. de excus. tutor.* Sed etsi una cohors duas urbis regiones tuebatur, non eodem tamen in loco excubabat, sed divisa in binis castris habitabat, ita ut unaquæque regio a dimidia cohorte custodiretur, & ideo hic XIV. excubitoria ponuntur. In regionibus tamen longe plures cohortes quam septem recensentur, nempe in II. V. in V. II. in VII. VII. in VIII. VI. in XII. IV. in XIV. VII. Quarum omnium XIV. tantum statuit excubitoria, sed in numeris mendum esse puto, nec nisi VII. cohortes in XIV. excubitoris fuisse, & codex Victoris ab hac descriptione variat. Forte septem antiquæ cohortes in XXXI. tenuiores sunt divisæ.

VEXILLA COMMUNIA. Duo, etsi tam pedites quum equites vexillo uterentur, ut auctor est Vegetius *lib. 2. cap. 4.* cum tamen alio non adjecto nominatur vexillum, intelligitur equitum. Georgius Cedrenus: *Vexillationes*, inquit, *Romani equites appellant, & vexilla vela purpura & auro quadrata forma facta. Hæc longis hastis suspendentes circum Principem gestant, & eum protegunt*. Vegetius quoque *lib. 2. cap.* 1. equitum alas vexillationes vocari affirmat, unde hæc duo vexilla equitum fuisse puto. *Communia* autem forte dicuntur, quia inter se non differebant, & vexillis uterque ordo promiscue utebatur. Censeo autem equites Batavos ab Augusto institutos significari, de quibus hæc Dion *lib.* 55. *Delecti sunt etiam equites externi nominati Batavi a Batavia, quæ insula est in Rheno flumine. Hi sunt equites optimi. Eorum certum numerum dicere non possum, quippe nondum formam habent, sed cœpit Augustus eos censere, & ipsorum rationem habere ab eo tempore, quo cum patre militarunt, & illos contra Antonium pugnaturus vocavit, & retinuit, & tunc sunt proprius globus, ac virgam ut centuriones gestant*. Hæc Dion. Hi postea in equites Batavos juniores & seniores Palatinos sunt divisi; juniores fuerunt una ex sex vexillationibus Palatinis sub secundo Magistro militum in præsenti, & altera ex novem Palatinis vexillationibus sub Magistro equitum in occidente, sub quo etiam reperiebantur equites Batavi seniores.

CASTRA EQUITUM. Horum nomen desideratur, unde Victor addit, *castra equitum singulorum* II. Tacitus *lib.* 20. *alæ Singularium* meminit his verbis: *Accessit ala Singularium excita olim a Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa*. Hi forte Singulares sunt dicti, quia inter eos nullus gradus præterquam eorum præfecti reperiebatur, & erant singuli; vel quod essent singulares & optimi. Hi in urbis præsidio fuisse videntur.

SALGAMARIORUM. Salgamarii a Columella vocantur, qui salgama condiunt & vendunt. Est autem *salgama* quicquid fructuum & herbarum in vasis ad victum penoris causa reponebatur, ut oleæ, cappares, & plures, quas Columella *lib.* 12. & præsertim *cap.* 4. & 7. ad hunc usum parari docet. Salgamum ergo erat pars penoris, quo veteres ad prandium utebantur, propterea quod alios cibos non parabant quam in penore conditos; inde magnus erat eorum numerus qui salgamum vendebant, qui locus pro castris erat assignatus, unde castra Salgamariorum appellabantur.

PEREGRINORUM. Hæc castra ponuntur supra in II. regione; multis enim in urbem confluentibus peregrinis, quia non omnes a cauponis recipi poterant, locus, ubi hospitarentur, assignatus erat, qui *castra peregrinorum* appellabatur. Superiora in regionibus prætermittuntur, & *Castra Misenatium* supra in III. regione, & *Lecticariorum* in XIV. locata, hic omittuntur. Alia castra Victor recitat, ut *Tabellariorum*, quorum ingentem numerum fuisse oportet, & *Victimariorum*. Multa alia addit Victor, ut *mensas olearias* LXXIV. *millia, lucos, ludos*, & similia, quæ hic prætermittuntur; item alia supra in regionibus relata, quemadmodum ludos, naumachias, nymphæa, macella, & similia, quæ supra sunt exposita, neque hic referre opus esse censui. Laus Domino.

GEORGII FABRICII
CHEMNICENSIS
R O M A.

GEORGIUS FABRICIUS CHEMNICENSIS
VOLFGANGO WERTERO,

Viro claro & docto, Theodorici Equitis & Jureconsulti filio,

S. P. D.



SALLUSTIUS, *scriptor in primis nobilis, in Carthaginis mentionem incidens, de ea silere melius putat, quam parum dicere. idem multo justius, de urbe Roma, non Carthaginis solum, sed orbis terrarum victrice, scripturus, nunc ego dicerem: præsertim cum multorum hominum, eorumque doctorum, sermones mihi subeundos esse intelligam. Aliqui enim hoc totum scribendi genus tanquam inutile improbant: aliqui vero tot de Urbe monumentis, nostra patrumque memoria editis, condemnant, quasi minime necessarium. Obstat mihi præterea gentis & patriæ nomen, quod homo Germanus, & in Hermunduris natus, post tot viros in literis claros, de urbe vetustissima & remotissima scribere audeam. Itaque illi, qui non me solum reprehendunt, sed alios etiam accusant, in hoc genere studii literarumque versatos, scribendi operam atque industriam, in tradenda morum & bene vivendi doctrina rectius, quam in his, similibusve rebus, collocari posse existimant. Nam aut Servilium lacum ignorare, aut Turbonem pugilem nescire, aut tempora quibus Urbs opibus aucta, vel diminuta viribus sit, non tenere memoria, minus malum esse, quam aut errare in vita, aut labi in officio, aut peccare in Rep. Hi cum viri boni sint, & cupidi honestatis, credo eosdem veritatis quoque esse studiosos. Atqui hominis animus cum & actionibus virtutis delectetur, & rerum fruatur scientia, utrumque certe, & virtutis præscripto vivere, & res cognitione investigare, verum ejus & proprium munus est, licet altero alterum habeatur præstantius. Bene igitur hominis excellentiam cum bonis moribus, tum eruditionis elegantia sapientes metiuntur. Quamobrem & Aglaus Psophidius Arcas, qui in vita sua nihil præter agrum coluit, & Socrates Atheniensis, summus doctrina & sapientia philosophus, felices olim Apollinis oraculo uterque sunt judicati. Qua de causa ne nos quidem ita alteram præferamus, ut de altera detrahamus cum dedecore & incommodo. Ut autem civitatum magnarum, ex quibus mortalium omnium judicio Roma maxima fuit, instituta, leges, mores, actiones libenter cognoscimus, ita ortum, incrementa, fortunam, ruinasque, scire desideramus, & loca ipsa muta cum admiratione intuemur: illud utile & necessarium est, hoc a liberali animo atque ingenio nequaquam alienum. Tolle enim ejusmodi delectationis studium, & omnem antiquitatis notitiam, & pulcherrimorum exemplorum copiam, & suavissimum artium disciplinarumque fructum sustuleris: & hæc civilis societas ferarum numero atque multitudini, quam hominum congregationi erit similior. Merito igitur gratia habenda illis, qui Urbis potentissimæ & no-*

bilissimæ memoriam passi non sunt interire: sed quidquid vel ex veterum scriptis discere, vel ex ruderibus colligere, vel vestigiis qualibuscunque potuerunt deprehendere, id fidelibus literarum monumentis commendarunt. Quorum libros, cum nondum visa Urbe admirarer, & bonos auctores legenti utiles & jucundos esse animadverterem: tum in Urbem ipsam tecum profectus, Wertere, magna (ut scis) cura diligentiaque conquisivi atque perlegi, ut eos communi studio, & labore mutuo cum rebus ipsis præsentes conferremus. Quod cum totos quinque menses sine intermissione a nobis ageretur, non pauca vel neglecta ab aliis, vel non satis animadversa, observatu tamen & scitu digna, annotavimus: ea autem in id tantummodo comparaveramus, ut nobis profectionis susceptæ, & otii nostri ratio constaret. Nuper vero cum Casp. Peucerus, Melanthonis gener, doctus in primis vir, & philosophiæ deditus, ad me veniret, & de Urbe cum viris aliquot eruditis loquentem avide auscultaret, rogavit tandem, ut aliorum quoque studiis mea opera, si placeret, & otium esset, consulerem. Quod cum ille humaniter, ut solet, peteret, & vultu ipso significationem suæ voluntatis daret, ut quæ observaram, rursus colligerem, facile mihi non abhorrenti persuasit. Novo igitur labore suscepto, ea cum scriptis poetarum & historicorum majore cura & attentione contuli: qua ratione cum alii ante me Urbem jam dirutam, quasi a fundamentis instaurarint, eorundem vestigiis institi. in quo proposito & ordinem rebus ipsis congruentem servavi, & locos non paucos in Græcis Latinisque scriptoribus illustravi. Hoc quoniam publicæ utilitatis gratia factum a me est, bonam in spem venio, me studiosis hominibus, & æquis lectoribus probaturum consilium & institutum meum, quod ipse post alios plurimos ad hanc scribendi materiam animum adjunxerim. Ignoscent autem ii, quos patriæ nomen offendit, hospiti mihi atque extero, si quid minus in rebus vetustate plane obrutis vidi: aut si in iis etiam quæ ante oculos sunt, parum Lynceus fui. hoc enim, quamvis arrogantiusculum sit, quia tamen verum est, dicam, me posse aliorum, qui de Urbe nuper scripserunt, errores varios certis veterum scriptorum testimoniis convincere. Syracusani certe olim, cum indagatum sepulchrum Archimedis ipsis ostendisset Cicero, non ideo iniqui aut ingrati ei fuerunt, quòd peregrinus esset, & Arpinas: neque mihi, si quid laudis Urbi, aut studiosis commodi sum adferre conatus, obesse debet, quod sim Hermundurus. præsertim cum existimatione nullius læsa, simpliciter exposuerim meam vel opinionem, vel sententiam. Primum enim, veterum auctoritate nitor, in notandis aut explicandis locis: deinde non solum recentiorum libris, quibus plurimum adjutus sum, verum etiam demonstratione Marliani, qui diligentissime omnium scripsit, hanc, qualiscunque est, Urbis cognitionem sum consecutus. cujus domum cum frequentaremus, situm montium nobis indicavit ex Capitolio: & ad viarum, quæ in Urbe sunt, initia nos perduxit: & aliquoties apud Salamancam & Tramezinum, nostram sententiam audire visus est perhumaniter. Hos labores nostros tibi dedico, Wertere, homini amico (quo nomine omnia consuetudinis, fidei, benevolentiæ officia continentur) & viro docto, qui hæc eadem cognovisti magna cupiditate, studio, industria. Quamobrem quædam ex his tua recognosces: & multa agnoscet Wolfgangus Meurerus, philosophiæ scientia, elegantia literarum, cognitione antiquitatis vir celeberrimus, ejus temporis socius, & comes studiorum atque itinerum nostrorum. Optarim autem plurimos ex nobilitate, viros splendidos & copiosos, ad evehenda optimarum artium studia cum multorum hominum fructu, & ipsorum maxima laude atque verissima gloria excitari. Res enim humanæ cum nihil firmi habeant, nihil possideant diuturni, sola virtutis & literarum laus est æterna: imo ne virtutis quidem, absque literis. Exemplum illustre est, & sempiternum erit, Urbs ipsa: cui aliis ornamentis omnibus amissis, hæc sola reliqua manserunt, quæ conservarunt doctorum virorum ingenia. Quæ quan-

do vigent atque in pretio ſunt, ea tempora merito feliciſſima habentur. Vale & me ama. Ex ludo illuſtri Miſenæ, Calend. Julii, anno Chriſti CIↃ IↃL.

DE URBE ROMA

EPIGRAMMA ANTIQUUM.

Urbs cecidit: de qua, ſi dignum dicere quicquam
Moliar, hoc potero dicere, Roma fuit.
Non tamen annorum ſeries, non flamma, nec enſis
Æternum potuit hoc abolere decus.
Cura homnium potuit tantam componere Romam,
Quantam non potuit ſolvere cura Deum.
Confer opem, marmorque novum, ſuperumque favorem;
Artificum vigilent in nova facta manus:
Non tamen aut fieri par ſtanti machina muro,
Aut inſtaurari ſola ruina poteſt.
Tantum reſtat adhuc, tantum ruit, ut neque ſtans par
Æquari poſſit, diruta nec refici.
Hic ſuperum formas ſuperi mirantur, & ipſi
Se cupiunt fictis vultibus eſſe pares.

AD URBEM ROMAM

LAZARUS BONAMICUS.

Vos operum ſtratæ moles, colleſque ſuperbi,
Queis modo nunc Romæ nomen inane manet:
Voſque triumphales arcus, cœloque coloſſi
Æquati, Pariis cæſa columna jugis:
Edita Piramidum faſtigia, templa deorum,
Digna vel æthereis Amphitheatra locis:
Vos ævi tandem attrivit longinqua vetuſtas,
Vos longa tandem fata tulere die.
At Romæ, Æneadum magnum & memorabile nomen,
Tempus edax rerum tollere non potuit.
Nec poterit, donec clari monumenta vigebunt
Ingenii, quæ non ulla ſenecta rapit.
Cætera labuntur tacito fugientia curſu,
Calliope æternum vivere ſola poteſt.

ROMA.

CAP. I.

De auctoribus, qui de Roma scripserunt.



URBEM Romam etsi plures olim literis monumentisque celebrarunt, nihil tamen scriptorum veterum relictum fuit, præter Fab. Pictoris & C.Sempronii de origine Urbis fragmenta: de quibus merito dubitatur. Catonis Origines, & M. Varronis de tribubus, & de ædibus, & de ludis theatralibus atque actionibus scenicis libri interciderunt. Extat Aristidis Smyrnæi de Romæ laudibus oratio. Nervæ temporibus de aquæductibus Romanis libros duos Julius Frontinus: Diocletiani dominatu de regionibus Urbis unum Publius Victor, vel (ut aliis placet) Sex. Ruffus, edidit. Ex recentioribus Urbis admiratione ad scribendum excitati sunt plurimi, Flavius Blondus, Pomponius Lætus, Andreas Fulvius, qui multos libros prosa & carmine scripsit, Carolus Poggius, Joannes Tortellius, Raphael Volaterranus, Fabricius Varranus, Franciscus Albertinus, Bartholomæus Marlianus: sed diligentia investigandi, & judicandi solertia hactenus excelluit Marlianus, qui & veterum scripta majore studio contulit, & plurimos aliorum errores prudenter animadvertit. Scripserunt de eadem Manuel Chrysoloras, & Bernardus Oricellarius: & ex nostris hominibus Hieronymus Questenbergius Misenus, patria Fribergensis, doctus atque diligens antiquitatis investigator, qui in Urbe mortuus est. sed ex horum scriptis nihil ad nostras manus pervenit.

Totam Urbem secundum regiones pinxit Fabius Calvus, sed ejus picturæ cum nullius descriptione conveniunt. De ædificiis veteribus vulgari nunc Italorum lingua Franciscus Serlius scripsit, Bononiensis architectus. Picturas statuarum, columnarum, colossorum, templorum, theatrorum, arcuum, portarum, sepulchrorum, Antonius Salamanca sparsim expressit. Imperatorum & virorum illustrium imagines de nummis antiquis excudit Jacobus Mazochius, addita brevi historiarum descriptione: quem secuti sunt Joannes Huttichius, & Nicolaus Gerbelius, Germani. Sed Antonii Zantani opusculo, quod nuper prodiit, nihil fieri posse dicitur eo in genere elegantius, aut perfectius. Idem Mazochius ingenti libro Urbis epigrammata ex ære, saxis, marmoribusque, incerto auctore congesta, edidit: quem librum nos, inspectis locis plurimis, & correctiorem, & septingentis epigrammatis auctiorem habemus. Nec inutilis iisdem colligendis, Petri Appiani & Bartholomæi Amantii, & ante illos Sebastiani Sergii opera extitit. Annuorum Romæ magistratuum cum nomina, tum tempora exacte annotarunt, ut Theophilus theologus tradit, primum Chrysorus, deinde Crator M. Aurelii Veri libertus, qui ea ab U. C usque ad patroni sui obitum deduxit. Anno autem superiore Marlianus Consulum, Dictatorum, Censorum, cum ipsorum triumphis descripta ex marmoribus nomina publicavit; quæ marmora in foro Romano effossa, nunc in Triumvirali palatio Capitolino asservantur. De antiquis Romanorum familiis se scripturum retulit mihi Paulus Manutius, omnis A elegantiæ & totius antiquitatis studiosissimus: & de iis commentarium ante annos sex & quadraginta promisit Petrus Crinitus, qui, cum alia ejus opera in manibus sint, nondum exiit. De mirabilibus Romæ non nominati auctoris libellus vulgo circumfertur, ad decipiendos (ut apparet) illiteratos & superstitiosos homines confictus. Si cui placet de donariis basilicæ S. Petri, & de sepulchris pontificum cognoscere, is Maphæi Vegii libellum legat. In cognoscendis autem Urbis antiquitatibus, sermo vulgi audiendus non est. Molem latericiam ante Amphiteatrum, quæ Meta sudans dicta fuit, ajunt fuisse turrim Virgilii: ædem Jani quadrifrontis, structura quadrata in foro Boario, B domum Boethii. Columnas æneas in S. Joanne Laterano, quas Augustus Cæsar ex præda Actiaca devicto Antonio conflavit, e templo Hierosolymitano religionis caussa nugantur translatas, de quibus Virgilius canit:

—— *navali surgentes ære columnæ.*

Statuam æneam equestrem M. Antonini Pii, in area Capitolina positam, nescio cujus liberatoris Urbis, fingunt fuisse. Quæ licet aperte falsa sint, tamen vulgus asseverat, & defensores pertinaces invenit.

C

CAP. II.

De situ & ambitu, item de gloria atque interitu Urbis.

URBS Roma primum unam ripam Tiberis tenuit, tandem fines suos cum orbis finibus terminavit, principio Italiæ, post orbis terrarum caput, a pastorum manu condita, Regum, Consulum, Dictatorum, Imperatorum dominatu usa, a vicinis populis tentata, ab externis gentibus sæpius petita, a Gallis Senonibus incensa, a Gothis Vandalisque vastata & diruta. Contemptu nostrorum Imperatorum quater capta: primum ab D Arnulpho Franco, tum ab Othone Tertio Saxone, deinde ab Henrico Quarto item Franco, nostra denique memoria a Carolo Quinto Austriaco. Posita est in solo sterili, & partim in montibus, partim in vallibus campisque subjectis, austro objecta, & cœli aliquando gravioris: nunc male habitata, & ruinarum plena. Antiquitus, quod miraculo simillimum est, suffossionibus montium, & meatibus cloacarum pensilis, & subter ædificia navigabilis extitit. Hodie valles & campi ex vastitate & ruinis ædificiorum altius quam credi queat, exaggerati sunt. Ambitus Urbis, qui nunc est, XIII. M. passuum non excedit. In mœnibus circiter trecentas & sexaginta turres, multis tamen E ex his collapsis, numeravimus. Excluso campo Figulino, ad Aventinum montem sito, spacium urbis minuit Paulus Tertius. Urbem olim ampliato pomœrio auxerunt Sylla, Augustus, Claudius, Nero, Trajanus, Aurelianus, Arcadius, Honorius: cujus rei testes sunt Seneca, Suetonius, Tacitus, Vopiscus, antiqua Epigrammata. ex quibus & illud discitur, censorum, augurum, præfectorum urbi, cura & auctoritate, id factum esse. Muri vetustissimi ex saxo quadrato fuerunt, Gabino in primis, Albano, Tiburtino, & Prænesti-

no : ea enim saxa firmissima , & igni imprevia. Postea facti sunt latericii , qui adhuc durant . Suetonius scribit, Augustum gloriantem dixisse : *Urbem latericiam reperi , relinquo marmoream.* & Propertius poeta canit :

Hoc quodcunque vides , hospes , quam maxima Roma est ,
Ante Phrygem Æneam , collis & herba fuit.
Atque ubi navali stant sacra palatia Phœbo ,
Evandri profugæ procubuere boves.

Verum (quæ rerum est humanarum imbecillitas & vicissitudo) illa ipsa Urbs nunc rursus latericia est, & Palatinus a nullo habitatus, collis jam & herba factus est, & in foro Romano sues veneunt, & in arce Tarpeja crux hominum nocentum supplicio cernitur erecta. Varius Imperator, cum decem millia pondo aranearum , opera servorum per domos collegisset, ex iis intelligi posse dicebat, quanta esset Roma . Nos inepti & scurrilis hominis risu omisso , in sequentibus summæ & clarissimæ Urbis magnitudinem & amplitudinem ostendemus , in qua tot tantaque ædificia fuerunt , quot , præter Urbem , & quanta terrarum orbis nusquam habuit: ut de cæteris ornamentis nihil dicam , nihil etiam de imperii diuturnitate atque gloria. Vere enim ad Germanicum Cæsarem Ovidius:

Gentibus est aliis tellus data limite certo,
Romanæ spacium est urbis & orbis idem.

Cum autem omni fortunæ varietate primis quasi adolescentiæ temporibus sit exercitata , tamen in secundis rebus nunquam secura , invicta in afflictis semper extitit . Urbem olim arroganti titulo , sed non omnino vano , appellarunt ÆTERNAM, quia Neptunio Homeri vaticinio posteritati Æneæ, a qua orti creduntur Romani , imperii æternitas promissa fuit. Vaticinii verba sunt:

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων τοί κεν μετόπισθε γένονται.

Urbis nomini divinos honores tribuerunt Smyrnæi, Pergamenses , & Græcorum omnium cultissimi Athenienses. A Smyrnæis id factum est, ut Tacitus scribit, M. Porcii Catonis consulatu : a Pergamensibus, imperante Augusto : ab Atheniensibus , dominante Ælio Hadriano . De his planius loquitur vetus inscriptio, quæ ante eversam a Mahomete urbem in vestibulo templi fuit , quod in arce quondam Palladi, postea B. Mariæ Virgini sacrum fuit.

Ο ΔΗΜΟΣ ΘΕΑι ΡΩΜΗι ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΟι ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΠΟΛΙΤΑΣ ΠΑΜΜΕΝΟΥΣ ΤΟΥ ΖΗΝΩΝΟΣ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ, ΙΕΡΕΩΣ
ΘΕΑΣ ΡΩΜΗΣ ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΕΝ ΑΚΡΟΠΟΛΕΙ ΕΠΙ ΙΕΡΕΙΑΣ ΑΘΗΝΑΣ ΠΟΛΙΑΔΟΣ ΜΕΓΙΣΤΗΣ ΑΣΚΛΕΙΠΙΑΔΟΥ ΑΛΙΕΩΣ ΘΥΓΑΤΡΟΣ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΡΗΟΥ ΤΟΥ ΜΩΡΙΩΝΟΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ.

Ad quod alludens cecinit Martialis:

Terrarum dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Quinetiam in Urbe prope viam Sacram, Romæ & Veneris consors delubrum fuit, & sacerdotis Urbis, ut in hoc epigrammate , ita in historicorum scriptis, & in antiquis marmoribus mentio extat. Itaque cum templa sacro Urbis nomini dicata, & festi dies memoriæ natalis ejus (ut postea dicam) constituti sint, minime mirum victrici statuas fuisse triumphales collocatas. Cujus generis multæ elegantiæ & artificii, superiore anno reperta, & nunc in ornatissimo Cæsiorum domo statua est . Roma sedens juvenili habitu , galeata, sinistra manu tenet pugionem, dextra coronam lauream, designans indice mulierem sub basi sedentem , vultu mœsto, vestitu lugubri , capillo per vittam passo , caput sinistra manu sustentantem , dextra ad sinistrum femur posita , projectisque ad idem latus armis atque clypeis, cum hac inscriptione:

ROMA VICTRIX DE DACIA PROVINCIA
SVBACTA TRIVMPHANS VVLTV AC HABITV
BARBARORVMQ. SPOLIS INLVSTRIS.

Romanæ urbi Constans Imp. Constantini junioris filius, septem dierum spacio plus ornamentorum ademit unus , quam ducentorum quinquaginta octo annorum intervallo detraxerunt omnes barbari. Imperium autem quamvis ante septingentos & quinquaginta annos ad Germanos translatum sit , tamen Romani nomen retinuit. ut poetico quodam ac veluti fatidico spiritu cecinisse videatur Propertius:

Roma , tuum nomen terris fatale regendis.

Sibyllæ de Romæ interitu tale vaticinium refert Lactantius Firmianus , in libro de Divino præmio: *Roma interibit, & quidem judicio Dei, quod nomen ejus habuerit invisum , & inimica justitiæ, alumnum veritatis populum trucidarit* . Ortum nuper aliud est, nescio quo auctore , idque occasione ejusmodi. Phocas Imp. eodem jure summam potestatem Pontifici tribuit, quo ipse imperium invasit. id autem factum anno a nato Christo DCVI. a quo primum regia auctoritate Pontifex Christianorum ecclesiis præfuit . Ad hunc annorum numerum si addantur ii, quos ῥώμη, si Græce scribatur , in se continet (singulæ enim literæ certum numerum significant) tum sublatum iri Urbis & Pontificis potentiam: complent autem hæ literæ annos DCCCC.XLVIII. Hæc qualia sint , ab Italis excogitata, aliis relinquo judicandum.

CAP. III.

De montibus, a quibus Urbi additi, quæ loca adjacentia habeant , quot nominibus & unde sint appellati.

PROPERTIUS poeta elegans, & doctus Urbis præco, canit:

Septem urbs alta jugis, toto quæ præsidet orbi, unde ἑπτάλοφος a Græcis, *septicollis* a Fabio Pictoro, *septemgemina* a Statio dicitur. Hos colles, Virgilius in Georgicis , & in Epithalamio Ausonius, propter sedes regias aliquando in iis constitutas, *septem arces* nominarunt. Nos decem Romanorum collium situm , & varia eorum nomina , & loca circumjacentia , unde reliquæ urbis cognitio fiat apertior, paucis notabimus . Mœnibus enim inclusi hodie sunt, Palatinus, Aventinus, Cœlius, Esquilinus , Viminalis , Quirinalis , collis Hortulorum : & trans Tiberim , Janiculum , & Vaticanus.

Palatinus,

Evandri & Romuli sedes, unde *collis Evandrius* a poeta Statio , & *Romulius* a Trebellio Pollione historico dictus . A Strabone τῆ ἄκρας nomine propter primam sedem regiam, appellatur . Ad or-

tum habet Cœlium, ad meridiem Aventinum, ad occaſum Capitolinum, ad ſeptentrionem forum. Adjacet ex eo latere, quod ortum ſpectat, arcus Conſtantini: quod meridiem, Circus maximus: quod occaſum, Romuli ædes & Velabrum: quod ſeptentrionem, templa quæ in ipſo foro ſunt, & arcus Veſpaſiani. Hunc Virgilius a Palanteo oppido nominatum vult: Propertius & Ovidius, quod ibi pecudes *palari*, id eſt, errare conſueverint. Hujus montis pars, forum verſus, Germali nomen habuit, in qua parte Ancus rex habitavit: Cœlium autem verſus, Veliæ, in qua Tullus Hoſtilius. Quia autem prima imperii ſedes in eo conſtituta, cujuſvis principis aulam, aut ſplendidi hominis domum, *Palatium* nominamus. Hodie ſuffoſſionibus & ſubterraneis meatibus totus quaſi penſilis, & aut ruinis deformis, aut hortis occupatus.

Capitolinus,

Tatii Sabini ſedes, qui & *Saturnius*, & *Tarpejus*. Ad ortum habet forum & montem Palatinum, ad meridiem Tiberim, ad occaſum urbem planam, ad aquilonem collem Quirinalem. Ab ortu adjacent, Tullianus carcer, arcus Septimii, porticus Concordiæ: a meridie, Janus quadrifrons, forum holitorium, theatrum Marcelli: ab occaſu, circus Flaminius, in quo porticus Cn. Octavii, & recens turris Argentina: a ſeptentrione, forum Trajani. Dictus a vetuſtiſſima Saturni ſede, *Saturnius*: & mox, ut Juſtinus inquit, *quaſi pulſo a Jove ſedibus ſuis Saturno*, *Capitolinus*. idem *Tarpejus*, quod vel a Tarpeja virgine, arcis proditrice: vel

A duce Tarpejo mons eſt cognomen adeptus,

ut canit Propertius. De eodem in VIII. Virgilius:

Hinc ad Tarpejam ſedem, & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim ſilveſtribus horrida dumis.

Aventinus

Ab Anco rege, creſcente civium numero, ex parte additus, non totus habitatus: Tatii regis Romanorum, & Aventini Albanorum, ſepulchris celebris. Variis appellatus nominibus, a Remo Romuli fratre, *Remurius*: a Murciæ deæ ſacello, *Murcius*: a Dianæ templo, *collis Dianæ*. Martialis libro XII.

Cum tu forſitan inquietus erras,
Clamoſa Juvenalis in Subura,
Aut collem dominæ teris Dianæ.

& idem lib. VII. ad Maximum:

Eſquiliis domus eſt, domus eſt tibi colle Dianæ.

Propter longitudinem certo deſcribi nequit: ſed tamen, ut in prioribus, tentabimus. Ad ortum in meridiem declinantem, reſpicit mœnia: ad meridiem, campum Figulinum: ad occaſum, flumen: ad ſeptentrionem, montem Palatinum. Ortum verſus, ſed valde in meridiem flexum, propinqua eſt porta Capena: meridiem, porta Oſtienſis, pyramis Ceſtii, mons Teſtaceus: occaſum, Navalia, ſalinæ, ſpelunca Caci: ſeptentrionem, Dianæ templum, & Numachiæ initium. Aventinus dictus, ab *avibus*, quod nomen Evandri & Herculis in Italiam adventum, ut liquet ex Virgilio, habuit. Quod ſi certis auctoribus ſcripſit ille, nomen ipſum non accepit ab Aventino rege, qui in eo extinctus bello, & ſepultus fuerit, ut 4. Faſt. ait Ovidius: quamvis in eadem pagina alteram, & cum Virgilio conſentientem opinionem ponat. neque etiam ab *Avente* Sabinorum fluvio, ut de gente populi Rom. tradidit Varro. In hunc montem aliquando plebs ſeceſſit, ut eſt apud Senecam in libro de Bre-

A vitate vitæ, & apud Plin. lib. 19. *Nemo Sacros, Aventinoſque montes, & iratæ plebis ſeceſſus circumſpexerit*. Sacer autem mons, ut hoc quoque moneam, juxta ripam Anienis fuit, & Aventinus duplex, alter ad Verreſtim fluvium, in quo conditum Præneſte oppidum: alter ad Tiberim, urbis Romæ pars, de quo nunc agimus.

Cœlius

Ab eodem Anco additus, ut Strabo: vel a Tullo Hoſtilio, ut Livius: vel a Tarquinio Priſco, ut Tacitus. A querna ſylva, *Querquetulanus*: a Tiberio Cæſare, quod is poſt incendium habitatoribus
B ædificia conſumpta inſtauraſſet, dici cœptus *mons Auguſtus*. Ab ortu habet mœnia, a meridie Cœliolum, ab occaſu Palatinum, a ſeptentrione Eſquilias. Adjacent ab ortu, Cœlimontana & Nævia portæ, & inter has Statilii Tauri theatrum dimidiata ſui parte mœnibus incluſum: a meridie, vallis: ab occaſu, Severi ſeptizonium: a ſeptentrione, Titi amphitheatrum, vulgo Coloſſeum. Nominatus a *Cœle* quodam Hetruſcorum duce, qui cum Romulo contra Sabinos arma ſocia conjungens, caſtra in eo poſuit.

C Cœliolus pars eſt Cœlii, a Martiale libro 12. ad Juvenalem, *minor Cœlius* dictus:

Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Cœlius & minor fatigat.

Ab ortu habet mœnia, a meridie Aventinum, ab occidentis & ſeptentrionis partibus vallem, per quam fluit rivus Appiæ. Incipit poſt portam Gabiuſam, nunc clauſam, & inde ad Latinam flectitur, terminaturque ad Capenam.

D

Eſquilinus

A Tullo Hoſtilio adjectus, ut Livius; a Servio Tullio, ut Tranquillus. Hanc autem in auctoribus diverſitatem peperit, quod aliqui reges primi adjecerint, aut habitarint: reliqui ædificiis, aliiſve rebus ornarint, aut auxerint. Hunc montem auctore Verrio Flacco, & *Ciſpium* & *Oppium* veteres nominarunt. Attingit ab ortu, Urbis muros: a meridie, viam Lavicanam: ab occaſu, vallem inter Cœlium & Palatinum, longe lateque patentem: a ſeptentrione, Viminalem. Adjacent ortus verſus, Eſquilina porta, & Querquetulana: meridiem verE ſus, Carinæ: occaſum, vallis ſubjecta, & regio Tabernulæ: aquilonem, vicus Patricius & Subura. unde *Suburanum* nonnulli vocarunt ex veteribus. Dictus, quod *excubiæ* ibi agerentur, primum *Excubinus*: poſtea mutata pronunciatione, *Exquilinus*, & melioris ſoni gratia, *Eſquilinus*, a poetis *Eſquilius*, litera videlicet e medio ſublata, ut Ovid. II. Faſt.

Monte ſub Eſquilio.

Idem lib. III.

Adde, quod excubias ubi rex Romanus agebat,
Qui nunc Eſquilias nomina collis habet.

F

Horatius in Sermonibus:

—— at ſimul atras
Ventum eſt Eſquilias.

Viminalis

A Servio Tullo ad reliquos additus, qui & *Fagutalis*, a ſilva fagea, ut eſt apud Varronem & Feſtum. In ortum tendens, reſpicit campum Eſquilinum: in meridiem, partem Suburæ & fori

Romani: in occasum, Quirinalem, interjecta Subura plana: in septentrionem, vallem Quirinalem. Ab ortu adjacet porta Querquetulana: a meridie, Novatii & Olympiadis thermæ: ab occasu, palatium Decii: a septentrione, lavacrum Agrippinæ. Nomen invenit a *viminum* copia: quæ tamen cujus generis fuerint, Varro, Festus, Plinius non dixerunt, neque Juvenalis Sat. III.

Esquilias, dictumque petunt a vimine collem.

In locis incultis, quæ hortos aut vineta non habent, nunc populi & salicum vimina & harundines pollicis crassitudine nascuntur.

Quirinalis,

Ab eodem rege additus. Alio nomine *Agonius*, vel *Agonensis*, & in quadam sui parte *mons Clatrati Apollinis*, nostro tempore *mons Caballinus*. Habet ab ortu, Viminalem: a meridie, Cæsaris & Nervæ forum; ab occidente, Urbem planam: a septentrione collem Hortulorum, & campum Martium. Contiguæ sunt ab ortu, portæ Viminalis & Collina: a meridie, Corneliorum domus: ab occidente, quæ in plana Urbe sunt ædificia: a septentrione, porta Collatina. Dictus *Quirinalis*, ab æde *Quirini*. Ovid. II. Fast. de Quirino:

Templa deo faciunt, collis quoque dictus ab illo est.
Horatius secundo lib. Epist.
—— cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino, visendus uterque.

Agonius, quod circo Flaminio, eruptione Tiberis inundato, ludi *Agonales* in eo fierent. *Clatrati Apollinis*, a templi ædificio, atque forma. *Caballinus*, a duobus equis marmoreis, qui stant ibidem in excelsa basi, cum suis ductoribus, prope ædem S. Saturni, qui a Phidia & Praxitele, si titulus verus est, sunt facti.

Collis Hortulorum,

Vel (ut Suetonius) *collis Hortorum*, extra antiquos muros, Quirinali contiguus. Ab ortu tangit ejusdem montis campum, a meridie item aliquam ejus partem, ab occasu vallem Martiam & Domitiani naumachiam, a septentrione Urbis mœnia. Ab ortu propinquam habet portam Collatinam, a meridie pilam olim Tiburtinam, ab occasu viam Flaminiam, a septentrione templum Solis, & Neronis sepulchrum. Ab hortis ad nostra usque tempora nomen antiquum retinuit.

Vaticanus

Trans Tiberim, olim habitatus non fuit, nec ad Urbem pertinuit. Nomen accepit vel a *vatum* responsis, vel a *Vaticano* deo, qui & *Vagitanus*. Ad ortum spectat campum Vaticanum, & flumen: ad meridiem, Janiculum: ad occasum, alium campum, in quo ex creta & argilla vasa fiunt, ab usque Juvenalis & Plinii temporibus nota: ad septentrionem, prata Quintia. Meminit hujus montis Horat. I. Carm. oda XX.

Care Mecœnas eques, ut paterni
Fluminis ripæ, simul & jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

Olim fuit Scipionis sepulcro nobilis, postea Othonis II. Imperatoris: nunc vero S. Petri basilica, item Palatio, hortisque Pontificis, clarus est.

Janiculum,

Ab Anco mons hic additus, Numæ regis, & Statii Cæcilii poetæ sepulcris celebratus, *Janicularis* Servio dictus. Ab ortu meridieque Tiberim respicit, ab occasu campos, a septentrionis parte Vaticanum. Adjacent ab ortu, prata quondam Mutia: a meridie, porta Portuensis: ab occasu, Aurelia: a septentrione, naumachia Neronis. Dictus vel a vetustissimo oppido, quod *Janus* condidit, de quo in VIII. Virg.

Hic duo præterea, disjectis oppida muris,
Reliquias, veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem,
Janiculumque illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Vel quod populo Rom. primum in Hetruscos eunti quasi *janua* fuerit, ut Verrius Flaccus. Nunc a flavis harenis, *mons aureus* nominatus, & corrupto vocabulo, *Montorius*. Ex hoc propter altitudinem Roma maxime conspicua, cæteris autem infrequentior est, ob aeris gravitatem, utrumque testante lib. I. Martiale:

Longo Janiculi jugo recumbunt,
Et planus modico tumore vertex
Cœlo perfruitur sereniore.
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam.

In hunc aliquando plebem secessisse Romanam, & a Q. Hortensio dictatore revocatam, scribit Plinius libro 16. In eodem, si Silio Italico fides, Porsena Hetruscus castra habuit.

Hi montes jam rarissimi habitantur, maxima ex parte hortis, & dispersis hinc inde templis, aut claustris religiosis occupati, aut veterum ædificiorum ruinis obruti. Vetustissimis temporibus nemora & pascua habuit Palatinus, ut scribit Tibullus: Capitolinus dumeta, ut Virgilius: Aventinus lauretum, ut Solinus: Cœlius quercetum, ut Tacitus: Viminalis silvam fageam, ut Varro: Janiculum esculetum, ut Plinius: Vaticanus ilicetum, ut Fulvius, qui id sine auctore non videtur dixisse.

CAP. IV.

De portis veteris novæque Uurbis, & quam variis nominibus eædem appellatæ.

PORTÆ Urbis in universum sunt viginti, antiqui nominis & loci quindecim, recentioris Urbis quinque. Ad septentrionem sunt, Flumentana & Collatina. Ad ortum vernum, Quirinalis, Viminalis, & Clausa: ad ortum æstivum, Esquilina & Nævia: ad ortum hyemalem, Cœlimontana, Gabiusa, & Latina. Ad meridiem, Capena & Trigemina. Ad occasum, Navalis, Aurelia, & Septimia. Reliquæ quinque urbis Leoninæ sunt, ut mox dicemus.

I. *Flumentana*,

Quod ad fluvium pertineret: a via, *Flaminia*, & vulgo nunc *Porta populi*.

II. *Collatina*,

In colle Hortulorum, a *Collatia* oppido: & a palatio Pincii senatoris, modo *Pinciana*.

III. *Quirinalis*,

Aliis nominibus *Collina*, & *Agonia*, sive *Agonensis*. Ovid. 4. Fast.

Templa frequentari Collinæ proxima portæ.
Juvenalis Satyra 6.
—— proximus urbi
Hannibal, & stantes Collina in turre mariti.

Aliquando *Lavernalis*, quod ad ejus deæ fanum in via Salaria duceret: & nunc a via ipsa, *Salaria*.

IV. *Viminalis*.

Quæ & *Numentana*, vel (ut Strabo scribit) *Nomentana*, & *Figulensis*, & nunc *S. Agnetis*.

V. *Querquetulana*,

Ab aliis *Inter aggeres*, sine auctore. Prope enim sunt Aggeres Tarquinii, quadrata forma tumulus. Querquetulanam proxime Viminalem fuisse, videtur indicare Plinius lib. 16. Hæc nunc in vinetis jacet clausa, ad quam per viginti gradus ascendimus.

VI. *Esquilina*,

A Procopio *Prænestina*, a Fulvio & aliis recentioribus *Tiburtina*: a bovis capite, quod supra eam est, nunc *Taurina*: a templo suburbano, vulgo *S. Laurentii*. Antiquissimo nomine *Metia*: id enim inde conjicio, quod idem de Metia scribat Plautus, quod de Esquilina Horatius: nec dissentiat ab utroque Corn. Tacitus, qui libro secundo Annalium ait, sumptum more prisco extra Esquilinam de nocentibus supplicium. Plautus in Casina:

Illum edepol videre ardentem te extra portam Metiam
Credo ecastor velle.

Horatius v. Epod.

Post insepulta membra different lupi,
Et Esquilinæ alites.

In quem locum annotavit Porphyrio, in regione Aggeris extra portam Esquilinam, solita fuisse pauperum corpora vel comburi, vel projici. Combusta fuisse indicat Plautus, projecta Horatius.

VII. *Nævia*,

A Plinio *Lavicana*, a vetustioribus *Raudusculana*, hodie *porta major*, ab ædificii magnificentia, propter ductum aquæ Claudiæ, cujus ibi vestigia apparent.

VIII. *Cœlimontana*,

Aliquando *Asinaria*, nunc a templo, *porta S. Joannis*, vel *porta Laterana*. Per hanc Alarico duce ingressi Gothi, urbem captam diripuerunt, Innocentio primo pontifice.

IX. *Gabiusa*,

Sub Cœliolo, nunc clausa, alias *S. Methodii*. Per hanc rivus Appiæ urbem influit.

X. *Latina*,

Quæ & *Valeria*, a via: & *Ferentina*, ab oppido Hernicorum. De priore nomine incerrum est: de altero suam conjecturam attulit Marlianus.

XI. *Capena*,

A via, interdum *Appia*: a templo olim, *Camœ-*

A *na*, a Tortellio & Merula *Fontinalis*, nunc *S. Sebastiani*. Celeberrima apud Poetas. Propertius lib. IV.

Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ.

Juvenalis Sat. III.

Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam.

Martialis lib. IV. Epigram.

Capena grandi porta qua pluit gutta.

XII. *Trigemina*,

B Nunc *Ostiensis*, vel *S. Pauli*. Veteris Trigeminæ ad Tiberim in vineto quodam sunt vestigia: alium enim translata in locum a Claudio Imperatore fuit. Extra hanc tenues stipem petere solitos, significat Plinius libro XXXIV. inquiens: *Extra portam Trigeminam, unciaria stipe collata.* & alludit eodem Plautus in Captivis, apud quem sic loquitur parasitus:

Vel extra portam ire Trigeminam ad sacculum licet:
Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum est.

XIII. *Navalis*,

C Trans Tiberim, quæ & *Portuensis*, nunc *porta Ripæ*, vel *Vinaria*, quod extra eam vina externa, maxime tamen Campana & Tusca vendantur.

XIV. *Aurelia*.

In Janiculo monte, nunc *S. Pancratii*, aliquando *Trajana*.

XV. *Septimia*,

In eodem monte. hæc itidem *Fontinalis*, & sub-
D tus Janum. Per hanc ingressi Fronsbergio & Borbonio ducibus Germani, Romam diripuerunt, Clemente Septimo Hetrusco Pontifice.

De urbe Leonina, & ejus portis.

Planicies inter Tiberim & montem Vaticanum, vulgo *Regio burgi*, seu *Vaticanum suburbium*, a Leone quarto Pontifice, *urbs Leonina*, & *nova Roma* appellata, quod eam partem adversus Saracenos tunc universam Italiam ab utroque mari infestantes, munitam reddiderat, mœnibusque contra incursiones sepserat. Ea nunc quinque habet portas,
E quarum hæc sunt nomina:

Posterula,

Vel *porta Turrionis*, quæ ducebat ad scholam Saxonum & Langobardorum, prope Campum Sanctum.

S. Spiritus,

Infra Janiculum, eundo ad Septimiam, a templo vicino nomen habens, circa quam olim Trium-
F phalis porta fuit.

Pertusa,

Vel *S. Peregrini*, in dorso Vaticani, non longe a stabulis Palatinis.

Viridaria,

Vel *porta Julia*, subjecta palatio Pontificis: hæc in campos ducit.

Subjecta,

Per quam apud molem Hadriani, nunc castellum S. Angeli, in campos iter est.

De portis, quæ jam non extant.

Legitur de aliis portis apud scriptores, quæ jam nullæ sunt: ut Urbis Romuli antiquissimæ quatuor. Prima *Romana*, quæ ab Ovidio *porta Palatii*, a Varrone *Mugionia*, a Verrio *Trigonia* appellata. Altera *Pandana*, quæ & *Saturnia*, & *Romanula*, & *Libera*. Tertia *Carmentalis*, & aliis nominibus *Tarpeja*, & *Scelerata*, & *Vejentana*, & (ut ex Plinio conjici potest lib. VIII.) aliquando *Ratumena*. Quartam addunt nonnulli, *Janualem*. Præter has auctæ jam urbis & aliæ inveniuntur, vel a statis sacrificiis dictæ, ut *Piacularis*, & *Catularia*, & *Stercoraria*: vel a deorum templis, ut *Sangualis* a Sango, *Salutaris* a Salute, *Libitinensis* a Libitina, *Minutia* a sacello Minutii. De quibus malo allatas aliorum sententias sequi, quam contra aliquem contendere, aut novam conjecturam sine auctoritate affingere.

CAP. V.

De viis intra & extra Urbem.

MAXIMA Senatus diligentia in viis faciendis fuit. bonis enim Reip. temporibus id agebant principes Romani, non ut sua cupide nimis augerent, sed ut honori publico, & civium commodis consulerent. Ac quod Demosthenes de Atheniensibus prædicat, Aristidem & Miltiadem, aliosque viros illustres, cum urbem publice ita ornaverint, ut ad incrementi amplitudinem posteris vix reliquerint locum, privatim ipsos nihilo magnificentius habitavisse, quam quemvis ex modicis vicinis suis. Idem de Romanis veteribus, suorum temporum reprehendens immodestiam, merito jactavit Horatius secundo Carminum:

Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton.
Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumptu jubentes, & deorum
Templa novo decorare saxo.

Ex talibus operibus laude dignis, & reip. utilibus, fuit viarum magnificentia. Earum curandarum munus fuit censoribus a senatu commissum, quibus Augustus Cæsar, Viarum curatores addidit: qui, ut & quatuorviri tuendarum viarum, in primis nominati fuerunt. id quod inscriptiones Tiburi, Formiis, Allifis, item Urbini, Romæ, Præneste, & extra Italiam, Daciæ, Gallicæ, Hispanicæ, indicant. Viæ autem ejusmodi cum intra urbem, tum etiam extra fuerunt, & in provincias ipsas commoda earum translata sunt. Etenim viæ Pompejæ in Sicilia meminit Cicero contra Verrem: viæ Domitiæ in Gallia, idem pro M. Fontejo: viæ Posthumæ in Insubria, Cornelius Tacitus: viæ Domitianæ in Campania, Statius Papinius. Nunc ad Romanas venio, & primum ad urbanas.

Viæ Urbanæ.

Sex. Pompejus, ne hoc ignoretur, annotavit, in viarum nominibus, substantivum in sermone præponendum, ut dicatur, *via sacra*, & *via Nova*, non *Sacra via*, aut *Nova via*. Verum hæc

A communis est præceptio, ut dicatur; *forum Cæsaris*, *theatrum Scauri*, *domus Pompeii*: item *mons Vaticanus*, *pons Sublicius*; *porta Metia*, *tribus Cornelia*, ac id, quod generis significationem habet, minus commune verbum in sermone Romano usitate antecedat. Hoc licet a poetis raro, a Cicerone aliisque non semper observetur, tamen plerumque locum habet. Viæ interdum *semitæ* dicuntur, cum angustæ sunt, ut *alta semita*: improprie vero *plateæ*, ut ab Ælio Spartiano.

Via sacra,

B Inter urbanas celeberrima, incipit ab amphitheatro, & per vicinos hortos juxta templum Pacis & forum Cæsaris recta tendit in Capitolium. In hac via, Numæ regia fuit: ut ex Asconio constat.

Per viam sacram triunphantes Capitolium ascendebant. Propert. lib. II.

Actiaque in Sacra currere rostra via.

In eadem, ut fit, animi caussa homines ambulabant. Unde Horatius in Sermonibus:

Ibam forte via Sacra, sicut meus est mos.

C Item populo se ostentabant auræ popularis studiosi, ut de Mena Pompeii Magni liberto idem poeta in Epodis:

Vides ne Sacram metiente te viam,
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio?

Et de puella populo se præbente Propertius:

Cui sæpe immundo Sacra conteritur via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire velit.

D Vitellius in Forum & Viam sacram, tanquam celeberrima urbis loca, seminudus cum traheretur, facinorosorum ac servorum more per contumeliam illusus & vexatus est.

In eadem via propter frequentiam res viles vænibant, ut poma, flabella, tesseræ, tali, testantibus Varrone, Ovidio, Propertio. *Sacravienses*, ut *Suburenses*, qui ad viam Sacram & Suburam habitant, nominavit Festus.

Via nova,

E A Velabro, inter Capitolium & montem Palatinum, ducens in forum. Ovid. VI. Fast.

Qua via Romano nunc nova juncta foro.

Ad hanc viam in Velabro Accæ sepulchrum fuit, ut ait Varro.

Via nova alia,

Prope Severi Septizonium, declinans ab Appia, Aventinum versus, & rursus in eam sub thermis Antoninianis incidens: qua pulchriorem inter plaF teas Romanas nullam inventam, scribit Spartianus.

Via lata,

A macello corvorum, ad septa campi Martii extensa. Hæc vetus nomen retinet, & istis temporibus Romæ est pulcherrima.

Via alta,

Inter Quirinalem & Viminalem, tendens ad por-

tam Viminalem, lapide olim quadrato strata, & A *Alta semita* dicta.

Via recta,

Ducens per longitudinem campi Martii. Seneca de morte Claudii: *Trahit capite obvoluto, ne quis eum posset agnoscere, per campum Martium, & inter Tiberim & viam rectam descendit ad inferos.* Hæc via prope Flaminiam fuit. Martialis lib. VIII.

Dum repetit sera conductos nocte penates,
Lingonus a Recta Flaminiaque recens.

Via fornicata, B

Prope Flaminiam, ĕe parte qua steterunt Ovilia. Hujus sæpe mentionem facit Livius.

Via Suburana,

A foro Trajani, ad ædem nunc S. Agathæ.

Via piscinaria,

Inter Cœliolum & Aventinum, porrecta ad piscinas publicas: quæ quamvis tollerentur, viæ tamen nomen remansit. C

Via triumphalis,

A campo Vaticano continuabatur in Capitolium. Ejus particula silicibus strata adhuc cernitur, inter templum S. Spiritus, & Tiberim.

Via Ælia,

Ab Aelio Hadriano facta, Triumphali contigua.

Viæ extra Urbem. D

Hæ viæ partim intra urbem initium habuerunt, ut Flaminia, Prænestina, Tiburtina, Lavicana, Campana, Gabiusa, Appia, Ardeatina, Aurelia: partim extra urbem incœperunt, ut reliquæ omnes. Nomina sortitæ sunt, una tantum a porta unde orietur, ut Salaria: plures ab auctoribus, ut Flaminia, Aemilia, Cassia, Valeria, Numicia, Appia, Aurelia, Cornelia, Vitellia: pleræque a civitatibus, ad quas erant deductæ. Tam autem latæ quædam fuerunt, ut binos currus simul euntes caperent: tam longæ, ut provinciarum terminos attingerent. E Primum in urbe tantum silice sternebantur, extra vero glarea, ut ex Tibullo & Plinio licet cognoscere: posterioribus temporibus omnes silicibus stratæ sunt. Verum unde tanta lapidum copia advecta sit, nondum me legere memini. In Campania duos montes vidi, ex quibus saxa ejusmodi exscinduntur: unum prope Suessam, alterum ad mare inter Puteolos & Neapolim. Silices lati sunt ternos quaternosve pedes, & reperi quaquaversus latos pedes quinos. Viarum nomina recensebo secundum portas. Quod autem discrepant interdum scriptorum sententiæ, minime mirandum est, siquidem non uno tempore sunt stratæ: & u- F na in alteram sæpe exiguo, sæpe longiore intervallo incidens, nomen alterius immutat.

Via Flaminia,

Hæc a Cn. Flaminio per Hetruscos Aretium, ab Augusto Cæsare per Umbriam & Picenum, Ariminum usque strata, longa ad XL. milliaria Germanica. Martialis lib. X.

Totaque Flaminia Roma videnda via.

Hujus inter Ocriculum & Romam vestigia *in vepretis* vidimus. Crebra ejus mentio apud Tacitum. & de eadem inscriptio Tarraconensis Hispaniæ, quæ L. Ovinio, L. F. Quirina Rustico posita, in qua inter cætera legitur:

CURATOR. VIAE FLAMIN. LEGATO LEG. MYS. INFERIORIS, CURAT. VIAE TIBURTIN.

Claudia.

Flaminiæ juncta. Ovid. I. de Ponto:

Nec quos pomiferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ.

Æmiliæ.

Aemiliæ duæ fuerunt: unam stravit Lepidus Bononiam, & ex ea Aquilejam. Martialis lib. III. alloquens librum suum:

Romam vade, liber: si, veneris unde, requiret,
Æmiliæ dicas de regione viæ.
Si, quibus in terris, qua simus in urbe, rogabit:
Cornelireferas me licet esse foro.

Idem de eadem libro VI. & Plinius libro I. agens de mirifico portento agri Mutinensis, in eadem Faventiam positam significat, lib. XIX Plinius junior ad Pontium: *Mihi nunciatum est, Cornutum Tertullum accepisse Aemiliæ viæ curam.* Alteram Aemiliam stravit Scaurus, quæ per Pisas, Lunam, Sabbatios, Dertonam usque pertinuit.

Cassia

Extra Flumentanam per Sutrium & Viterbium, Vulsinios mittebat. Hujus rudera quædam inter oppida nominata extant.

Cimina

Fuit propinqua superiori, vel ab oppidi, vel a montis, vel a lacus nomine dicta. Hujus mentio apud Victorem, & in marmore Auximi:

C. OPPIO C. F. VEL. SABINO CVR. VIAR.
CLODIÆ ANNIÆ CASSIÆ CIMINÆ APPIÆ AVRELIÆ TRIVM TRAIANARVM ET AMERINÆ.

Clodia, quæ in hac inscriptione nominatur, est, quæ ab Ovidio Claudia. De Annia, & tribus Trajanis, nihil certi habemus: cæteræ notæ sunt.

Amerina.

Hanc ex posita modo inscriptione fuisse cognovimus, & duxisse Ameriam.

Collatina

Extra portam ejusdem nominis, ducens Collatiam, post exiguum spacium incidens in Salariam.

Salaria,

A porta Collina mittens in Sabinos, non magnæ (ut Strabo inquit) longitudinis, nomen a deportando sale adepta est. Martialis:

Illic Flaminiæ, Salariæque,
Gestator patet essedo tacente.


ORIENS
OCCIDENS
SEPTENTRIO
MERIDIES
Aqua Martia Aqua Claudia
Vivarium
AGGERES TARQVINI SVPERBI
REGIO VI QVIRINALIS ALTA SEMITA
REGIO V ESQVILINA
REGIO II COELIMONTIVM
COLLIS HORTVLORVM
REGIO VII VIA LATA
REGIO IX CIRCVS
REGIO XII PISCINA PVBLICA
AVENTINVS
CAMP COELIMONTANI
REGIO PRIMA PORTA CAPENA
REGIO XIV TRANSTIBERIM
MONS VATICANVS
MONS IANICVLVS
P. Septimiana
P. Aurelia
P. Flaminia
Horrea Publica

A Tacitus lib. XIX. *Ut transversis itineribus per agrum Sabinum, via Salaria urbem introirent.* & paulo post: *Tertium agmen per Salariam Collinæ portæ propinquat.* In hac via ad quartum & decimum milliare, ut Vibius, vel ad undecimum, ut Livius, prope Alliam flumen victoria contra Romanos potiti sunt Galli. Allia autem flumen e Crustuminis montibus præalto defluens alveo, haud multo infra viam Tiberino amni miscetur.

Numentana.

B A Viminali, vel (ut Strabo) a Collina inchoans, apud Eretum vicum in Salariam incidit. Quamobrem superiorem & hanc tanquam vicinas conjungunt, Suetonius in Nerone, & Eutropius loquens de morte Caligulæ. Numentanæ prope Urbem extant adhuc vestigia. Ovid. IV. Fast.

Hac mihi Numento Romam cum luce redirem,
Obstitit in media candida turba via.

Tiburtina,

C Extra Esquilinam, Tibur mittens. Ab hac porta multæ viæ incipientes, in diversa porro loca dividuntur. Horat. I. Serm.

Cum Tiburte via prætorem quinque sequuntur.

Tusculana.

Hanc una cum Albana instauravit M. Messala, quem laudibus celebrat lib. I. Tibullus:

Nec taceam monumenta viæ, quæ Tuscula tellus,
Candidaque antiquo detinet Alba lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta jungitur arte silex.

D In Albana olim via, Julio Proculo apparuit post mortem Romulus.

Prænestina.

Hujus initium cœpit a Subura, cujus intra urbem adhuc ex lapide quadrato supersunt vestigia, & in frutetis extra urbem, a Tusculo Præneste euntibus.

Lavicana,

E Inter Esquilinum & Cœlium, per Esquilinam (ut Strabo inquit) portam exiens, vel (ut alii) per Næviam, deducit ad Lavicorum oppidum. Sed & hoc & Tusculum a dextra relinquens, ad Pictas & Latinam viam terminabatur.

Campana,

Extra Cœlimontanam. de qua Romæ in marmore: HVIC MONVMENTO ITVS ADITVS AMBITVS DEBETVR EX SENTENTIA EROTIS AVG. L. IVDICIS A VIA CAMPANA PVBLICA. & apud Suetonium in Cæsare Augusto.

F

Gabina,

Inter Cœlium & Cœliolum orta, ducens Gabios. Strabo lib. V. non idem dicit. primum enim ait, Latinam inter Appiam & Valeriam positam: postea, inter Latinam & Valeriam interjicit Prænestinam, & in Prænestina via Gabios sitos inquit.

Valeria,

A Tiburtina capiens initium, de Latina declinavit per Sabinos ad Marsos: & inde ad Corfinium, Pelignorum metropolim, pertinuit.

Latina.

Hæc per Ferentum, Frusinum, Fabrateriam oppida ad Casinum extensa, ubi in Appiam incidit. In Dacia hæc legitur inscriptio:

L. ANNIO FABIANO
III. VIRO CAPITALI CVRATORI VIÆ LATINÆ, LEG. X. FRETENSIS LEGATO.

Hanc viam Martialis modo *Latiam*, modo *Ausoniam* nominat, libro IX.

—— simili venerandus ab Hercule Cæsar,
Consecrat Ausoniæ maxima fana viæ.

Idem eodem libro:

Herculis in magni vultus descendere Cæsar
Dignatus, Latiæ dat nova templa viæ.
Qua Triviæ nemorosa petit dum regna viator,
Octavum domina marmor ab Urbe legit.

Cicero pro Cluentio, cauponem quendam de via Latina nominat.

Appia.

A porta Capena, vel potius a Septizonio initium sumpsit, omnium maxima & laudatissima, ab Appio censore (ut Frontinus inquit) ad urbem Capuam munita. Sed verius Tacitus, & auctor de Viris illustribus, qui Appium hanc viam deduxisse Brundusium usque affirmant. Certe Augusti temporibus eo pertinuit, si Horatio credimus: item Tiberii dominatu, si Straboni. & hoc ipsum sub Nerva potuit ignorare Frontinus? Longitudine circa sex & sexaginta milliaria Germanica (unumquodque autem V. M. pass. continet) est complexa. Quamobrem bene ad Pollium Statius:

—— qua limite noto
Appia longarum teritur regina viarum.

Hæc prope Romam deflectens, inter Tusculum & Albam, per montes deducit Aritiam, Algidum, Pictas, Pandochiam: hinc ad maritima pervenit Taracinam, Formias, Minturnas, Sinuessam, & inde Capuam, Sidicinum, Callateriam, Calydium, Beneventum, Brundusium. Libo Drusus Scribonius, conjurationis adversus Tiberium reus, aliquando consultavit, an habiturus esset opes, quis viam Appiam Brundusium usque pecunia operiret. Ab auctoris nomine dicta *Appia*; a gentis, *Claudia*; ab Imperatoris qui restituit, *Trajana*. Ejus mensi partem sumus a Monticella. Fundis, Itro, Formiis, ad XX. M. pass. & iterum vidimus apud Capuam novam: quo in loco eam restituisse Antoninum Pium, inscriptio pontis supra Vulturnum fluvium demonstrat.

Numicia,

Appiæ vicina, testimonio Horatii libro I. Epist.

Brundusium Numici melius via ducat, an Appi.

Ardeatina,

Ex Aventino, juxta Antonini thermas, strata Ardeam.

Laurentina,

Ex eodem monte, Laurentum deducta. Ovidius II. Fastorum,

Est via, quæ populum Laurentes ducet in agros.

Inter Ardeatinam & Ostiensem Gellius Laurentinam ponit, & Laurentinam atque Ostiensem tanquam propinquas inter se, conjungit Plinius junior, in epistola ad Gallum.

Ostiensis,

Quæ ad Ostiam mitteret. de hac inscriptio Neapolitana:

M. BASSAEO M. F. PAL.
AXIO
PATR. COL. CVR. R. P. II. VIR MVNIF.
PROC. AVG. VIAE OST. ET CAMP.

Hæc exigua spacio fuit.

Portuensis,

Quæ ultra flumen ad portum Ostiensem, totius orbis amplissimum, ducebat.

Aurelia,

Maritima Thusciæ ora, per agros silvasque, Pisas extensa. Hæc & *Consularis* dicta fuit, & ab instauratore *Trajana*. Invenitur Aurelia vetus & nova: altera fortasse ob auctorem, altera propter reparatorem. Tiburi in epigrammate C. Popilii inter cætera sic legitur:

CVRATORI VIAR. AVRELIAE VETERIS ET NOVAE. CORNELIAE ET TRIVMPHALIS.

Cicero XII. Philippic. *Tres viæ sunt ad Mutinam, a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.*

Cornelia.

De hac in Tiburtina inscriptione, & in Romana domus Cæsiæ. in utraque hæc verba leguntur:

CVRATORI VIARVM
AVRELIAE CORNELIAE
TRIVMPHALIS.

Ex quibus conjicio, inter Aureliam & Triumphalem interjectam fuisse.

Triumphalis.

Hæc intra urbem initium habuit, de qua supra dictum est.

Vitellia,

A monte Janiculo ad mare usque munita, auctore Suetonio.

Curatores viarum vectigalia certis hominibus locabant: quæ qui redimerent, *mancipes* dicti sunt. Unde mancipum fraude, & magistratuum incuria viæ sæpe interruptæ, & imperviæ factæ sunt: de qua re conqueritur Tacitus. De ejusmodi mancipe inscriptio Romæ, in domo Cardinalis Carpensis:

CN. CORNELIO
CN. F. SAB.
MVSAEO
MANCIPI VIAE APPIAE.

Viarum munitio ac restitutio maximæ curæ fuit C. Graccho, ut Plutarchus: item ex Imperatoribus Tiberio, ut Tacitus scribit: & Vespasiano, ut Sex. Aurelius, probatque marmor vetus Romanum:

IMP. CAES. VESPASIANO AVG. PON. MAX. TRIB. POT. IMP. IIX. P. P. COS. III. DES. IIII. S. C. QVOD VIAS VRBIS NEGLIGENTIA SVPERIOR. TEMPOR. CORRVPTAS IMPENSA SVA RESTITVIT.

Post hos Trajano, a quo multæ viæ nomen abolito pristino acceperunt, ut Appia, & Aurelia: & trium Trajanarum supra est facta mentio. Ad vias exædificatæ fuerunt ædes, domus, arcus, hippodromi, prædia, horti, tabernæ, & (ut suo loco dicemus) sepulcra, tanta frequentia atque splendore, ut exterarum gentium legati per suburbana euntes, in ipsa Urbe se versari crederent.

CAP. VI.

De Regionibus & tribubus.

URBS Roma in regiones quatuordecim divisa fuit, quod Plinius scribit, & his verbis Tacitus, de incendio loquens Neroniano: *In regiones quatuordecim Roma dividitur, quarum quatuor integræ manebant, tres solo tenus dejectæ: septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera & semiusta.* Testatur idem antiquus lapis in Capitolio ante domum Triumvirum, quos nunc Conservatores nominant:

IMP. CAESARI DIVI
TRAIANI PARTICI FIL.
DIVI NERVAE NEPOTI
TRAIANO HADRIANO
AVG. PONTIF. MAXIMO
TRIBVNIC. POTEST. XX.
IMP. II. COS. III. P. P.
MAGISTRI VICORVM VRBIS
REGIONVM XIIII.

De regionibus extat libellus Publii Victoris, seu (ut alii volunt) Sex. Rufi, qui hæc imponit illis nomina, porta Capena, Cœlimontium, Isis & Serapis, Via sacra, Esquilina, Alta semita, (cujus & Suetonius mentionem facit in Domitiano) Via lata, Forum Romanum, Circus Flaminius, Palatium, (hoc quartam regionem nominat Varro) Circus Maximus, Piscina publica, Aventinus, Transtiberina. Spatia & terminos nemo ex antiquariis Romanis, in tanta loci opportunitate, & cæterorum adjumentorum copia adhuc investigavit. Augustus ad custodiam Urbis, propter tumultus subitos, aut nocturna incendia, septem vigilum cohortes ex libertinis conscripsit, eisque regionem Transtiberinam habitandam concessit. Iis qui præerat, *præfectus vigilum*, aut *vigilibus præpositus* (ut apud Tacitum) dicebatur. Ex quatuordecim regionibus prima, duodecima, & tertiadecima, Gothico incendio ita consumptæ sunt, ut neque tunc, neque postea, unquam restitui potuerint: auctor Pomponius. Regiones hodie (ut recentiora cum antiquis conjungam) totidem numero sunt, sed & nominibus & distributione diversi:

ſæ: Regio montium, Trivii, Columnæ, Campi Martii, Pontis, Parionis, Harenulæ, Euſtachii, Pineæ, Angeli, Campitelli, Ripæ, Tranſtiberina, Burgi. Regiones ipſæ in vicos, quemadmodum tribus in curias, dividuntur.

Tribus autem Urbis antiquæ fuerunt quinque & triginta: ut ex actionibus Ciceronis contra Verrem & Rullum, & ex primo libro Appiani de Bellis civilibus, item aliis plerisque ſcriptoribus Latinis & Græcis, clarum eſt. M. Varro de tribubus libros ſcripſit, & ſingulis ſatyris laceravit Lucilius. de quo Perſius:

—— ſecuit Lucilius urbem.

& apertius Horatius in Sermonibus:

Primores populi arripuit, populumque tributim.

Aſconius in ſecundam Verrinam, tribus improprie *curias*: item Varro libro III. de Lingua Latina, non recte *regiones* nuncupat: idem tamen paulo poſt ipſe corrigit. De tribubus, unde nomina habeant, & quibus temporibus auctæ ad hanc multitudinem pervenerint, dicere hoc loco non eſt neceſſe. De priore qui volet cognoſcere, legat Sex. Pompejum: de poſteriore, T. Livium. quanquam nec Livius, nec Florus, nec Valerius plane inter ſe conſentiunt: & Varronis de tribubus libri, qui errorem eripere omnem poterant, deſiderantur. Tribus ratione triplici fuerunt diſtinctæ, in urbanas; in ſuburbanas, quæ fuerunt libertinorum; & ruſticanas, quæ ingenuorum. Urbanæ ex ſententia Varronis & Plinii quatuor, Suburana, Palatina, Eſquilina, Collina. Suburbana una tantum, Romelia. Ruſticanæ, triginta:

Æmilia	Pontina
Anienſis	Popilia
Claudia	Publicia
Cornelia	Pupinia
Cruſtumina	Quirina
Fabia	Sabatina
Falerina	Scaptia
Galeria	Sergia
Lemonia	Stellatina
Metia	Terentina
Narnienſis	Tromentina
Ocriculana	Vejentana
Oufentina	Velina
Papiria	Veturia
Pollia	Volitina.

Harum nomina erudite collegit Paulus Manutius, in ſcholiis quæ in Ciceronis epiſtolas édidit, appoſitis, qui de iis meminerunt, ſcriptoribus. Nobis nullius mentio crebrius occurrit, quam Palatinæ. Propter antiquitatis ſtudioſos omittendum non eſt, tribus aliquas varie ſcribi ſolitas, *Pontina*, *Pomptina*; *Cruſtumina*, *Cluſtumina*; *Suburana*, *Sucurana*. de qua ſcribendi ratione propter mutatam literam, Varro & Quintilianus. Eandem unica litera: *r* ſcribi ſolitam, ex Junio, Varrone, antiquis epigrammatibus, libriſque manuſcriptis cognoſcitur. *Publicia* in Veronenſibus marmoribus. *Poblicia*, *Ufentina*, in Mediolanenſibus & apud Sex. Pompejum, *Oufentina*. *Volitina*, in Bergomatibus, *Votina*; in Reatenſibus, *Voltinia*. *Anienſis*, in aliquot locis *Arnienſis*, ut in inſigni inſcriptione Florentina; quæ eſt ad portam D. Pauli. quanquam marmor depravatum videtur: Romana enim fana ſunt correctiora. De *Sapina*; quam aliqui ex Livio (ſi correctus liber eſt) addunt, nihil habeo dicere: ſicuti & de *Menia* apud Ciceronem in epiſtola ad Craſſipedem: item de *Camilla*, *Flavia*, *Ulpia*, quas in antiquis marmoribus reperi. Vel igitur a poſterioribus plures ſunt adjectæ, quod ego ſine auctoritate perſuadere mihi non poſſum; vel ex illis aliquæ diverſis nominibus appellatæ, id quod factum eſt aut a cenſoribus, qui populi partes in tribus deſcribebant, & (ut Sex. Pompejus inquit) uni tribui alios diverſarum civitatum ſæpe aſcribebant. aut, quod vero ſimilius eſt, ab Imperatoribus qui tribus ampliabant, ut a gente Domitiani *Flavia*, a Trajani *Ulpia* fuerit dicta. Trajanus quidem certe tribus auxit, ut manifeſte indicat marmor Romanum in domo Alexiorum:

IMP. CAESARI DIVI NERVAE F. NERVAE TRAIANO AVG. GERMANICO DACICO PONTIFICI MAXIMO TRIBVNIC. POT. VII. IMP. IIII. COS. V. P. P. TRIBVS XXXV. QVOD LIBERALITATE OPTIMI PRINCIPIS COMMODA EARVM ETIAM LOCORVM ADIECTIONE AMPLIATA SINT.

Civium in tribus diſtributorum nomina elephantinis, hoc eſt, prægrandibus libris conſcripta, aſſervabantur primum in ærario Saturni, deinde in bibliotheca Ulpia. Ne quid autem temere affirmaſſe videar, res ipſa poſtulat, ut inſcriptiones, unde ignotæ illæ tribus ſumptæ ſint, adſcribam, ſi quis ad inveſtigandum diligentius forte excitari queat.

Menia, de qua Cicero,

Alliſis:

M. GRANIO M. F.
MEN. CORDO. *&c.*

Nuceriæ:

P. AIO. P. F. MEN.
EX TESTAMENTO.

Camilla, Romæ.

TI. CLAVDIO TI. F. CAMIL
SOTERICHO.
VIXIT ANNIS DVOBVS.

Ibidem:

Q. MANLIVS QV. F. CAM.
SECIVS
ALBA POMPEIA VETER.

Flavia, Romæ:

C. VALERIVS C. F.
FLAVIA SPECTATVS
SISCLA MIL. COH. VIII. PR.

Ulpia, Romæ.

C. GALLONIVS C. F.
VLP. MARITIMVS.

Reſtat adhuc alia quædam, quæ his ſignificatur literis HOR. cujus nomen divinare aut conjicere nequeo: legitur tamen in inſcriptione Neapolitana, Materenſi, Spoletana, Romanis duabus. quamobrem aliis occaſionem inveſtigandi, dum quid afferam, non invenio, præbere volui. Docemur autem ex his inſcriptionibus, initio poſitum fuiſſe nomen proprium, proxime familiæ, tum patris, deinceps tribus, ad extremum cognomen. Ita in IX. Philippica Ciceronis: *Servius Sulpitius Quinti filius Lemonia Rufus*. item pro Quintio: *L. Albius Sexti filius Quirina*. Ubi cognomen, quod fortaſſe non fuit, omiſſum eſt. In oratione, de novo agendi genere, ſeu prima actione in Verrem, inquit, *inventum eſſe fortem amicum ex eadem familia, Q. Verrem Romilia*. quo in loco & nomen patris, & cognomen quoque contempti hominis præteriit: tribum, cum ſuburbana eſſet, collocavit. Tribus autem appellationem ablativo caſu ponebant, ut intelligeretur præpoſitio: quod & Aſconius in Ver-

rinas, & Servius in tertium & in decimum Æneidos annotaverunt.

CAP. VII.

De foris, ad splendorem Urbis, & hominum necessitatem factis.

FORA Romana distinguemus primum in ea, quæ ad splendorem Urbis facta sunt, & in quibus hominum conventus fierent, vel negotiorum civilium, vel delectationis caussa. Deinde in illa, quæ ad communes populi usus parata, negotiantibus paterent, quibus propter necessitatem carere nulla civitas potest.

De foris primis generis.

Romanum,

Incipit a Capitolii radicibus, ubi nunc Septimii arcus est, & secundum longitudinem ad S. Mariam novam, ubi Titi arcus, protenditur: secundum latitudinem a Palatini radicibus ad viam Sacram, Saturni ædem. Variis nominibus appellatum fuit. Ut enim poetæ nomine apud Græcos Homerus, ita *fori* in Urbe, Romanum accipitur. Ovid. de Ponto:

Te modo campus habet, densa modo porticus umbra.
Nunc in quo ponis tempora rara, Forum.

Per *campum*, Martius: per *porticum umbrosam*, Pompeja: per *forum*, Romanum, in his versibus intelligitur. *Romanum* dictum, a dignitate urbis, quod præ cæteris esset ornatissimum, propter ædificia: & frequentissimum, propter judicia. Propert. lib. 4.

Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
Stabant Romano pila Sabina foro.

Dictum etiam *forum Latium*. Ovid. 4. Fast.

Cujus in ingenio est patriæ facundia linguæ.
Qua prior in Latio non fuit ulla foro.

Præterea *forum magnum*, a Victore, & Ovidio 3. Fast.

Et tenet in magno templa dicata foro.

Ad extremum *forum vetus*, in vita M. Antonini apud Herodianum. Hoc in tres partes divisit, & varia in iis hominum studia describit in Curculione Plautus:

In foro infimo boni homines atque dites ambulant.
In medio propter Canalem, ibi ostentatores meri,
Confidentes, garrulique, & malevoli. Supra lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
Et qui ipsi sat habent, quod ipsis possit vere dicier.

Per *lacum*, significat Curtium, quem describit 6. Fast. Ovidius. Prope eum fuerunt Rostra, & statua Marsyæ coronati, ad quam homines litigantes conveniebant. Horatius 1. Serm.

Deinde eo dormitum, non sollicitus, mihi quod cras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya.

Seneca VI. de Beneficiis: *Forum ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in stupra placuisse, cotidianum ad Marsiam concursum.* de qua re item Plinius lib. XXI. cap. III. Hæc propter locum Plauti attuli. In liberis Græciæ civitatibus ita Marsyæ statua olim in foro collocabatur, ut nunc Rolandi in superiore Germania, & præcipue in Saxonia. E regione Marsyæ, alius locus erat, ad quem conveniebant fœneratores, quem Libonis puteal nominabant, inter porticum Juliam & arcum Fabianum, ut Persii interpres scribit. Horatius:

Roscius orabat, sibi adesses ad puteal cras.

Persius:

Si puteal multo cautus vibice flagellas.

Sallustii,

In monte Quirinali, quo in loco nunc ædes S. Susannæ. Hoc forum Sallustius post Africanam præturam emit, una cum hortis, qui & nunc *Sallustiani* appellantur.

Cæsaris,

Post templum Pacis & Faustinæ, ædificatum a Cæsare de Gallicis manubiis: hoc tempore est in hortos mutatum. Situm ejus indicat Ovid. III. Tristium:

—— hæc sunt fora Cæsaris, inquit,
Hæc est a sacris quæ via nomen habet,

Hoc restituit Domitianus, & nominavit *Palladium*. Martialis lib. 1.

Limina post Pacis, Palladiumque forum.

Augusti,

Superiori vicinum, turrim Comitum versus, & hoc in hortos transiit. Templo Martis Ultoris, & colosso Augusti conspicuum. De templo Ovid. 5. Fast. loquitur:

Templaque in Augusto conspicienda foro.

De utroque Martialis lib. 8.

Foroque triplici sparsus ante equos omnes,
Ædemque Martis, & colosson Augusti.

Spacio modicum fuit, ne aut alienas domos violenter invaderet, aut publica ædificia ignominiose everteret. Unde idem poeta, seu quis alius est, ad Liviam, Augusti conjugem:

Nec vires errasse tuas campoque foroque.

Hoc inter Urbis miracula refertur a Plinio. Restitutum ab Hadriano est, teste Spartiano. Latini scriptores cum de tribus foris loquuntur, Romanum, Cæsaris, & Augusti intelligunt, quod interpretes raro observarunt. Seneca de ira: *Adjice nunc publica perjuria gentium, circumscriptiones, fraudes, inficiationes, quibus trina non sufficiunt fora.* Martialis in Epigrammatibus:

Caussas, inquis, agam Cicerone disertius ipso,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Statius in Silvis:

Nec saltem tua dicta continentem,
Quæ trino juvenis foro tonabas.

Ovidius 3. Tristium:

Scena viget, studiisque favor distantibus ardet.
Cumque tribus resonant terna theatra foris.

Fora quæ sint, nominavimus. Theatra sunt, Pompeii, Marcelli, Statilii: singulorum adhuc vestigia extant, ut infra aperiemus.

Nervæ,

Post templum S. Hadriani, quod templum inde a tribus foris dictum est. hoc ad Quirinalem usque

montem, parte ejus aliqua complanata, pertinuit. *Transitorium* dictum, quod *inde in tria fora transitus pateret*. Martialis lib. x.

—— nec illi
Sunt triplices thermæ, nec fora juncta quater.

Per thermas triplices, Agrippæ, Neronis & Titi intelligit: per quatuor fora, Romanum, Cæsaris, Augusti, Nervæ. Hoc etiam restituit Domitianus, ut est apud Suetonium. In eodem Turinum fumi venditorem Severus Imp. fumo necavit.

Trajani,

Inter Capitolinum & Quirinalem, ædificiis jam occupatum, Giganteis operibus comparatum a Marcellino. In hujus medio pulcherrima columna cochlis, e saxo solido fundata, & compacta sine cæmentis & calce, ita ut non artificiosa, sed naturalis videatur. Alta est pedes 128. ut Marlianus, vel pedes 140. ut Eutropius, quem sequitur Platina. Sed alter a columna, alter a basi initium mensuræ sumpsit. Gradus habet 187. fenestellas 44. latitudine palmi & dimidii intra ædificium, quæ in valde angustum contrahuntur, ut foris acceptum lumen intus diffundant. Columna ipsa Pario marmore incrustata, in qua res gestæ Trajani, & præcipue bellum Dacicum est expressum. Cernere in ea est formas munitionum, propugnaculorum, pontium, navium: item varia militum opera lignantium, ædificantium, castra metantium, fossas agentium, equos adaquantium, tropæa ferentium, in triumpho euntium: item formas thoracum, galearum, clypeorum, scutorum, zonarum, lituorum, pugionum, pilorum, gladiorum, pharetrarum, aliorumque armorum. Ab ea parte, in qua inscriptio est, Victoriæ sunt alatæ, cum duabus aquilis.

De foris secundi generis.

Boarium,

In Velabro, inter Palatinum montem, scholam Græcam, & Janum quadrifontem. Ovidius I. Fastorum:

Hic ubi pars Urbis de bove nomen habet.

Et 6.

Area quæ posito de bove nomen habet.

In eo templum nunc est S. Georgii corrupto nomine, *ad Velum aureum*: item arcus boarius. In eo arcu cernuntur taurorum immolationes, & victimarii sacrificuli cum instrumentis, malleo, cultro, securi, aheno, pateris, flagello, candelabro, linteis, & quibusdam aliis ad sacrificia pertinentibus.

Suarium,

Ad radices Quirinalis, prope clivum qui ducit ad Caballos marmoreos. De eo foro cognominatum templum S. Nicolai de Porcilibus.

Piscarium,

Proxime ædem S. Angeli in piscina, ubi olim Mercurii porticus stetit. Vetus forum piscarium inter templa nunc S. Mariæ in porticu, & S. Mariæ Ægyptiacæ. Plautus in Curculione:

Symbolorum collocatores apud forum piscarium.

Pistorium.

Unum inter Capitolium & Palatium, juxta ædem Vestæ: alterum in Aventino. Hodie tria sunt: unum prope S. Mariam rotundam, alterum in vico Judæorum, tertium apud S. Laurentium in Damaso.

Cupedinis,

In quo esculenta & poculenta delicatiora venderentur, alii in Cœlio, alii in Esquilino statuerunt, eo in loco, in quo olim Numerius Equitius Cupes habitarit. nam ante illum *ad Corneta* appellatum fuit: utriusque rei testis Varro. Vetus nomen mutavit Æmilio & Fulvio Conss. ut Festus & Plutarchus restantur.

Suburanum,

In quo res ad victum necessariæ, a rusticis importatæ, venderentur. Martialis lib. 7.

Quidquid villicus Umber, aut colonus,
Aut rus marmore tertio notatum,
Aut Tusci tibi, Tusculique mittunt,
Id tota mihi nascitur Subura

Agonium,

Olim campus Agonius, nunc commune forum est omnium mercium.

Holitorium,

Inter Capitolium & theatrum Marcelli quondam fuit, & nunc est: vulgo *platea Montanaria*.

Præter hæc, fori Aurelii facit mentionem Cicero, Archimonii Victor, Esquilini Appianus, Geditii Festus, Argentarii Vitruvius, Jugarii nescio quo auctore recentiores.

CAP. VIII.

De campis.

CAMPI in Urbe fuerunt planicies vacuæ ab ædificiis, qui aut spectaculorum caussa habebantur, certorumque conventuum, aut usibus civium necessariis addicti erant. Persequemur tantum eos qui in Urbe fuerunt. nam campum Horatiorum, de quo Martialis, item Ridiculi, de quo Plinius, extra Capenam portam, utrumque prudens omitto: ut & urbanos hos, Vulcani, de quo Festus; & Jovis, de quo Spartianus; & Licinii, de quo Persius; nec Sceleratum ponam, quem describit Plutarchus, quoniam supplicii locus fuit.

Campus Martius,

Qui a vicinitate fluvii, cui a septentrione adjacet, etiam *Tiberinus*, fuit ager Tarquinii, post ejus exactionem dicatus Marti. hunc plenissime describit lib. 5. Strabo. Quamvis autem Arrianus Nicomediensis multos enumeret celebres campos, fama tamen omnes vincit Tiberinus. Incœpit ab eo loco, ubi nunc S. Laurentius in Lucina, usque ad pontem Mulvium extensus. Quæ in eo ludicra exercitia fierent, Horat lib. I. Car. describit:

—— cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis?
Cur neque militaris
Inter æquales equitet, Gallica nec lupatis
Temperet ora frenis?
Cur timeat flavum Tiberim tangere? cur olivam
Sanguine viperino
Cautius vitat? neque jam livida gestat armis
Brachia: sæpe disco,
Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito.

In eundem Tribus vocabantur ad comitia, ut novos magistratus crearent. In campo tumultu exorto delectus habebatur. In campo clari viri mortui cremabantur, ut Sylla, Hircius, Pansa: item Imperatores, qui rogo extincto, certis quibusdam ritibus & ceremoniis referebantur in deos: quam rem pulcherrima narratione exponit in vita Antonini Herodianus. Si qui autem ex Imperatoribus S. P. Q. Romano probati non essent, eorum reliquiae non deferebantur in Campum, sed tracta corpora praecipitabantur in Tiberim; ut Vitellio & Vario accidit, & de Commodo decretum fuit. In Campo, animi caussa ambulabant homines ociosi. Horatius in Epist.

B

Gaudentem parvisque sodalibus, & lare certo,
Et ludis, & post decisa negocia Campo.

Nunc pars ejus moenibus inclusa, & variis aedificiis occupata est. Campi autem solius nomine, propter celebritatem, Martius intelligitur. Sylla civili sanguine Campum maculavit, qui, ut Florus scribit, quatuor hominum millia; ut auctor illustrium virorum, novem; ut Valerius, quatuor legiones Marianas in eo, contra fidem publicam obtruncari jussit.

C

Martialis,

In Coelio, a Martio denominatus. nam Tiberi Martium inundante, ludorum pompa in Coelium transferebatur, auctoribus Festo, & Ovidio 3. Fast.

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.
Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda,
Coelius accipiet pulverulentus equos.

Esquilinus,

D

Inter aggeres Tarquinii, & urbis moenia, septentrionem versus. In eo ante Augusti principatum cadavera cremabantur, a Mecoenate conversus in hortos, & his temporibus vineis consitus.

Viminalis,

Post Diocletiani thermas, porrectus ad muros: hodie *Vivarii campus*, partim consitus, partim vastus, & repletus varii generis viminibus.

Agrippae,

E

In radicibus Quirinalis, regione Viae latae.

Vaticanus,

Planicies illa patens, & a Janiculo ad Tiberim diffusa, protensaque in longum, a sinistra moenibus cincta, nunc ex magna parte habitata.

Figulinus,

F

Ad Aventini latus, quo fluvium spectat, lata planicies, in qua hodie Equiria fiunt. Exclusus autem urbe campus est, ut ante dixi, a Paulo tertio moenibus in Aventini latere recta ductis ad portam Trigeminam. In campo Figulino collis est ex fractis figulorum testis congestus, formam habens cucurbitae: quem *montes testaceum* appellant.

Florae,

A Flora Pompeii liberta, ut ajunt. in hoc campo Pompejani theatri extant vestigia. Spacio non ma-

A

gnus, sed satis celebris. Profestis diebus variae in eo merces venduntur: festis autem praecipue equi.

Agonius,

Inter vallem Murtiam, & circum Flaminium, nomen vetus retinet: & in eo nunc commune forum rerum venalium.

CAP. IX.

B

De templis gentilium in templa divorum mutatis.

DE sacris aedibus M Varro diligenter scripsit: & recentiores, quos initio nominavi, ex antiquis multas collegerunt, quorum labori & studiis volo honorem haberi suum. Hoc vero capite de iis tantum deorum templis dicam, quae nunc ex antiquitate restant, & in nostrorum Divorum sunt mutata: sequenti vero addam ea, quae omissa sunt ab aliis. Olim igitur aut singulis diis erant dicata templa, aut duo pluresve consors habebant delubrum, unde ὁμωχέται καὶ σύνναοι sunt appellati. Romae in domo civis privati:

C

ΔΙΙ ΗΛΙΩι
ΜΕΓΑΛΩι
CΑΡΑΠΙΔΙ
ΚΑΙ ΤΟΙC CΥΝΝΑ
ΟΙC ΘΕΟΙC

Eadem ratione Carthagine, conjuncta templa habuerunt Ceres & Bacchus, quia victui humano praebent necessaria: iisque adjunctus Phoebus, prudentiae deus, qui admoneret, deorum muneribus esse moderate & sapienter utendum. Apud Romanos munus tuendi sarta tecta templorum primum censoribus, post eos aedilibus fuit demandatum. In vetustis monumentis & *conservatores aedium* sacrarum, & *duumviri fanorum* leguntur. Nunc ad templa, primum plurium deorum, deinde singulorum, accedamus.

D

Jovis, Minervae, Junonis,

S. Salvatoris in Maximis, in ea Capitolii parte, quae occasum versus, forum Holitorium respicit. Hoc delubrum dicavit non absque invidia M. Pulvillus: in eo medium sacellum tenuit Jupiter, dextrum Minerva, sinistrum Juno, *sub una*, (ut Dionysius ait) *aquila*: hoc est, sub uno tecto aquilae alis quasi inumbrato. Ex hoc intelligitur locus Ovidii, qui est 2. Trist.

E

Cum fuerit Jovis aede, Jovis succurret in aede,
Quam multas matres fecerit ille deus.
Proxima adoranti Junonis templa, subibit,
Pellicibus multis indoluisse deam.
Pallade conspecta, natum de crimine virgo
Sustulerit quare, quaeret, Erichthonium.

F

Item alter in Consolatione ad Liviam:

Juppiter ante dedit fati mala signa cruenti,
Flammifera petiit cum tria templa manu.
Junonisque gravi nocte, impavidaeque Minervae,
Et sancta immensi Caesaris icta manu.

Scribunt de eodem delubro Macrobius & Servius, & ejus magnificentiam laudat Marcellinus: & restitutum a Domitiano esse post incendium, testatur lib. 9. Martialis.

Herculis Muſarum,

Nunc *S.Luciæ in apothecis obſcuris*, in aditu circi Flaminii. Ovid.6.Faſt.

Dicite, Pierides, quis vos addixerit iſti,
Cui dedit invitas victa noverca manus?

Idem de eodem loquitur lib.3. de Arte:

Fœmina procedit denſiſſima crinibus emptis,
Proque ſuis alios efficit ære ſuos.
Nec rubor eſt emiſſe palam: venire videmus
Herculis ante oculos, virgineumque chorum.

Porticum huic addidit Martius Philippus ornatiſſimam: de qua infra.

Veneris, & Cupidinis.

Nunc *S.Crucis in Hieruſalem*, in monte Celio. Pavimentum ejus teſſelatum e vario marmore, & aureata laquearia. Ab Helena Conſtantini matre in pios uſus converſum.

Romuli & Remi

Nunc *SS.Coſmæ & Damiani*, in via Sacra, prope turrim Comitum dictam. poſterior ejus pars quadrata, prior ſphærica, cum rotunda & unica tantum feneſtra, lumen in medio tecti præbente, & excipiente imbres ac pluvias facta in pavimento foſſula. Æneæ ei valvæ ſunt, & ex porticu tres columnæ reliquæ. Quondam per aliquot gradus in id aſcendebatur, nunc per ſex deſcenditur. Adeo ex ruinis antiquorum ædificiorum altius ſolum factum eſt, ut preſſa & humilia nunc ſint, quæ aliquando eminuerunt. Alii hoc volunt Caſtoris & Pollucis fuiſſe, ſed errant. illorum enim ædes (ſi Suetonio & Ovidio fides eſt) in foro ad lacum Juturnæ fuit, eique proximum cum templum Julii Cæſaris, ut idem Ovid. lib.2. de Ponto, tum Domitiani, ut inquit in 9. Martialis.

Solis & Lunæ,

Nunc *S.Mariæ novæ*, in fine fori Romani: ex ruinis antiquis, hoc novum jam ædificatum. In horto duo fornices vetuſtate collapſi, e regione inter ſe poſiti conſpiciuntur, quos Victor videtur dicere Iſidis & Sarapidis. Marlianus conjicit reliquias eſſe templi Solis & Lunæ, Lætus Æſculapii & Salutis, Flavius Æſculapii & Apollinis, Poggius Caſtoris & Pollucis.

Saturni & Opis,

Nunc *S.Mariæ in porticu*, in regione Ripæ.

Martis & Veneris,

Nunc *S.Mariæ rotundæ*, de quo in Jove Ultore prolixe agetur.

Jovis Capitolini,

Nunc *S.Salvatoris in Maximis*, de quo initio capitis.

Hoc & *Jovis Opt.Max.* & *Jovis Latii* a Propertio dictum. Idem ornatiſſimum fuit. Martialis lib.10.

Nec Capitolini ſummum penetrale Tonantis,
Quæque nitent cœlo proxima templa ſuo.

In eo homines religionis cauſſa incubabant. Ad quod alludit Plautus in Curc.

Siquidem incubare Jovi velint, qui pejeraverint,
Locus non præberi potis eſt in Capitolio.

A Ad id victimas gratulationis cauſſa mactabant. Ovid. 3. Faſt.

Ad penetrale Numæ, Capitolinumque Tonantem,
Inque Jovis ſumma cæditur arce bidens.

Jovis Statoris,

Nunc *S. Mariæ de pœnis inferni*. Contra ædem Veſtæ in Palatini radicibus, clare monſtrante Ovidio 6. Faſt.

Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora jugi.

B Martialis Palatinum *Jovem novum*, Capitolinum *veterem* appellat, lib.7.

In novum, veterem proſpicis inde Jovem.

Jovis Feretrii,

Nunc *S.Mariæ in aracœli*, olim fuit fanum exiguum, & magis fama quam magnificentia notum. Cognominis cauſſam erudite explicat Propertius libro ultimo.

—— cauſa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ante ducem.
C *Seu quia victa ſuis humeris hæc arma ferebant.*
Hinc Feretri dicta eſt ara ſuperba Jovis.

Jovis Ultoris,

Nunc *S. Mariæ rotundæ & omnium Sanctorum.* Aliquando Cybeli ſacrum, cujus deæ caput antiqui operis & ſaxi, cum duobus piſcibus muro templi incluſum adhuc cernitur: a M.Agrippa *Pantheum*, quaſi τῶ πάντων θεῶν dictum: Marti tandem ac Veneri, qui auctores populi Rom. habiti ſunt, ut Livius & Lucretius ſcribunt, conſecratum. Hoc Bonifacius Pontifex, a Phoca Imp. qui rem pontifi-
D ciam auxit atque extulit, acceptum, beatæ Virgini & Sanctis omnibus dicavit: fuitque primum dictum, *Virgo ad martyres*, ſicuti nunc a circulari forma, *S.Maria rotunda*. Altum eſt pedes 144. totidem latum. Contignationes æneis trabibus canalium modo compactæ, pedum 40. ut teſtatur Bap. Leo. Valvæ ingentes. item trabes ex ære Corinthio & inauratæ lithoſtrotum varii marmoris, aræ duæ marmoreæ, ſex marmoratæ. Interſtitia ſex columnarum ſpatio diſtantia. Teſtudo templi laqueata, vacuis circumquaque ſpaciis relictis, ne nimio pondere ædificium premeretur. Nulla feneſtra peni-
E tus ineſt, niſi in medio foramen ſphæricum æneis inauratiſque trabibus fultum, quod lumen præbet, eique in pavimento ſubjectum ad imbres excipiendos impluvium. Ad foramen illud in tecto XL. gradibus plumbeis aſcenditur: ad quod tectum antequam perveniatur, bini ambitus ſunt, ad quorum primum ex imo templi per CL gradus eſt eundum. Alluſit ad hoc in Didonis ſtructura, Virgilius.

Ænea cui gradibus ſurgebant limina, nexæque
Ære trabes, foribus cardo ſtridebat ahenis.

Marcellinus lib. 16. Pantheum, *regionem teretem,*
F *ſpecioſa celſitudine fornicatam*, nominat.

In tecto nunc ſunt plumbeæ laminæ, quæ olim argenteæ fuerunt, quas Conſtans Imp. Conſtantini junioris filius, detraxit. Gradus ænei ante templum ſublati, & ſaxeis permutati ſunt. Aſcenſus ad templum fuit per gradus duodecim, nunc per totidem deſcenditur: ex quo intelligitur, ut & antea dicebamus, quam alte ſit ex ruinis ſolum exaggeratum. Parietes nunc latericii ſunt, olim marmoribus incruſtati fuerunt. Inter omnia igitur Urbis opera, nullum admirabilius, ſive molem, ſive artem, ſive impenſam conſideres.

Jovis in Insula,

Nunc *S.Bartholomæi*, descriptum ab Ovidio I. Fastorum:

Accepit Phœbo nymphaque Coronide natum
Insula, dividua quam premit amnis aqua.
Juppiter in parte est, cœpit locus unus utrunque,
Junctaque sunt magno templa nepotis avo.

In eo quatuor columnæ ex ophite, & porphyreticum labrum, cum tabula ex marmore Pario, qua vix puchriorem vidi.

Saturni in Capitolio.

S.Salvatoris in Statera, infra saxum Carmentæ, seu rupem Tarpejam, cujus nunc semidiruta turris extat, reliqua pars tabernis occupata est. Mira mehercule rerum mutatio. Trajani temporibus ex tabernis templa facta sunt a Christianis, id permitte ethnico Imperatore: nunc ex templis tabernæ fiunt, comprobantibus, aut certe conniventibus Episcopis, & Pontifice.

Saturni in foro.

Nunc *S. Hadriani*, ante forum est Romanum, post Nervæ, a latere Cæsaris, unde *in Tribus foris* vulgo dicitur. Valvæ sunt æneæ antiquæ. In eo olim ærarium populi Rom. fuit. Legitur in antiquis monumentis, si quis aut testamenta corrupisset, aut violasset sepulcra, pœnæ loco additum:

INFERAT AER. POPVLI
ROMANI.

Item:

INFERAT AERARIO
SATVRNI

Unde & acta, quæ susceptis liberis parentes faciebant, in eodem conservabantur, & omnium civium Romanorum nomina, ut antea de tribubus dictum est, descripta. Erant ejusdem certi magistratus, ut præfectus ærario, item ærarii curatores, ærarii scribæ, ærarii quæstores, & tribuni ærarii. Nomen accepit ærarium, cum aurum argentumque nondum signaretur. Unde ab hoc templo *æs Saturnium* dicitur Persio. Officina autem cudendi æris in arce fuit, eo loco, in quo primum domus regis Tatii, postea M.Manlii extiterat. *Numularius officinæ monetæ*, M. Ulpius Secundus in inscriptione Romana nominatur.

Apollinis Palatini.

S.Lucia in Palatio. Hoc & *Apollinis Actiaci*, & *Navalis*, & *Parætonii* dicitur, quod Augustus devicto, Antonio & Cleopatra, ex marmore (ut Servius testatur) Lunensi fecit. Nullum fuit Poetis celebrius, nullum donis opulentius, siquidem Augustus aureas argenteasque statuas sui honoris gratia positas, huic templo donavit. Nullum opere splendoreque magnificentius. Valvæ erant eburneæ, auro picturisque ornatæ, de quibus detracta hostibus spolia suspendebantur. Propertius lib. II.

Tum medium claro surgebat marmore templum,
Et Patria Phœbo carius Ortygia.
Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et valvæ Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnasi vertice Gallos,
Altera mœrebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipse, interque sororem,
Pythius in longa carmina veste sonat.

A Virg. VIII. Æn. de scuto Æneæ, in quo Augusti Cæsaris triumphi expressi erant.

Ipse sedens niveo candentis limine Phœbi,
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus. ——

Hujus ne vestigia quidem relicta sunt, diruto etiam S.Luciæ sacello.

Apollinis Capitolini,

S.Mariæ sub Capitolio, inter forum holitorium, & circum Flaminium, extra portam olim Carmen-
B talem.

Apollinis Vaticani,

Nunc *S.Petronillæ*, juxta viam olim Triumphalem.

Apollinis circi Flaminii,

Nunc *S.Apollinaris*, ut Flavius Blondus, & Pomponius Sabinus sentiunt.

Martis Ultoris,

C Nunc *S. Martinæ*, in foro Augusti, unum ex maximis & sumptuosissimis cum opere, tum artificio: quod his versibus celebrat Ovid. V. Fast.

Ultor ad ipse suos cœlo descendit honores,
Templaque in Augusto conspicienda foro.
Digna Giganteis sunt hæc delubra tropæis:
Hinc fera Gradivum bella movere decet.
Prospicit armipotens operis fastigia summi,
Et probat invictos illa tenere deos.
Perspicit in foribus diversæ tela figuræ,
Armaque terrarum milite victa suo.
D *Hinc videt Ænean oneratum pondere caro,*
Et tot Iulææ nobilitatis avos.
Hinc videt Iliaden humeris ducis arma ferentem,
Claraque dispositis acta subesse viris.

In aditu templi ante fores ab utroque latere, Martis & Veneris statuæ erant, eodem testante II. Trist.

Stat Venus Ultori juncta viro, ante fores.

Jungi autem has statuas solitas, Claudiani jocus indicat, de Veneris statua magnetica, & Martis ferrea. Ad id templum Apellis tabulam posuit Augustus, in qua Alexander triumphans Belli imaginem vinctis ad tergum manibus quasi captivam ducit.
E quam rem in Augusti gratiam videtur notasse doctissimus Poeta:

—— *furor impius intus*
Sæva sedens super arma, & centum vinctus abenis
Post tergum nodis, fremit horridus ore cruento.

Nunc in eo templo picta cohors Romana, cujus vexillifer pro signo labarum habet. Fuerunt & alia Martis Ultoris templa: de quibus sequenti capite.

Martis in Vaticano,

F Nunc *S. Mariæ de febribus*, ad sinistram ingredienti basilicam S Petri.

Herculis Victoris,

Nunc *S.Alexii* in Aventino ad occasum, Tiberim & portam Trigeminam versus. Virgil. VIII. Æn.

—— *hæc limina victor*
Alcides subiit. ——

In eo non licebat esse (ut in aliis) lectisternium, nec cuiquam nisi ingenuo sacris interesse: auctores Cornelius Balbus, & Servius grammaticus. Ab eo-

dem mulieres arcebantur, cujus rei caussam prolixe reddit libro quarto Propertius. Talia sacella, a quorum ingressu muliebris sexus arcetur, ne quid paganismo decedat, adhuc Romæ sunt, in S.Petro Vaticano, in S.Joanne Laterano, in S. Cruce in Hierusalem, in S. Praxede, in lavacro Constantini, & locis fortasse pluribus.

Herculis,

In eodem monte, nunc *S.Priscæ*, orientem versus.

Herculis in ara Maxima,

Nunc *S.Mariæ in Cosmedin*, post muros scholæ Græcæ. De ara maxima, Virgilius, Propertius, Ovidius.

Romuli,

Nunc *S.Theodori*, in Velabro sub Palatino: templum vetus, & sphæricum, cum rotunda fenestra, quod in medio tecti lumen præbet: & cum impluvio, quod in solo imbres excipit. Alii Panos Lycæi antiquitus fuisse autumant.

Neptuni,

Nunc *S.Blasii*, ad ripam Tiberis, in vico qui modo Julius appellatur.

Neptuni Equestris,

Nunc *S. Anastasiæ*, in radicibus Palatini, ante Circum maximum. Annis superioribus post hujus divæ ædem, facellum subterraneum inventum, quod parietes conchis ornatos habuit, & in medio testudinis aquilam albam cum crista rubra. Hoc se vidisse, Marlianus & Gyraldus testantur: nobis ad id accessus non patuit. Neptunus equestris, alio nomine *Consus* appellatus, quod consiliorum secretorum deus esset.

Castoris,

Nunc *S.Laurentii in Miranda*, inter Faustinæ vetus templum & porticum, foro Romano adjacens. Plaut. in Curc. recensens loca circa forum.

Pone ædem Castoris, ibi sunt subito quibus credas male.

In Castoris templo somniorum interpretes incubarunt, ut est apud Persii interpretem.

Æsculapii,

Nunc *S.Joannis Colevitæ*, in insula Tiberina. In hoc incubabant ægroti, valetudinis caussa: unde qui morbo levatus non erat, apud Plautum his verbis incusat deum:

Migrare certum est jam nunc e fano foras,
Quando Esculapi ita sentio sententiam.

Prope hoc templum in horto, navis est prælonga, ex Thasio (ut ferunt) lapide, cujus insigne est caput Tauri, & a latere simulacrum Serpentis.

Bacchi,

Nunc *S. Constantiæ*, extra portam Viminalem, in via Numentana, circulare, & vermiculato opere, columnisque duodecim in gyrum dispositis sustentatum, tribus inter se conjunctis, inter quas aliquo spacio relicto, aliæ eodem modo subjunguntur.

A Vidi prope in sepulchri fracto marmore, Bacchantium turbam, qui angues ore gestarent, & caprum ducerent: de quo more Prudentius, Christianus poeta, in suis gravissimis libris contra Symmachum scribit:

—— Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & virides discindunt ore chelydros,
Qui Bromium placare volunt: quod & ebria jam tum
Ante oculos regis Satyrorum insania fecit.

Fauni,

B Nunc *S.Sthephani in Cœlio*, sphæricum, & columnis in orbem æqualiter dispositis ornatum. Columnarum ordo triplex fuit: in interiore columnæ xx. cum pilis duabus: in medio XLII. qui ordo nunc pro muro est. extremi ordinis tantum rudera in adjuncto horto apparent. Fuit igitur terno ambitu, quasi porticibus amplissimum. Structura unum ex pulcherrimis, tempore ex antiquissimis, spacio ex amplissimis.

Silvani,

C Nunc *S.Agathæ*, sub Viminali, in Via Suburana, cujus mentio in testamento Galli Favonii: quod nos correctius, quam in Marliano legitur, cum aliis quibusdam testamentis & tumulis vetustis collectis in publicum dedimus.

Mercurii,

Nunc *S. Angeli* in piscina, in foro piscario.

Boni eventus,

Nunc *S.Eustachii*, proxime Pantheum.

Hadriani,

D Nunc *S.Mariæ Transpontinæ*, sive *Carmelitarum*, trans pontem Ælium, e regione sepulchri ipsius, Hoc templum Hadriano Antoninus Pius contra vota pæne omnium dicavit.

Junonis Lucinæ.

Nunc *S.Laurentii in Lucina*, in campo Martio. habet columnas ophiticas & porphyreticas. De hoc E templo Ovid. III. Fastorum.

Junonis Matutæ,

Nunc *S.Nicolai in Mentuza*, in foro holitorio. Ovid. VI. Fastorum:

Hac ubi luce ferunt Matutæ sacra parenti,
Sceptriferas servi templa dedisse manus.

Junonis Capitolinæ,

S.Salvatoris in Maximis, cum Jovis delubro conjunctum. Unde Ovid. in Fastis:

F

Hic color, hic teneo cum Jove templa meo.

Et ibidem:

—— dicor matrona Tonantis,
Junctaque Tarpejo sunt mea templa Jovi.

Vestæ,

Nunc *S.Mariæ de Gratia*, in valle quæ inter Palatinum & Capitolinum est. Sphæricum est, de quo satis plane & perspicue Ovid. VI. Fast.

Hic locus exiguæ qui sustinet atria Vestæ,
Tunc erat intonsi regia magna Numæ.
Arte Syracusia suspensus in aere clauso
Stat globus, immensi parva figura poli.
Et quantum a summis, tantum secessit ab imis
Terra: quod ut fiat, forma rotunda facit.
Par facies templi, nullus procurrit in illo
Angulus, a pluvio vendicat imbre tholus.

Vestæ in foro Boario,

Nunc *S. Stephani*, parvum & rotundum, & in ambitu decem & octo columnis inclusum. De hoc maxime diversæ sunt scribentium opiniones. Blondus & Marlianus affirmant Vestæ fuisse, Volaterranus Herculis, Lætus Matutæ, Albertinus Dianæ, nescio quis alius Auroræ.

Fortunæ Virilis,

Nunc *S. Mariæ Ægyptiacæ*, ad ripam Tiberis juxta pontem Palatinum, ex lapide quadrato, cum tectorio ad regulam antiquorum facto: columnæ ex latere utroque septem, duæ in frontibus. Porticus parva columnarum quatuor, & ante aram totidem. Ad ortum æstivum parieti inserta columella ex alabastro, que claro solis ortu, luce perspicua, & lumine fulgente incendit parietes. Ovid. IV. Fast.

Dicite nunc, quare Fortunæ thura Virili
Detis eo, gelida qui locus humet aqua.

Simulacrum hujus Deæ duabus undulatis togis fuit opertum, perinde ut olim reges Romani undulatas & prætextas togas soliti sunt gestare: ita Varro libro primo de Vita populi Rom.

Fortis Fortunæ,

Nunc *S. Cosmati*, trans Tiberim sub Janiculo, in hortis Cæsaris Dictatoris, quos ipse populo Rom. legaverat, ut Tacitus narrat. Terentius Scaurus: *Fœdus Græciæ*, inquit, *camelo æreo in hortis Cæsaris, ædis Fortis Fortunæ incisum, & pro porta positum.* De eodem horto & templo Suetonius. Fuerunt & alia Fortis fortunæ templa, ut ex Varrone & Livio conjicimus. Colebatur ab infimæ conditionis hominibus, nimirum ab operariis, rusticis, servis, & (ut Terentii interpres ait) ab omnibus qui sine arte aliqua viverent. Columella in libro de Hortis:

Allia cum cepis, cereale papaver, anetho
Jungite, dumque virent, nexos deferte maniplos,
Et celebres Fortis Fortunæ dicite laudes.

Ne quis autem hoc ignoret, hæc dea *Fors fortuna*, ut a Comicis servis invocatur, non *Fortis fortuna*, in quo aliquos errore lapsos videmus, appellata fuit.

Isidis juxta Ovilia,

Nunc *S. Marcelli*, in via lata, ut Victor: non procul a Septis, ut Juvenalis:

A Meroe portabat aquas, quas spargat in ædem
Isidis, antiquo quæ proxima surgit Ovili.

Isidis in circo Flaminio,

Nunc *S. Mariæ* in Equirio, quod in eo loco fierent Equiria.

Isidis in via Appia,

Nunc *S. Nerei*, inter S. Sixtum, & thermas

A Antoninianas, ad caput viæ novæ. Hujus deæ opem in recuperata valetudine experti, tabellas ei suspendebant. unde Tibullus:

—— nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Hic mos tabellas de parietibus templorum suspendendi, in tota adhuc durat Italia. Isidis sacra quo modo sublata, & quam ob causam sacerdotes urbe pulsi, & templa diruta sint, Josephus docet in Antiq. lib. XVIII.

Telluris,

B Nunc *S. Pantaleonis* in Subura, intra Carinas. Ædificatum in area domus Cassii, qui regni affectati pœnas dedit: auctores Cicero & Valerius.

Honoris & Virtutis,

Nunc *S. Sixti*, ex aliquorum sententia, quæ mihi falsa videtur. Propinquius enim portæ Capenæ fuit, quam nunc hoc recens.

Carmentæ,

C *S. Catharinæ*, sub rupe Tarpeja.

Pietatis,

Nunc *S. Salvatoris de pietate*. Julius Obsequens ponit hoc templum in Circo Flaminio: Victor in foro holitorio: Plinius eo loco, ubi postea theatrum Marcelli fuit. Unius loci varia designatio, quamvis eadem sit ab adjacentium locorum vicinitate sumpta. Aliquando eodem in loco carcer plebis erat, in quo cum filia matrem vinctam suis uberibus aluisset, impunitas illi concessa, & locus Pietatis numini dicatus est.

D

Dianæ Aventinæ,

Nunc *S. Sabinæ*, supra Tiberim, occasum versus. Ad hoc alludit Horatius in Epodis:

Quæque Aventinum tenet, Algidumque
Quindecim Diana preces virorum
Curet. ——

Antiquum marmor Salonæ in Dalmatia de hoc templo testatur. CAETERAE LEGES EAEDEM SONTO, QVAE ARAE DIANAE SON-
E TO IN AVENTINO MONTE DICATAE.

Dianæ in Cœlio,

Nunc *S. Joannis Evangelistæ*, ante portam Latinam, minimum, & nullorum plane ornamentorum.

Bonæ deæ,

Nunc *S. Mariæ Aventinæ*, in medio pæne ejus
F montis, qua Tiberim spectat. Situm depingit Ovid. VI. Fast.

Est moles nativa loco, res nomina fecit,
Appellant saxum, pars bona montis ea est.
Huic Remus institerat frustra, quo tempore fratri
Prima Palatina regna dedistis aves.
Templa patres illic, oculos exosa viriles,
Leniter acclivi constituere jugo.
Dedicat hæc veteris Clausorum nominis hæres,
Virgineo nullum corpore passa virum.
Livia restituit. ——

Mi-

Minervæ,

Nunc *S. Mariæ supra Minervam*, post Pantheum. In hoc fuit breviarium rerum in oriente gestarum a Pompejo Magno, quod legitur apud Plinium lib. VI. cap. XXVI.

Minervæ Capitolinæ,

S. Salvatoris in Maximis, Jovis Capitolini delubro conjunctum. Unde bene cecinit poeta antiquus:

Utque Palatinis Capitolia condita saxis
Signarent titulo proavi Jovis, atque Pelasgæ
Palladis, & Libyca Junonem ex arce vocarent.

Veneris Victricis,

Nunc *S. Mariæ in Crypta picta*, vicinum Pompeii theatro, testante III. Trist. Ovidio:

Altera templa peto, vicino juncta theatro:
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.

Veneris theatri Pompejani,

Nunc *S. Barbaræ*: In hoc Catia cum duobus adulteris libidinem sub velo publice exercuit: ut auctor est interpres Horatii.

Salutis,

Nunc *S. Vitalis*, in Quirinali. Ovid. I. Fastor.

Janus adorandus, cumque hoc Concordia mitis,
Et Romana Salus, araque Pacis erit.

Hæc ædes a C. Junio Bubulco dicata, a Fabio Pictore coloribus ornata.

Quietis,

Nunc *S. Petri & Marcellini*, in via Lavicana. A Constantino in meliorem usum conversum, qui matrem suam prope illud in Mausoleo sepeliri voluit, quod in Silvestro primo asserit Platina.

Concordiæ,

Nunc *S. Sergii & Bacchi*, infra Capitolium, qua forum respicit. Fuerunt & alia duo, unum in arce, alterum supra Comitium, ad Vulcani aream.

Sciendum est, cum temporis verbum omisimus, loci nomine simpliciter notato, & vetusta & recentia templa eversa esse. In illis autem vetus magnificentia quærenda non est: & nos quæ posuimus, cum ad antiquitatis qualiacumque vestigia cognoscenda, tum ad auctores intelligendos putavimus pertinere. Varro memoriæ prodidit, ornamenta templorum olim lignea & fictilia fuisse, quæ post aliquanto ex marmore, ebore, atque auro facta sint. Item Tacitus ait, apud antiquissimos rudi cæmento & informibus tegulis templa fuisse extructa, quæ postea marmore nituerunt, & radiarunt ære atque auro, non tantum firmis & duraturis parietibus, sed etiam expolitis arte & splendentibus. Structuræ eorum quæ nunc extant, non uniformes sunt: etenim variis ætatibus atque ingeniis varia placent. Alia sunt circulari forma sine columnis, sine contignatione, sine fenestris, sphærico foramine in tecti medio lucem præbente: quorum præcipuum & amplissimum S. Mariæ rotundæ, & post illud S. Mariæ de gratia, item SS. Cosmæ & Damiani, & S. Stephani in foro boario, & S. Theodori. Alia eadem forma, sed plurimo columnarum ordine, & adjunctis fenestris, ut S. Stephani in Cœlio, & S. Constantiæ extra portam Viminalem. Hæc licet ex antiquis cuncta sint, novis tamen nominibus tanquam notioribus appello. Alia quadrangulari forma, ordine columnarum recto, & plerunque uno tantum: interdum duplicato, ut in recentioribus illis magnificis, S. Joannis Laterani in Cœlio, S. Petri in Vaticano, S. Pauli in via Ostiensi, quod olim etiam multo amplius & cultius fuit. ita enim depingitur in quodam hymno Prudentiano:

Parte alia titulum Pauli, via servat Ostiensis,
Qua stringit amnis cespitem sinistrum.
Regia pompa loci est, princeps bonus has sacravit arces,
Clausitque magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta
Lux esset intus, ceu jubar sub ortu.
Subdidit & Parias fulvis laquearibus columnas,
Distinguit illic quas quaternus ordo.
Tum Camyros hyalo insigni varie cucurrit arcus:
Sic prata vernis floribus renident.

Tale autem fuit Theodosii Magni temporibus. Nonnulla pilas tantum habent, interjectis columnis, & fenestellas sub ipso tecto, alias plures, alias pauciores, pro reliqui ædificii forma atque modo. In ipsis templis plurimæ columnæ preciosæ, ex variis diversisque marmorum generibus. Hodie intra & extra urbem plus quam trecenta visuntur, quæ libello quodam cum cœmeteriis & xenodochiis, additis clarorum virorum epitaphiis, separatim annotavimus.

CAP. X.

De templis sacellisque veteribus, quæ ab aliis omissa sunt.

SUPERIORE capite dictum est de templis prophanis, quæ in divorum nomina sunt mutata: hoc autem capite enumerabimus ea, quæ nunc quidem nulla sunt, sed apud veteres fuisse leguntur, & a recentioribus sunt omissa, qui tamen in eo, ut colligerent omnia, videntur elaborasse. Quamvis autem ad eam urbem, vel cadaver potius urbis, quod nunc est, nihil pertineat hæc diligentia: tamen ad poetas & historicos intelligendos, quam ob causam nos hunc laborem præcipue suscepimus, hæc vel nominum cognitio, vel locorum notatio utilis, ut opinor, futura est.

Veneris & Romæ,

Consors delubrum fuit in via Sacra, testante id contra Symmachum Prudentio:

Ac Sacram resonare viam mugitibus, ante
Delubrum Romæ: colitur nam sanguine & ipsa
More Deæ, nomenque loci seu numen habetur.
Atque urbis Venerisque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura deabus.

Urbis etiam dies natalis colebatur XII. Cal. Maii. Hoc fortasse idem est cum eo, quod Servius Veneris Romanæ nominat. Inter singularia certe & digna admiratione loca, Urbis templum numerat Marcellinus.

Jovis Fagutalis,

In monte Viminali, a luco *fageo*: de quo Varro, Plinius, Festus, Victor.

Jovis Prædatoris,

In quo prædam hostibus ereptam ponebant. Locus ignoratur: sed fuisse, & ad illud allusisse Virgilium, Servius scribit:

—— ipsumque vocamus
In prædam partemque Jovem.——

Jovis Invicti.

Et hujus nescitur locus. Ovid. VI. Fast.
Idibus invicto sunt data templa Jovi.
De eodem Augustinus de Civitate Dei.

Jovis Inventoris,

Juxta Salinas sacellum fuit, quod inventis bobus, & punito Caco, Hercules patri Inventori dicavit: auctores Dionysius & Solinus.

Jovis Sponsoris,

In Capitolio, dicatum a Sp. Posthumio, nonis Junii, eodem Dionysio auctore.

Jovis Propugnatoris,

In Palatio, cujus mentionem invenimus in antiquis epigrammatis:

IN AEDE IOVIS PROPVGNATORIS IN LOCVM CLAVDI PATERNI VITA FVNCTI ATERIVS COLONIVS COOPTATVS.

Hæc inscriptio posita sexto consulatu Commodi Imperatoris, in quo Petronius Septimianus ei collega fuit.

Jovis Conservatoris.

Hoc quoque in vetusto epigrammate Romano legimus, non expresso loco. In eo templo signum cum base posuit P. Ælius coh. VI. Prætoriæ miles, missus honesta missione, Bellicio Torquato & Attilio Glabrione coss. anno Hadriani Imp. septimo. Jovi conservatori sacellum cum ara Domitianus extruxit, juxta Velabrum. auctor Tacitus.

Jovis Arbitratoris,

In decima urbis regione ponitur a Victore: & appellatur *pentapylon*, quasi quinque portarum.

Jovis Statoris,

Aliud a superiore, quod Varro de Rebus divinis in Circo Flaminio posuit. hujus certiorem locum Vitruvius indicavit, Metelli porticum, quæ ad eundem Circum fuit.

Jovis Mariani,

In Esquilino, a Mario cum cæteris monumentis conditum. In hoc S. C. factum est, de revocando Cicerone ab exilio: quod ipsi etiam fuit per somnium significatum, ut scribit Valerius.

Martis Ultoris.

Est aliud, præter id quod supra positum in Capitolio, referente Dione.

A

Martis circi Flaminii.

Cornelius Nepos, citante Prisciano: *In circo Flaminio*, inquit, *fuit ædes Martis, architectata ab Hermodoro Salaminio*.

Herculis defensoris,

Incerti loci, in quo, ut in Jovis Propugnatoris, milites honesta missione missi, & gladiatores emeriti, arma clypeosque suspendebant. De L. Domitio Valeriano milite, loquitur Romana inscriptio; de Vejanio gladiatore Horatius,

B

—— armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro.

Herculis extra urbem.

Duo fuerunt: unum extra Capenam modicum, sed frequens, de quo Martialis lib. IV.

Et qua pusillum fervet Herculis fanum.

Alterum extra Latinam, quod statuit Domitianus longiuscule ab Urbe, cujus lib. IX. idem poeta mentionem facit. Versus positi sunt supra, ubi de via Latina agitur.

C

Apollinis Tortoris,

Suetonius in quadam Uurbis parte locat, sed eam non exprimit: in Augusto.

Fidii,

In Quirinali Ovid. VI. Fast.
Hunc igitur veteres donarunt sede Sabini,
Inque Quirinali constituere jugo.

D

Summani,

Sacellum fuit in fastigio templi Jovis Capitolini, ædes prope Circum maximum. Idem:

Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur
Tunc, cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.

Mutini,

E

Adversum murum Mustellinum, ut inquit Festus. Huic mulieres velatæ togis prætextatis solitæ sunt sacrificare: & novæ nuptæ jubebantur ejus turpi simulacro insidere.

Serapidis,

M. Aurelius Antoninus in pontificatu suo posuit circa eum locum, ubi nunc S. Stephanus de Truglio.

Adonidis,

F

Refertur ab Ovidio in Arte, non expresso loco.

Jani Curiatii,

Prope templum Junonis Sororiæ, de quo mox dicemus.

Sangi.

Locus ignoratur: ponitur a Varrone & Plinio. In eo lana, colus, & fusus reginæ Tanaquilis fuerunt consecrata.

Augusti,

Duo fuerunt: alterum in Palatino, quod Livia Augusti conjux fecerat, Vespasiani dominatu publico consumptum incendio: alterum in foro, a Tiberio Cæsare extructum.

Junonis Capratinæ,

Extra urbem, cui sub caprifico faciebant mulieres, ex eadem arbore virgas ramosque circumferentes, Varrone, & Festo auctoribus. Templum frequentabatur nonis Quintilibus, quæ inde *Capratinæ* dictæ sunt. Origo talis fuit. Fidenates post Urbem a Gallis incensam, si reliquias salvas esse vellent Romanos cogere voluerunt, ut omnes puellas & matresfamilias sibi traderent. Patribus igitur dubiis, & de suorum pudicitia ac reip. summa sollicitis, ancillæ se ituras promiserunt: quæ cum dominarum habitu profectæ essent, per castra distributæ, hostes vino invitarunt, illisque sopitis, signum Romanis ex caprifico dederunt: quo dolo & pœna de hostibus sumpta est, & Romanarum matronarum fama conservata. In hujus beneficii memoriam ingenuæ simul & servæ Junonis Capratinæ diem solennem celebrabant.

Junonis Sororiæ,

Prope Carinas, ad clivum Suburanum, qui nunc ducit ad ædem S. Petri in vinculis, a Sororio Tigillo nomen habens, quod cum Jano Curiatio dicavit Horatius, unus ex trigeminis victor contra Curiatios, ut inquit Festus.

Veneris Capitolinæ.

De hoc in Caligula & in Galba Suetonius.

Veneris Romanæ,

In foro Cæsaris. Hæc etiam *Venus genitrix* nominata. Huic victimas solitas immolari, cum Paphiæ thure tantum fieret, ait Servius. De Venere Romana in initio Lucretius:

Æneadum genitrix.

Veneri genetrici Cæsar thoracem ex margaritis Britannicis dicavit.

Si licet conjecturam sequi, puto hoc delubrum Veneris & Romæ fuisse. de quo initio hujus capitis, & supra capite secundo dictum est.

Veneris Lubentinæ.

Locus ignoratur: de templo scribunt Cicero, Varro, Marcellus. Solebant puellæ, quæ excesserant annos pueritiæ, pupas ætatis suæ insignia huic dicare Veneri, ut ex Persio docemur. Eodem modo pueri bullas diis suspendere penatibus, cirrhos ad Apollinem ponere solebant: illud Asconius, hoc Varro tradidit.

Veneris Verticordiæ,

Extra Collinam, via Salaria. Hujus ædes facta, cum tres Vestales uno tempore incestum commisissent (ut ait Julius Obsequens,) ut puellarum animos lascivos ad castitatem verteret. De eodem Valerius, & Ovid. IV. Fast.

Roma pudicitia proavorum tempore lapsa est:
Cumæam veteres consuluistis anum.
Templa jubet Veneris fieri, quibus ordine factis,
Inde Venus verso nomine corda tenet.

A

Veneris Erycinæ,

Intra Collinam portam, quod alii extra eandem ponunt, etiam contra Strabonis sententiam. Locum demonstrat Ovid. II. de Remed.

Est prope Collinam templum venerabile portam,
Imposuit templo nomina celsus Eryx.

Hoc fuisse ex nominatissimis, constat ex Appiano lib. primo Belli civilis.

B

Veneris Cluacinæ,

In ea fori parte, quo Romani & Sabini armis depositis pacem inierunt, & facto sacrificio se purgaverunt. Hoc templum a Tatio rege constructum. ejus locum, cum juxta forum fuerit, varie designant auctores. nam Ovidius ait prope viam Sacram fuisse, Plautus prope Comitium, in Curc.

Qui perjurum hominem vult convenire, mitto in Comitium:
Qui mendacem & gloriosum, apud Cluacinæ sacrum.

C

Livius III. ab V. C. ad Tabernas fuisse indicat. Dicta *Cluacina*, quod *cluere* antiqui purgare dicebant, ut Plinius inquit lib. XV. Marlianus *Cloacinam* vocat, & diversam ejus nominis etymologiam affert, secutus auctorem, nisi fallor, Lactantium.

Fortunæ Mammosæ,

In capite viæ Novæ, a qua etiam vicus nomen accepit: dicta vel ab ubertate, vel a forma statuæ.

D

Fortunæ Barbatæ.

Hujus ædem in sua regia habuit Tullus. Cyprii etiam barbatam Venerem coluerunt.

Fortunæ Plebejæ,

Ab eodem Tullo conditum, de quo VI. Fast. Ovid.

Plebs colit hanc, quia qui posuit, de plebe fuisse
Fertur, & ex humili sceptra tulisse loco.

E

Fortunæ Tarpejæ.

De quo templo in Prænestina inscriptione, quæ in domo episcopi est eleganti carmine facta. Hæc dicta est cognomento *Primigenia*, ut plurimæ ibidem inscriptiones probant.

Fortunæ muliebris,

Extra urbem in via Latina, ad quartum milliarium, ut ait Valerius: eo in loco factum, quo Coriolanus a Veturia matre & Volumnia uxore fuerat, ut ab armis abstineret, exoratus.

F

Fortunæ Reducis,

A Domitiano factum. Martialis lib. VIII.

Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia late
Templa patent, felix area nuper erat.

Claudianus:

Aurea Fortunæ Reduci si templa priores
Ob reditum vovere ducum, non dignius unquam
Hæc dea pro meritis amplas sibi posceret ædes.

Cybeles.

Sub Palatino, Junonis Sospitæ templo contermi- num, ut Victor inquit. Ovidius II. Fastorum:

— Phrygiæ contermina matri
Sospita.

De eodem Martialis VII.

Hinc viduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ.

In sacris Cybeles, æreis crepitaculis utebantur, unde *æs Corybantium*: ut in Apollinis, lebetibus æreis, a quo *æs Dodonæum* nomen accepit.

Annonæ,

In Capitolino fuisse, conjicimus ex inscriptione, quæ nunc ibidem legitur:

ANNONAE SANCTAE HAELIVS VITALIO MENSOR PERPETVVS CORPORIS PISTORVM SILIGINARIORVM D. D.

Segetiæ,

In Circo maximo. *Segetia* autem frumentis super terram, ut *Seja* satis in terra, *Tutulina* in horreo conditis præerat.

Dianæ Suburbanæ,

Trans Tiberim. Ovid. I. de Arte,
Ecce Suburbanæ templum nemorale Dianæ.

Minervæ Medicæ,

In quinta Urbis regione. Victor.

Minervæ Chalcidicæ,

Idem ponit in nona regione. Ego puto mendum in Victoris libro, & esse *Chalciæcen* dictam, ab æneo templo, quod Domitianus ei condidit: ad imitationem illius, quod inter Tænarum & Lacedæmonem fuit, de quo Æmilius Probus & Livius, ex Thucydide.

Minervæ Aventinæ,

Antiquissimum, & Livii Andronici poetæ donariis celebre, quibus ipse ab aliis poetis, & ab histrionibus, quibus fabulas scripserat, honoratus, eadem ad Minervam ingeniorum præsidem, grata pietate detulerat. De hoc templo Ovid. VI. Fast.
Cœpit Aventina Pallas in arce coli.

Minervæ Captæ,

In valle Cœlii, Cujus situm describit III. Fast. Ovid.

Cœlius, ex alto qua mons descendit in æquum,
Hic ubi non plana est, sed prope plana via est.
Parva licet videas captæ delubra Minervæ,
Quæ dea natali cœpit habere suo.

Quare autem *capta* dicta sit, quinque conjecturas affert idem poeta.

Vacunæ.

Locus ignoratur. de templo Ovid. VI. Fast.
Nunc quoque, cum fiunt antiquæ sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stantque sedentque focos.
Mihi videtur extra urbem fuisse.

Nemesis,

Prope forum Trajani.

Lavernæ,

Extra portam Collinam, via Salaria, ut inquit Helenius, supra illum Horatii locum:

Labra movet metuens audiri, pulchra Laverna,
Noctem peccatis & fraudibus objice nubem.

Novius poeta:
Per deam sanctam Lavernam, quæ cultrix quæstuis est.

Quietæ,

Extra eandem portam, *quietis* deæ: quam, cum suburbanum haberet templum, in urbem recipere noluerunt. D. Augustinus.

Liviæ Augustæ,

In foro Romano.

Tutulinæ,

In Aventino, cujus apud Varronem mentio. Tutulina autem dea, frumentis collectis atque conditis custos præesse perhibebatur.

Bonæ deæ subsaxanæ,

Non procul a via Nova, & thermis Antoninianis, in Aventino.

Juventutis,

Quam *Heben* Græci nominant, fuit in Capitolio. Hæc in condendo Capitolio, cum Termino atque Marte, cedere Jovi noluit. D. Augustinus.

Victoriæ,

Unum in Aventino, conditum ab Arcadibus: alterum in Palatino, in quo loco antea P. Valerii Publicolæ domus fuit. Prioris meminit Halicarnasseus: posterioris, ex L. Hyginio de viris claris Asconius.

Cornifcarum,

Trans Tiberim, dearum a *cornicibus* dictarum, quas alii in Junonis, alii in Concordiæ tutela fuisse asseverant.

Ne molestus sim, prætermittam illa, ut Clementiæ Cæsaris, de quo Plutarchus: Justitiæ Augusti, de quo Ovidius: Fœcunditati Poppeæ, de quo Tacitus, dicata templa. nam translata ad unum imperii potestate, superstitiosa assentatio immoderata fuit.

CAP. XI.

De domibus quorundam doctorum.

De domibus Regum, Imperatorum, civium illustrium, aut divitum, de quibus passim legitur, nihil dicam, & satis multa ab aliis, præsertim a Marliano, sunt collecta: sed referam tantum domicilia quorundam doctorum, qui etiamsi

Octaviorum, Scaurorum, Messalarum, Catulorum, Lateranorum, Corneliorum, Balbinorum, Parthorum quæ dicebantur, similes ædes non possederint, tamen & illas celebrarunt, & casulas suas nobilitarunt virtute & ingeniis. Imo vero quicquid alii laudis habent, id doctorum sunt beneficiis, non immensis ædificiis consecuti. Tantum enim scimus, quantum a literis accepimus.

Crassi oratoris,

In Palatino, ut illis temporibus, magnifica fuit. In ejus atrio, cum in publico nondum ullæ marmoreæ essent, columnæ Hymettiæ quatuor, ut Plinius lib. XVII. vel ut idem XXXI. bis prodidit, sex fuerunt, non longiores duodenum pedum: cum tamen ideo Cn. Domitii & M. Bruti reprehensionibus non caruerit. Alii in Viminali ponunt, sed ea fuit Crassi cognomento Divitis, de qua Persius Satyra secunda:

—— nunc Crassi mittit in ædes.

Calvi oratoris & poetæ,

Prope forum Romanum, supra scalas Anularias eam primum habitavit Augustus Cæsar.

Philippi,

In Carinis, sub Esquilino. Horatius I. Epist.

Strenuus & fortis, causisque Philippus agendis
Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit, atque foro nimium distare Carinas
Jam grandis natu queritur.

Hortensii,

In Palatino, quam domum secundam possedit Augustus, non procul ab æde nunc S. Anastasiæ.

Ciceronis,

In eodem Palatino, supra ædem Jovis Statoris: quam incensam a P. Clodio, magnificentius publico sumptu ædificavit Senatus.

Sallustii,

In Quirinali, cujus ruinas supra hortos ejusdem in valle subjecta extare ajunt. Qui de vita ipsius scripserunt, prope Minervæ ædem, quæ hodie S. Mariæ sacra est, volunt habitavisse. Quod si ita est, hæc prima fuit: altera, post præturam Africanam ab ipso culta.

Attici,

In eodem monte, ubi nunc S. Vitalis templum, fuit situ & sylva amœnissima.

C. Aquilii,

Jurisconsulti, in dorso montis Viminalis, omnium consensu pulcherrima. Plinius lib. XVII.

M. Manilii,

Jurisconsulti celebris, & prudentis oratoris, in Carinis. Cicero in Paradoxis.

L. Annæi Senecæ,

In Palatino Cœlium versus, supra balneum: de cujus domus incommodo, & non quieto situ, ipse scribit lib. VII. ad Lucilium, Epist. LVII.

Plinii junioris,

Oratoris, supra Suburam in Esquilino, quod ipse in Epistolis, Martialis in Epigrammatis testatur.

Ennii poetæ,

In monte Aventino, juxta Tutulinæ fanum, ut ex Porcio tradit Varro.

Virgilii,

Im campo Esquilino, juxta Mecœnatis hortos, qui erant inter aggeres Tarquinii, & Urbis mœnia.

Propertii,

In Esquilino. ita enim ipse libro secundo:

I puer, & citus hæc aliqua propone columna,
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

Ovidii,

Infra Capitolium, qua Velabrum respicit, circa eum locum, ubi nunc est S. Mariæ templum de consolatione. Innuit ipse libro I. Trist.

—— Capitolia cernens,
Quæ nostro frustra juncta fuere lari.

Lucii,

Ab Attico in annalibus refertur, sed locus non adjicitur. Fuit autem ea, quæ Antiochi regis filio obsidi fuit publice ædificata, ut est apud Asconium.

Martialis,

Inter Viminalem & Hortulorum collem, prope pilam dictam Tiburtinam. Sic enim ipse libro V.

Sed Tiburtinæ mihi proximus accola pilæ,
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.

Idem lib. I.

Longum est, si velit ad Pilam venire:
Et scalis habito tribus, sed altis.

Stellæ,

In aditu Suburæ. Idem lib. XII.

Vel si malueris, prima gradiere Subura,
Atria sunt illic Consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella penates.

Suræ,

In Aventino, Palatinum versus. Idem libro VI.

Quique videt propius magni certamina circi,
Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.

De fragilitate veterum in ædificando, Varro scripsit, qui antiquos Romanos domibus latericiis habitasse ait, paululum modo suffundatis lapidibus, ut humorem effugerent. Sabulum etiam jecisse a parietibus aut cryptis, ubi ambulare possent.

CAP. XII.

De theatris, circis, odeis, stadio, xysto, item de factionibus aurigantium.

IN liberis civitatibus multa populo concessa sunt: qui cum gravibus & diuturnis bellis, sine quibus libertas retinetur difficulter, sæpenumero vexaretur, domesticæ quædam animorum relaxationes inductæ sunt, & multiplices ludi, ac diversa spectacula publice exhibita: idque cum in Græcis civitatibus usitatissimum fuit, tum in Romana Rep. contra Scipionis Nasicæ, prudentissimi & optimi viri, consilium ita increbuit, ut lusus licentiam, jocus turpitudinem, frequentia lasciviam, consuetudo denique crudelitatem pepererit. Nam & spectatores, & fautores, & actores scelerum aderant ipsi interdum principes atque imperatores. Ædificiis theatrorum præerant censores: ludis & spectaculis ædiles curules, &, ut ex Juvenale patet, prætores: quibus & consulares addidit Nero, & Domitianus præfectos, quales sunt apud Martialem Lectius quidam, & Oceanus. In Capuanis inscriptionibus, exactor operum publicorum, & theatri legitur: & dux theatralium operarum, apud Tacitum. Theatra autem non solum ex lateribus fuerunt structa, ut in Urbe, Statilii: ad Lirim fluvium, Minturnense, & quod est Puteolis, quæ nos vidimus: neque ex quadratis tantum lapidibus, ut Pompeii, Marcelli, Titi: verum etiam ex solido marmore, quale fuit Capuanum, cujus ruinas mirati sumus: item Veronense, de quo Torellus Sarayna: item Atheniense, quod inspexit Cyriacus Anconitanus. Sed ad Romana. De theatro Cassii Paterculus, de Scauri Plinius, de Curionis Tacitus, de Balbi Ausonius, de Claudii Suetonius, de Neronis Sex. Aurelius, de Trajani Spartianus: de tribus theatris, & uno amphitheatro campi Martii Strabo: de theatro montis Esquilini Martialis. Hæc cum nulla amplius sint, de iis quorum aliqua remansere vestigia, agemus.

Theatrum Pompeii.

Ad campum Floræ, contiguum circo Flaminio, vestigia cernuntur in cella vinaria, & in equili domus Ursinæ. Hoc Pompejus mansurum instruxit, igne consumptum instauravit Tiberius, perfecit Caligula, iterum ambustum restituit Claudius, vetustate collapsum refecit Theodericus rex Gothorum. Adeo tenui & apta junctura fuit, ut non compositum opus, sed ex uno perpetuoque lapide factum videretur. Fuit & aliud Pompeii, vicinum campo Martio, de quo Plinius lib. XXXIV. Unum fortasse ex illis, de quibus Strabo loquitur.

Marcelli,

Inter Capitolium & Tiberim, in cujus ruinis hodie ædificatum est palatium Sabellæ familiæ: & ampliora ejus vestigia sunt, quam Pompejani. Hoc forum Holitorium versus nunc tabernas habet.

Statilii Tauri,

Inter portam Næviam & Cœlimontanam, adhuc prope integrum, & urbis mœnibus inclusum, una ejus parte intra, altera vero extra murum.

De his tribus loquitur Ovid. III. de Arte:

Visite conspicuis terna theatra locis.

Item III. Tristium, quem locum supra explicavi.

A

Tiberii,

Ejus aliqua restant vestigia in privatis ædificiis inter aquam Virginem, & columnam cochlidem Antonini: nam juxta Septa fuit.

Titi,

Inter Cœlium & Esquilinum, vulgus a mole ædificii *Colosseum* appellat, Urbe media, auctore Suetonio, situm, altitudinis tantæ, ut visio humana ad ejus summitatem ægre conscendat: quod testatur in XVI. Marcellinus. In altum habuit fornices B quatuor, alterum alteri impositum: tres inferiores in extremo columnis sustentantur, cum diversis capitellis: superioris pars pro muro est, fenestris aliquot lucem admittentibus. Adeundi loca varia. Primus enim introitus est in ipsam aream circularem, quam nunc nominant *harenam*: proximus ascensus est ad sedilia. sequitur alius ad aream aditus: postremus descensus in loca subterranea, ad quæ obruta jam perveniri nequit. Sedilium ratio non plane perspicitur, muri tamen magis ac magis sunt ad spectantium commoditatem declives. Post sedilia latus & spaciosus supra porticum ambitus. Ex C ruinarum amplitudine, recte scriptum a Martiale videtur:

Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro:
Unum præ cunctis fama loquatur opus.

De ludis theatralibus, item de scenicis actionibus & originibus, M. Terentius Varro libros scripsit. Ludorum tempore contra æstum theatra velorum umbraculis tecta fuisse, & sedilia croco conspersa, prodiderunt, præter Plinium lib. XIX. etiam poetæ, cum veterum frugalitatem laudibus efferunt. Ut Ovid. libro primo de Arte:

D

Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro,
Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.
Illic, quas tulerant nemorosa palatia, frondes
Simpliciter positæ, scena sine arte fuit.
In gradibus sedit populus de cespite factis,
Qualibet hirsutas fronde tegente comas.

Item Propertius lib. IV.

Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro,
Pulpita solennes non oluere crocos.

Vas ipsum quo sedilia spargebantur, *Nimbus* appellatur a Martiale, qui ad Agathinum pugilem his verbis scribit:

E

Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo,
Et rapiant celeres vela negata noti.

Fuit θεατρικὸν ἀργύριον, quod *extar* Latino vocabulo nuncupat Charisius. Romanus populus ludos spectabat coronatus, ad quos omnis ætas & sexus admittebatur. Quæ quisque ad luxuriam theatris & scenæ addiderit, de institutis Romanorum memoriæ prodidit Valerius. Quamvis autem theatra, circi, Campus, singulares quæque ac proprios ludos haberent, & exercitationes cuique loco accommo-F datas; tamen eadem sæpe omnibus in locis peracta sine discrimine fuerunt. Nam ut de circo dicam, in eo cursores, pugiles, luctatores, gladiatores, confectores ferarum versabantur. in eo enim bigarum, quadrigarumque cursus, & ludi taurilcs, & ferarum venationes, & equestria ac pedestria prælia exhibebantur: id quod Plinius, Suetonius, Ovidius, & Horatius testantur. Introducti etiam sunt mimi, saltatores, citharœdi, histriones, funambuli, qui in theatris solebant agere frequentius. Contra in theatro navale prælium edidit Domitianus. Nunc de Circis breviter dicendum est.




Pag. 507.
P. Salaria
P. Vimina
Castra Præto ria
P. inter aggeres Esquilina
Porta Es quilina
P. Nævia
Agger Tarquinii Superbi
Thermæ Dioclet.
P. Collatina Sive Pincia
Quirinales
Viminales
Esquilinus
P. Coelimontana.
P. Gabiusa Clausa
P. Latina
Coeliolus.
Mons Hortorum Sive Pincius
Circus Floræ
Amphitheatrum Flavium
Carinæ
Coelius
P. Capena.
P. Flaminia
Mausoleum August
Campus martius
Circus Flam:
Capitolium
Sacra Via
Palatinus
Circus max
quod punctis notatum est Pomoerium
Circus Adriani
Mausol: Adriani
Pons aelius
Pons Vatican
Tiberis
Pons Sublicius
Aventinus.
P. Septimiana quibusdam, et Fontinalis.
Transtiberina Regio.
Porta aurelia
Circus Neronis
Montes Vaticani
Iani culum.
P. Portuensis.
Porta Trigemina.
Mons Testaceus
P. Ianiculensis.
OMNIA ROMANÆ CEDANT MIRACULA TERRÆ
NATURA HIC POSUIT, QUIDQUID UBIQUE FUIT
Situs et ambitus urbis Romae a cae

Circus Maximus,

Ex Palatini latere meridionali, quod Aventino est oppositum, jacet: cujus ruinæ cernuntur ab æde S. Anastasiæ, usque ad septizonium Severi. Fornices quadrupliciter altera alteri imposita, & sedilium directæ lineæ. Carceres olim & metæ ex topho lignoque fuerunt, quæ marmorea & aurata fecit Claudius. Ne quis autem alii sedendo molestus esset, hæc dat præcepta Ovidius:

Tu quoque, qui spectas post nos, tua contrahe crura,
Si pudor est, rigido nec preme terga genu.
Sed pendent tibi crura: potes, si forte juvabit,
Cancellis primos inseruisse pedes,
Et:
Quid frustra refugis? cogit nos linea jungi:
Hæc in lege loci commoda Circus habet.
Tu tamen a dextra, quicunque es, parce puellæ:
Contactu lateris læditur illa tui.

In Circo ornamenti caussa, cum Deorum imagines gypseæ, tum detracta hostibus spolia suspendebantur. Idem:

Sive erit ornatus, non ut fuit ante sigillis,
Sed regum positas Circus habebit opes.

Circum minio & chrysocolla stravit Caligula: scobe auri atque argenti Heliogabalus, dolens quod non posset & electri. id quod scribunt Suetonius & Lampridius. Ad Circum in cellis antrisve subterraneis habitabant, quæ quæstum corpore facerent, ut ex Juvenale colligitur, & aperte declarat in Vario Lampridius: *Omnes de theatro, de circo, de stadio, & omnibus locis & balneis meretrices collegit.* Inde Romanis ganea, quasi γύναια videntur dicta, quod in operto essent. Ad eundem res furto sublatæ sub crepusculi tempus vendebantur: quod in Horatium, cum *circum vespertinum* vocat, annotavit Helenius. Servi per circum nuces, & fractum cicer clamando solebant circumferre: item in cortinis aquam portare, quam esurienti sitientique plebi venderent: quod adhuc in Italiæ civitatibus usitatum est. Ad illud respexit Horatius, ubi equestrem, & patricium, & copiosorum hominum ordinem, ab infima plebe discernit, scribens ad Pisones:

Offenduntur enim, quibus est equus, & pater, & res:
Nec, si quid fracti ciceris probat & nucis emptor,
Æquis accipiunt animis, donantve corona.
Alterum in Pœnulo ostendit Plautus:
Ita replebo atritate, ut atrior multo fies
Quam Aegyptii, aut qui cortinam ludis per Circum ferunt.

Tomentum circense erat culcitra ex gnaphalio, aliisve herbis vel concisis arundinibus facta, quæ substernebatur multitudini: quod ex Suetonio & Martiale constat. Circi nomine, etiamsi nihil aliud addatur, intelligitur Maximus, ut Fori appellatione, Romanum accipimus: Campi vocabulo, Martium.

Flaminius,

Incœpisse videtur circa ædem S. Angeli in piscina, protensus ad Campum usque Agonium. Ejus inter ruinas plurimas vestigia sunt, apud apothecas obscuras, prope ædem S. Rosæ, & sacellum Sepulchri sancti. Ab Apollinis templo, quod aliis magis conspicuum fuit, alio nomine *Apollinaris*. In hoc circo vitri officina fuit, in qua pocula fierent, punctis coloratis quasi gemmis insignita, & crystallinis similia: quæ ut precio gemmatis æquanda non e-

A rant, ita usu reperiebantur firmiora, quod aquis calidis, ut veræ gemmæ, non vitiarentur, aut fluerent. quod Martialis in Apophoretis docet, disticho *Calices*, & expressius lib. XII.

Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus,
Recipe de circo pocula Flaminio.
Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem,
Et nimium calidis non vitiantur aquis.

Floralium,

In valle, inter collem Hortulorum & Quirina-
B lem. Ovidius de hoc v. Fast.

Circus in hunc exit, clamataque palma theatris,
Hoc quoque cum circi munere carmen eat.

Intimus,

Qui antiquiore nomine, *Circus ad murum*, ut Varro. In Campo figulino, & in vinetis Tiberi adjacentibus, ejus rudera spectantur.

Neronis,

C In valle inter Janiculum & Vaticanum.

Antonini Caracallæ,

Ab aliis *Prætorianus*, quod ibi cohortis Prætoriæ statio fuerit, extra Capenam. Vestigia qualiacunque apparent prope S. Sebastianum, & molem illam quæ nunc *Bovis caput* dicitur.

Alexandri Severi,

Eo in loco, ubi campus nunc Agonius.
D Antequam ad reliqua progrediamur, illud admonendum est, claris viris, & ad populum gratiosis, in Theatrum aut Circum introeuntibus, clamore publico & plausibus vulgi gratulationes factas, ut Mecenati, de quo Horatius:

Datus in theatro
Cum tibi plausus.
Et Cæsari Domitiano, de quo in VIII. Martialis:
Dum te longa sacro venerantur gaudia circo,
Nemo quater missos currere sensit equos.

Odeum,

E Græco nomine dictum ᾠδεῖον, publicum ædificium erat, in quo, ut in xystoathletæ, in lanistæ ludo gladiatores, ita citharœdi & tibicines a musico, & reliqui actores scenici ab histrione exercebantur ante, quam in theatrum prodirent: quale Athenis fuit Odeum Herodis, cujus apparatum & magnificentiam Pausanias in Achaicis ostendit. Odea in urbe quatuor fuerunt. Unum, in monte Aventino, de quo ad Atticum loquitur Cicero, etiamsi locus mendo non vacet: *Monumentum illud*, inquit, *quod tu tollere laudibus solebas, ut odeum*
F *laxaremus, & usque ad atrium Libertatis explicaremus, contemsimus.* Alterum, inter Palatinum & Cœlium, prope Metam sudantem (hæc nunc inter amphitheatrum Titi, & arcum Constantini collapsa cernitur) cujus quidem nomen Seneca non exprimit, sed ab usu describit, ad Lucilium lib. VII. *In iis quæ me sine avocatione circumstrepunt, essedas transcurrentes pono, & fabrum inquilinum, & ferrarium vicinum: aut hunc qui ad Metam sudantem, tubam experitur & tibias, neque cantat, sed exclamat.* Tertium, prope theatrum Pompeii, quod innuere videtur Marcellinus lib. XVI. cujus verba,

quantumvis corrupta, quia locis aliquot eorum testimonio sum usus, cuncta subscribam: *Intra septem montium culmina, per acclivitates planiciemque posita urbis membra collustrans, & suburbana, quidquid erat primum, id eminere inter alia cuncta sperabat Jovis Tarpeii delubra, quantum terrenis divina, praecellentia lavacra, in modum provinciarum extructa. Amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cujus summitatem ægre visio humana conscendit. Pantheum velut regionem teretem, speciosa celsitudine fornicatam. Elatos vertice scansili suggestus consulum & priorum principum imitamenta portantes. Urbis templum, & Pacis, Forum, & Pompeii theatrum, & Odeum, & Stadium, aliaque inter hæc decora Urbis æternæ. Verum cum ad Trajani forum venisset, singularem sub omni cœlo structuram, ut opinamur, etiam numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus, per Giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus expetendos.* Hæc ille. Quartum Odeum inter cætera opera mirabilia & memorabilia fecit Domitianus, ut in vita ejus Suetonius tradit: quamvis non plane indicet, extruxeritne an instauraverit. nam (ut ait Sex. Aurelius) multa ædificia ab eo sunt cœpta, multa a fundamentis constructa.

Stadium,

Locus cursoribus destinatus. & hoc extructum a Domitiano, eodem testante Suetonio. Etsi autem ubi fuerit, & unum ne an plura extiterint, nesciatur; tamen inter maxima & præcipua urbis loca poni intelleximus e Marcellino & e Lampridio, quorum verba in hoc ipso capite citavimus. Martialis libro III. ad Matronam:

Gymnasium, thermæ, stadium est: hac parte recede,
Exuimur, nudos parce videre viros.

Stadiodromum quendam *astylon* nominat Plinius lib. XXXVIII. & multos celebrat Pindarus, & notus historiis est Milo Crotoniata, & eadem patria natus Ischomachus: unde studium ambitiosæ his in rebus Græciæ magis cognoscas.

Xystus,

Græca quoque appellatione locus dictus, in quo sub tecto, hyemis tempore, versabantur athletæ. Ut autem Odeum theatri, Stadium circi, ita Xystus forma porticus erat extructus: inde & hypæthras, hoc est (ut vertit Plinius) subdiales ambulationes, neutro genere xysta appellarunt Romani.

Odeum multa sedilia, multasque columnas habuit, cum pronis & declivibus tectoriis, ut in Pericle describit Plutarchus, stadium, carceres, & metas, non secus atque circus: xystus, columnas in latum directas. Qui concertantibus pæerat, Xystarchus: qui ipse certabat, Xysticus nominatus. In antiquo marmore:

L. THENODORVS XYSTICVS PARIDI THYMELICO BENE MERENTI FECIT.

Factiones aurigantium, qui ludis Circensibus palmam quærebant, fuerunt quatuor: quæ a coloribus, viridis, cærulei, coccini, albique panni, quo donabantur, nomina acceperunt, Prasinæ, Venetæ, Russatæ, Albatæ. Domitianus duas aurati purpureique panni ad quatuor pristinas addidit, teste Suetonio. Harum factionum ad reprehensionem usque studiosi fuerunt principes nonnulli, ut Caligula Prasinæ, Vitellius Venetæ: tum agitatores ipsos

A habuerunt in precio, ut Caligula Incitatum, Nero Prasinum, Domitianus Passerinum & Tigrim, Nerva Scorpum: quorum victorias prædicatione extollit Martialis, ut M. Aurelii Dioclis, & C. Pompeii Eusceni, & Fusci, vetera epigrammata. Martialis tres factiones conjungit:

Si Veneto, Prasinove faves, qui coccina sumis,
Ne fias ista transfuga veste, vide.

De Prasina separatim Juvenalis Satyra XI.

Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.

B Justiniani temporibus ex Prasinæ & Venetæ factionum contentione est tanta Byzantii seditio exorta, ut quadraginta fere hominum millia sint trucidata: quod ex Zonara Monacho transcripsit Cuspinianus. Post illam cladem factionum nomina sunt abolita.

CAP. XIII.

De porticibus.

C INTER clara Urbis ædificia porticus fuerunt, quæ vel ædibus sacris, vel illustrium virorum domibus, vel publicis ædificiis annexæ, aut necessitatis, aut ornamenti voluptatisque gratia fuerunt. Vellejus in sua historia conqueritur, cum post bellum Punicum a Scipione confectum, in somnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in ocium esset conversa civitas, tum primum familias illustres inter se certasse ejusmodi ædificiorum pompa, donec publicam magnificentiam secuta privata luxuria sit. Juvenalis item in Satyris carpit Romanos, qui in extruendis porticibus & thermis ingentes sumptus facerent: sed in alendis doctis magistris, qui filiorum mores formarent, parcissimi essent.
D Porticus nomina acceperunt, aut a deorum templis, ut Concordiæ, Quirini, Herculis: aut ab auctoribus, ut Pompeja, Octavia, Livia, item Nasicæ, Metelli: aut ab ædificii qualitate, ut curva; miliaria, stadiata, porphyretica, Corinthia: aut ab hominum actionibus, ut Margaritaria apud Victorem, Argentaria apud Vitruvium: aut a picturis, ut Isidis, Europæ, Argonautarum: aut a locis adjunctis, ut porticus Amphitheatri, porticus Circi, porticus Septorum, porticus campi Martii. In porticibus interdum res seriæ agebantur, ut cum in iis haberetur senatus, cum jus diceretur, cum publica acta notarentur, cum legati gentium externarum
E exciperentur, cum sponsalia fierent. Interdum in iis lucri gratia consistebant, qui res preciosas, gemmas scilicet, tabulas, signa, toreumata, aulæa venderent. Plerunque animi causa, æstivis præsertim caloribus, ad captandam umbram ibidem inambulabant. Enumerabimus hic cum eas quæ nunc extant, tum quæ a scriptoribus sunt celebratæ.

Apollinis Palatini,

Ante celeberrimum illud templum ab Augusto post Actiacam victoriam conditum, in Palatino,
F Circum maximum versus, auro & columnis Numidicis, statuisque & picturis variis ornata, duorum poetarum testimonio. Propertii lib. II.

Quæris, cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi
Porticus, a magno Cæsare aperta fuit.
Tantam erat in speciem Pœnis digesta columnis,
Inter quas Danai fœmina turba senis.
Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso,
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circumsteterant armenta Myronis,
Quatuor artificis vivida signa boves.

Et Ovi-

Et Ovidii tertio Trist.

Inde timore pari gradibus sublimia celsis,
Ducor ad intonsi candida templa Dei.
Signa peregrinis ubi stant alterna columnis
Belides, & stricto barbarus ense pater.
Quæque viri docto veteres fecere, novique
Pectore, lecturis inspicienda patent.

Dicit poeta, *signa altera stetisse*, quia in una parte fuerunt filiarum Danai effigies, & e regione sub dio totidem equestres filiorum Ægypti: ut inquit vetus Persii interpres. Hujus nulla extant vestigia.

Jovis Ultoris,

Quæ postea ab æde, porticus Panthei: ab auctore, porticus Agrippæ dicta est. Reliquæ sunt ex ea columnæ ingentes XVIII. pilæ XII. ita distributæ, ut primus ordo habeat columnas octo, inter quas aditus ad templi ipsius fores: post quem deinceps alii ordines duo, in singulis columnæ quatuor, quæ inæqualibus primi ordinis, primæ scilicet & tertiæ respondent. Proximi ordines tres, pilas ternas habentes, longius inter se quam columnæ distant.

Quirini,

In ea Quirinalis parte, qua Viminalem attingit, ubi hodie S. Vitalis templum. Martialis lib. XI.

Vicinam pete porticum Quirini,
Turbam non habet otiosiorem
Pompejus, vel Agenoris puella,
Vel primæ dominus levis carinæ.

Silvani.

De hac antiquum Epigramma, quod Romæ legitur:

SILVANO SANCTO L. VALLIS SOLO PORTICVM EX VOTO FECIT. DEDICAVIT K. APRILIB. PISONE ET BOLANO COSS.

De templo autem Silvani sub Viminali, an de alio ædificio, cui fuerit porticus adjuncta, intelligatur, incertum est.

Herculis,

In aditu circi Flaminii, quam æde illa instaurata Martius Philippus Augusti vitricus fecit. Unde *Philippi porticus* dicitur a Martiale lib. V.

Vites censeo porticum Philippi,
Si te viderit Hercules, peristi.

Hanc Plinius lib. XXXV. bis commemorat, propter Apellis & Antiphili pictorum opera, & ædem Herculis cum hac porticu conjungit Victor.

Mercurii,

Inter circum Flaminium & Tiberim, semidiruta, ante templum S. Angeli in piscina. Hæc & *Severi* & *Antonini* dicitur, ab imperatoribus qui restituerunt, aut ornarunt. Sub ea nunc porticu pisces, & ferinæ carnes venduntur.

Neptuni,

Ante ejusdem ædem, juxta Septa, ubi comitia fiebant: qui locus eminentior, jam *Mons acceptorius* & *Citorius* dicitur.

A

Concordiæ,

Sub Capitolio forum versus, de qua octo adhuc columnæ altissimæ extant, brevi inter se spacio disjunctæ. Hanc pæne integram se vidisse scribit Poggius, & fuisse columnas ad calcis usum suo tempore disjectas: id quod non raro fit in urbe, in præclaris & maximis ædificiis antiquis.

Veneris Erycinæ,

B

Ante portam Collinam, ejus deæ templo conjuncta. Porticus mentionem facit Strabo, templi Appianus & Ovidius, ut ante dictum est.

Libertatis,

In Palatino, quam domo Ciceronis eversa, fecit Clodius, sed eadem paulo post sublata.

Scipionis Nasicæ,

Ab æde Saturni extensa ad Capitolinum, quam inter magnificas enumerat Vellejus.

C

Q. Metelli,

Idem: *Metellus*, inquit, *Macedonicus, porticus, quæ fuerunt circumdatæ duabus ædibus sine inscriptione positis, quæ nunc Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat*. Plinius de eadem lib. XXXIV. Fuit hæc ad finem circi Flaminii, ut ex Varronis & Vitruvii scriptis conjunctis colligi potest. Conspiciuntur hodie inter S. Nicolaum de Funariis, & S. Mariam de Sole, circum Flaminium versus, multæ marmoreæ columnæ: sed hujus, an alterius porticus sint, nondum liquet.

D

Cn. Octavii,

Duobus nominibus aliis appellata, a structura, *Corinthia*: a pictura, *Persei*. nam Cn. Octavius de Perseo Macedoniæ rege triumphum agens, ex manubiis porticum condidit, & res suas gestas in ea depingendas curavit. Unde merito amœnissima a Vellejo habetur: qui addit, eam in Circo fuisse. Verum, ne relinquatur in dubio, de quo loquatur, Plinius exprimit Flaminium. Extant vestigia inter ædem S. Nicolai de Chalcaria, & turrim Argentinam, columnæ semiobrutæ cum capitellis Corinthiis. Duplex columnarum ordo fuit, auctoribus Plinio & Victore. Ab Augusto, cum esset incendio deformata, in formam meliorem reducta est, quod ex Verrio tradit Pompejus.

E

Q. Catuli,

Quæ, eversa M. Flacci domo, qui Gracchanas partes contra Remp. foverat, extructa de Cimbricis manubiis. Eam diruit Clodius, ut in orationibus & Epistolis testatur Cicero.

Hortensii,

F

In Palatino ante ædes ipsius, brevis, & ex columnis Albanis, sine ullo marmore. Suetonius.

Balbi,

Ejus contigua theatro, circa illum locum, qui nunc Apothecarum obscurarum nomen habet.

Æmilii,

Inter portam Trigeminam & Navalia, Livius.

Faberii,

In Aventino, auctore Vitruvio. Corrupte apud Victorem *Fabraria*, pro *Faberia* legitur. Faberii scribæ multa apud Ciceronem mentio.

Numitii,

In foro Romano circa Rostra, & ædem Veneris Genitricis. In hac Antonius Lupercus, auream coronam Cæsari imposuit, ut est in secunda Philippica. Videndum, num Numicia eadem sit cum ea, quam *Miniciam* Vellejus nominat.

Philippi,

In regione circii Flaminii, ut Victor; de ea paulo ante, de porticu Herculis Musarum. Fuit picturis ornata, quia ad splendorem Urbis Augusto hortante facta est.

Pompeii,

Ad ejus theatrum, omnium sumptuosissima, primum columnarum varietate & multitudine: etenim ἑκατόνϛυλος, seu (ut quidam) *centenaria* dicta est: tum platanorum ex utraque parte nemoris modo ipsam ambientium diffusa umbra: postremo aquarum illuc deductarum amœnitate, quæ singula prædicat lib. II. Propertius:

Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis
Porticus aulæis nobilis Attalicis.
Et creber pariter platanis surgentibus ordo,
Flumina sopito quæque Marone cadunt.

De eadem sentire videtur Martialis lib. III.

Inde petit centum pendentia tecta columnis,
Illinc Pompeii dona nemusque duplex.

Æstatis tempore frequentes in ea ambulabant homines, ut primo & tertio libro de Arte Ovidius innuit. In eadem Pompeii imago populi voluntate erecta: Plutarchus in vita Bruti.

M. Agrippæ,

Ante ædem Panthei, de qua paulo ante. Horatius lib. I. Epist.

—— cum bene notum
Porticus Agrippæ, & via te conspexerit Appl.

Julii,

Prope arcum Fabianum in foro. Hujus porticus mentionem inveni apud Persii interpretem, & Victorem.

Augusti,

Plures: una in Campo, cujus solum lithostrotum, & latera myrto, lauro ac buxo circumdata, perpetuæ viriditatis: alia duplicata in ipsius foro, in qua statuæ virorum illustrium triumphali habitu collocatæ erant.

Liviæ uxoris Augusti,

Ad viam Sacram, ubi nunc ruinæ templi Pacis cernuntur, artificum tabulis ornata, & opaca fœcundissimaque vite inumbrata. de hac lib. XIV. Plinius, de illis Ovidius:

Nec tibi vitetur, quæ priscis sparsa tabellis
Porticus, auctoris Livia nomen habens.

Hanc inter præclara Urbis ornamenta recenset Strabo.

Octaviæ, sororis Augusti.

De eadem Ovidius I. de Arte:

Aut ubi muneribus nati sua munera mater
Addidit, externo marmore dives opus.

Per *munera nati*, Marcelli theatrum intelligitur, cui fuit Octaviæ porticus contigua; unde eandem *porticum Marcelli* nominat Florus. Vestigia ejus inter S. Nicolaum in carcere, & S. Mariam in porticu, ubi locus ex ruinis eminentior. Quin ipse vidi ibidem effodi lapides Tiburtinos, & marmorea ingentium columnarum fragmenta.

Claudii,

Ultra viam Sacram, theatrum versus. Merula hanc & Liviam eandem esse auguratur. Martialis a Tito & Domitiano fratribus significat Claudiam restitutam. nam postquam de amphitheatro Titi, & thermis ejusdem locutus est, addit:

Claudia diffusas ubi porticus excipit umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat.

ad eam porticum quondam terminabatur domus aurea Neronis.

Neronis,

Intra ipsius domum æneo colosso addita, triplex fuit, & singuli ordines M. pass. complexi sunt, ut ex Suetonii verbis licet intelligere. Alii *milliariam* a spacio vocant.

Nervæ,

In ipsius foro cum columnis excelsis, partim rotundis, partim quadratis, quarum adhuc aliquæ relictæ sunt, olim laminis ex orichalco tecta.

Trajani,

Ejusdem foro adjecta, cui columnarum altitudine nulla ullius ætatis in urbe par fuit.

Antonini Pii,

Juxta ædem S. Stephani de Truglio, de qua undecim marmoreæ columnæ striatæ, magnæ & pulchræ extant. In ea nunc ædificata domus, in qua pueri orphani nutriuntur.

Faustinæ, uxoris Antonini,

Forum Romanum, & Palatinum montem prospiciens. extructum in ea templum S. Laurentii in Miranda: ex ea decem columnæ reliquæ, forum versus sex, utroque ex latere binæ. In epistyliis extat inscriptio.

Gordiani,

In Campo Martio sub colle, longa ped. M. in cujus lateribus viridaria ex lauro, myrto, & buxo fuerunt, ut est apud Capitolinum.

Gallieni,

In eodem campo usque ad pontem Mulvium extensa, dicta πεντάστιχος, propter quinque ordines, quorum primus ex pilis, reliqui quatuor ex columnis fuerunt. Dicta etiam *Flaminia*, propter viæ vicinitatem.

Constantini,

De hac nihil aliud, quam quod in Capitolio fuerit, legimus. Referuntur præter has & aliæ, ut Minitii a Vellejo, Neronis per totam urbem a Suetonio, Vipsanii a Tacito, Reguli a Plinio juniore, Asidata a Victore, Stadiata a Vitruvio, centum columnarum a Martiale: quarum quia locus incognitus est, nomina saltem ex auctoribus nota esse voluimus. Pergamus porro ad alias quasdam, dignas commemoratione, & olim non incelebres.

Porticus Capitolii.

Hæ fuerunt in latere clivi Capitolini, per quem ex Velabro ascensus in Capitolium fuit. consumptæ sunt incendio factionis Vitellianæ. auctor Tacitus.

Amphitheatri,

Triplex fuit: in exteriore parte aditus nunc cernuntur XXXIII. in media XXXVI. in intima LXXII. Sed tota illa mole consumpta, atque maxima ex parte collapsa, de universa structura judicare nemo nisi artifex potest.

Circi maximi.

Et hæc triplex fuit, sed ita, ut ex triplici structura una circularis fieret: binæ exteriores ambulationibus patuerunt liberæ, altera officinis & tabernis opificum & institorum occupata fuit. Circi ingentia rudera sunt, porticus nullæ extant reliquiæ.

Septorum,

De qua Cicero ad Atticum lib. IV. & Plinius lib. XVI. a M. Agrippa circum Septa constructa fuit.

Campi Martii.

Hæ circum circa Campum ambierunt, ut Strabo testatur. Ex eis una fortasse fuit, quæ sequitur.

Europæ,

Adjuncta Campo, non procul a ductu aquæ Virginis, canente Martiale:

Sed curris vitreas tantum prope Virginis undas,
Aut ubi Sidonio taurus amore calet.

Umbrosa fuit buxeto.
Idem:

An delicatæ sole rursus Europæ
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet?

Unde idem ad hominem loca publica cœnæ caussa frequentantem, jocose scribit, lib. II.

Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit,
Si quis ibi serum carpat amicus iter.
Per te, perque tuam, vector lascive, puellam
Ad cœnam, Selium tu, rogo, Taure, voca.

Idem Agenoris puellæ hanc porticum nominat, lib. IX.

Argonautarum,

A pictura sic dicta, a Campo ad Septa extensa, Martialis lib. II.

Si nihil Europe fecit, tum Septa petantur,
Si quid Phillyrides præstet, & Æsonides.

Post Quirini, Pompeii, & Europæ, tanquam præcipuam hanc extollit idem poeta, quos versus de Quirini porticu supra retulimus. De eadem lib. III.

Hinc si recessit, porticum terit templi,
Aut spacia carpit lentus Argonautarum.

Isidis,

In hortis Commodianis, a forma dicta *Curva*: a pictura, *Isidis*. Nam Commodus Imp. cum Pescennio Nigro, qui postea ad imperium aspiravit, in ea depictus fuit, quasi præses sacrorum Isidis. Non solum autem pictura, sed & musivo opere insignis fuit, ut ait Spartianus.

Miliarensis,

In hortis Sallustianis, exornata ab Aureliano, qui secessu illorum hortorum delectabatur, ut est apud Vopiscum. Egnatius vult *Milliarium* dici, a mille passuum longitudine, quod nomen & Neronis porticus habuit inter Palatinum & Esquilinum, de qua paulo ante.

Porphyretica.

Et hæc memoratur a Vopisco. In ea actorum publicorum scribæ versati sunt. Videtur juxta Concordiæ ædem fuisse, in qua sæpissime Senatus habebatur. nam prope ædem triplicis porticus fundamenta superioribus annis effossa constat.

CAP. XIV.

De Arcubus triumphalibus, & tropæis.

ARCUS olim honoris virtutisque caussa erecti sunt iis, qui externis gentibus domitis, singulares victorias patriæ pepererant. Ii primum rudes & simplices fuerunt, cum præmia virtutis essent, non ambitionis lenocinia: seculo insolentiore monumenta victoriarum & triumphorum pompa in iis incisa. Erant aut latericii, ut Romuli: aut ex rudi lapide quadrato, ut Camilli: aut ex marmore, ut Cæsaris, in foro: Drusi cum tropæis, in via Appia: Trajani, in ejusdem foro: Gordiani, in Viminali: Gratiani, item Theodosii, non longe a via Triumphali: deinde etiam reliqui, quos jam nominabimus. de iis enim tantum, de quibus adhuc restat aliquid, more instituto loquemur. Arcuum forma primum erat semicircularis, unde & nomen *fornicis* accepit: *fornix* enim *Fabianus* a Cicerone dicitur, qui a Victore *arcus Fabianus* nominatur. Postea quadrata, ita ut in medio ampla esset porta fornicata, & ex ejus utroque latere aliæ portæ minores additæ. Intra mediæ portæ fornicem Victoriæ alatæ pependerunt, quæ demissæ victori transeunti coronam imponerent. In superiore arcus parte spacia sunt, in quibus aliquot homines, vel qui tubis canerent, vel qui insignia tropæa ostentarent, stetisse existimantur. Hæc magnificentia Augusti temporibus, vel paulo ante cœpit. nam de Cæsaris arcu, Servius: de Drusi, Suetonius: de Germanici & Neronis, Tacitus. Novitium hoc inventum ait Plinius, non quod arcus ante Cæsa-

rum tempora non fuerint, sed quod tali ornatu non fuerint. Antiquissimi, de quibus extat aliquid, sunt tres: novitii autem Plinio, nobis veteres, quinque.

A

Arcus Romuli,

Vestigia inter S. Mariam de gratia, & S. Mariam de inferno. Bini fuerunt, quos, etsi latericii erant, tamen in marmoreos Romani non mutarunt, ne conditoris sui memoria, & priscæ frugalitatis monumentum interiret. Hos sua tempestate primum collapsos, affirmat Blondus.

B

Camilli,

A via lata eunti versus S. Mariam in Minerva, ex lapide quadrato, rudi, & nullorum ornamentorum, inclusus parti ædificiorum.

Fabii,

In via Sacra, cujus fundamenta, cum in Urbe essemus, effodi dicebantur, prope S. Laurentium in Miranda. In eo scuta & signa Victoriæ fuerunt sculpta.

C

Arcus Titi,

Marmoreus, inter forum Romanum, & amphitheatrum, adjunctus templo S. Mariæ novæ. In eo ab una parte sculptus de Judæis triumphus. Imperator in curru sedens, ab alata Victoria coronatur. currui præfertur arca fœderis, præcedentibus duodecim fascibus consularibus. Ab altera parte candelabrum aureum cum septem lucernis, tabulæ Mosaicæ, mensa aurea, & varia templi Hierosolymitani vasa. In medio arcus fornice, Titus sedens aquilam alis expansis utraque manu sub genibus tenet. In frontibus, Judæi vinctis post tergum manibus captivi aguntur. Hujus splendidissimi arcus, & amplissimi triumphi, libro VII. belli Judaici meminit Josephus.

D

Domitiani, Titi fratris,

In via Flaminia, inter S. Silvestrum, & S. Laurentium in Lucina: quatuor columellas habet in prima fronte. In eo urbis imago, & Victoriæ: & Domitianus nudus sedens, corpore procero, & dormienti similis, a Minerva fovetur. Martialis lib. VIII.

E

Stat sacer, & domitis gentibus arcus ovans.
Hic gemini currus numerant elephanta frequenter,
Sufficit immensis aureus ipse jugis.

Extruxit plures per omnes Urbis regiones, ut scribit Suetonius, & insignem in via Appia, de quo Statius in Silvis.

Septimii,

Ad radices Capitolii, propemodum e regione arcus Titi. Visuntur in eo navales & terrestres pugnæ, cum machinis bellicis, variisque armorum generibus. Ex utraque parte victoriæ, & milites tropæa gestantes. Ad ejus superius spacium per gradus quinquaginta ascendimus.

F

Gallieni,

In Cœlio monte, conjunctus templo S. Viti, nullis ornamentis, ex lapide Tiburtino.

Constantini,

In Palatini radicibus, ad caput viæ Appiæ, multi ornatus & artificii. res ejus gestæ in eo expressæ, & in primis bellum contra Maxentium: cui etiam jacenti, admisso equo insultans, minitatur. Fuerunt superne circumquaque impositæ statuæ, partim mutilatæ, partim collapsæ. And. Fulvius libro 2. quem carmine scripsit, plures recenset arcus, quorum ne vestigia quidem relicta sunt.

Tropæa Marii,

Inter templa S. Eusebii, & S. Juliani, in Esquilino, Moles latericia, in qua bina tropæa ex marmore. Sunt autem trunca corpora cum spoliis, quorum alterum thorace squamoso indutum, cum ornamentis militaribus & clypeis, ante se habens juvenem captivum, brachiis ad tergum revinctis, & undique alatas victorias. Alterum armis militaribus ornatum, inter quæ clypei inæqualiter rotundi, galea aperta cum cono & cristis, & altera sine cristis clausa. In eodem inest forma chlamydis, & alia quædam, quæ marmore detrito & corrupto cognosci satis non possunt. Locus ille hodie *Cimbricum* vocatur, quia de Cimbris a C. Mario tropæa illa sunt erecta.

CAP. XV.

De Tiberi, & fluviis urbis: & de ornamentis fontium, ac naumachiis.

TIBERIS in Hetruria ex monte Apennino, paulo supra Arnum oritur, augustiore nomine *Tiberinus*, a poetis *Tibris*, in sacris *Serra*, antiquissima appellatione *Rumon*, aliquando *Albula* dictus. Virg. VIII. Æn.

—— *amisit verum vetus Albula nomen.*

In quadam urbis parte *Terentum*, ut ex Ovid. in Fastis, & Val. Maximo, ubi de Valesio quodam Sabino scribit, aperte colligitur. Tiberis autem inter septentrionem & occasum in urbem influit, & meridiem versus apud Ostiam oppidum, in mare Tyrrhenum ostio amplo, & proxime deducta fossa, quæ ibidem efficit insulam, infertur. Naturali suo colore, albus: vulgari amnium, cæruleus est: propter terram quam radit, flavus, & leni pluvia turbidus. Apud Virgilium *pulchrum flumen* nominatur, & *regnator aquarum*, & *cœlo gratissimus amnis*. Aqua Tiberina in urbe venditur, & in fictilibus urceis, aut vasis lapideis continetur, fitque in eis limpidissima, potu amabilis, & absque corruptione longo tempore pura. Nec minus aquarum esse huic amni, quam Nilo, Plinius tradit: profunditate tanta, ut magnarum etiam navium sit capax: latitudine quatuor ferme jugerum Dionysii temporibus, quem puto de ostio ejus loqui. Ut ab Augustino inter miracula recte sit relatum, eum glacie aliquando stetisse. Primum cursum habuit inter Palatinum & Capitolinum, per Velabrum stagnans, & fori partem. unde Ovidius:

Hic ubi nunc fora sunt, lintres errare videres.

Sed eum repressit Priscus rex, & post eo quo nunc currit alveo laxavit Augustus. quo respexit ad Pisones Horatius:

—— *amnis*
Doctus iter melius. ——

Aurelianus Aug. ad Flavium Arabianum scribit, se Tiberinas extruxisse ripas, & vadum alvei tumentis effodisse. De Tiberis auctu extat libellus Ludo-

vici Gometii: & in arce Romana, item ad Templa S. Mariæ de populo, & S. Mariæ supra Minervam, & ad S. Eustachium, aliisque in locis sunt indicia marmoribus incisa, ad quantam altitudinem aliquoties creverit. Interdum adverso cursu influentes amnes impellit, & alienis aquis nocet cum urbi, tum villis & agris. Illud Augusti tempore factum ait Horatius: hoc Trajani, junior Plinius. Auctus ejus religiosus, quia futurum malum aut cladem urbi portendere creditur. Nostra memoria, Clementis VII. Hetrusci anno septimo, VIII. Id. Octobris, sereno cœlo, inopinato Tiberis incremento, tota Roma navigabilis facta est, ruptis videlicet Velini lacus aggeribus. De amnibus in Tiberim influentibus, Plinius lib.3. & Cornel. Tacitus lib.1. Annalium, satis multa commemorant.

Rivus Appiæ.

Frontinus, *Rivus Appiæ*, inquit, *sub Cœlio monte & Aventino auctus emergit, infra clivum Publicii Alsi, & inde eductus est in Naumachiam.* Hodie per portam Gabiusam (ut & ante dixi) ingreditur fluvius, qui fertur per vallem inter Cœlium & Cœliolum: inde per viam Appiam in radicibus Aventini, sub eo clivo, quo ad S. Sabinam ascensus est, influit in Tiberim. A Mariano oppido, *aqua Mariana* dicitur. Marlianus rivum Herculanum esse arbitratur.

Almo,

Extra Capenam, in quo religionis caussa quotannis sexto Calendas Aprilis simulachrum & carpentum & leones Cybeles, & cultri Phrygii a sacerdotibus abluebantur: cujus mentio apud Ovidium, Lucanum, Silium, Statium, Claudianum, Val. Flaccum, Martialem. nam Cosmographi de eo fluvio, quod sciam, nihil. Non procul autem ab urbe cum Tiberi miscetur, & *cursu brevissimus* esse dicitur ab Ovidio.

De aquis religiosis in Urbe.

Fuerunt & religiosæ aquæ, ut nihil unquam in Urbe superstitione caruit. Mercurii, extra eandem Capenam: in qua qui lavabant, se a perjurio liberari credebant. modum lavandi aliquot describit versibus Ovid. lib.v. Fast. Petronia, quam magistratus auspicato transierunt, cum in Campo agere quid vellent, ut auctor est Verrius Flaccus. Juturnæ aqua in foro, quam valetudinis caussa multi bibebant, & præ cæteris adhibebant ad sacrificia, ut olim Trœzenii Hippocrenen fontem, Athenienses Callirhoen. Fontem autem Juturnæ in foro fuisse, lib. I. Fast. ostendit Ovidius, eumque secutus Victor in octava regione. Versus Ovidii sunt:

Fratribus illa Deis, fratres de gente Deorum,
Juxta Juturnæ composuere lacus.

Templum vero fuisse in Campo, prope aquam Virginem, aperte idem indicat:

Te quoque lux eadem, Turni soror, æde recepit,
Hic ubi Virginea campus obitur aqua.

Facile igitur tolli controversia potest, quæ inter scriptores recentiores est, si verba poetæ attente considerentur.

De ornamentis fontium atque aquarum.

Quia de aquis sermo est, de ornamentis fontium dicam aliquid, quorum non pauca ex antiquitate relicta sunt monumenta. Fontibus igitur varia apposuerunt simulachra antiqui, vel propter religionem, vel propter ornatum. Religionis caussa Apuli & Siculi Herculem, quia aquas extincta Hydra purgavit: unde & thermæ Himeræ urbis in Sicilia, item Oetæ montis & Pylarum in Thessalia, in tutela Herculis fuerunt: quod Pindari & Sophoclis interpretes scribunt. & sunt qui omnes thermas ei esse sacratas velint. Herculeæ thermæ Allifis & Mediolani in primis nobiles, a quibus etiam vicus Mediolanensis nomen traxit. M. Agrippa Romæ non Herculem, sed Hydram ipsam ad lacum Servilium posuit, quod memoriæ prodidit Sex. Pompejus. Ornamenti autem gratia, fontibus apposita fuerunt diversa simulachra, quorum & publicis in locis, & in nobilium ædibus adhuc plurima cernuntur. Usitatissimum fuit, deos fluminum apponere, qui formantur jacere semierecti, urnisque brachio suppositis amnes tanquam e fonte emittere, velati plerunque serto harundineo, & tecti carbaso, quæ est vestis fluxa & ampla, umbilico tenus, superiore corporis parte nudi. Talis cernitur Tiberis, in domo Cæsia: talis Arnus, in hortis pontificiis: & duo colossi marmorei in area Capitolina, Nili & Tigris, vel (ut quibusdam placet) Naris & Anienis, vel (ut aliis) Acheloi & Istri. Alter cubito innititur Sphingi monstro, alter tygri animali: barba alter prolixa, alter modice resecta. Talis est colossus Rheni, prope forum Romanum jacens, quem alii Niphatis fluvii esse putant: Blondus falso vocabulo *Jovem pictorem*, vulgus novo *Marforium* nominat. Talis in scuto Turni apud Virgilium, lib.VII.

Amnem cælata fundens pater Inachus urna.

In domo Chiliorum, extra portam Septimiam, ante Deum aquarum, eo quo diximus modo cubantem, nuda mulier stans, dextramque mamillam manu comprimens, aquam in subjectum labrum immittit. Ad ortum Virginis in agro Lucullano, puellæ imago ad fontem stetit, ut Frontinus testatur: in Umbria, Clitumnus prætexatus juxta fontem suum, ut junior Plinius: in Surrentino Pollii, ante balneum, ipse Neptunus, ut Statius. In domo Cæsia, de qua jam diximus, Silvanus barbatus e saxo paulatim stillante, quasi ex utre aquam exprimit. Reperiuntur frequenter Nymphæ dormientes, quæ amphoris & crateribus (ea fuerunt Hydriadum insignia) innituntur: quorum symbolorum in Odyssea mentio apud Homerum, & latius exequitur interpres ejus Porphyrius. Antiqui operis pulcherrimum monumentum Romæ, in capite viæ latæ, in domo privata vidi: erat autem Nais sinu aperto, supina jacens, & ventre ad pubem nudo, capite incubans amphoræ. Recentis operis in agro Neapolitano, in villa Leucopetrea, Arethusa nuda adjacet fonti, in nympheo conchyliato. Legitur de simili Nympha epigramma in hortulo Colotii:

Hujus Nympha loci, sacri custodia fontis,
Dormio, dum blandæ sentio murmur aquæ.
Parce meum, quisquis tangis cava marmora, somnum
Rumpere: sive bibas, sive lavere, tace.

Et alibi in fontis margine hæc antiqua inscriptio:

NYMPHAE LOCI
BIBE LAVA TACE.

Erant & alia simulachra. interdum enim totus aliquis fons absorbebatur, quem Deus marinus ore excipiebat, ut ex illo Propertii discitur, lib.II.

Et leviter lymphis tota crepitantibus urbe,
Cum subito Triton ore recondit aquam.

Nonnunquam rursus evomebatur, vel per Nilum & Euripum (ita majores minoresve canales appellabant) vel per conchas, certave vasorum genera. De Silano Lucretius libro ultimo:

Corpora Silanos ad aquarum strata jacebant.

De cantharo vetus lapis, extra portam Ostiensem repertus in vinetis, cum hoc disticho:

Perdiderat laticum longæva injuria cursus,
Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit.

Sed ne prolixior sim, dicam de Naumachiis, quas Romani, postquam cognoverunt externas gentes navali certamine plurimum posse, primo bello Punico instituerunt, ut auctor est Servius. In his navalium pugnarum, ut pedestrium in campo, circo, aut theatro, edebantur spectacula. Unde Martialis:

Quicquid & in Circo spectatur & Amphitheatro,
Dives Cæsarea præstitit unda tibi.

Res tota sublata est, locorum notatio ad cognoscendas valles pertinet. Fuerunt naumachiæ quatuor. *Circi maximi*, quæ & *vetus* a Suetonio nominatur: ea occupavit vallem inter Palatinum & Aventinum, de qua II. Fast. Ovidius. *Cæsaris Augusti*, in valle Martia: de ea libro primo de Arte. item *Caii & Neronis*, inter Janiculum & Vaticanum, de qua Corn. Tacitus. *Domitiani* eo in loco, quo Augusti fuit, sed ab eo perpurgata, & effosso circumductoque ex Tiberi lacu ampliata: de hac apud Suetonium & Martialem. Hæ valles nostro jam tempore privatorum hortis, possessionibus, ædificiisve magna ex parte occupantur.

CAP. XVI.

De pontibus Tiberinis.

IN urbe fuerunt curatores alvei & riparum Tiberis, qui non solum fluvium coercebant, & ut essent sine sordibus ac impedimento, curabant: verum etiam terminos statuebant, quo usque habitare in ripa, vel ædificare liceret. Ei muneri aut singuli præerant, ut sub Trajano, T. Julius Ferox: sub Hadriano, A. Messius Rusticus: quorum termini adhuc extant, & titulos descripsit Marlianus. Aut præerant plures, ut sub Vespasiano, C. Calpetanus, Rantius Quirinalis, Valerius Cestus: cujus termini titulus refertur in antiquæ Urbis epigrammatis. & nos ipsi talem invenimus Romæ:

C. VIBIVS C. F. RVFVS,
SEX. SOTIDIVS SEX. F. STRABO
LIBVSCID.
C. CALPETANVS CESTA-
CIVS RVFVS.
M. CLAVDIVS M. F. MARCELLVS
L. VISELLIVS C. F. VARRO
CVRATOR. RIPARVM ET ALVEI TI-
BERIS EX S. C. TERMIN.

Ex qua inscriptione etiam docemur, Curatores alvei & riparum Tiberis, non esse primum ab Augusto institutos, ut Suetonius scribit: hic enim ex S. C. legitur terminus positus. In aliis tamen omnibus, quas commemoravi, in initio legitur, EX AVCTORITATE IMP. Pontes Tiberis primum curarunt pontifices, qui Sublicium augurato condiderunt, a quo ponte nomen illis inditum est. deinde censores, item Viarum curatores, ut pontis Fabricii titulus probat: postremo idem munus susceperunt nominis & honoris sui causa Imperatores. Antoninus enim Pius Janiculensem marmoreum fecit, Gordianus Cestium restituit, Hadrianus novum de suo nomine extruxit.

Mulvius,

Vel (ut in antiquis Sallustii libris) *Molvius*: non enim *Milvius* (ut nunc vulgo appellatur) dicendum est, quod & Basilius Zanchus confirmat. Ab Æmilio Scauro censore factus, ab Augusto refectus, ad secundum ab Urbe lapidem, in via Flaminia. Claudianus de Honorii in Urbem introitu, cum esset sextum consulatum adeptus:

Omne, Palatino qua pons a colle recedit
Mulvius, & quantum licuit consurgere tectis,
Una replet turbæ facies.

Fornices habet magnos quatuor, binos mediocres, totidem parvos.

Ælius,

Ab Ælio Hadriano, prope sepulchri sui molem factus: nunc *pons Castelli*, vel *Pons S. Angeli*. Fornices quatuor. In eo ponte equites aurati creari hodie solent.

Janiculensis,

Qui & *Aurelius*, & aliquando *Pons ruptus*. nunc *Pons Sixti*: restitutus enim est a Sixto Quarto. Post hunc pontem se flumen dividit, & insulam circumfluit.

Tarpejus,

Qui olim *Fabricius*, nunc *quatuor capitum*, e regione theatri Marcelli, insulam in flumine surgentem, quæ biremis formam refert, & *Lycaonia* dicitur, Urbi conjungit. Fornices duos ingentes habet. Horatius II. Serm.

Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.

Hunc Paulus Tertius corruptum refecit, & restituit.

Esquilinus,

Quondam *Cestius*, nunc *S. Bartholomæi*, eandem insulam regioni Transtiberinæ jungit. Forma arcus triumphalis factus, fornice in medio ingenti, & ab utraque parte parvulo.

Palatinus,

Aliquando *pons Senatorum*, nunc *S. Mariæ Ægyptiacæ*. quia aquam ex insula duabus partibus cum impetu defluentem accipit, reliquis major est: fornices habet sex, pilas quinque.

Leguntur & alii duo, qui hodie non sunt: sed eorum in flumine vestigia apparent:

Triumphalis,

Inter Ælium & Aurelium, alio nomine *Vaticanus*, qui in campum & montem Vaticanum duceret. Hujus pilæ quatuor in Tiberi e regione hospitalis S. Spir. ex aqua eminent.

Sublicius.

Qui & *pons Herculis*, & *pons Sacer*, & *Æmilius* a Lampridio, & ab Antonino *pons Lepidi* dictus, pedes circiter sexcentos a Palatino abest. Fundamenta parum supra Navalia in fluminis alveo apparent. Ex solido marmore fuit: unde aliquando *pons Marmoratus* dictus est. Omnium primus & antiquissimus, hodie vero nullus. Ex hoc ponte

Horatius Hetruscorum sustinens exercitum, cum Lartio & Herminio pugnavit: sed illis salvis, se in fluvium solus dedit. quam historiam in Turno suo, Italorum duce, effinxit Virgilius.

CAP. XVII.

De aquæductibus, quorum vestigia nunc sciuntur extare.

URBI Romæ nullum ex ædificiis opus, aut ad necessitatem melius, aut utilius ad salubritatem fuit, quam tot tantique aquarum ductus, qui quasi amnes perpetui (ut Strabo inquit) eam mundarunt. Aquæ usibus publicis privatisque servientes, nomen vel a fontibus lacubusque acceperunt; ut Anio vetus, Anio novus, Sabatina, Alsietina, Cimina, Cœrulea, quæ & Claudia; vel a deductoribus, ut Martia, Claudia, Appia, Julia, Alexandrina, Antoniniana: vel casu illud invenerunt, ut Virgo & Tepula. Spartianus ait, Hadrianum propter gloriæ cupiditatem multos aquæductus de suo nomine appellasse, nullius tamen nomen exprimit. Sæpe autem diversæ existimantur aquæ, quæ una est. Vel propter instauratores, ut Martia dicta est Aufeja, item Trajana; Alsietina, Augusta; Alexandrina, Neroniana: Sabatina, Aureliana. Vel propter fontes, ut Claudia modo Cœrulea, modo Curtia appellatur: Anio novus, aqua Herculana, a rivo Herculano. Aquas tuebantur censores, item ædiles, interdum consules. Inter principes præcipua aquarum cura fuit Augusto, ejusque socero Agrippæ, præterea Nervæ, Trajano, Hadriano, Vespasianis, & (ut Cassiodorus tradit) Theodorico regi Gothorum. Erant varii earum custodes, & magistratus. Duumviri aquæ ducendæ, & curatores aquarum, leguntur in Allifanis & Formianis inscriptionibus. Agrippa, qui Urbem aquis, ut est apud Suetonium, auxerat, primus omnium consularis operum suorum, & munerum perpetuus curator fuit. Consularis autem aquarum legitur etiam in formula Hadriani, in qua dignitatum omnium tam civilium, quam militarium nomina sunt descripta. Procuratorem aquarum curatoribus addidit Claudius. De Mostro Augusti liberto, a commentaris aquarum, & de Clemente servo Castellario, loquuntur inscriptiones Romanæ: & de familia huic muneri destinata, scribit Frontinus, qui de aquæductibus Romanis libros duos edidit. Procopius tradit, ductus aquarum Romæ quatuordecim fuisse: quorum fundamenta ex lateribus facta, impositis supra saxeis canalibus, arcuum modo factis, tanta latitudine, ut eques sine ullo casus periculo superne per eos posset evadere. Hæc cum satis videantur cum de appellatione aquarum, tum de curatione & numero dicta, rem nostro instituto propiorem aggrediamur.

Virgo,

Restituta a Nicolao Quinto, opere arcuato quadrati lapidis, per campum Martium nunc fluit, ex agro Tusculano, qui a Lucullo olim possidebatur, deducta per Agrippam, via Collatina, ut Frontinus: & in Prænestinam incidens, ut auctor est Plinius. Ovid. lib. III. Fast. ait, eos qui in Campo exercerentur, ea sudorem & pulverem abluisse:

Nunc ubi perfusa est oleo labente juventus,
Defessos artus Virgine tingit aqua.

Et Statius Anienem ad eundem usum cum hac conjungit,

A *Quas præceps Anien, atque exceptura natatus*
Virgo juvat.

Plinius lib. XXXI. *Quantum*, inquit, *Virgo tactu, tantum præstat Martia haustu*: hanc videlicet bibenti salubrem, illam natanti & lavanti commodam significans. Virgo cæteris frigidior fuit, quod Ovid. scripsit III. de Arte: & eandem, poetice *liquorem Virgineum* appellat de Ponto, & *aquam Virgineam* in Fastis.

Sabatina,

B Reducta ab Innocentio octavo, a Sabate lacu, via Aurelia. Hujus primum deductorem non ponunt, qui de urbe scripserunt. Ejus duo nunc sunt fontes in Vaticano: alius intra palatium Pontificis cum cochlea, ex qua superne ab omni parte despicere in fontem licet: alter in ipso campo. Prudentius poeta baptisterium describit in Vaticano, cui hanc serviisse aquam verisimile est. Recentiores modo *Aurelianam*, a via: modo *Septimianam*, a porta nominant.

Alsietina,

C Restituta ab Hadriano primo, ex lacu Alsietino, via Claudia, deducta ab Augusto. Hujus ductus reliquiæ in naumachia Augusti sub Hortulorum colle cernuntur, sed aqua mox conditur, & in regione Transtiberina prope S. Mariæ templum, publico fonte emissa, vulgi usibus & quibusdam hortis servit.

Martia,

Ex fonte Piconia montium Pelignorum, per Marsos ducens, via Valeria, ad septem milliaria nostratia: inchoata ab Anco Martio, perfecta a Publio ac
D Quinto Marciis, ut in Coriolano scribit Plutarchus: qui eundem ductum maximum pulcherrimumque vocat. & inter miracula refert Plinius lib. XXXVI. idque confirmat Statius I. Silvarum:

—— Marsasque nives & frigora ducens
Martia, præcelsis quarum vaga molibus unda
Crescit, & innumero pendens transmittitur arcu.

Eadem aqua per Fucinum amnem transiit plumbeis fistulis, ut idem canit:

E *Terque per obliquum penitus qui laberis amnam*
Martia, & audaci transcurris flumina plumbo.

Hoc si vere scribitur a Statio, id quod ars & opera hominum effecit, naturæ attribuit Plinius, qui ait, quod ita in Fucino lacu Martia invehatur, ut in Lario Abdua, in Verbano Ticinus. Nisi aliud sit lacus Fucinus Plinio, & amnis Fucinus Statio.

Tacitus & Martialis propter frigus Martiam natationi: Tibullus, Plinius, Frontinus, propter salubritatem potui esse aptam, scribunt. Propertius lib. III.

Non operosa rigat Martius antra liquor.

F Et,

—— æternum Martius humor opus.

Aqua ista hodie non influit in urbem: ruinæ ductus intra & extra portam Esquilinam ingentes cernuntur.

Claudia,

Ex duobus fontibus, Cæruleo & Curtio, qui & Albudinus. Hanc aquam cæsis Mauritanis Misula-

mis Claudius deduxit via Sublacensi, ex Simbrivinis collibus, ut Tacitus inquit XI. Annali. Fuit autem Simbrivium flumen in Equicolis, finibus Tiburtum. Silius VIII.

Quique Anienis habent ripas, gelidoque rigantur Simbrivio.

& Tacitus lib. XIV. *Apud Simbrivina stagna, cui Sublaqueum nomen est.* licet omnes Taciti codices his in locis sint depravati. Claudiam aquam propter salubritatem Vitellius in deliciis habuit, & Alexander Severus jejunus bibit ad unum prope sextarium. In urbe in duas dividebatur partes. unus enim ductus ex Cælio in Capitolium, alter in Aventinum tendebat. Ruinas ejus in Aventino prope S. Priscam, & prope portam Næviam in muro vidimus, canales scilicet saxeos tres, alterum alteri impositum, tantæ amplitudinis, ut unus a me perreptari posset. In Cælio monte intra monasterium S. Joannis & Pauli, fons restare dicitur, qui perenni aqua abundat: neque procul inde Castellum aquæ est quadratum, & magna ex parte integrum, forma diversum ab iis duobus, de quibus mox in thermis dicemus. Hoc solum castellum non vidi. quo excepto, nullus locus est in urbe, de quo Marlianus scribit, & ad quem accessus patet, quem non inspexerim.

Julia,

A Julio quodam inventa, ab Agrippa ex variis venis in agro Tusculano collecta & deducta via Latina, restituta ab Aureliano: ductus in Esquilino rudera apparent, inter portam & Marii tropæa.

Hactenus de aquis, quæ aut in Urbem hodie ex vetustis introeunt, ut tres priores: aut quarum aliqua vestigia cernuntur, ut reliquarum. Locum de aquis in postrema suorum librorum editione ex Frontino diligentissime tractavit Marlianus, optime de nomine Romano meritus.

CAP. XVIII.

De balneis & nymphæis.

BALNEÆ in Urbe plurimæ fuerunt, cum privatæ in locis diversis, tum publicæ in singulis regionibus. Si quibus autem locis deessent, aut corruptæ essent, eas antiquitus ædiles, suis temporibus vel addiderunt vel restituerunt Severus & Gordianus Impp. in primis populares, & lavationum studiosi. Cum enim apud Romanos esset lini usus rarior, sudorem sordesque corporis sæpius abluere necesse habebant. Usitato more ante cœnam balneis utebantur, item post ambulationes, exercitationes, operas, sæpe necessitatis, ut dixi, caussa, non raro voluptatis. siquidem Commodum octies, Gordianum juniorem & Rhemnium grammaticum septies die lavisse legimus. Balneas mixtas haberi Severus prohibuit, quod Commodus non vetuerat, Varius permiserat. Tristibus reip. temporibus balneæ clausæ tenebantur. Sola & parietes balnearum unguentis illinebantur. idque non modo potentiores factitarunt, sed in privato quoque homine, ac demum in servo Plin. notavit: & Seneca aquam argenteis epistomiis fundi in plebeiis fistulis, & in libertinorum balneis gemmas calcari indignatur. Valerius & Macrobius Sergium Oratam, hominem voluptuarium, etiam pensiles instituisse balneas commemorant.

Balneæ Palatinæ,

A loco sic dictæ: nam in dorso Palatini fuerunt. quarum vestigia cum parietinis & fornicibus collapsis in hunc usque diem videntur. Pavimentum ex durissimis lapillis quadratis, nigri coloris, tessellarum more compositis.

Neronis,

Intra ipsius domum, marinis & albulis fluentes aquis, ut inquit Suetonius.

Agrippinæ,

A matre Neronis, in colle Viminali, qua respicit ædem S. Agathæ, Quirinalem versus. Ex iis labri marmorei ingentis fragmentum vidimus in via projectum.

Stephani,

In valle collis Hortulorum. Martialis lib. XI.

Octavam poteris servare, lavabimur una:
Scis quam sint Stephani balnea juncta mihi.

Octava igitur hora lavabant, & lavabant exiguo precio, nempe quadrante, quod ex Horatio & Juvenale notum est.

Novati,

In Viminali, ubi nunc templum S. Pudentianæ, in quo & canales fuliginosi, & solum thermarum more tessellatum.

Olympiadis,

In eodem monte, prope S. Laurentium in Panisperna, in vineto quodam.

Pauli,

In clivo Quirinali, ubi nunc monasterium est, quod corrupta Romanorum lingua, *Bagna Poli*, quasi *balneæ Pauli* dicitur. Juvenal. Sat. VII.

Dum petit, aut thermas, aut Pauli balnea. ——

Prope has in projecto lapide formam strigilis & ampullæ vidimus exculptam. Strigili utebantur ad fricandum, purgandumque corpus: ampulla vase ad abluendas infusione sordes. Strigilis loco chirothecis ex serico factis, cum ad eliciendum, tum ad abstergendum sudorem, balneatores Italos uti vidimus.

Polycleti,

Prope ludum Æmilii Lepidi gladiatoris: de quibus Helenius & Porphyrio.

Claudii Hetrusci,

Libertini hominis, qui Claudii Imp. dispensator fuit. Locus ignoratur, profusissimus sumptus ex Statio & Martiale cognoscitur, qui eas & a marmorum precio, varietateque, & ab ædificii magnificentia, & a luminis immissione, & ab argenteis fistulis laudant. Utriusque versus subjiciam. Statius I. Sil.

Non huc admissæ Thasos, aut undosa Carystos:
Mœret onyx longe, queriturque exclusus ophites.
Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cavo Phrygiæ quam Synnados antro

Ipse

Ipse cruentavit maculis lucentibus Atys:
Quasque Tyros niveas secat, & Sidonia rupes.
Vix locus Eurotæ, viridis cum regula longo
Synnada distinctu variat: non lumina cessant,
Effulgent cameræ, vario fastigia vitro
In species animosque nitent. stupet ipse beatas
Circumplexus opes, & parcius imperat ignis,
Multus ubique dies, radiis ubi culmina totis
Perforat, atque alio sol improbus uritur æstu.
Nil ibi plebejum, nusquam Temesea notabis
Æra, sed argento felix propellitur unda,
Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat,
Delicias mirata suas, & abire recusat.

Martialis, VI. Epigram.

Nusquam tam nitidum micat serenum,
Lux ipsa est ibi longior, diesque
Nullo tardius a loco recedit.
Illic Taygeti virent metalla,
Et certant vario decore saxa,
Quæ Phryx & Libys altius cecidit.
Siccos pinguis onyx anhelat æstus,
Et flamma tenui calent Ophitæ.

Seneca ante hos nimiam balnearum luxuriam exagitavit, lib. XIII. ad Lucilium: cujus verba, quia in superioribus prolixior fuisse videor, non apponam. Martialis & alias nominat, ut Tuccæ, Fausti, Fortunati, Grylli, Lupi, Pontici, Severi, Pœti, Tityi, Tigillini: quibus Lampridus addit Alexandri & Varii. Agrippa CLXX. gratuita balnea præbuit, quæ postea in infinitum, ut Plinius tradidit, sunt aucta: ut nihil mirum supra octingenta a Pub. Victore balnea esse computata.

De nympheis.

Nymphea quid sint, duplex est opinio. Zonaras Monachus, qui de Græcorum imperatoribus scripsit, in Leone primo, Nymphea esse vult palatia publica, in quibus nuptias celebrarent, qui habitarent angustius: eaque ædificiis maximis in quibus Senatus cogeretur, plerumque adjuncta fuisse: qualia ædificia Romæ erant, curiæ, senatula, basilicæ. Alii nymphea putant esse loca publica, delectationis gratia facta, in quæ non ut in balneas, aut thermas, propter usum aqua deduceretur, sed gratiæ potissimum atque amœnitatis caussa; & a Nympharum statuis, quibus ornata fuerunt, nomen traxisse. Verum ut de forma aut usu illorum operum non satis constat: ita maxime insignia fuisse, vel illud declarat, quod aut ab ipsis Imperatoribus construerentur, ut de Nympheo Marci, ambitiosi operis, scribit Ammianus, de Alexandri Victor, de Gordiani Capitolinus: aut ab Urbis præfectis, quale Clearchus Valentiniano & Valente Imp. extruxit Constantinopoli, & Flavius Philippus reparavit Romæ: sed quo tempore, incertum est. nam antiqui tantum marmoris invenimus testimoninium:

FLAVIVS PHILIPPVS VIR
CLARISSIMVS PRAEFECTVS VRBI
NYMFIVM SORDIVM SQVALORE
FOEDATVM ET MARMORVM NVDITATE DEFORME AD CVLTVM
PRISTINVM REVOCAVIT.

De Nympheis veteribus nullum ad nostra aut patrum usque tempora duravit. Recens nunc est inter Neapolim & montem Vesuvium in villa Leucopetra, cujus forma talis est. Ædificium ex marmore quadrangulare, ad quod per unam solummodo portam est aditus, & aliquot gradibus descensus. Ad

A dextram introeunti in Nymphei capite, fons est aquæ limpidissimæ. ad cujus quasi custodiam accubat Arethusa nuda ex candidissimo marmore: solum varium & marmoratum, & canali circumdatum, in quem aqua ex fonte effluit. Parietes ex conchis lapillisque albi, nigri, flavi, purpurei coloris, quasi maltha illiti: in quibus ex concharum compositione, tanquam ductibus in pictura, anni menses duodecim, & quatuor virtutes politicæ expressæ. Item raptus Proserpinæ, Pan canens fistula, & mulcens gregem. Præterea imagines Nympharum nantium. navigantium, in piscibus ludentium: inter quas Helle
B insidens arieti, Siren delphino, Europa Tauro. In eodem ad singula latera, quatuor statuæ mormoreæ, Herculis leoninam gestantis, Panis agnum bajulantis, Genii cani blandientis, Najadis nudæ. Hæc nobis & de nomine, & de auctoribus, & de forma Nympheorum lectione atque inspectione sunt cognita, cupide & libenter audituris, si quis vel nostra probaverit, vel studiosos certiora docuerit.

CAP. XIX.

De thermis.

C In nullis antiquorum operibus plus luxus & insaniæ cernitur, quam in thermis Imperatorum: quas in provinciarum modum fuisse extructas, Ammianus conqueritur, & reliquiæ aliquarum adhuc testantur. Eæ aut æstivæ aut hyemales fuerunt, quales uno eodemque in loco extruere instituerat Gordianus: sed morte præventus, non absolvit. Hyemales trans Tiberim Aurelianus fecit. Primum servierunt Imperatoribus privatim, postea vulgatæ sunt & populo; aliquando patebant interdiu, corruptioribus temporibus etiam noctu. Consueto mo-
D re mixtæ & communes non fuerunt: quod tamen malorum principum culpa aliquoties factum est, quorum ne nomina quidem referre libet. Hodie omnia in Urbe majora ædificia ab imperitis *thermæ* vocantur, propter Diocletianas & Antoninianas: quod suo quoque factum tempore, non dissimulavit Blondus. Ita insignis illa basilica, quam Augustus Cajo & Lucio Agrippæ filiis, nepotibus suis erexit, in Esquilino, corrupte appellatur thermæ Gallutii: item Corneliæ gentis domus ruinæ, supra Trajani forum, Corneliorum thermæ vulgo dicuntur. Thermis, ut & aquæductibus, adjuncta
E erant castella, & subjuncti canales, per quos caduca aut inutilis aqua efflueret. Castella in Urbe sunt quatuor, unum in Cælio, de quo ante dictum est: tum alia duo, prius sub thermis Titi, alterum sub Diocletiani: quartum inter portam Næviam, & Statilii theatrum. Eorum parietes malthati sunt, tam tenaci & dura materia, ut vix ferro frangatur: qualem maltham in pluribus vidimus castellis, ut in Prænestino, in portu Ostiensi, in monte Miseno, in piscinis sinus Bajani, locisque aliis. Thermas secundum ætates Imperatorum ponemus, ordinem alium observare secundum situm Urbis non possumus. Thermarum sola, ut & balnearum, inter-
F dum sternebantur vitro, ut de Agrippæ dictum est: frequentius lapide aut crustis marmoris latis, aut tessellis quadratis varii coloris: nigri, ut balneæ Palatinæ: nigri albique, ut thermæ Commodi & Antonini: quod ipsarum adhuc demonstrant vestigia.

Agrippæ,

Quas inter præcipua Urbis ornamenta effert Plinius, arcus & pavimenta habuerunt ex vitro: & ipse vidi eo in loco vitrea frustula effodi. Apparent in iis sedilia, & scamnorum ordines. Sitæ sunt inter

templa S. Mariæ rotundæ, & S. Mariæ supra Minervam. Martialis lib. v.

Lassus ut in thermas decima, vel serius hora
Te sequar Agrippæ. ——

Ante has signum Apoxyomeni fuit, quod cum Tiberius in cubiculum suum transtulisset, magnis populi in theatro clamoribus est reponere coactus: testis Plinius.

Neronis,

Quarum fornices & arcus altissimi extant prope S. Eustachium. De iisdem Martialis libro VII.

—— *quid Nerone pejus?*
Quid thermis melius Neronianis?

Titi,

Quarum ruinæ in vineto S. Petri in vinculis, & juxta S. Martini ædem multæ, magnæque apparent. Idem lib. III.

Titi ne thermis, an lavatur Agrippæ?

Eas brevissimo temporis spacio in tantam amplitudinem extructas, idem prodidit lib. II.

Hic ubi miramur velocia munera, thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.

Nam in parte domus aureæ Neronianæ steterunt. Harum thermarum castellum, vulgo *cisternas capaces*, & *septem salas* nominant. Sunt autem novem sub terra cameræ fornicatæ, quarum unaquævis portas aliquas habet, & per unam introiens, simul per multas ei oblique oppositas uno ordine oculos inferre potes.

Domitiani,

Inter portas Flumentanam & Pincianam. Cernuntur in parietinis picturæ, vetustate nondum plane abolitæ.

Trajani,

Earum ruinæ in Aventino, in vineto quodam prope templum S. Priscæ monstrantur.

Commodi,

Ad radices Viminalis, in quibus ædificatum nunc est S. Pudentianæ templum: in ejusdem templi pavimento adhuc tessellæ sunt, quibus sola thermarum sternebantur.

Severi,

In regione Transtiberina, prope S. Chrysogonum, & S. Cæciliam.

Antonini,

In latere Aventini, via Ardeatina, ab oriente adjacet templum SS. Nerei & Achillei, a septentrione S. Priscæ juxta viam S. Balbinæ, e regione S. Sixti. Tanta mole & artificio structæ, ut etiam docti architecti tales fieri posse negarent, si Spartiano creditur. Videntur earum incredibiles ruinæ, parietinæ ingentes, altissimi fornices, pulcherrimæ columnæ semiobrutæ, maxima peregrinorum marmorum frusta projecta, pavimentum tessellatum albi nigrique coloris, varia & ampla conclavia, & in aliquot locis profunda aqua, ex ductu Appiæ fœdato & obruto adhuc reliqua.

Varii,

In Aventino, circa Trajani & Decii thermas. has nescio quo auctore *Syriacas* dictas, scribit Albertinus. commemorat eas Victor, & repetit Volaterranus.

Alexandri,

Quæ juxta Neronis fuerunt, & habuerunt adjunctum nemus. auctore Lampridio. Alii Neronis & Alexandri easdem fuisse scribunt, quod alter fecerit, alter restituerit.

Gordiani,

Leguntur duplices. Priores in monte Esquilino, quarum ruinæ jacent prope S. Eusebium, via Prænestina; hæ fuerunt sumptuosissimæ, adeo ut Capitolinus scribat tales præter Urbem, nusquam orbem terrarum habuisse. Posteriores in campo Martio, quas cum Militheo extruere voluit, sed morte præventus, non fecit.

Philippi,

In Esquilino, post Titi thermas, inter ortum atque occasum.

Decii,

In Aventino, orientem versus, in quarum ruinis nunc S. Priscæ templum dicitur extructum.

Aureliani,

Trans Tiberim, infra Janiculum, in ea valle, ubi nunc S. Francisci templum est.

Diocletiani,

In Viminali, quæ bonam montis partem occupant. Earum ruinæ tantæ cernuntur, quantæ maximæ esse possunt, fornices altissimi, columnæ admirabiles, ædificia concamerata amplissima, quorum duo pæne integra extant, unum prope S. Susannam, alterum versus vallem Esquilinam, ad quod ex interiore parte per XL. gradus ascendimus. Castellum harum thermarum figuræ mathematicæ, quæ scalenos dicitur, formam habet, pilis quadratis fultum: in prima serie pilæ quindecim, totidem in secunda: in tertia decem, in quarta quinque. Videntur in iisdem thermis ambulationes, xysta, & varia conclavia ad delectationem facta.

Constantini,

In Quirinalis descensu, septentrionem versus, ex sententia Læti & Marliani. Earum magnæ ruinæ, ædificia quædam quadrata, quædam rotunda, altissimis fornicibus extant: quorum unum per centum fere gradus ascendimus.

CAP. XX.

De locis sepulchrorum, & de sepulchris quibusdam insignibus: item de sepulchrorum ornamentis, ac conditarum urnarum ratione.

IN urbe olim, more Atheniensis populi, sepelire neminem legibus licebat. quæ leges cum aliquandiu neglectæ fuissent, post consulatum Duillii sunt renovatæ. Jus autem in urbe sepelien-

di honorificum, folummodo obtinebant Veftales, aut Imperatores, qui legibus non tenebantur: aut ii quibus id honoris virtutifque cauffa tribuebatur, ut Val. Publicolæ & P. Pofthumio Tuberto contigit, de quibus fecundo de Legibus Cicero. C. quoque Fabricius juxta Veliam in foro fepulchrum habuit, de quo Plutarchus. C. Poblicius fub Capitolio, de quo eodem in loco lapis Tiburtinus: Claudia familia fub eodem Capitolio, de qua Suetonius. Serv. Sulpitius in campo Efquilino, de quo in Philippicis Cicero. Reliqui aut privatim in agris fuis condebantur, aut in viis extra portas tumulos habebant. Earum viarum nomina, cum exemplis quibufdam, placuit adjungere.

Flaminia,

In hac fuit fepulchrum Paridis pantomimi Ægyptii, Neronis liberti. Martialis lib. XI.

Quifquis Flaminiam teris viator,
Noli nobile præterire marmor.

Item Glauciæ, liberti Melioris. Idem lib. VI.

Hoc fub marmore Glaucias humatus,
Juncto Flaminiæ jacet fepulchro.

Et de eodem Statius II. Silv.

—— Plebs cuncta nefas, & prævia flerunt
Agmina, Flaminio quæ limite Mulvius agger
Transvebit. ——

Fit ejufdem viæ mentio in libello Velii Fidi Jubentii, quem cum Antiquitatis aliquot monumentis edidimus.

Salaria,

In hac ad fecundum lapidem fuit fepulchrum magnificentiffimum Licini, tonforis Augufti, quem Satyrici infectati funt: & Varro hoc epigrammate, ut eft apud Cornutum, feveriffime perftrinxit:

Marmoreo tumulo Licinus jacet: at Cato parvo,
Pompejus nullo: credimus effe deos?

In eadem fuit fepulchrum Marii.

Tiburtina,

In hac intra primum lapidem fuit fepulchrum Pallantis, Claudii Cæfaris liberti, fplendidum, & arrogantiffimo titulo: de quo libro feptimo & octavo Plinius junior ad Montanum.

Prænestina,

In hac fecundo ab urbe lapide fepulchrum fuit Q. Attæ, Togatarum fcriptoris.

Lavicana,

In hac fepultus Didius Julianus Imp. ut in ejus vita fcribit Ælius Spartianus.

Campana,

De qua infcriptionem ex epigrammatis Romanis pofuimus, fupra capite quinto.

Latina,

In hac a Phyllide nutrice fepultus Domitianus Imp. & in eadem inferri teftamento voluit Sempronius Tucidanus. Ex fepulchro viæ Latinæ hoc epigramma refert Aufonius:

Non nomen, non quo genitus, non unde, quid egi,
Mutus in æternum fum cinis, offa, nihil.

A *Nec fum, nec fueram, genitus tamen, e nihilo fum.*
Mitte, nec exprobres fingula, talis eris.

Appia,

In hac (ut in Parad. fcribit Cicero) Calatinorum, Scipionum, Serviliorum, Metellorum fepulchra vifa funt. item Ennii & Archiæ poetarum. de hoc idem Cicero, de illo Ovidius. Pomponii Attici, quinto ab urbe lapide: M. Tullii Ciceronis, fexto. Defiderius tamen Lignaminæus Ciceronis fepulchrum ante fex annos in Zacyntho infula effoffum fcribit, apud facellum S. Mariæ cognomento gratiofæ, cum tali epitaphio: M. TVLLI CICERO
B HAVE ET TV TERTIA ANTONIA. Addit, inventas in eodem urnulas vitreas, in quibus cineres & amicorum lachrymæ de more fuerint affervatæ: in fundo etiam majoris urnulæ, in ambitu concavi, infcriptum fuiffe AVE MAR. TVL. Gallienus Imp. in hac via nono lapide fepultus fuit. In eadem Theffalus, Neronis medicus, qui in monumento fuo ἰατρονίκην fe infcripfit, ut ait Plin. lib. XXIX. Idem lib. X. inquit, in hac via fepulchrum fuiffe Corvi avis, qui duorum Æthiopum humeris elatus fit, præcedente tibicine, & prælatis coronis omnium generum.
C Sulpitius Verulanus & Raphael Volaterranus memoriæ prodiderunt, vidiffe fe integrum mulieris cadaver in hac via effoffum, oblitum craffo unguento, & incoruptum: quod alter fufpicatur fuiffe Tulliolæ, M. Tullii Cicer. filiæ: alter certum nomen non addit, fed ex erutis marmoribus vicinis colligit, ante annos plus mille & trecentos fuiffe depofitum.

Laurentina,

In qua Auguftus Cæfar ancillæ fuæ, quinque liberos uno partu enixæ, monumentum fieri juffit. Gellius lib. x. In hac, ut recentiores hiftorici fcri-
D bunt, ante quingentos annos cadaver effoffum eft, procera ftatura, & ingenti vulnere in medio pectore, quod Pallantis Evandri filii afferunt fuiffe. Hoc cum illi hiftoriæ inferuerint, ne hoc quidem in loco piguit referre.

Oftienfis,

De Oftienfi, ut & Caffia, & Numentana, apud fcriptores nihil inveni: fed in fingulis multæ epitaphiorum infcriptiones effoffæ funt.

Aurelia,

E In hac fepultus Galba Imp. in privato monumento, teftante Suetonio. In eadem duorum Germanorum militum defcripfi Epitaphia, Ionii & Hefperi, Batavorum, qui Tib. Claudii Cæfaris corporecuftodes fuerunt. In hac, ut in Flaminia, Appia, Latina, plurimi loculi & urnæ adhuc videntur.

Dicam nunc de fepulchris infignibus illuftrium virorum intra urbem, & de ornamentis quorundam fepulchrorum, quæ paffim per urbem fefe offerunt: & ut quafi abfolvam hunc locum, addam pauca de condendarum urnarum ratione ac modo.

F *Sepulchrum Scipionis Africani.*

Sub pinu ænea honorarium: nam Liternenfes hofpites de vero Scipionis tumulo fe merito jactant. Dicitur autem in Vaticano pinus altiffima ænea fuiffe erecta, Carthaginem verfus: de qua una adhuc nux aliquot pedum altitudine, ante bafilicam S. Petri cernitur, vetufti operis, & inaurata.

Augufti Cæfaris,

In Maufoleo, quod exemplo Cariæ regis extru-

ctum est, in valle Martia, inter viam Flaminiam & ripam Tiberis, post ædem S. Rochi. Moles rotunda ex immensis aggeribus marmore olim Lunensi incrustata, cum circumjectis silvis, & amplis ambulationibus. Ad latera politi erant bini obelisci, quorum unus in via projectus fractusque jacet. Habuit plura ostia, & loculorum seriem intra aggerem, quorum adhuc apparent vestigia. Ante molem res gestæ Augusti, quod ipse testamento mandaverat, tabulis æneis incisæ erant. A tergo lucus fuit cum porticu. Interior murus reticulato opere variatus, & in media area Augusti tumulus ex niveo marmore ferreis cancellis inclusus: in cujus summo simulachrum ipsius æneum. Inter tumulum & murum interiorem consitæ populi. Ut autem Augusti sepulchrum in medio stetit, ita loculi cognatorum & amicorum, cum quibus communem esse illam sepulturam voluit, a lateribus in muro effossi erant. Ovidius (seu quicunque auctor ille est) ad Liviam:

Vidimus erepta mœrentem stirpe sororis,
Luctus, ut in Druso, publicus ille fuit.
Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, sepulchro,
Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix posito Agrippa, tumuli bene janua clausa est,
Perficit officium funeris ecce soror.
Ecce ter ante datis jactura novissima Drusus,
A magno lacbrymas Cæsare quartus habet.

Vide de hoc Mausoleo Strabonem libro quinto

Cestii,

In pyramide, proxime portam Ostiensem. Est autem Pyramis moles quadrata, quæ flammæ more, a lato ad sublimitatem acuminando gracilescit: a qua figura nomen traxisse judico. Alii a genere lapidis Thebaici, apud Ægyptios, quem πυροποίκιλον vocant Græci, dictam autumant. Stephanus aliam rationem, fabulæ magis, quam vero similem attulit, quam omitto.

Hadriani,

In mole ad Tiberim, duos habuit ambitus, & duplicem columnarum ordinem. Primus ambitus quadratus ex solidis lapidibus fuit, interior moles oblonga & præalta ex Pario marmore. Ex hoc duplici ambitu arx nunc est extructa, quæ *castrum S. Angeli* vocatur. Columnæ quæ circum positæ fuerunt, ad S. Petri basilicam ornandam translatæ sunt, & earum loco ad arcis munitionem alius murus circundatus. Fuit olim commune omnium Antoninorum monumentum: id quod inscriptiones ex antiquitate reliquæ testantur.

Severi,

Supra Septizonium, inter Palatinum & Cœlium. De septena columnarum serie, ex qua assurgebat, tres series adhuc reliquæ, una alteri superimposita. Integra series illa est, quæ eurum spectat, in cujus prima secundaque parte supersunt columnæ octo, in tertia sex. Intra illas columnas moles ex quadratis lapidibus assurgit, quæ in altum, pyramidis aut obelisci more, magis magisque contrahitur atque acuitur. Opus sane mirum & magnificum.

Omitto hoc loco molem pyramidalem, quæ prope Hadriani sepulchrum fuit: eam enim diruit Alexander sextus. Item alteram quadratam, supra Mausoleum in via Flaminia, Campum versus, quam demolitus est Paulus tertius. nam etiamsi constet sepulchra fuisse, tamen quorum fuerint, incertæ & dissentientes sunt scriptorum opiniones.

In sepulchris autem, quæ hinc inde per urbem in multis locis occurrunt, varia rerum simulachra sunt exsculpta. Ludorum curulium, quale est ante SS. Cosmam & Damianum, in foro Romano: & in S. Joanne Laterano, in quo etiam nocentes objiciuntur bestiis, ut in alio quodam ante S. Mariam in via lata. Equestrium certaminum, ut in S. Maria in ara cœli, montis Capitolini. Pugnarum, ut in S. Gregorio, montis Cœlii. Venationum, ut in S. Laurentio in Lucina, campi Martii. Triumphorum, ut ante S. Laurentium in Panisperna, montis Viminalis: & triumphi Venerei in S. Joanne Laterano. Sacrificiorum, ut in S. Maria de Strada, inter Octavii porticum & Capitolium: & in S. Laurentio extra Esquilinam. Deorum ludentium, ut Apollinis canentis, & Narcissi jaculantis discum, in domo Augustini Maphæi: Satyrorum puellæ dormienti insultantium, in horto S. Marci. Amorum equitantium, in domo Columnensium: deorum marinorum in piscium caudas desinentium, & vehentium in eis Nymphas tribus in locis: in S. Joanne & Paulo in Cœlio, in hortis S. Sabinæ montis Aventini, ante S. Thomam in regione Harenulæ. Plutonis Proserpinam rapientis, in S. Silvestro prope arcum Domitiani, & ante S. Mariam in Cosmedim, prope Velabrum. Ventorum quatuor simulachra, in sepulchro domus Cæsiæ: laborum Herculis, in domo Sabellorum, supra Marcelli theatrum: servilium suppliciorum, in quibus alii capite plectuntur, aliis brachium saxo impositum alio saxo frangitur, in S. Maria in ara cœli, & ante ædem S. Stephani de Cacabo, in regione Pineæ. In quibusdam sepulchris exsculpta sunt ædificia, partim januis apertis, quibus dicunt animæ æternitatem significari, cujusmodi est in Capitolino palatio Triumvirum; partim clausis, qua interitus ejus una cum corpore notatur. tale in domo civis cujusdam Transtiberinæ regionis cernitur, e regione pontis Fabricii. Hæc e multis retulisse satis sit, quæ non ita accipi volo, quasi unius tantum rei effigies expressa sit, sed alia multa quæ oratione depingi in hac brevitate nequeunt, spectaculi loco addita. quod ut intelligatur, duobus exemplis declarabo. In sepulchro sacrificantium in S. Maria de Strada, Mulier in bigis quæ a rhinocerotibus trahuntur, vehitur: ipsis animalibus duo juvenes insident, & animalia a Faunis naso ducuntur. Præcedit Tuscus fidicen & viri nudi ac mulierculæ, donec ad aram perveniatur, cui fidicen canens astat, & inter cætera ludicra Faunus cornibus cum hirco concurrit. Item in altero apud S. Silvestrum, Pluto quadrigis vectus, raptam Proserpinam amplexu tenet, exanimi similem: supra quam volitat alatus Cupido, currum præcedit Mercurius alato pileo & caduceo. In altera parte Ceres bigis invehitur, tractis a serpentibus, pinea tæda quam sinistra gestat, investigans amissam filiam. Inter hæc, ab utraque parte comites Proserpinæ flores collectos gestant, veste ultra pubem sublata. A lateribus Hercules est, leonis exuvio indutus, dextra tenens clavam: sinistra anum quandam invadens, cui verbera minitatur.

Faciendorum loculorum, & urnarum condendarum, non admodum diversa fuit ratio, cum in Urbe, tum in reliqua Italia, atque etiam in Græcia. Marlianus scribit, antra concamerata fossionibus esse aperta, in campo Esquilino quædam unius testudinis, quædam duplicis concamerationis, ita ut ex superiore in inferiorem descenderetur. Pavimenta interdum tessellata, interdum vermiculata: in parietibus circum circa loculos extitisse, singulos cum binis urnis. Alia quoque fuisse antra plurium parietum, modico intervallo distantium, in quibus totidem urnas fuisse contiguas, & exiguo post spacio rursus alias, hisque alias impositas: has pauperum, illas divitum fuisse opinatur. Nos in agro viæ Appiæ in profundum sub terra fornicem descendimus, plenum loculorum inter se dispositorum: ex ruina au-

tem parietum cognoſci vere non potuit. Inter Puteolos & Atellam, ad utraque viæ ſilicibus ſtratæ latera, plurima ſepulchrorum luſtravimus monumenta: quorum ædificia partim quadrata ſunt, partim rotunda. Inter cætera pulcherrimum eſt, quod *Arcum cellæ* nominant. Parietes ejus tetragoni, cum laqueari vermiculato: in cujus medio centauri imago, puerum vehentis. Loculi ultra ſexaginta, medii ampli, fortaſſe patronorum: laterales contracti, libertorum, libertarumque. In loculis urnæ ſingulæ pluresve diſpoſitæ fuerunt, clauſæ exterius tabellis marmoreis, in quibus nomina depoſitorum, de more fuerunt aſcripta. Teſtatur Cyriacus Anconitanus (cujus ſcriptas quaſdam chartas evolvimus) ſe Patris in Achaja ad ædem S. Andreæ antrum ſubterraneum ex integro ſolidoque lapide vidiſſe, miro artificio fabricatum, in quod per gradus ſexdecim deſcenſus fuerit, quodque ſub una teſtudinead tetragonos parietes habuerit loculos quatuordecim, in quibus ſingulis binæ aut ternæ urnæ funerales fuerint locatæ; ex quibus teſtimoniis non multo diverſam Græcorum & Romanorum, ut diximus, urnas conjungendi rationem fuiſſe, eſt perſpicuum.

CAP. XXI.

De iis quæ nunc in Urbe ſunt præcipue viſenda.

ROMANÆ urbis cadaver, omnibus pene Barbaris lacerantibus ante oculos hodie jacet: ſed gloriæ ſplendor & nominis claritas, doctis pro ea propugnantibus extingui aut aboleri nunquam poterit. De eo in ſuperioribus, ex Græcis Latiniſque ſcriptoribus multa ſtudioſe collegi: & nequem prolixitate offenderem, modo quodam retuli. In hoc capite nonnulla etiam alia cognitione digna, quæ a majoribus & præſentibus hominibus ad Urbis ornamentum comparata ſunt, ſtudioſorum hominum gratia addam. Antiquitatum igitur cupidi habent domum Angeli Colocii, in campo Martio: Cæſiorum, ſub Janiculo: Porciorum, in regione Pineæ: Vallarum, ad circum Flaminium: in primis vero Triumvirum in Capitolio, & hortos Palatinos in Vaticano. Literarum amantes, inſtructas bibliothecas, Pontificias tres: unam clauſam, cui adjuncta proxime eſt altera, item clauſa: tertiam certis diebus & horis patentem, & Græcis Latiniſque ſcriptoribus refertam. Præter has aliæ quoque ſunt, apud S. Mariam in ara cœli, apud S. Mariam de populo, apud S. Mariam ſupra Minervam, apud S. Auguſtinum. Tumuli in urbe clarorum virorum, qui ingeniis ſibi decus pepererunt, cum ſuis epitaphiis, ſunt hi:

Blondi Flavii, in ara cœli ante introitum templi, in area Capitolina:

BLONDO FLAVIO FORLIVIENSI, HISTORICO CELEBRI, MVLTORVM PONT. ROMANORVM SECRETARIO FIDELISS. BLONDI QVINQVE FILII PATRI BENE MERENTI VNANIMES POSVERE. VIXIT AN. LXXV. OBIIT PR. NON. IVNII. ANNO SALVTIS CHRISTIANÆ M. CCCC. LXIII. PIO P. M. SIBI NATISQVE FAVENTE.

Nicolai Vallæ, in ipſo templo:

NICOLAO DE VALLE LEG. D. BASILICÆ PRINCIPIS APOSTOLORVM CANONICO, LÆLIVS IN MEMORIAM DVLCISSIMI FILII POSVIT. HIC IN VITA SVA NVLLI MALEDIXIT. SINE VOLVNTATE PARENTIS NIHIL FECIT. MAGNO ET EXCELLENTI CLARVIT INGENIO. ILIADEM HOMERI ET HESIODVM HEROICO CARMINE IN LATINVM VERTIT. OBIIT PRIMO IVVENTVTIS FLORE, MAX. OMNIVM MOESTICIA. M. CCCC. LXXIII. VI. CAL. OCTOBRIS.

Ibidem Bartholomæi, Petri, Philippi, Andreæ Vallarum. Item Joan. Jacobi Buccabellæ poetæ, Lud. Grati Margonii mathematici, Seraphini Oductii philoſophi, Manilii Britanorii fatorum præſcii, tumuli & epitaphia cernuntur.

Laurentii Vallæ, in S. Joanne Laterano:

LAVRENTIO VALLÆ HARVM ÆDIVM SACRARVM CANONICO, ALPHONSI REGIS ET PONTIFICIS MAXIMI SECRETARIO APOSTOLICOQVE SCRIPTORI QVI SVA ÆTATE OMNEIS ELOQVENTIA SVPERAVIT, CHATHARINA MATER FILIO PIENTISS. POSVIT. VIXIT ANN. L. OBIIT ANNO DOMINI M. CCCC. LXV. CALENDIS AVG.

Beſſarionis, qui in Græcia natus, in Gallia mortuus, in Italia ſepultus. ejus tumulus Romæ, ad SS. Apoſtolos in regione Trivii:

BESSARIO EPISCOPVS TVSCVLANVS, S. R. E. CARD. PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS NOBILI GRÆCIA ORTVS ORIVNDVSQVE SIBI VIVENS POSVIT. ANNO SALVTIS M. CCCC. LXVI.

Τό τ᾽ ἔτι Βησσαρίων ζῶν ἄνυσσα σώματι σῆμα,
Πνεῦμα δὲ φευξέιται πρὸς Θεὸν ἀθάνατον.

Laſcaris Græci, in templo S. Agathæ, ſub Viminali:

Λάσκαρις ἀλλοδαπῇ γαίῃ ἐνικάτθετο, γαίην
Οὔτι λίην ξείνην, ὦ ξένε, μεμφόμενος.
Εὔρετο μειλιχίην, ἀλλ᾽ ἄχθεται, εἴπερ Ἀχαιοῖς
Οὐδ᾽ ἔτι χουῦ χέυει πατρὶς ἐλευθέριον.

Hermolai Barbari Veneti, in S. Maria de populo, regione campi Martii.

BARBARIEM HERMOLEOS LATIO QVI DEPVLIT OMNEM
BARBARVS HEIC SITVS EST: VTRAQVE LINGVA GEMIT.
VRBS VENETVM VITAM, MORTEM DEDIT INCLYTA ROMA,
NON POTVIT NASCI CLARIVS ATQVE MORI.

Marci Muſuri Cretenſis, in S. Maria de pace, regione Parionis.

MVSVRE O MANSVRE PARVM. PROPERATA TVLISTI
PRÆMIA. NANQVE CITO TRADITA, RAPTA CITO.

Petri Marſi, in S. Laurentio in Damaſo.

QVÆ SOLA ELOQVII SVPERABAT GLORIA, ET ILLAM
PERDIDIMVS, TECVM VIXIT, ET INTERIIT.

Hieronymi Aleandri apud S. Chrysogonum, trans Tyberim.

HIERONYMO ALEANDRO MOTTENSI E COMITIB. LANDRI IN CARNIA, PETRÆ PILOSÆ IN ISTRIA ORIVNDO. CARD. BRVNDVSINO, PHIL. ET THEOL. DOCTORI, HEBRAICÆ, GRÆCÆ, ET LATINÆ, ALIQVOTQVE ALIARVM LINGVARVM EXOTICARVM ITA EXACTE DOCTO, VT EAS RECTE ET APTE LOQVERETVR, AC SCRIBERET. MOX DIVERSIS LEGATIONIB. PRO SVMMIS PONTT. AD OMNES FERE CHRISTIANOS PRINCIPES FIDELITER ET DILIGENTER PERFVNCTO, ET IDEO IN TABEM DELAPSO, QVANTI HVMANAM MISERIAM FECERIT, SEQVENTI DISTICHO DE SE EDITO TESTATVM POSTERIS RELIQVIT.

Κάτθανον ὐκ ἀέκων, ὅτι παύσομαι, ὧν ἐπιμάρτυς
Πολλῶν, ὧν περ ἰδεῖν ἄλγιον ἦν θανάτου.

ANNO CHRISTI M. D. XLII. ÆTATIS SVÆ LXII. MINVS DIEBVS XIII.

Valerii Cordi Germani, qui sepultus est in S. Maria de anima, regione Parionis.

VALERIO CORDO SIMESVSIO HESSO, EVRICII MEDICI ET POETÆ FILIO, MORIBVS, INGENIO, COMITATE PRÆSTANTISS. DOCTORVM OMNIVM ADMIRATIONEM MERITO, QVI NATVRÆ OBSCVRITATEM ET HERBARVM VIRES ADOLESCENS SENIBVS EXPLICAVIT: CVM EXPLERI CVPIDITATE COGNOSCENDI NON POSSET, PERLVSTRATA GERMANIA ITALIAM ADIIT, VENETIIS IN HONORE HABITVS, ET ROMAM VIX INGRESSVS, SVBITO MORBO INTER AMICORVM LACHRYMAS NON RECVPERABILI STVDIORVM JACTVRA OPT. ÆTATE EXTINGVITVR, ANNO SALVT. M. D. XLIIII. VII. CAL. OCTOB.

INGENIO SVPEREST CORDVS, MENS IPSA RECEPTA EST COELO: QVOD TERRÆ EST, MAXIMA ROMA TENET.

Tumuli Pontificum ænei sunt, Martini Quinti in S. Joanne Laterano, & Sixti Quarti in S. Petro Vaticano. Marmorei, Sixti Quarti, Piorum Secundi & Tertii, Hadriani Sexti. Sedes pontificiæ sæpius sunt mutatæ. Aliquando fuit apud S. Sabinam in Aventino, item apud S. Mariam majorem, in Esquilino: superioribus annis apud S. Joannem Lateranum, in Cœlio: nunc apud S. Petrum in Vaticano. Æstivam habitationem apud S. Marcum in capite viæ latæ exædificavit Paulus Secundus: in quo loco cellis vinariis imposita sunt equorum stabula, stabulis hortus cum proceris cupressis, in horto circumcirca sunt extructa conclavia. Aliam in Capitolino, supra templum S. Mariæ in Ara cœli, extruxit Paulus Tertius: ad cujus templi introitum, ex montis planicie per cxxxix gradus ascenditur, unde de altitudine novi ædificii fieri conjectura potest. Post sedes pontificias nihil admirabilius, laudeque dignius mihi visum est, quam tot per totam Urbem, ut vocantur, xenodochia, non solum publica omnium, ut amplissimum S. Spiritus, in Campo Vaticano: S. Salvatoris, in Cœlio: S. Mariæ de consolatione, in Velabro: S. Jacobi de Augusta, in valle Martia: verumetiam propria singularum civitatum atque nationum, ut Florentinorum, apud S. Joannem Baptistam: Germanorum, apud S. Mariam de anima: Hispanorum, apud S. Barbaram: Gallorum, apud S. Ludovicum: Anglorum, apud S. Thomam: Flandrorum, prope turrim Argentinam: Ungarorum, prope S. Petrum: ut alia omittam, in quibus locis infiniti homines gravibus morbis laborantes domestici atque externi tum curantur, tum etiam aluntur. Cryptæ subterraneæ, quæ latebræ & sepulchra Christianorum fuerunt, sævientibus in eos tyrannicis principibus, tribus in locis sunt. Maxima omnium, apud S. Agnetem, extra portam Viminalem: altera, apud S. Sebastianum, extra Capenam: postrema apud S. Pancratium, extra Aureliam: plena venerationis loca, quorum D. Hieronymus & Prudentius faciunt mentionem. De domibus nobilium, & purpuratorum palatiis nihil dicam: quæ ut splendida & sumptuosa sint, tamen cum veteribus ruinis hæc nova magnificentia vix videtur aliqua ex parte comparanda.

ALEXANDRI DONATI
E SOCIETATE JESU
ROMA
Vetus ac recens, utriusque ædificiis ad eruditam cognitionem expositis.

SANCTISSIMO D. N.
URBANO VIII.
PONT. MAX.
ALEXANDER DONATUS
E SOCIETATE JESU.



OMAM *tuam a prima origine per varias ædificandi ætates ad nostra usque tempora deductam, tibi offero inspiciendam, BEATISS. PATER. Fuit hoc peculiare hujus Urbis, quam fundator humanæ salutis Deus Pontificibus Vicariis suis destinaverat sedem; ut quemadmodum Imperatores ac principes terrarum juris armorumque parens procreavit, ita principatum Urbium præclaris quoque operibus sustineret. Quare hostes infestissimi ab Aquilonis quondam vertice profecti sic eam vel bello persequi, vel expugnare potuerunt, ut firmior e vulneribus, ex ignibus illustrior, stabilior e ruinis, majus certe miraculum,* Pulcherrima rerum, *ut ille ait, exsurgeret. Sed quæ humanas vices tanto frequentius perpessa est, quanto altiorem inter humana locum occupavit, nunc te Principe pulchriorem se, quam multis ante seculis vigere, & statum tenere constantiorem, quam cum imperio florebat, gloriatur. Romani enim Pontifices post Gothicas eversiones atque incendia plurimi numerantur, qui de restituendis extollendisque Romæ ædificiis, superiore præsertim nostraque ætate contenderunt: nec jam toto terrarum Orbe quidpiam magnificentius suæ quisque patriæ largus commendator prædicare potest. Nimirum juste providebatur, ut dominatrices APES, quæ lectissimos insident flores, parem indoli suæ nanciscerentur sedem; nec solum in flore Urbium regnarent, sed ipsam quoque principem Urbem florere juberent, in quam cœlesti munere mel novum fælicitatis inducerent. Tu enim, ut cætera Pontificatus tui decora sileam, Romæ quantum splendoris, ac majestatis adjecisti? Templa passim instaurata, & exculta sunt, nova inchoata aut perfecta: palatia Pontificum ornata, & munita: restitutæ, auctæ, erectæ quadam Principis æmulatione civium ac dynastarum ædes: refecta mœnia: validis munitionibus instructæ arces: apertæ, stratæ, complanatæ viæ: extructi fontes: substructæ, ac repurgatæ cloacæ: elatæ valles, demissa juga: Basilica Vaticana marmoreis, operosisque ornamentis illuminata: moles admiranda ex ære auroque Apostolorum sepulchro imposita; ut jam Roma te non magis præsidem suscipiat religio-*

nis, quam suæ dignitatis propagatorem. Hæc vero properata, & mature ad exitum perducta sunt alienis ab ædificando temporibus, quibus pacis artes passim quieverunt, & Italia quassata bello, insuper miseranda peste congemuit. Sed hæc misera facies ærumnarum, ut innocua videretur, cumulum aggeravit laudum tuarum. Nostra enim ætate divinæ bonitatis peculiari beneficentia peractum est, quod olim Eutropius admonuit historicus, & Christianus, & monachus: Ut, cum adversis calamitatibus populi affligerentur, publicorum malorum acerbitas optimorum Principum consiliis, atque opibus levaretur. Id Marci Antonini sapientis, egregiique Imperatoris, cujus tum res gestas pangebat, illustrat exemplo. Nihil enim, quo atteri mortales solent, dici, seu cogitari potest, quod non illo, ut scripsit, imperante sævierit. Titum etiam Vespasianum quamquam brevi imperio, cum quædam fortuita ac tristia humano generi impenderent, Deus optimum providit Principem, Delicias Orbis terrarum. *Tunc enim, &* Vesevus conflagravit in Campania, & incendium Romæ accidit, item pestilentia, quanta non temere alias. *Sed multo magis gentibus sibi religione, ac fide devinctis consulere voluit, cum Leonem, & Gregorium, Magnos Sanctosque Pontifices reipublicæ Christianæ præesse decrevit; qui cum cætera admirabiles, tum fortes fuere adversus bellicos tumultus: posterior vero vim pestiferi morbi constans, & invictus virtute, ac precibus profligavit. In eadem fere tempora, & eventus revoluto rerum ordine deventum est, ut singulari Principis sapientia egerent, ac recurrentibus paribus fere infortuniis, in tuo Pontificatu panderetur commune perfugium incolumitatis, & salutis. Prædicat id Roma non modo civium linguis, sed disertorum etiam ædificiorum præconiis, eorum præsertim, quibus abs te magnifice instructa est. Sed quia parem afferre immortalibus meritis laudem nunquam possit hæc recens exuta veteris splendore, & illa triumphante sponte inferior,*

Cui par est nihil, & nihil secundum,

eam quoque protuli in conspectum; ut ad te conversa suos olim Augustos mirari aliquando desinat, opibus quidem gentium refertos, sed ferme inhumanos, & Romano externoque sanguine contaminatos. In te illa gentium Domina rarum Principis exemplar recognoscat: animadvertat ex tanta humanitate, sapientia, justitia, religione, quanto ipsa fuisset in summa rerum copia, imperioque felicior, si armati quondam Cæsares, ut regiæ APES, sine vi majestatem, sine aculeis potentiam adhibuissent: & in Urbe verum Principem, atque adeo URBANUM adumbrassent. Sed Roma jam solum meminit tam asperam potestatem; quæ duntaxat ex tuo principatu æstimat felicitatem suam. Eadem porro hanc meorum scriptorum lineamentis conformatam sui imaginem, etsi ad veræ speciem enixe compositam, nihilominus incultam, ac destitutam coloribus fortasse negligendam putaret, nisi abs te lucem accepisset. Nam qualiscunque prodeat imago Urbis, pœne incredibile sit, sub optimo Pontifice videri bonitatis expertem.

AD

AD
LECTOREM.



VETEREM Romam, quam accurate perveſtigatis deſignatiſque ſingillatim ædificiis poſtremus eruditorum oculis animiſque ſubjeci, non equidem recenti volumine concludere initio cogitabam, magnique laboris molem ſubire, in qua doctiſſimos viros eximia cum laude deſudaſſe cognoveram. Ambitum Urbis, portam triumphalem, domum auream Neronis, forum Romanum, & alia nonnulla peculiari obſervatione adnotaveram. Sed poſtea adverti, ſi hæc ſola prodiiſſent, futurum fuiſſe, ut tanquam mutila & detruncata membra abſtracta potius ex ſolido corpore, quam integra, & abſoluta viderentur. Itaque quod ædificantibus ſolet accidere, ut deſtinati ſumptus majori ſtructuræ acceſſione augeantur; ſic mihi amplificato rerum cumulo factum eſt prolixioris operæ incrementum. Hac de cauſa, & vetera complecti, & iis cum ſacras, tum recentes fabricas adjicere decrevi, non modo ut omnes ædificatæ Urbis ætates in conſpectum darem, ſed ut priſcis novarum rerum tractatione quidpiam novitatis afferrem. Quamquam ex recentibus potiora quædam verius attigi, quam pæne innumera numeravi. Ex antiquis autem aliqua, vel quod eſſent extra Urbem, ut ſtratæ viæ per Italiam, vel minus neceſſaria, conſulto omiſi, vel adnotata neſcio quomodo typos præterierunt. In his an clare obſcura, & firmiter incerta probaverim, penes te judicium eſto. Certe ſine locis veterum ſcriptorum nihil definitum hic leges, quorum ductu monituque communes etiam opiniones interdum poſthabui. Cum vero iis, quæ Antiquarii tradiderunt, adjuncta veterum teſtificatio nihil addere, vel detrahere permiſit, locos ſaltem, ſubſcriptis libris & capitibus, quæ illi ſilentio libenter ſupprimunt, indicavi. Porro ædificiorum antiquorum veſtigia, iconeſque perſimiles, & ipſius etiam Urbis proſpectum apponere potuiſſem, quæ aut perveſtigaram, aut aſſequi accurata meditatione fidebam, niſi & meo labori, & Typographo feſtinanti parcere voluiſſem. Erit igitur, ut ſtudioſi obſervata cognoſcere, ita eruditi non negligere: benevoli autem ea, quæ, niſi fallor, haud infirmis rationibus nituntur, non labefactare, & ſi admonet ſtudium veritatis, perhumaniter tueri.

ALEXANDER DONATUS
DE
URBE ROMA.
LIBER PRIMUS.



CONSTANTINUS Augustus, teste Ammiano [1], Romam, quam ante non viderat specie triumphantis ingressus, cum per otium spectaret, questus est, famam, cum cætera omnia falsis ferme vocibus augeret, solam ejus amplitudinem diminuere. Magnum, & a veritate profectum de Urbis majestate testimonium. Vicit enim aspectu commendationem famæ, quæ ne vinceretur, eam omnibus linguis commendabat. Itaque communi præconio *terrarum dominam*, *reginam*, *deam* nuncupabant; *virtutum omnium domicilium & larem*; *mundi asylum ac templum*; *dum erunt homines victuram*, ἐπιτομὴν τῆς οἰκουμένης, *mundi epitomen & compendium*; ἀθάνατον, εὐτυχῆ, *immortalem*, *felicem* οἰκουμένην τῆς γῆς, *orbem Orbis terrarum* [2]; & fortassis tanto admirabiliorem, quanto breviore ambitu Orbis miracula, miraculum ipsa augustius comprehendit, ut gloriosa demum clausula *Urbem deorum* proclamarent. Sed hoc inter exempla humanæ vicissitudinis non ultimum reor, *Urbis*, quod etiam ajebant, *æternæ*, non modo perennes ac stabiles moles defecisse, sed earum memoriam magna ex parte deletam esse. Viri quidem eruditione nobiles conati sunt ædificiorum veterum odorari vestigia, editisque de Antiquitate voluminibus, e suomet pulvere, quo obruuntur, excitare. Neque vero hi, quamvis Antiquarii, consenescunt; sed longior ætas, ut palato vinum, ita lectorum ingenio eorum monimenta commendat. Æquiori jure nobis minora eruditæ sapientiæ præsidia sortitis est timendum, ne sepultarum rerum commentatione operis nostri interitum auguremur. Videlicet miseri tractamus peritura, & cum illis cito dilabimur.

1 Lib. 16. 2 Ammian. lib. 14. Mamer. in Paneg. Martial lib. 12. Epigramm. 3. Ammian. lib. 16. 17. Id lib. 14. Athæneus lib. 1. Dion lib. 73. sive Xiphilinus in epitoma.

CAP. I.

Initium Urbis sub Romulo.

ANNUS igitur a partu Virginis MDCXXXIV. ab Urbe condita MMCCCLXXXV. cum Romulus Urbem Romam inaugurato condidit XI. Kal. Majas: post captum Ilium anno CCCCXXXII. ut auctor est Dionysius [1]; CCCCXXXVII. ut placet Vellejo [2]; *Sexta Olympiade, post duos & viginti annos, quam prima constituta fuerat*: post Carthaginem conditam LXV. annos, ut idem [3] narrat. At Dionysius collatis Græcorum Romanorumque temporum rationibus, *Necesse est*, inquit, *ut primus Romanorum rex Romulus regnum auspicatus sit, anno primo septimæ Olympiadis*: quod Polybius in ejusdem Olympiadis annum secundum incidisse scripsit. Dissentit ab utroque Eusebius [4], sequutus, ut ait, nonnullos Romanos scriptores; atque in annum secundum Olympiadis octavæ rejicit ædificationem Urbis, quam ejusdem Olympiadis anno primo Fabius Pictor pridem attribuerat. Qui uno discrepant anno, facile conciliari possunt: nam cum quadriennales Olympiades incœperint mense Julio in ipsis ludis, Aprili autem condita fuerit Roma, alii hoc tempus retulerunt in primum annum Olympiadis nondum exactum; alii a Januario incipiunt numerare secundum annum. Verum, ut notat Onuphrius [1], omnes fere Romani auctores cum ipso M. Tullio, & post Cæsarem dictatorem Populus Romanus communiter sensit, sextæ Olympiadis anno tertio, ut ajebat Vellejus, Romam conditam fuisse. a quibus, quia plures, & Romani sunt, recedendum non putamus.

1 Lib. 2. 2 Lib. 1. 3 Lib. 1. 4 In Chronico.

Regnabat [2] tunc apud Hebræos Hierosolymis rex Achaz Ezechiæ pater translato jam ad Medos Assyriorum regno. Ac per ea tempora cœperunt in Palæstina Prophetæ nonnulli simul de Gentium vocatione edere vaticinia, & scriptis mandare, quæ populorum saluti conducebant. Id vero factum non solum caussa Judæorum, sed etiam nascentium Romanorum, quos Mundi moderator Deus jam Terrarum principes designabat, arbitratur S. Augustinus. [3] Par enim fuit, exordio Urbis urbium, & nationum dominæ inchoari divina de gentium vocatione oracula, quæ postquam Roma fide expiata recepisset, reliquæ etiam gentes ejus imperio obtemperantes facile amplecterentur. *Per ea*, inquit, *tempora isti velut fontes prophetiæ pariter eruperunt, quando regnum defecit Assyriorum, cœpitque Romanorum: ut scilicet quemadmodum regni Assyriorum primo tempore extitit Abraham, cui promissiones apertissime fierent in ejus semine benedictionis omnium gentium, ita in occidentalis Babylonis exordio, qua fuerat Christus imperante venturus, in quo implerentur illa promissa oracula Prophetarum non solum loquentium, verum etiam scribentium, in tantæ rei futuræ testimonium loquerentur. Cum enim Prophetæ nunquam fere defuissent populo Israel, ex quo ibi reges esse cœperunt, in usum tantummodo eorum fuere, non gentium. Quando autem ea scriptura manifestius condebatur, quæ gentibus quandoque prodesset, tunc oportebat incipere, quando condebatur hæc civitas, quæ gentibus imperaret.*

Jam quæ dicuntur a Græcis de vetustiore Urbis origine, attingenda potius, quam explicanda sunt. Ejus enim nomen, originem, ac ritus ad se vertunt, si Romæ placet. Alii referunt, conditam fuisse a Pelasgis, qui victores in has oras devenerint, atque ex suo in armis robore, ῥώμην nuncuparint. Hos Cluverus [4] putat eosdem esse, qui Evandro duce delato in Italiam, oppidum in Palatino monte condidere. At Solinus tradit in eo Colle antea fuisse *Valentiam* nomine, ab Evandro deinde ῥώμην appellatam. Quæ vox idem significat. Alii volunt eosdem Achivos capta Troja ad Tiberim venisse, urbemque conditam Romam appellasse de nomine captivæ Trojanæ, cujus impulsu naves Græcorum ab eorum uxoribus fuerant

1 In Urb. Roma, & Comment. Fastor. 2 Quo Rege Judæorum condita est Roma. 3 Lib. 18. c. 27. de Civit. Dei. 4 Lib. 3. Auth. Italiæ.

incensæ, salubri utique consilio, ut postea declaratum est. Alii ædificationem Urbis referunt ad Romum Ulyssis & Circes filium. Alii gloriam condendæ Urbis multo ante Romulum natam, Trojanis tamen auferre non audent, atque Æneam conditorem faciunt, de filiæ Romæ nomine, nomen Urbi tribuentem, quæ tamen fœmina aliis Æneæ neptis & Ascanii filia est. Alii afferunt ab Romo Æneæ filio nomen sortitam, quem alii Ascanio filium, alii (ut dixi) Ulyssi ascribunt. Aliis Roma superior est Trojanis temporibus, alii fabulosa permiscent. Quæ, aliaque apud Dionysium, Plutarchum, Solinum, [1] Festum leguntur, ut ex tanta opinionum varietate ipsa se vanitas & falsitas prodat. *Quæ ante conditam condendamve Urbem poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monimentis traduntur, ea* (loquor cum Livio [2]) *nec affirmare, nec refellere in animo est*. Si qui ergo ad Tiberim navigantes, deinde oppidum in Palatino, aut proximis collibus excitarunt, id profecto aliud ab Urbe Roma fuit, quam postea Romulus posuit. Nam cum vetustius quoddam oppidulum, seu munitio, quo illi advenæ se recipiebant, cum ipso nomine successu temporis defecerit, vel locus Romano ambitu fuerit inclusus, verisimile est, scriptores Romæ nomen illi indidisse. Quo modo Sallustius [3] etiam est intelligendus, si alicubi videatur Urbem conditam referre ad Trojanos. Quod si Virgilius [4] cecinit,

Tum rex Evandrus Romanæ conditor arcis.

Arcem ibi pro Pallantea accepit condita ab Evandro. Ars enim Romana in Capitolio extructa est, non in Palatino, ubi postea Augustorum palatium fuit: *quod revera non est arx, sed tenet rerum omnium principatum*, ut ait Servius. Quare Ovid. [5] de Evandro:

Transtulit Evander sylvestria numina secum:
Hic ubi nunc Urbs est, tunc locus Urbis erat.

Cæterum [6] quod ad locum & situm Urbis spectat, quia hunc eundem Strabo criminatur necessitate magis, quam consilio a conditore delectum, non natura munitum, non circumjecto fertilem agro, non cœlo salubrem; sciendum est, quod viri docti [7] adnotarunt, Romam in medio Italiæ, cujus ac reliquarum gentium imperio destinabatur, constitutam esse. Si enim Italia universa, descripta ab Alpibus, inde conversa per inferum mare ad extremum Leucopetræ angulum, tum per Jonii fines, postremo Adriatici longitudinem ad easdem Alpes circumducta linea, designetur, in quadratæ hujus Italiæ medio sinu Roma, ut gemma in annulo, cor in corpore, sol in cœlo collocatur. Cœli [8] deinde, ac soli natura sic a Livio [9], vel apud ipsum, Camillo, describitur: *Non sine causa Dii, hominesque hunc Urbi condendæ locum elegerunt; saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devebantur, quo maritimi commeatus accipiantur; mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum; regionum Italiæ medium ad incrementum Urbis natum unice locum. argumento est magnitudo tam novæ Urbis.*

1 Dionys. l. 1. Plutarc. Romulo. Solinus c. 1. 2 In procemio operis. 3 In Conjurat. Catilinæ. 4 Æneid. 8. 5 2. Fast 6 Situs Urbis lib. 5. 7 Marsil. Cognat. 8 de salubr. Rom. cœli. 9 lib. 7.

CAP. II.

Modus condendi, & forma Urbis conditæ a Romulo.

URBEM Romuli quadratam fuisse plerique autumant ex Solino, Dionysio, Fabio, Catone, aliisque. Ab his cum quidam dissentiant, in modo condendi omnes conveniunt. Fabius Pictor, [1] *Romulus*, inquit, *adscito ex Hetruria vate atque sacerdote Olympum fecit, pomœriumque sacravit, & aratro ab Olympo in vico Thusco per Palatium circumducens ab imo collis ad verticem, quadratam Urbem signavit. Olympus* autem fossa est rotunda juxta Ovidium ac Plutarchum, unde sulcus Urbi designandæ deducebatur. Pergit paulo post idem Fabius: *Item Herculis ara, ubi Olympus, & initium sacri aratri*. Consonat his Tacitus: *Igitur a foro boario, ubi æreum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi cœptus, ut magnam Herculis aram complecteretur.* (erat hæc non longe ab æde nunc S. Anastasiæ, inter Palatinum, Aventinum, & Capitolium.) *Inde certis spatiis interjecti lapides per ima montis Palatini ad aram Consi; mox ad curias veteres; tum ad sacellum Larium, forumve Romanum.*

Addidit Plutarchus [2], in eam fossam sive Olympum primitias delatas fuisse omnium, quibus de more ut bonis, natura utebantur ut necessariis. Tum pergit: *Postremo ex qua quisque advenerat regione, ejus terræ portiunculam collatam eo conjecerunt, & commiscuerunt. Conditor aratro æreum vomerem adjungit, junctisque bobus mare & fœmina ipse circum lineamenta profundum inducit sulcum. Sequentium munus est, ut excitatas ab aratro glebas introvertant, nec ullam sinant extra ferri. Ubi portam designare visum est, vomere exempto, atque aratro sublato spatium relinquunt. Unde totum habent murum præter portas sacrum.* Eumdem morem condendi urbes fuse Varro exposuit [3]: *Oppida*, inquit, *condebant in Latio, Hetrusco ritu multa, id est, junctis bobus, tauro & vacca, interiore aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis causa die auspicato, ut fossa & muro essent munita. Terram, unde excalpserant*, fossam *vocabant, & introrsum factum* murum. *Postea quod fiebat* orbis, urbs; *principium quod erat post murum*, pomœrium *dictum, ejusque ambitu auspicia urbana finiuntur. Cippi pomœrii stant & circum Ardeam & circum Romam. Quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro ab orbe, & urbo Urbes, & ideo coloniæ nostræ omnes in litteris antiquis scribuntur* urbes, *quod item conditæ, ut Roma: & ideo coloniæ ut urbes conduntur, quod intra pomœrium ponuntur.* Apparet idem in antiquis numismatis, præsertim Augusti & Commodi. Ille designat aratro coloniam: Hic, referente Dione, Romam *Coloniam Commodianam* nuncupavit. quare conditor dici, exprimique voluit, item cum aratro,

Hanc [4] memoriam antiquitatis a Varrone traditam aliter Hieronymus Magius [5] tradendam putavit, & aliqua in vulgata lectione correxit. Nam ubi legimus, *postea quod fiebat* orbis, urbs; *principium quod erat post murum*, pomœrium *dictum*; legit ipse, *quodque propterea fiebat orbis, est urbis principium.*

Orbis autem nomine fossam intelligit, quæ prima ante sulci designationem fiebat, de qua Fabius Pictor, ut supra. Et Plutarchus in Romulo: Βόθρος γὰρ ὠρύγη περὶ τὸ νῦν κομίτιον κυκλοτερής. καλῦσι δὲ βόθρον τῦτον, ᾧ καὶ τὸν ὄλυμπον ὀνόματι, μῦνδον. *Fossa rotunda comitio circumducta est. vocant autem hanc fossam eodem, quo Olympum nomine, Mundum.* Et Ovidius [6]:

Fossa fit ad solidum, fruges jaciuntur in ima,
Et de vicino terra petita solo est.
Fossa repletur humo, plenæque imponitur ara,
Et novus accenso funditur igne focus.

1 lib. 2. 2 Modus condendi Urbem. 3 Lib. 4. de ling. Lat. 4 p. 2. Miscellan. cap. 13. 5 Quid orbis & fossa sit. 6 Fast. 4.

Inde premens stivam, designat mœnia sulco;
Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.

De hac fossa, sive Olympo Virgilium [1] loquutum quidam putant;

Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli spatium non amplius ulnas.

Verum illa Magii correctio, & interpretatio non placet. Locum autem illum Varronis perdifficilem sic interpretor. *Circumagebant*, inquit, *sulcum. Hoc faciebant religionis causa, ut fossa & muro essent munita*, sive *muniti*, ut legit Turnebus. Quibus verbis, *fossa* terram circum condita jam mœnia egestam significat. Non idem est, quod sequitur: *Terram unde excalpserant, fossam vocabant, & introrsum factum murum.* Hic enim *fossæ* nomine sulcus aratro a fundatore designatus intelligitur. Monet perspicue Ovidius; [2]

Neve quis aut muros, aut factam vomere fossam
Transeat, audentem talia dede neci.

Itaque Varro sulci etymon adducit, cum ait, *fossam vocabant.* impresso enim aratro fodiebatur terra; effossa terra, fossa est. Quæ tunc quidem exigua erat, & designata potius a vomere, quam facta, sed postea ad murum extruendum profunda egestione magnam in altitudinem dehiscebat. Deinde pergit; *postea quod fiebat Orbis, Urbs*, id est, quod sulco non recto, sed obliquo & circumacto fiebat *Orbis, Urbs* appellata est. Fossæ igitur nomine, non intelligitur, ut sensit Magius, prima illa fossa Mundus dicta, cujus non meminit Varro, sed sulcus aratro factus. Præterea Olympus humo replebatur, ut aram sustineret, teste Ovidio: itaque orbis amplius non erat, cum Varronis fossa, id est, sulcus, quod circumageretur in orbem, urbi nomen daret.

Ex his elicitur [3] Romam initio potius in orbem fuisse, quam in quadrum extructam. Quod si quadrata magis placeat, his, quæ obstare videntur, responderi poterit, inferri ex iisdem Romam non tam fuisse orbiculatam, quam angulosam. Nam Palatinus, circa quem egit sulcum Romulus, perfecti circuli capax non erat. quod alii auctores docent. Fabius: *Romulus*, inquit, *per Palatium aratrum circumducens, quadratam urbem signavit*. Dionys. [4] *περιγράφει τετράγωνον σχῆμα τῷ λόφῳ. circumscripsit collem quadrangula figura*. Et ipse Varro indicat, cum ait, *colonias eodem, quo Roma, ritu conditas*. At quota ex illis est in orbem extructa? Videmus passim in Italia positas in jugis dorsoque montium, ubi nec circularem, nec ullam omnino figuram impresseris. Urbicum igitur orbem effecit muri, fossæ, pomœriique conversio, relinquens in medio spatium, quoad fieri posset, tectorum capacissimum.

Hæc pro iis, quibus placet quadrata Roma. Verum alia ex parte his Plutarchus in Romulo videtur adversari. ait enim: *Facta fossa, quam olympum dicebant. εἶτα ὥσπερ κύκλον, κέντρῳ περιέγραψαν τὴν πόλιν.* vertit Cruserius: *Hinc Urbe tamquam circulo centrum circumscripsere*. clariusque diceretur: *inde Urbem, tamquam circulum centro circumscripserunt*. id est, circumdederunt, & quasi circum centrum, quod sane aliud erat ab Olympo, ædificarunt. Ex quo si aliquis inferat, Urbem rotundam fuisse, negaret, credo, id Magius, qui ait, a Plutarcho *quadrangularem* supra nuncupatam, *Ῥώμην τετράγωνον*. Sed ibi alia mens Plutarchi fuit. Ait enim: *Ῥώμυλος μὲν ὖν τὴν καλυμένην Ῥώμην κυαδρά-*

1 Ecloga 3. 2 loc. cit. 3 Roma initio an quadrata fuerit. 4 lib. 1.

A *την, ὅπερ ἐστὶ τετράγωνον, ἔκτισε, καὶ ἐκεῖνον ἐβύλετο πολίζειν τὸν τόπον. Romulus quidem Romam ut vocant quadratam, quod est quadrangulam, fabricavit, atque in eo loco urbem condere voluit*. Igitur quadrata Roma ibi non urbem, sed aliud significat, quod habemus a Sexto Pompejo. *Quadrata*, inquit, *Roma, in Palatio ante templum Apollinis dicitur, ubi posita sunt, quæ solent boni ominis gratia in Urbe condenda adhiberi, quia saxo munita est initio in speciem quadratam. Ejus loci Ennius meminit, cum ait;*

B *Et quis extiterat Romæ regnare quadratæ.*

Hæc ille. *Res* vero *boni ominis gratia positæ*, eæ videntur esse, quas item in fossam vocatam *mundum* conjiciebant. Plutarchus: *In eam primitias detulerunt omnium, quibus de more ut bonis, natura utebantur ut necessariis. Postremo ex qua quisque advenerat regione, ejus terræ portiunculam collatam eo conjecerunt, & commiscuerunt*. Et P. Victor in regione x. Palatii, enumerat Romam quadratam. Plutarchus ergo Romam quadratam a Romulo factam describens, hunc lapidem seu locum intelligit. Quid enim aliud significat, *Romam quadratam fe-*
C *cit, atque eo in loco urbem condere voluit?* Cum vero de Urbis ædificatione loquitur, orbicularem illi figuram attribuit. Roma igitur quadrata pro centro est urbis designandæ; olympus, unde incipiebat designari. Idem plane, nisi per vim distorseris, elicitur ex verbis Varronis. Quod si quadratam Romam Fabius & Cato describunt, quadripartitam & quadri Urbem intelligunt. Sic enim & Annius interpretatur. Certe Fabius Romam primo tetrapolim, tum quadratam appellat, quatuor videlicet diversis locis constantem, in Palatino monte constitutis: nempe Roma oppidulo versus Esquilias antiquiore, quam esset Romulus: extructa Vellia versus Cœ-
D lium: Germallia fundata versus Circum maximum, quo germanos Romulum & Remum Tiberis detulit in alveolo expositos: Romano Foro ædificato, quod aliqua sui parte spectaret Esquilias. Ex quibus quatuor, tetrapolis Roma, & quadripartita est, rotundæ tamen & obliquæ figuræ. Qui ita sentiat, non audiet Solinum, aut Dionysium; nisi Dionysius idem quod Plutarchus quadrangulum intelligat. Solini autem locus non caret tenebris. Quid enim est? *Roma incipit a sylva, quæ est in area Apollinis, [1] & ad supercilium scalarum Caci*. Sylva enim in
E Palatino, scalæ ad rupes Aventini fuerunt, qua imminet Tiberi; cum Urbs Romuli fuerit in solo Palatio. *Dicta est Roma quadrata, quod ad æquilibrium foret posita*; dicta, non facta. Poni autem ad æquilibrium, si, ut notat Crinitus, significat construi ad æqualem regulam, & æqua ratione absolvi, rectius orbiculatæ structuræ accommodatur, cujus partes æqualiter distant a medio.


1 Lib. 4. de Hom. discipl. c. 9.

CAP. III.

Locus conditæ Urbis a Romulo.

IS fuit Palatinus collis [1], ubi nunc Horti Farnesiani, ut sine controversia auctores. [2] Dubium tamen, an Romulus aliquid aliud præter Palatium ædificarit, vel pomœrio incluserit. Nam Tacitus loco citato, *Capitolium*, inquit, *non a Romu-*
F *lo, sed a T. Tatio additum Urbi credidere*. Sed Dionysius ait ante Sabinum bellum Capitolium, & Aventinum a Romulo fuisse munitum. Livius

1 Roma condita in Palatino. 2 Fab. Pic. lib. 2. Cato in Originib. Liv. lib. 1. Dionys. l. 2. Tacitus 12. Ann. Messala de August. progenie, & alii.


Roma
quadrata
seu locus
Capitolium
Tiberis Flu.
Carina
Porta Mugania
Porta Romanula
Palatinus
Roma a Romulo et Tatio aucta.
Porta Pandana
Capitolium
Porta Carmentalis
Tiberis Flu.

quamvis primo [1] scripserit, *Romulus Palatinum primum, in quo ipse erat educatus, muniit;* tamen paulo post, *Crescebat*, inquit, *interim Urbis munitionibus, alia atque alia appetendo loca.* Idem cum Plutarcho memorat, Capitolium ante Sabinum bellum factum fuisse arcem Romanorum; *Spurius Tarpejus*, inquit, *Romanæ præerat Arci*: mœnibus utique munitæ. Idem paulo post: *Hujus filia Tarpeja aquam forte tum sacris extra mœnia petitum ierat.* Eadem apud Propertium sic loquitur flagrante bello [2];

Romani montes, & montibus addita Roma.

Strabo [3]; *Prisci namque Capitolium, & Palatium, collemque Quirinalem sic muniere muris, ut venientibus aliunde exterius facilis foret ascensus; adeo ut T. Tatius primo adventans incursu locorum potitus sit.* Cato; *Romulus*, inquit, *cum Palatio etiam Esquilinum tenuit, ab excubiis dictum, quas illi Lucumo dedit more Thusco.* Fabius [4]; *Forum*, inquit, *Romanum ædificavit, & post bellum Sabinum fœdere icto Romulus Urbis agros divisit in partes tres æquis collibus. Sabinis & Tatio Capitolium & Quirinalis; Romulo sequentes, Esquilinus, & Palatinus, in quo Roma; Galerito, & Luceribus Thuscis Cœliolus obvenerunt.* Et ut constaret de habitatione loqui, subjecit [5]; *Aventinum Romulus passus est habitare.* Sex igitur colles incolis frequentes fuere ante obitum Romuli; Forum & Arx, & alia loca teste Livio & Strabone. De foro Propertius:

Stabant Romano pila Sabina foro.

Postremo Valerius: *His* (Romulo & Remo) inquit, *avus Numitor eo loco, ubi educati erant, Urbem condere permiserat, sub monte Palatino.* Tam varia & incerta est in auctoribus antiquitas.

Verum [6] ut statuantur fines Urbis, non mœnia spectari debent, sed pomœrium. Numquam enim proprie Urbs accepit incrementum, nisi producto pomœrio. Ut constet, quid hoc esset, *Principium*, inquit Varro, *quod erat post murum, pomœrium dictum, ejusque ambitu auspicia urbana finiuntur.* Gellius: *Locus per totius Urbis circuitum pone muros, qui facit finem urbani auspicii.* sic Plutarchus [7]; *οἷον ὀπισθεν τείχους, ἢ μετὰ τεῖχος. quasi post murum, vel pone murum. Ut neque interiore parte* (quod ait Livius [8]) *ædificia mœnibus continuarentur, & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset quam quod murus post id, pomœrium Romani appellarunt.* Jam in Urbis incremento quantum mœnia processura erant, tantum hi termini inaugurati consecratique proferebantur. Limes pomœrii certa per intervalla distinguebatur cippis, id est, lapidibus curvam in formam in summo expolitis. Varro [9]: *Cippi pomœrii sunt circum Romam.* Tacitus: *Inde certis spatiis interjecti lapides.* His additæ sunt inscriptiones. Duas adduco ex Grutero; primam cum Augustus Urbem auxit;

C. MARCIVS. L. F. L. N.
CENSORINVS. ET. C. ASI
NIVS. C. F. GALLVS. COS.
EX. S. C.

FIN. POMER. TERMIN.

Alteram Claudii:

TI. CLAVDIVS.
DRVSI. F. CAISAR.

1 Lib. 1. 2 Lib. 4. Eleg. 4. 3 Lib. 5. 4 loco cit. 5 lib. 2. c. 1. 6 Quid sit Pomœrium. 7 Lib. 13. c. 14. in Romulo. 8 lib. 1. 9 loc. cit.

AVG. GERMANICVS.
PONT. MAX. TRIB. POT.
VIIII. IMP. XVI. COS. IIII.
CENSOR. P. P.
AVCTIS. POPVLI. ROMANI.
FINIBVS. POMERIVM.
AMPLIAFIT. TERMINAFITQ.

Ajo igitur, Romulum cum Urbem conderet, solum Palatium pomœrio inclusisse. [1] Gellius: *Antiquissimum autem pomœrium, quod a Romulo institutum est, Palatini montis radicibus terminabatur.* Fabius: *& Palatinus, in quo Roma.* cum tamen dixisset alios colles habitari. Romulus apud Livium: *Juppiter*, inquit, *tuis jussus avibus hic in Palatino prima urbi fundamenta jeci.* Tacitus: *per ima montis Palatini.* loquitur enim de terminis mœnium. Idemque est apud Valerium, *urbem condere sub monte Palatino.* Messala: *Palatino in monte, auspicato parva mœnia ponunt.* Quod si ante bellum Sabinum Romulus munivit Capitolium, & fortasse Aventinum, teste Dionysio, & Lucumo Hetruscus, teste Fabio, proximum Capitolio Quirinalem, id fecit non habitationis gratia, sed ne editis locis potitus hostis gravius inde in Urbem incumberet. Quare & forum Romanum tunc extra pomœrium fuit. de quo sic Dionysius [2]: *Facto fœdere iidem*, Romulus & Tatius, *planitiem Capitolio subjectam excisa sylva & stagno, quod propter loci cavitatem erat aquarum e vicinis montibus manantium receptaculum, terra congesta repleto, in hujus, quod nunc est, fori usum verterunt.* Neque vero, cum supra ex Fabio Pictore dicebam, ædificatum a Romulo forum, quartam urbis quadripartitæ partem, hoc forum intelligi volui, quod postea *magnum* & *vetus* & *Romanum* dictum est; sed aliquod aliud forum in ipsomet colle Palatino a Romulo factum pro nundinis. Nova enim urbs loco indigebat, quo convenirent cives, negotiarentur, emptionibus venditionibusque necessaria vitæ compararent. Quod ipsemet Fabius confirmat paulo post scribens, inito prælio Sabinorum Romanorumque extra portam Palatinam, Metium Curtium sese cum equo armatum in paludem injecisse. Ex quo (ut quidam ajunt) nomen loco dedit, qui lacus Curtius dictus est, in medio Romano foro, sed tunc palus erat extra Urbem. quod & Livius & Varro memorant.

Hæc quidem clara sunt, quæ conficiunt Palatinum collem Romano pomœrio definitum. Illud difficilius, an Romulus icto fœdere cum Tatio pomœrium produxerit. Nam forte subindicat Tacitus: *Capitolium non a Romulo, sed a Tito Tatio additum Urbi credidere. Mox pro fortuna pomœrium auctum.* Quasi & illi auxerint, ut sequentes Reges. At Dionysius [3]: *Romulo*, inquit, *tenente Palatium, eique contiguum montem Cœlium; Tatio vero Capitolium, quod primum occupaverat, & Quirinalem collem.* Idem indicant quæ supra ex auctoribus recitabam de Urbe, alia atque alia subinde loca appetente.

Idem canit Virgilius [4], apud quem de Romulo Anchises:

En hujus, nate, auspiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septemque una sibi muro circumdabit arces.

Ubi Servius: *Grandis est inde dubitatio, & alii dicunt, breves septem colliculos a Romulo inclusos, qui tamen aliis nominibus appellabantur. Alii volunt hos ipsos, qui nunc sunt, a Romulo inclusos, id est, Palatinum, Quirinalem, Aventinum, Cœlium, Viminalem, Esquilinum, & Janicularem. Alii vero volunt hos quidem fuisse, aliis tamen nominibus ap-*

1 Palatinus pomœrio inclusus. 2 lib. 2. 3 lib. 2. 4 lib. 6.

A *pellatos*. Hæc ille. At non facile affirmaverim, cur dixerit Janicularem pro Capitolino. Janiculum autem fuit extra Urbem, ut infra.

Certum in hac dubitatione primo videtur, non potuisse a Romulo [1] per septem montes urbis extendi pomœrium. Nonnulli quidem illo rege proximos insedere colles, Quirinalem, Cœlium, Esquilinum, sed extra Urbem habitarunt. Nam etsi alii alia scribant, in hoc tamen audiendus potissimum est Livius & Tacitus. Dionysius vero, qui dixerat Tatium Capitolium & Quirinalem habitationi destinasse, postea de Numa scribit, *Quirinalem collem complexus ampliatis mœnibus*; quem tamen collem
B cum reliquis præter Capitolium & Palatinum adjectos esse ab aliis regibus testatur Livius.

At Tacitus [2], qui additum a Tatio Capitolium ex inveterata opinione affirmat, negat, *jure prisco terminos Urbis propagari, nisi ab iis, qui protulere imperium. Et agro quidem de hostibus capto*, ut ait Gellius: quod sanxisse Romulum condita Urbe censendum est. Tatius autem de hoste nihil ceperat, nisi adjectio Sabini territorii pro hostico habenda sit. Nihilominus tamen nemo temere inficiari potest, Capitolium vel a Tatio Romuli ritus imitante, vel a Romulo post Tatii mortem inclusum pomœrio fuisse. Nam & Sabinos novam gentem re-
C ceperat in civitatem, quæ causa fuit posteris regibus proferendi pomœrium. Livius [3] *Sequutusque*, inquit, *morem regum priorum*, Ancus Martius, *qui rem Romanam auxerant, hostibus in civitatem accipiendis*. adjecta quippe multitudine, addebatur habitationi locus. Quare primo Capitolinus mons Sabinis, deinde Cœlius Albanis, tum Latinis Aventinus datus est. Præterea nusquam legimus, deinceps Capitolium Urbi additum, quod de aliis collibus memoratur. Demum quia non licebat captare urbana auspicia extra pomœrium, sequentibus autem ætatibus in Capitolio præsertim de cœlo est observatum. Qua-
D re collis ille celeberrimus finibus inauguratis & pomœrio circumscriptus est.

Hic tamen negotium facessit Plutarchi auctoritas. Ait enim [4]: *Vulcani templum jam inde ab initio ædificatum a Romulo, ut ibi una cum collega suo Tatio curiam haberet, & colendum quidem deum ignibus præpositum, sed extra Urbem locum illi assignandum statuisse*. Quibus consentiunt ea quæ tradit Vitruvius [5] ex aruspicum Hetrusca disciplina. Atqui hujus templi locum designat Dionysius [6] loquens de foro Romano, *Ubi*, inquit, *magna hominum frequentia negotiabatur circa Vulcani templum paulum supra forum eminens*, ibique narrat Romulum dedicasse qua-
E drigas æreas, & suam effigiem; quod & Plutarchus testatur in Romulo. Eandem Vulcani ædem sive Vulcanale supra Comitium in Foro collocat Sextus Pompejus. Ex quibus deducitur ædem Foro imminentem extra Urbem fuisse; quod tamen recepto intra Urbem Capitolio esse non potuit, interjacente Foro Palatinum, & Capitolinum collem. Constat autem illam ædem non ante conditam, quam Romulus, & Tatius pari potestate regnarent. Quod cum Plutarchi verba demonstrant, tum Livius [7], ubi Jovis Feretrii templum omnium primum Romæ sacratum scribit in Capitolio.

F Nodus hic facile explicatur. Ædes enim Vulcani structa [8] est a Romulo extra suam Urbem, nempe Palatium, & extra Tatianam, nempe Capitolium. Verum postea ad parandum Forum complanata repurgataque valle intermedia, ut Urbem utramque conjungerent, ibi quoque pomœrium continuari debuit, intra ejus fines recepta cum Foro æde Vulcani. Crediderim autem Romulum satisfecisse voluntati suæ, si ædem Vulcani incendiorum præsidis sua Palatina Roma amandasset, ut ignes ab ea removeret.

Iam [1] ut congrua Urbis auctæ delineatio sit: A sinistro Capitolii latere, ubi postea carcer Tullianus, pomœrium Colosseum versus producatur, ut Sacram quoque viam, in qua Romulus & Tatius fœdus fecerant, aliqua parte includat. Inde conversum per radices Palitini, vallemque Circi maximi tendat ad Tiberim. Ad quem alia pars muri pertinebat, dextrorsum Capitolio accubantis, productique secundum theatrum Marcelli. Ibi Porta Carmentalis.

1 Pomœrium sub Romulo non occupavit septem montes. 2 Qui ex jure terminos Urbis propagarint. 3 lib. 1. 4 in Quæst. Rom. q. 47. 5 Lib. 1. c. 7. 6 Lib. 2. 7 lib. 1. 8 Vulcani Templum quomodo extra Urbem.

1 Aucta Urbs a Romulo quid occuparit.

CAP. IV.

Portæ Urbis Romuli.

GENERATIM de portis scribit Plutarchus [1], portas Urbis sacras non fuisse. Nam cum conditores aratro mœnia designarent, [2] *Ubi portam*, inquit, *designare visum est, vomere exempto, atque aratro sublato spatium relinquunt. Unde totum habent murum præter portas sacrum. nam eas si ducerent sacras, religiosum esset necessaria & impura in Urbem recipere & exportare*. Sic ff. lib. 1. tit. de Div. Rer. l. *si quis violaverit muros, capite punitur. Sicuti si quis transcendet scalis admotis, vel alia qualibet ratione: nam cives Romanos alio, quam per portas egredi non licet, cum illud hostile & abominandum sit. Nam & Romuli frater Remus occisus traditur ob id, quod murum transcendere voluerit*. Idem testatur Ovidius [3], apud quem verba jubentis Romuli sunt:

Neve quis aut muros, aut factam vomere fossam
Transeat: audentem talia dede neci.
Quod Remus ignorans humiles contemnere muros
Cœpit, &, His populus, dicere, tutus erit?
Nec mora, transiliit: retro Celer occupat ausum:
Ille premit duram sanguinolentus humum.

Quamvis autem portæ sacræ non essent, *sanctas* tamen dicebant. Inst. lib. 2. de Rer. divis. §. *sanctæ. Sanctæ quoque res, veluti muri & portæ Civitatis. Ideo autem muros sanctos dicimus, quia pœna capitis constituta in eos, qui aliquid in muros deliquerint*. ff. aut. tit. cit. l. *sanctum. Sanctum est quod ab injuria hominum defensum, atque munitum est*. & l. *sacra. Dicimus sancta, quæ neque sacra, neque profana sunt; sanctione enim quadam sunt subnixa. Quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est*. Hinc intelligi potest frustra a quibusdam ex loco Plinii vel corrupto vel perperam explanato, de quo postea, designari in urbe Roma florenti & aucta portas triginta septem. Cum enim muri sacri essent, & multo pauciores post exactos reges portæ fuerint, jure infertur, nunquam tot portas fuisse. Religiosum enim erat rem sacram evertere, & non sacram, id est, portam substituere. Idque immutatis muris nunquam factum opinor. Quamquam forte aucto pomœrio contingere potuit. Sed & tunc antiquas portas ad novi muri ambitum fuisse translatas probabilius est.

Jam portæ Urbis Romuli quot fuerint, docet Plinius [4]. *Urbem*, inquit, *tres* [5] *portas habentem Romulus relinquit, aut ut pluribus tradentibus credamus, quatuor*. Prima [6] dicta est *Mugionis* seu *Mugonia* a boum mugitu, qui ex ea emittebantur. Fuit

1 in Romulo. 2 Portas quomodo constituerunt antiqui. 3 4. Fast. 4 Lib. 3. c. 5. 5 Tres portæ Urbis Romuli. 6 Porta Mugonia.

hæc, ut ait Dionysius [1], *prope templum Jovis Statoris*, ducebatque e Sacra via in Palatium, *cujus viæ capite templum Jovis Statoris erat*, ut ait Plutarchus [2]: *in ipso fori Romani margine*, ut colligitur ex Livio [3]. Hæc ergo porta ibi erat, qua parte mons Palatinus est devexus in vallem, ubi olim templum Pacis, nunc Paciferæ Virginis, Novæ cognomento, contra ipsam ædem SS. Cosmæ, & Damiani. Altera [4] *Romanula* sive *Romana* dicta est, *Quæ*, ut ait Varro, *est dicta ab Roma, quæ habet gradus in Navalia ad Volupiæ sacellum, & Porta Romana instituta est a Romulo in infimo clivo Victoriæ, qui locus gradibus in quadraturam formatus est*. Hic autem locus idem ille videtur esse, de quo Plutarchus [5]: *Romulus habitavit ad Pulchri littoris quos vocant gradus circa descensum ex Palatio in circum maximum*. Quod si verum est, hæc porta in altero latere Palatini collis sita fuit, contra Aventinum, & circi maximi vallem spectans. Quod etiam conjicitur ex aliis Varronis verbis: *Hoc sacrificium fit in Velabro, qua in Novam viam exitur, ut ajunt quidam, ad sepulchrum Accæ, qui locus extra Urbem antiquam fuit, non longe a porta Romanula*. Velabrum enim prope circum maximum fuit. Quamquam Sextus Pompejus videtur refragari, qui hac porta iter aperit in Sabinos.

Tertia [6] porta *Juvenalis* est dicta *ab Jano*, ut ait Varro, *& ideo ibi positum Jani signum, & institutum a Numa Pompilio, ut sit clausa semper, nisi cum bellum sit*. Non facile statui potest, ubi hæc porta fuerit. Onuphrius collocat in foro Romano, deque ea loquutum putat Livium iis verbis [7]: *ut Hostius cecidit, confestim Romana inclinatur acies, fusaque est ad veterem portam Palatii*. Sed ibi sermo est de porta Mugonia ad Sacram viam, & templum Jovis Statoris. Subdit enim Livius, Romulum turba fugientium auctum, votum eodem in loco nuncupasse, templumque Jovi obtulisse. Quod templum inibi postea ædificatum prope portam, ut supra dixi, Mugoniam fuit. Macrobius [8] ponit sub radicibus Viminalis. sed hic locus ab Urbe Romuli non parum aberat. Ovidius [9] inter duo fora collocat (Boarium & Piscarium, ut interpretantur) subjiciensque causam ait, Tatium Sabinorum regem, occupata jam arce descendisse in forum per clivum Capitolinum; hic enim est intelligendus. Tum subdit, Jano loquente.

Et jam contigerant portam, Saturnia cujus
Dempserat oppositas invidiosa seras.
Cum tanto veritus committere numine pugnam,
Ipse meæ movi callidus artis opem.
Oraque, qua pollens ope sum, fontana reclusi:
Sumque repentinas ejaculatus aquas.
Ante tamen madidis subjeci sulphura venis,
Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.
Cujus ut utilitas pulsis percepta Sabinis,
Quæ fuerat tuto reddita forma loco est.
Ara mihi posita est parvo conjuncta sacello;
Hæc adolet flammis cum strue farra suis.

Eandem fabulam loco citato refert Macrobius. Porro locum, & portam fuisse ad ædem Jani, indicem pacis ac belli, indicant Ovidii sequentia:

Sed cur pace lates, motisque recluderis armis?

Omissis quæ de hoc templo alibi dicenda sunt, portam Janualem templo Jani propinquam arbitror sub Palatino colle, qua spectat Capitolium, primo fuisse. Romanos [10] Sabino bello partim ad Mugoniam cum Romulo, partim ad Janualem, divisa fuga venisse. De Mugonia Livium: de Januali Ovidium & Macrobium, mutato portæ situ, loquutos: de utraque Dionysium, πλησιάζοντες ταῖς πύλαις, *appropinquantes portis*. Ad Mugoniam stetisse Romulum, impetuque in subeuntes hostes facto Sabinos fudisse: eosdem Januali portæ appropinquantes fuisse aversos aliorum fuga, & Curtii Sabini periculo, qui in proximam paludem confluentibus aquis se conjecerat. Inde exortam fabulam Jani aquam effundentis commiscentisque sulphuratos humores; nam ad Janum geminum, ut ait Varro, *aquæ sulphuratæ fuerunt*. Quod ad Jani ædem pertinet, putarim quoque simulacrum & ædiculam Jano fuisse factam a Romulo ad radices Palatii, ubi porta Janualis. Servius [1], *Constat*, inquit, *Jani templum patuisse sub Romulo*. Postea ampliato pomœrio cum Capitolium & Palatium idem murorum ambitus cingeret, translatum a Numa signum, templumque extra mœnia, &, quasi bellum excluderetur, clausas templi fores apertas sub Romulo. An eodem translata sit porta Janualis, mihi exploratum non est. Hoc quidem, & ejusdem portæ claudendæ aperiendæque morem indicat locus Varronis. Favent & Ovidii carmina: quamquam ipse de ea porta sic est loquutus, quasi & in Palatio, & ad imum Argiletum sub Capitolio esset. Ex consuetudine videlicet poetarum, quibus per anachronismos mutare in rebus rationem temporum religioni non est.

Quarta est porta *Carmentalis* [2] ad radices Capitolii, & forum nunc Montanarium, fortasse *Juvenalis* etiam dicta, ut tres tantum essent portæ. De ea postea.

Alterius portæ meminit Varro, quæ *Saturnia* diceretur ad ædem Saturni sub Capitolio, quam nunc, inquit, vocant *Pandanam*. Hæc quamvis forte in Urbe Romuli aucta, & complectente Capitolium usui esset, tamen non censetur in Romanarum portarum numero, quia supererat ex vetere oppido, quod in Capitolio situm *Saturnium* dicebant. Apud Ovidium [3] sic Juno:

A patre dicta meo quondam Saturnia Roma est,
Hæc illi a cælo proxima terra fuit.

Ex his animadvertes haud recte a M. Fabio Ravennate, deinde a Jano Jacobo Buissardo, qui ejus vestigiis institit, Romam quadratam Romuli delineatam fuisse. Quatuor enim montes mœnibus comprehendunt, Capitolinum, Palatinum, Esquilinum, Aventinum. Atque ut alia, quæ ibi peccant, prætereatm, frustra expromunt quadratam Romam confictis quatuor monticulis, dolatis quodammodo & in quadrum dispositis. Nam ex quatuor illis muro inclusis nunquam Urbs quadrata existeret. Quæ si fuit, solum secundum radices Palatii fuit.

1 Lib. 2. 2 In Vita Cicer. 3 Lib. 1. 4 Porta Romanula. 5 In Romulo. 6 Porta Janualis. 7 lib. 1. 8 lib. 1. Saturn. 9 1. Fast. 10. Fuga Roman. ut se habuerit.

1 1. Æneid. 2 Porta Carmentalis. 3 6. Fast.

CAP. V.

Incrementum Urbis sub aliis regibus.

NUMA secundus Romanorum rex nihil addidit. At refragatur Dionysius, qui sic ait: *Numa & Quirinalem collem complexus ampliatis mœnibus*. Sed contra, Livius [1] adjectionem Quirinalis Servio Tullio attribuit. Ubi sola certatur auctoritate, auctorem sequor Livium; cum quo sentit Plinius, sive quis alius de Viris illustribus. Numa quidem in Quirinali domum sibi paravit, sacravitque ædiculam, ut alibi referam: sed montem Urbi non addidit.

Cœlium, hodie *Lateranum*, addidit Tullus Ho-

1 lib. 2.

ſtilius, traductis Romam Albanis. Dionyſius factum aſtruit ante bellum Albanum; nec, puto, perſuadet. Cauſa enim, quam ſupra attigi, dictum oppugnat, Urbis videlicet terminos neminem auxiſſe, niſi aucto imperio, & agro de hoſtibus capto. Qua conficitur, nihil adjeciſſe Numam, qui ſerere in animis religionem, quam bello captis agris frumenta maluit.

Ancus Martius recepto more dandi civitatem victis hoſtibus, pro Latinis munivit Aventinum, ubi templa SS. Sabinæ & Balbinæ: iiſdemque habitandam dedit Murtiam vallem, duobus ſubjectam collibus, Palatino, & Aventino. Murtia autem a Venere dicitur, quæ olim *Myrtia* de *myrto* eidem dicata dicebatur, teſte Plutarcho. Idem Rex Janiculum mœnibus ſepſit, ne illo potiretur hoſtis: fluvium iliceo ponte junxit, quem *Sublicium* dixere, ut ex Aventino pervium in Janiculum iter eſſet.

Quæret aliquis, cum hoc rege Urbs terminaretur Capitolio, nec Quirinalem aut Eſquilias attingeret, cur ſcripſerit Livius, *carcer media Urbe imminens foro ædificatur?* Nam forum ſub Capitolio erat, Urbs autem verſus Palatinum & Cœlium & Aventinum longius producebatur. Sed *media Urbs* pro loco Urbis celeberrimo habenda eſt, in quo fere degeret populus, negotiaretur, otiareturque. Hujuſmodi enim loca pro urbium meditullio habentur.

Tarquinius rex quintus Urbi nihil ſoli, muri plurimum addidit. de quo ſic Livius: *Muro lapideo Urbem cingere parat*. Meſſala: *Muro lateritio circuit Urbem, aquas cloacis e faſtigio in Tiberim ductis ſiccat*. Poſtremus Servius Tullius rex ſextus Quirinalem, hodie *Caballum*, in quo ædes Pontificiæ: Viminalem, in quo templum S. Laurentii in Paniſperna, & thermæ Diocletiani: & Eſquilinum collem adjunxit, in quo Templa S. Petri ad Vincula, & S. Mariæ Majoris: mœnia, & pomœrium protulit.

Hic ſuboritur dubitatio, an Tullus Hoſtilius & Ancus Martius pomœrium protulerint. Nam Livius ſolum a Servio fuiſſe prolatum ſcribit, cum Gellio. Ancum quidem conſtat non auxiſſe, quamvis eodem modo de hoc rege, ac Tullo Hoſtilio loquantur Livius, Dionyſius, Plinius & tamen de Anco eſt negandum, addito Aventino, quod affirmatur de Tullo Hoſtilio, adjecto Cœlio. Aventinus enim mons infelix & inauſpicatus credebatur eſſe: *Quod eo monte*, inquit Gellius [1], *Remus Urbis condendæ gratia auſpicaverit, aveſque irritas habuerit ſuperatuſque in auſpicio a Romulo ſit. Idcirco* (ut ait Meſſala apud eumdem) *omnes, qui pomœrium protulerunt, montem iſtum excluſerunt, quaſi avibus obſcœnis ominoſum*. Fabius autem Pictor [2], *Aventinum*, inquit, *Romulus neminem paſſus eſt habitare: nam fratri Remo illum ſacrum eſſe voluit uſque Helernam*. Lucus eſt hic Aventini ad Tiberim. Sed quoniam Ancus propter locorum ſitus Urbem ab ea parte non ſatis munitam animadvertit, præaltum collem muris, & ædificiis occupavit; illum tamen extra urbem [3] non producto pomœrio reliquit. Pomœrium enim religioſe vereque Urbem terminabat inauguratum conſecratumque. Seneca [4]: *Hoc*, inquit, *ſcire magis prodeſt, quam Aventinum montem extra pomœrium eſſe, propter alteram ex duabus cauſis, aut quod plebs eo ſeceſſiſſet, aut quod Remo auſpicante illo loco aves non addixiſſent*. Sic vero ſe habuit uſque ad Claudium Cæſarem. *Quo auctore*, inquit Gellius, *receptus, & intra pomœrii fines obſervatus eſt. Et quos*, ait Tacitus, *Claudius terminos poſuerit, facile cognitu, & publicis actis præſcriptum*. Hi utique, de quibus Gellius; aliter non facile eſſet cognoſcere.

1 loc. cit. 2 lib. 2. 3 Aventinus extra Urbem. 4 De brevit. vit. cap. 4.

At Cœlius collis adverſa de cauſa pomœrio includitur; non enim inauſpicatus eſt collis, neque inficiantur auctores ibi fuiſſe pomœrium. Tacitus quidem, eodem loco, plures Reges auxiſſe pomœrium notat. *Regum*, inquit, *in eo* (pomœrio) *augendo ambitio vel gloria varie vulgata*. Quod ſi Tullus Hoſtilius non auxit, qui Reges, præter Servium auxerunt? Neque deinceps Cœlium ab alio intra pomœrium incluſum conſtat. Quamvis autem Plinius ſcribat Aventinum Urbi additum, & Dionyſius Ancum regem Urbem non mediocriter auxiſſe, Aventinum complexum eiſdem mœnibus; Livius tamen ait, Aventinum novæ multitudini datum, quaſi non receptum intra Urbem.

CAP. VI.

Janiculum fuiſſe extra Urbem.

IS mons eſt imminens Tranſtiberinæ regioni, in quo templum colitur S. Petri, cognomento Montorii: Hunc Montem Ancus etiam munivit. Plinius: *Ancus Aventinum & Janiculum Urbi addidit*. Livius: *Janiculum quoque adjectum*. Dionyſius: *Muro cinxit & Janiculum montem in adverſa ripa imminentem Tiberi, collocavitque in eo præſidium, ut ab Hetruſcis tutior eſſet fluminis navigatio*. Onuphrius his permotus, *Quamvis autem*, inquit [1], *Ancus Aventinum extra pomœrium eſſe voluerit; illud tamen, Janiculo & Tranſtiberina regione Urbi adjunctis, quartus a Romulo protulit*. Ego autem, quidquid eſſet trans Tiberim, fuiſſe extra Urbem & pomœrium cenſeo. Neque id oſtendere difficile eſt. Nam Dion [2], cum ſcripſiſſet Metellum Celerem augurem prætoremque e Janiculo vexillum revelliſſe, ſubdit: *Quod de vexillo dixi, ſic habet. Cum antiquitus multi hoſtes circum Romam habitarent, veriti Romani, ne dum ipſi comitia centuriata agerent, hoſtes per inſidias Urbem aggrederentur, Janiculumque occuparent* (τὸ Ιανίκουλον καταβάλλοντες) *ſtatuerunt non omnes ſimul ire in ſuffragia, ſed ut ſemper aliqui armati per vices eum locum cuſtodirent. In Janiculo igitur quandiu populi conventus durabat, cuſtodiæ agebantur. Cum autem ſolvenda jam erat* ἐκκλησία *ſeu conventus, ſignum a Janiculo removebatur, cuſtodeſque diſcedebant. Non autem licebat cuſtodiis ab eo loco remotis quicquam amplius ſtatuere. Is autem mos ſolis centuriatis comitiis obſervabatur, cum extra Urbem omnes in armis adeſſe res poſtulabat, & id hodieque religionis cauſa fieri ſolet*. ἀλλά τινας inquit, ἀεὶ ἐνόπλους τὸ χωρίον ἐκεῖνο ἐκ διαδοχῆς φυλάττειν, καὶ αὐτὸ, ἕως μὲν ἡ ἐκκλησία ἦν, ἐφρούρουν. ὁπότε δὲ διαλύεσθαι ἔμελλε, τότε σημεῖον καθῃρεῖτο, καὶ οἱ φύλακες ἀπηλλάσσοντο. οὐ γὰρ ἐξῆν μὴ φρουρουμένου τοῦ χωρίου ἐκείνου οὐδὲν ἔτι χρηματισθῆναι,

Quod etiam probatur explicaturque a Gellio [3]: *Centuriata autem comitia intra pomœrium fieri, nefas eſſe, quia exercitum extra Urbem imperari oporteat, intra Urbem imperari jus non ſit. Propterea centuriata in campo Martio haberi, exercitumque imperari præſidii cauſa ſolitum, quoniam populus eſſet in ſuffragiis ferendis occupatus*. Ex geminis horum auctorum locis hæc perſpicue deducuntur. Exercitum intra Urbem imperari jus non erat: imperabatur autem centuriatis comitiis, & collocabatur in Janiculo. Hic igitur erat extra Urbem. Non video quid inficiari quiſpiam queat, niſi prædicet, in Janiculo quidem, at extra mœnia poſitas fuiſſe cuſtodias, & cum vexillo militari exercitum; non

1 In Urb. Roma. 2 Lib. 37. 3 lib. 16. cap. 27.

enim



INSULAE TIBERINAE ET PONTIS SENATORII VESTIGIA.



Obeliscus in ingres. Flaminia.

enim mœnia occupant totum collem. Cui responsioni vix videtur occurrendum; pugnat enim perspicue cum sensu Dionis, qui ait, recepto a priscis more aliquos armatos in Janiculo egisse custodias. Ubi autem custodiæ fiebant, nisi ad portas & in ipsis mœnibus? in quibus videlicet signum ponebatur, ut ex editi collis præcelsa turri prospiceretur e campo Martio. Deinde quando de Janiculo post Urbem conditam loquuntur auctores, nisi quid obstet, partem collis mœnibus cinctam debemus intelligere. Sic enim Livius [1]: *Janiculum quoque adjectum non inopia loci, sed ne quando ea arx hostium esset*. Et [2]: *Cum captum repentino impetu Janiculum*. Et [3]: *velut agmine jam uno petiit Janiculum*. Et clarius paulo post: *Via quæ Sublicio ponte ducit ad Janiculum. In eo clivo, cum L. Albinus de plebe Romana, &c.* Sic apud Appianum [4]: *Octavius in medio Janiculi perstans*. Et: *Nam pars collem qui Janiculus dicitur, in quem pecuniæ omnes collocatæ fuerunt, insederat*. ubi vides partem collis intelligi, quæ muris muniretur. Nec tamen intra Urbem esse dicenda est; hoc enim est, esse intra pomœrium, non intra muros, ut de Aventino dicebam. Nec inficias ierim, interdum hoc nomine totum significari collem, seu verius continuatos colles. Dubie Ovidius [5]:

Arx mea collis erat, quam vulgus nomine nostro
Nuncupat: hæc ætas Janiculumque vocat.

Nam in eo colle Urbem Antipolim condiderat Janus. Martialis non de munitione solum Anci loquutus est, cum ait [6]:

Tulli jugera pauca Martialis
Longo Janiculi jugo recumbunt.

Aperte enim verticem indicant, cui subjacet campus Vaticanus, quæ sequuntur:

Illic Flaminiæ Salariæque
Gestator patet.

Et:

Cum sit tam prope Milvius.

Ex quibus videtur Martialis improprie loquutus, & accepisse montes Vaticanos pro Janiculo. Hi enim sunt colles, qui perpetuo jugo ab Janiculo per tria circiter millia passuum tenduntur ad Milvium Pontem. Cicero [7]: *A ponte Milvio Tiberim duci secundum montes Vaticanos*. Et Horatius [8]:

—— datus in theatro
Cum tibi plausus,
Chare Mecænas eques: ut paterni
Fluminis ripæ, simul & jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Cæcubam, & prælo domitam Calœno
Tu bibes uvam: mea nec Falernæ
Temperant vites, nec Formiani
Pocula colles.

Loquebatur autem de plausu facto in theatro Pompeii, quod fere contra ipsum Janiculum erat, ex quo plausu resultavit echo e Vaticano colle.

Præterea insula, quæ media est inter Urbem & Transtiberinam regionem, fuit olim extra pomœrium: igitur multo magis Transtiberina regio & Janiculum. Illud autem tum ex Plutarcho [9] patet, tum ex Plinio. Plutarchus quærit, cur Æsculapii

1 lib. 1. 2 lib. 2. 3 lib. 5. 4 lib. 1. de Civil. bel. lib. 3. 5 1. Fast. 6 lib. 4. ep. 66. 7 Lib. 13. epist. ad Attic. ep. 33. 8 Od. 20. l. 1. 9 In Quæst. Rom. q. 94.

A templum extra Urbem [1] esset, cum esset in insula Tiberina, tresque reddit causas; *Vel quod purior & salubrior sit aer extra, quam intra Urbem; vel quod Epidauro peste laborantes Æsculapium accersendum curaverint; Epidaurii autem non in Urbe, sed procul inde templum habuerint*, quod Livius [2] quinque millibus passuum ab Urbe distans describit; *vel quod Romani anguem ab Epidauro, qui se in eorum navem contulerat, in quo ipsum numen esse putabant, deportavere: eoque in insulam Tiberis egresso arbitrati sunt Deum locum templi indicasse*. Claudianus: [3]

B

Huc depulsurus morbos Epidaurius hospes
Reptavit placido tractu, vectumque per undas
Insula pœonium texit Tiberina draconem.

Idemque legimus apud alios [4]. Plinius [5] vero aliam addit causam, cur templum extra Urbem fuerit, quod prisci illi artem medicam damnarent, & ut medicos, ita Æsculapium illorum principem nollent in Urbem admittere: *Ideo*, inquit, *templum Æsculapii, etiam cum reciperetur is Deus, extra Urbem fecisse, iterumque in insula, traduntur*. arbitror legendum, *Tiberisque in insula traduntur*. propterea Dionysius [6], *insulam Æsculapio sacram* appellat. quæ nimirum etiam in ejus effigiem Navis,
C qua est advectus Anguis conformata fuerit. Cæterum Kal. Januar. (ut hoc loco etiam ista commemorem) fuisse illam ædem cum proxima Jovis dicatam docuit Ovidius [7]:

Sacravere Patres hac duo templa die.
Accepit Phœbo nymphaque Coronide natum
Insula, dividua quam premit amnis aqua.
Jupiter in parte est: cœpit locus unus utrumque,
Junctaque sunt magno templa nepotis avo.

Sed Jovis ædes [8] multo post dedicata est an. Urb. cond. DLVIII. ut Livius testatur. [9]

D Eandem Insulam extra Urbem fuisse confirmat Varro, [10] ubi ait: *Amnis id flumen est, quod circuit aliquid: nam ab ambitu amnis. Itaque Tiberis amnis, qui ambit campum Martium, & Urbem*. Si Janiculum ponatur intra Urbem, Tibris non fluendo ambiret illam, sed interflueret. quare extra fuit. Confirmat Dionysius, qui lib. 3. de Tiberi sic ait: *Qui ex Apennino* ϗ πάρ αὐτὴν δὲ Ῥώμην ῥέων, *& præter ipsam Romam fluens*. de eodem Auctor panegyr. ad Constantinum: *Tu munitor mœnibus ambiendis*.

Ad hæc Festus scribit, in Janiculo ludium sepul-
E tum fuisse, qui quondam fulmine in circo ictus fuerat, cujus ossa postea ex prodigiis oraculorumque responsis senatus decreto intra Urbem relata in Vulcanali, quod supra Comitium est, obruta sunt. Non enim licebat in Urbe hominem sepelire ex lege duodecim tabularum, quæ memoratur a Tullio [11]: *Hominem mortuum, inquit lex in duodecim tabulis, in Urbe ne sepelito, neve urito*. Quamquam, ut Plutarchus [12] scribit, ejus qui acto triumpho esset mortuus, cremati os sumptum in Urbem inferre, atque honoris causa deponere soliti sunt. Et Fabricio propter virtutem, post conditas duodecim Tabularum leges datum, ut in foro sepeliretur. Relicto ergo
F Janiculo, quamquam & Cluverus contra sentat, extra pomœrium, intra illud statuantur sex colles, & post Claudium septem: Capitolium, Palatium, Aventinus, Cœlius, Esquilinus, Viminalis, Quirinalis. Sit extra Urbem, quidquid trans fluvium est, & collis hortorum, postea Pincius, nunc Trinitatis.

1 Ædes Æsculapii in insula Tiberina. 2 Dec. 5. l. 5. 3 l. 3. in Stilic. 4 Plin. l. 2. q. cap. 4. Val. lib. 1. cap. 8. Liv. epit. Dec. 2. lib. 1. 5 lib 29. cap. 1. 6 lib. 1. 7 lib. 1. Fast. 8 Ædes Jovis in insula Tiberina. 9 Dec. 4. l. 4. 10 lib. 4. de ling. Lat. 11 2. de Legibus. 12 In Quæst. Rom. q. 89.

At inquies, nonne Roma semper dicta post reges ἑπτάλοφος, *septicollis* [1]? Ita sane. Non enim cum septem colles numerant, excludunt Aventinum. is enim quamvis extra pomœrium esset, dicebatur tamen unus e septem Urbis collibus, quod mœnia cæteris adjuncta haberet, perpetuumque omnium munimentum esset; contra Janiculi mœnia fluvio intermissa longe amovebantur ab Urbe. Quare hic extra numerum collium, Aventinus unus e septem fuit. Rursus inquies, alii dissentiunt, & unum pro alio collem substituunt, de quibus Ludovicus Cerda [2]. Sed hi auctores montem non multiplicant, sed nomina montium. *Neque enim*, ut idem ait, *octo montes facit Festus, memorando Palatium, Veliam, Fagutalem, Suburam, Germalum, Cœlium, Oppium, Cispium*. Quatuor enim ibi tantum colles enumerantur: *Palatinus*, cujus summa pars est *Velia*, & *Germalus* ima, qui locus a *germanis*, Romulo & Remo, ibi ad fluvium & ficum ruminalem inventis, dictus est, ut Varro scribit. *Fagutalis*, qui & *Viminalis*. *Suburra* collis non est, sed locus sub Esquiliis, cum clivo in easdem Esquilias. postremo mons *Cœlius* & *Esquilinus*, qui & *Oppius* & *Cispius*, teste Varrone ab *Oppio* viro Tusculano, *Cispio* Anagnino, qui ibi stationes habuerant, ut Festus ibidem. Non ergo montes enumerat Festus, sed loca ubi fiebat sacrificium *septimontium*. nam paulo post: *Septimontium appellabant diem festum, quod in septem locis faciebant sacrificium, Palatio, Velia*, &c.

1 Unde & dies *septimontium* ab his *septem montibus*, ut ait Varro. 2 In 6. Æneid.

CAP. VII.

Urbis ambitus sub Consulibus usque ad Syllam.

ROMA sub Regibus fuit annis ducentis quadraginta quatuor, ut Dionysius, [1] & Livius [2] testantur. a quo anno usque ad Syllam dictatorem, nempe Urbis annum sexcentesimum septuagesimum quartum, fluxerunt anni quadringenti & triginta. Quo tempore, quia nihil Urbi adjectum est, quanta esset ejus magnitudo, statui debet. Ducendi ergo muri [3] sunt a Tiberi juxta theatrum Marcelli ad saxum Tarpejum: tum in colle Capitolino per ejus crepidinem, qua vergit ad planiciem Romanam: inde Columnam Trajanam versus, quæ pars collis Quirinalis olim fuit: hinc ad ejus collis jugum versus Pontificium palatium: tum S. Susannæ templum. Hæc enim crepido montis perpetuo decurrens imminet subjectæ valli; quanquam aliqua nunc molliori petuntur clivo, quæ olim abrupta & aspera fuere. Ultra ædem S. Susannæ Collina porta, quæ & Salaria, secundam viam Numentanam: a qua ad portam Esquilinam directus est agger Tarquinii regis nongentos circiter passus, ut murus, qui nunc flexuris angulisque conversus amplius spatium propter causas post afferendas complectitur, recta producatur. A porta Esquilina versus Basilicam S. Mariæ Majoris mœnia deducta tendebant in Cœlium montem, ejusque dorsum insidebant, usque ad eam partem, quæ devexa est, ultra hortos Matthæiorum. Tum delapsum in valles pomœrium juxta viam Appiam per radices Aventini montis, extra ipso relicto, decurrebat in Tiberim. quamquam & Aventinus suo cinctus muro urbi munimento fuerit. Hic est ambitus, quem

1 lib. 2. 2 lib. 1. 3 Romæ ambitus sub Regibus.

A Reges reliquerunt, neque ulterius processit *religionibus*, quod ait Dionysius [1], *ut fertur, non permittentibus*, οὐκ ἐῶντος, ὡς φασὶ, τοῦ δαιμονίου. Hic vero, quoniam quædam certa, quædam incerta dicuntur, separanda, & dubia confirmanda sunt.

Primum ergo certum est, Aventinum extra pomœrium & Urbem fuisse; quod supra diximus. Alterum paulo minus incertum, Urbis mœnia secundum jugum Quirinalis collis, in fine aggeris Tarquinii, in summo item Esquilino, & Cœlio colle fuisse. Plinius [2]: *Clauditur* Roma *ab oriente aggere Tarquinii Superbi inter prima opere mirabili. Namque eum muris æquavit, qua maxime patebat*
B *aditu plano: cætero munita erat præcelsis muris, aut abruptis montibus*. Dionysius [3]: *Urbis*, inquit, *mœnia erant partim in montibus sita & rupibus, mediocri præsidio propter loci naturam opus habentibus; partim munita Tiberi fluvio*. Qui vero fuerint abrupti hi montes præter Capitolinum, Quirinalem, & Cœlium, dicere nemo potest, nisi forte illa ætate Esquilinus inter ortum & meridiem non modico & ipse jugo tollebatur, quod nunc fere sive ruinis, sive aggesta humo complanatum est. Præruptus & Aventinus, si ascribatur septem Urbis collibus. Muri interjectas valles occupabant. Agger
C autem Tarquinii sic ab eodem Dionysio eodem loco describitur: *Qua vero maxime hostibus Urbs est obnoxia, ab Esquilina porta Collinam usque opere manufacto munita est, fossa lata centum pedes, qua minimum, alta triginta: cui imminet murus alto & lato intus suffultus aggere, nec arietibus quassari, nec cuniculis suffodi facilis. Ea munitio septem ferme stadiis longa, lata quinquaginta pedibus*. Strabo [4], *Aggerem*, inquit, *porrexerunt super fossæ supercilio interiore, murumque cum turribus e Collina porta usque ad Esquilinam imposuerunt*. Hic ergo agger longus erat passus octingentos septuaginta quinque, tantumque porta Collina & Esquilina in-
D ter se distabant. Onuphrius aggerem parum ultra thermas Diocletiani adhuc spectari docet, additumque postea murorum circuitum latiorem. Sed Plinius contra, *Urbs*, inquit, *clauditur ab oriente aggere Tarquinii superbi*. Igitur longe ultra thermas ad mœnia pertinebat, qua tenduntur a porta Numentana, nunc Pia, ad portam Sancti Laurentii, olim Esquilinam.

Magis ambiguum est, an Capitolium Urbem terminarit ab occasu & septentrione, qua parte imminet planiciei, in qua nunc ædificia Romana sunt. Marlianus sic ait [5]: *Arbitramur partem Urbis planæ prisco etiam tempore fuisse intra Urbem,*
E *deducto videlicet muro a Collina ad Tiberim, e regione murorum ab Anco in Transtiberina regione collocatorum*. Huic subscribit Onuphrius. [6] *Muri*, inquit, *haud longe a ponte, qui nunc dicitur Xystus, versus Farnesiorum Palatium incoabant ex adverso murorum ab Anco Marcio rege in Transtiberina regione structorum, & portæ, quæ nunc Septimiana dicitur; qui per mediam Urbem planam circa campos Floræ, Agonalemque & Pantheum ad Quirinalis radices ea parte, in qua Cardinalis Carpensis horti sunt collocati, protendebantur*. Sed vir eruditissimus non meminit eorum, quæ alibi scripsit de cir-
F co Flaminio. Alii, ut Fulvius [7], & Blondius [8], Plinii terminos illi attribuunt, de quibus postea; hujus temporis ambitum minus diligenter inquirunt. Res a me fusius discutienda, fiet in aperto quorundam locorum accurata cognitione.

1 lib. 4. 2 lib. 3. c. 5. 3 lib. 9. 4 lib. 5. 5 lib. 1. c. 5 6 In Urbe Roma. 7 lib. 1. Antiquitat. 8 lib. 1. Inst. Romæ.

CAP. VIII.

Campum Martium, eique adjunctum alterum minorem campum fuisse extra Urbem.

CAMPUS Martius ex eo dictus, quod Marti dedicatus erat. Ambigitur quos fines haberet. Livius [1]: *Ager Tarquiniorum, qui inter Urbem & Tiberim fuit, consecratus Marti, Martius deinde Campus fuit.* Dionysius [2]: *Agrum, quem illi Tarquinii privatim possederant, inopibus ex plebe diviserunt, uno tantum campo exempto, qui situs est Urbem inter & fluvium. Is jam ante Marti sacer erat, pratum equis & juventuti in armis exercendæ accommodum.* Uterque auctor videtur asserere, quidquid campi inter colles & Tiberim jacet, esse Martium. Quia tamen Dionysius ante exactos reges, Livius post pulsos Tarquinios Marti consecratum refert, Livium sequor. Quod si dicas cum Dionysio, Romanos decreto consulum maturam farris messem projecisse in Tiberim, quia religiosum erat eam consumere, quod antea Marti esset campus dedicatus; ajo, non id causæ fuisse, sed quia, cum illo ipso tempore dedicassent, omnia e campo collecta putarunt in plebem dividi non oportere, ideoque projecta in Tiberim.

Ex his conficiet aliquis, campum Martium plana Urbis omnia occupasse. Verum alia ex parte certum est, præter campum Martium, olim fuisse alium campum inter Tiberim & Urbem, nec illum Marti dedicatum. Erant enim inter campum Martium & Urbis mœnia, prata Flaminia. Livius [3]: *Consules ad Urbem accessere, senatumque in campum Martium evocavere. Ubi questi primores Patrum, senatum inter milites dedita opera terroris causa haberi; Consules, ne criminationi locus esset, in prata Flaminia, ubi nunc ædes Apollinis est, Circum jam tum Apollinarem vocabant, avocavere senatum.* Idem: *Ea omnia in pratis Flaminiis consilio plebis acta.* Clarius Strabo, qui cum descripsisset campum Martium ait: Πλησίον δὲ ἐστὶ τοῦ πεδίου τούτου καὶ ἄλλο πεδίον. *Proximus autem est huic campo* Martio *& alius Campus; porticusque circumcirca permultæ, tum luci, tria theatra [4], amphitheatrum [5], templa unum alteri subinde contiguum, magnifica, quorum respectu ipsa Urbs quasi additamentum quoddam videri possit.* De hoc Catullus ad Camerium:

Te quæsivimus in minore Campo,
Te in Circo, te in omnibus libellis.

Major enim erat Martius, idemque a Spartiano [6] videtur dici *campus Jovis*, fortasse propter Pantheon in eo Jovi ultori dicatum. *Domus*, inquit, *ejus hodie Romæ visitur in campo Jovis.* Denique prope Pontem Xystum templum hodieque colitur Sancti Salvatoris cognomento in Campo, nec tamen ibi Martius campus olim fuit. Hujus Campi prata Flaminia, & alter, qui campus Tiberinus est dictus, partes fuere. De hoc Plinius [7]: *Invenitur statua decreta & Tarraciæ Cajæ sive Suffetiæ virgini Vestali, quod Campum Tiberinum gratificata esset ea populo.* Gellius [8]: *Cajæ Tarraciæ, sive illa Suffetia est, nomen in antiquis annalibus celebre est, quod campum Tiberinum, sive Martium populo Romano condonasset.* At quando Martium, cum hic ager fuerit Tarquiniorum? sed & ex his, quæ diximus, perspici potest, Martii nomine, [9] latiore significatione intelligi, quidquid interjacet Fluvium, Ca-

A pitolium, Quirinalem, & Pincium; pressa vero & astricta, quod solum Tarquinii possederant, & Marti postea dedicatum est. Priore, campus Flaminius, & Tiberinus Tarraciæ, pars Martii sunt; posteriore, Martio excluduntur. sic etiam Dio exponetur, ne pugnet cum Strabone, qui amphitheatrum Statilii statuit in campo Martio; nam hujus nomine universam planiciem intelligit. Quæ interpretatio inter legendos auctores interdum repetenda erit. At presse sumptus Martius quos fines habebit? A Monte Quirinali, ubi nunc Palatium Pontificis, ducenda est ad Tiberim linea, quæ per Collegium Romanum, Pantheon, Campumque Floræ producta
B ad ædes Farnesiorum in Tiberim desinat. Erit Campus Martius, quidquid extra lineam erit: quidquid relinquetur propinquius Capitolio, erit minor Campus, Tarraciæ, Tiberinum, & prata Flaminia complexus; hodieque Campus Martius in Urbe vulgo dicitur, qui a nobis designatus est.

Quidam usque ad pontem Milvium bis mille & amplius passus Campum extendunt. Atqui Marti consecratum est, quod Tarquiniorum erat. Quis autem tam vastum illis agrum tribuerit? Itaque sicut campus Martius terræ spatium relinquebat Urbi propinquius; sic aliud propinquius Milvio Ponti, medius ipse. Nec dixerim ampliorem spatium,
C quod patet inter Pantheon, Flaminiam Portam, Fluvium, & Hortorum collem. Certe constat ex Cicerone [1], ad pontem Milvium villas fundosque fuisse privatorum civium. Martius autem Campus propter veterem consecrationem, nec seri, nec coli poterat. Quis autem dixerit eum, qui cis pontem Milvium venisset, venisse in Campum? At dicebatur esse in via Flaminia, ut Tacitus [2] scripsit, cum de Flavianis ad Urbem contra Vitellium venientibus loqueretur.

Jam Campum Martium, quem per antonomasiam Campum fere auctores nuncupant, o-
D lim fuisse extra Urbem [3] paulo eruditioribus adeo est notum, ut supervacuum videatur exponere.

Probant primo Livii allata verba [4]: *Ager Tarquiniorum, qui inter Urbem ac Tiberim fuit, consecratus Marti, Martius deinde Campus fuit.* cui subscribit Dionysius: *Erat Campus situs inter Urbem & fluvium.* igitur extra Urbem. Secundo probat consuetudo centuriatorum comitiorum, quæ in Urbe, sive intra pomœrium haberi non poterant [5]; sed in campo Martio jam ab initio, jussu Servii sexti Regis habebantur. Is enim, auctore Livio, *edixit, ut omnes cives Romani equites peditesque,*
E *in suis quisque centuriis, in campo Martio prima luce adessent.* Cicero pro Rabirio: *In campo Martio comitiis centuriatis auspicato in loco.* Gellius ex veteri auctore [6]: *Centuriata autem comitia intra pomœrium fieri nefas esse, quia exercitum extra Urbem imperari oporteat, intra Urbem imperari jus non sit. Propterea centuriata in campo Martio haberi, exercitumque imperari præsidii causa solitum, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus.* Is autem mos adhibendi præsidium in custodiam comitiorum (scribit Dion. [7]) *solis centuriatis comitiis observabatur, cum extra Urbem omnes in armis adesse res postulabat, & id hodieque religionis causa fieri*
F *solet.* Hæc vero exploratissima sunt. Tertio Livius alibi confirmat [8]: *Consules ex composito, eodem biduo ad Urbem accessere, senatumque in campum Martium evocavere.* Et vero hi Consules petebant triumphum; petentibus autem non licebat esse in Urbe. morabantur tamen cum exercitu in campo Martio, ut infra dicam. Idem de Q. Fabio Maximo sic ait [9]:

1 lib. 2. Dec. 1. 2 lib. 5. Antiquit. Rom. 3 lib. 1. Dec. 1. l. 3. 4 Pompeii, Balbi, Marcelli. 5 Statilii Tauri. 6 In Pescennio Nigro. 7 lib. 34. cap. 6. 8 lib. 6. cap. 7. 9 Quanta esset magnitudo Campi Martii.

1 Orat. 3. in Catil. 2 l. 2. Hist. 3 Campus Martius extra Urbem. 4 Dec. 1. lib. 2. 5 Comitia haberi solita in Campo Martio. 6 lib. 15. cap. 27. 7 lib. 37. 8 Dec. 1. l. 3. 9 Dec. 3. l. 4.

Romam comitiorum causa veniens in eum, quem primum diem comitialem habuit, comitia edixit, atque ex itinere præter Urbem, in Campum descendit. Et paulo post: *& quia in Urbem non inierat, protinus in Campum ex itinere profectus, admonuit cum securibus sibi fasces præferri*. Nam Consulibus in Urbe soli fasces præferebantur, extra Urbem etiam secures. Dionysius [1]: *Valerius consul ademit secures fascibus, moremque post se reliquit consulibus, ut tantum extra Urbem securibus utantur, intra mœnia contenti insigniis fascium*. Præterea hominem mortuum sepelire in Urbe non licebat. At in Campo Martio frequentia fuere sepulchra. Strabo [2]: *Cum locum istum religiosissimum esse cogitassent, clarissimorum virorum ac fœminarum monumenta in eo construxerunt*. Ut aliquot recenseam [3]: Julia Cæsaris Filia, L. Sylla, M. Agrippa, Drusus Claudii pater, in Mausoleo Augusti Cæsares, & ut ait Appianus, [4] *eo in loco Principes humari consuevere*. Appianus [5] de Augusto loquens: *Cæsar*, inquit, *exercitum propius admovit Urbi, in campum, qui Martius dicitur*. & paulo post: *Hæc agens Urbe abstinuit, quoad consules electi crearentur: postremo ut consul Urbem ingressus est*. Herodianus [6], cum post mortem Severi Cæsaris referret apotheosim Augustorum, μετὰ δὲ τοῦτο, inquit, *βαστάσαντες τὴν κλίνην φέρουσιν ἔξω τῆς πόλεως εἰς τὸ καλούμενον Ἄρεως πεδίον. post hæc autem tollentes lectum ferunt extra Urbem in vocatum Martis campum*. Herodianus autem sub Gordiano paulo ante millesimum annum ab Urbe condita vixit, scripsitque. Alia legenti occurrunt.

At quando, & a quo est in Urbem receptus Campus [7]? Onuphrius putat id Aurelianum fecisse, & muros a porta Collina per collem hortulorum subjectamque planiciem deduxisse ad Tiberim. Sed ut hoc verum sit, adhuc tamen vacuus erat ædificiis. Nam Vopiscus in Tacito, qui successor fuit Aureliani, cum illum creatum Cæsarem in senatu scripsisset, subdit: *Inde itum ad campum Martium: ibi comitiale tribunal ascendit. Ibi præfectus Urbis Ælius Cesetianus sic loquutus est: Vos sanctissimi milites, & sanctissimi vos Quirites, habetis Principem*. Ex quo patet Campum non fuisse mutatum, cum eo & milites & Romanus populus convenisset. Suam [8] quoque adhuc viriditatem amœnitatemque retinuisse probabile est. Perpetuis enim semper antea fuerat obsitus herbis, & gramine. Cicero de M Lepido [9]: *Cum* [10], *cæteris in Campo exercentibus, in herba ipse recubuisset, Vellem hoc esset, inquit, laborare*. Dionysius: *Is jam ante Marti sacer erat, pratum equis & juventuti in armis exercendæ accommodum*. Ovidius [11]:

Altera gramineo spectabis equiria Campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.

Et [12]:

Tunc ego me memini ludos in gramine Campi
Aspicere, & dici, lubrice Tibri, tuos.

Et Horatius [13]:

Quamvis non alius flectere equum sciens
Æque conspicitur gramine Martio:

Fuse Strabo [14]: *Horum pleraque habet campus Martius cum natura, tum hominum prudentia ornatus. Nam & magnitudo ejus mirabilis est, & curruum equorumque decursionibus libere patet, tantæque multitudini pila, circo, ac palæstra se exercentium; tum opera circumjecta, solumque toto anno herba virens, tumulorumque coronæ supra amnem usque ad alveum scenæ quamdam ostentant speciem, a cujus spectaculo difficulter quis avellatur*. Hæc ille. At de militaribus iis exercitationibus Trebellius in Claudio: *Fecerat etiam adolescens in militia, cum ludicro Martiali in Campo luctamen inter fortissimos quosque monstraret, quod Decio principe factum est*. Sed aliam quoque causam attulit Vegetius [1], cur juventus armorum exercitationem in Campo obiret assidue: *Romani*, inquit, *veteres campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo juventus* [2] *post exercitium armorum, sudorem pulveremque dilueret, ac lassitudinem cursus natandi labore deponeret*. Tenuitque consuetudo usque ad prolapsionem Imperii. Itaque quamvis Campus mœnibus septus, vacuus tamen ædificiis mansit. Lipsius putat, cinctum fuisse ante Plinium, de qua re infra.

Minor quoque Campus, & prata Flaminia fuerunt extra Urbem. Quod probat locus Livii allatus: *Consules ad Urbem accessere, senatumque in campum Martium evocavere. ubi questi primores patrum, senatum inter milites dedita opera terroris causa haberi; consules, ne criminationis locus esset, in prata Flaminia, ubi nunc ædes Apollinis est, circum jam tum Apollinarem vocabant, avocavere senatum*. Hi ergo ad Urbem magis appropinquarunt, tamen extra Urbem erant, petentes triumphum. Sed hæc clarius constabunt ex sequentibus.

1 lib. 1. c. 10. 2 Juventus e campo Martio ad natandum descendebat in Tiberim.

CAP. IX.

Portam Urbis Carmentalem fuisse ad radices Capitolii.

QUONIAM supra duximus muros Urbis a Tiberi recta ad Capitolium, adnotandus est locorum situs, qui relinquuntur extra Urbem in Romana planicie. In eo igitur murorum tractu, qui a Tiberi pertinet ad Capitolium, sub ipso Capitolio erat porta Carmentalis: extra hanc forum Olitorium; tum ædes Apollinis; deinde circus Flaminius in ipsis pratis Flaminiis; post hæc campus Martius. hi ergo loci extra Urbem. Portam quidem Carmentalem fuisse ad radices Capitolii [1], ibique muros Urbis, multa probant. Ibi enim erant aræ, & templum Carmentæ. Dionysius: *Carmentæ sicut aliis Heroibus & geniis aras erectas vidi: Carmentæ quidem sub Capitolio juxta portam Carmentalem*. Solinus: *Pars autem Capitolini montis infima habitaculum Carmentæ fuit. Ubi Carmentis nunc fanum est, a qua Carmentali portæ nomen datum est*. Idem ostendit, quod extra eamdem portam erat forum Olitorium: *Antiquum*, ut habet Varro, *macellum, ubi olerum copia*. Asconius [2]: *Aedes*, inquit, *Apollinis est extra portam Carmentalem inter forum Olitorium & circum Flaminium*. Livius [3]: *ædem Spei, quæ in foro Olitorio est, fulmine ictam*. Idem [4]: *Alteri reficiendis ædibus* [5] *Fortunæ & Matris Matutæ intra portam Carmentalem: sed & Spei extra portam, quæ priore anno consumptæ fuerant*. Ædem Spei dixit esse extra portam, quam dixerat esse in foro Olitorio. Porro in foro Olitorio erat templum Pietatis. [6] de eo

1 lib. 5. Antiq. Rom. 2 lib. 2. 3 Dio. lib. 39. Lucan. 1. Dio. lib. 54. Sueton. in Claud. cap. 1. 4 lib. 1. Bello Civil 5 lib. 3. Bellorum Civil 6 lib. 4. 7 Quando intra Urbem sit receptus campus Martius. 8 Amœnitas campi Martii. 9 In campo exercebatur Romana Juventus. 10 2. de Orat. 11 Fast. 2. 12 Fast. 6. 13 Horat. l. 3. Od. 6. 14 lib. 5.

1 Porta Carmentalis ad radices Capitolii. P. Victor in Regione VIII. Lib. 1. c. 2. 2 In Orat. contra C. Antron. & L. Catilinam competitor. 3 lib. 2. Dec. 3. 4 lib. 1. ejusdem Dec. 5 Ædes Spei, Fortunæ, Matutæ. Lib 40. 6 Ædes Pietatis.

sic Livius: *Ædes duæ eo anno dedicatæ sunt; altera in foro Olitorio Pietatis. Eam ædem dedicavit M. Acilius Glabrio duumvir, statuamque auratam, quæ prima in Italia statua aurata est, patri Glabrioni posuit. Is erat, qui ipse eam ædem voverat, quo die cum rege Antiocho ad Thermopylas depugnasset, locaveratque idem ex senatus consulto.* A

At Plinius[1]: *Locus ille eidem consecratus est deæ* Pietati *C. Quintio, M. Acilio Coss. templo Pietatis extructo in illius carceris æde, ubi nunc Marcelli theatrum est.* Igitur cum ædes Pietatis in foro esset Olitorio & ubi postea Marcelli theatrum, in quo nunc visuntur ædes Principum Sabellorum; forum autem Olitorium esset extra portam Carmentalem, conficitur, portam Carmentalem fuisse inter ædem Virginis cognomento in Porticu, & plateam vulgo Montanariam. B quæ, ut arbitror, a Carmentali, dissimili quamquam voce, vocabulum traxit. Displicet enim ejus loci etymon, quod quidam derivant[2] a montanis rusticis illo confluentibus, ut operam suam conductoribus locent. Ejusdem portæ situm ostendit Plutarchus in vita Camilli, ubi ait: Capta a Gallis Urbe, obsessoque Capitolio, ut in Arcem evaderet *Pontius Cominius miles secundo flumine incubans cortici tranavit ad Urbem; & conjiciens hostem vigilare ex ignibus ac strepitu,* C ἐβάδιζε πρὸς τὴν Καρμέντιδα πύλην, ἣ πλείστην εἶχεν ἡσυχίαν, καὶ μάλιστα κατ' αὐτὴν ὄρθιος ὁ τοῦ Καπιτολίου λόφος ἀνέστηκε, καὶ πέτρα κύκλῳ πολλὴ καὶ τραχεῖα περιπέφυκε. *ivit ad Carmentalem portam, quæ majorem habebat quietem, & juxta illam maxime arduus Capitolii collis assurgit, & saxum undique multum, & asperum natura factum est.* Quid clarius, ut ostendatur porta Carmentalis ad rupem Tarpejam sita?

Dicere aliquis posset, quod innuit Blondus[3], aucta post Romulum Urbe Carmentalem portam sine forma & usu portæ, nomen aliquandiu retinuisse. Atqui hoc pugnat cum Livio, qui ait[4] D *Ab Æde Apollinis boves fœminæ albæ duæ, porta Carmentali in Urbem deductæ.* Igitur cum extra portam, extra Urbem erant. Pugnat cum Ovidio[5]:

Carmentis portæ dextra est via proxima Jano;
Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet.
Illa fama refert Fabios exisse trecentos;
Porta vacat culpa, sed tamen omen habet.

cui consentit Livius: *Infelici*, inquit, *via a dextro Jano portæ Carmentalis profecti.* Ideoque, ut ait Festus, *porta illa dicta est Scelerata, quoniam* E *Fabii illa egressi sunt omnes occisi.* Quod si alia ultra Carmentalem fuisset porta Urbis, illa potius extrema, non hæc media, dicenda fuisset Scelerata[6]. Denique idem Janus indicat, quem dextrum portæ fuisse Livius, & Ovidius asserunt. Intelligunt enim Janum, quem ad imum Argiletum indicem pacis bellique fecit Numa. Ubi vero Argiletum, & Jani templum fuerit, demonstrat Servius[7]. *Sacrarium hoc*, inquit, *Numa Pompilius fecerat circum imum Argiletum juxta theatrum Marcelli.* Festus, *Religioni est*, inquit, *quibusdam porta Carmentali egredi, & in æde Jani,* F *quæ est extra eam, senatum habere: quod ea egressi sex & trecenti, apud Cremeram omnes interfecti, cum in æde Jani Senatus consultum factum est, ut proficiscerentur.*

1 lib. 7. cap. 36. 2 Pompejus Ugon. de Station. Urbis. 3 lib. 1. Instaur. Romæ. 4 Dec. 3. l. 7 5 Fast 1. 6 Porta Carmentalis dicta etiam *Scelerata*. 7 lib. 7 Æneid.

CAP. X.

Circum Flaminium Capitolio propinquum fuisse extra Urbem.

NIHIL æque, ac circus Flaminius probat Urbem, & mœnia ultra Capitolium non fuisse producta. Hic enim Circus, cum esset extra Urbem, proximus erat portæ Carmentali. Blondus[1] quidem putat, hunc fuisse circum Agonalem nunc media in Urbe situm cognomento Navonium. Sed hic auctor[2] ut meretur laudem, quod inter primos de Romanis antiquitatibus scripsit, ita in multis erravit: deque eo Pius II.[3] *Neque satis diligenter quæ scripsit, examinavit, non quam vera, sed quam multa scriberet, curam habuit.* In re vero nostra non solum male sensit, sed bene sentientes errore aspersit. Nam inter cætera, quæ scribit de circo Flaminio, hoc docuit ex Cassiodoro. *Eadem*, inquit, *in Epistola satis innuit Cassiodorus, solitos ab Augusti mausoleo sex portis dimitti junctos currus, qui per Equiriam in Flaminium circum currerent. ut constare credamus locum, cui nunc Agoni est nomen, circum esse Flaminium.* Epistola citata Cassiodori est,[4] in qua de Circis generatim, & Circensibus agit, & Circo maximo; nec unquam illi venit in mentem, equos ab ostiis Mausolei, quæ non habebat, mitti & currus in Circum Flaminium. Itaque satis causæ non erat, cur id docentem Blondum, Fulvius[5], & Marlianus audirent, qui tamen ab illo in Circi Flaminii situ statuendo maxime discrepant. Cassiodorus quidem hæc scribit[6]: *Sed M.ndi Dominus ad potentiam suam opus extollens, mirandam etiam in Romanis fabricam in vallem Martiam tetendit Augustus, ut immensa moles firmiter præcincta montibus contineret, ubi magnarum rerum indicia clauderentur.* Sermo hic est non de Augusti Mausoleo, sed de Circo maximo inter Palatinum, & Aventinum sito. Nec Martia vallis est, ut illi putant, Martius campus, sed vallis inter Palatium & Aventinum, quæ Murtia dicebatur a sacello Veneris inibi posito; hæc enim Myrtea, & olim Murtia dicta est, ut supra docebam ex Varrone[7]: *Intimus Circus ad Murtium vocatus, ut Procilius ajebat, ab arvis, quod is locus esset inter figulos. alii esse dicunt a Murteto declinatum, quod ibi id fuerit. Cujus vestigium manet, quod ibi sacellum etiam nunc Murtiæ Veneris.* Livius[8]: *Latinis in civitatem acceptis, ut jungeretur Palatio Aventinum, ad Murtiæ datæ sedes.* Hanc ergo Vallem intelligas apud Cassiodorum. non inscite campum Martium, & *Murtium* pro *Martiam*, legas, ut probe Cæsar Bulengerius legendum admonet. Quod vero Cassiodorus Augusto auctori Circum, non Cæsari ascribit, cum Cæsar illum ædificaverit, ut constat ex Plinio, causa est, quia Augustus eundem Circum instauravit ornavitque, ut ejus nummus adhuc testatur, teste Onuphrio. Quæ sequuntur ad eumdem Circum pertinent: *Bissena quippe ostia, ad exprimendum mundum duodecim signorum posuerunt.* Itaque ubi Mausoleum cum sex portis Blondus ibi invenerit, ignoro. Quod autem spectat ad situm circi Flaminii, Blondi opinio, ut bene admonet Fulvius, invento Asconio Pediano, qui Nicolao V. Pontifice litterarum, & litteratorum patrono inventus est, penitus corruit. locus Asconii est ille, de quo supra: *Ædes Apollinis extra portam Carmentalem, inter forum Olitorium & circum Flaminium.* Quod enim ædes Apollinis dicitur extra portam esse inter Forum, & Circum; nec ipsa

1 lib. 3. Instaur. Romæ. 2 In Circo Flaminio designando errat Blondus. 3 Comment. lib. 11. 4 lib. 3. cap. 51. 5 lib. 4. in Circ. Flaminio. 6 Lib. 5. cap. 7. 7 lib. 4. de ling. Lat. 8 lib. 1.

Ædes, nec Circus procul fuit, cum forum Olitorium esset ad portam. Quomodo recte diceret Asconius, *ædes inter forum Olitorium & circum Flaminium*, si ponatur Circus abesse fere mille passus a foro, interpositis tot ædificiis, & publicis, & privatis, quod testatur Strabo? Fuerunt ergo hæc quatuor loca propinqua, ac fere contigua: porta Carmentalis, forum Olitorium, ædes Appollinis, circus Flaminius. Erat autem ædes propinquior Capitolio & muris, quam Circus; tamen quia extra Urbem erat, datus est interdum in ea senatus his, qui nondum inire possent Urbem, quod essent exercitus duces, ut infra. Livius: *L. Aemilio Regillo, qui classe præfectum Antiochi Regis devicerat, extra Urbem in Aede Apollinis cum Senatus datus esset*. Idem: *Marcus Fulvius ad ædem Apollinis in senatu petiit a patribus, ut æquum censerent, & diis immortalibus honorem habere jubere & sibi triumphum decernere. Cum dixisset tribunus se intercessurum, tum ille ait, non fuisse ferendum imperatorem rebus egregie gestis victoremque exercitum cum præda, ac captivis ante portas stare*. & Cicero [1]: *Senatus ad Apollinis fuit, ut Pompejus adesset*. Degebat enim in hortis extra Urbem, cum Hispaniam & Africam teneret exercitibus, regeretque per legatos. Asconius: [2] *Tum Pompejus proconsul ad Urbem erat*. Dion [3]: *Pompejus paulo post ad Urbem venit. Tum circumfuso præsidio extra pomœrium ad theatrum senatus est habitus*. Nam theatrum Pompeii, ut postea dicam, ad campum nunc Floræ situm erat, extra Urbem. Cum igitur hoc templum Apollinis tam prope Capitolium esset, alii collocant, ubi ædes S. Mariæ sub Capitolio, alii ubi Cœnobium Turris Speculorum. Ego tamen propius aliquanto flumen collocarem, cui propinquius erat forum Olitorium.

Jam ut redeam ad circum Flaminium [4], cum situs esset in pratis Flaminiis, quæ sub Capitolio, & secundum illi adjuncta mœnia jacebant, etiam ipse prope Capitolium fuit. Fulvius ætate sua (scripsit autem Clemente Septimo Pontifice maximo) extitisse adhuc formam Circi & veterum sedilium signa commemorat, atque in ejus cavea erectum templum S. Catherinæ cognomento ad Funarios: ibi enim, propter loci commoditatem, & areæ longitudinem funes confici solebant. Porro Circi latitudo spatium cepit, quod inter officinas vulgo Obscuras forumque Judæorum est interjectum. Ad eas porro officinas nuper vidimus, inibi ædificante Cardinali Gimnasio, refodi ingentes columnarum spiras & scapos e Tiburtino lapide, & quadrata saxa eximiæ magnitudinis. Summus Circus curvatus in hemicyclum ad plateam vulgo Marganam prope Capitolium pertinens flectebatur ad ædem S. Angeli in foro Piscario; ima pars, ubi Circi carceres, versus S. Nicolaum cognomento ad Calcarias, & ædes Ducum Cæsarinorum. Hæc Circi longitudo.

Referunt Historiæ Ecclesiasticæ, recitaturque inter Breviarii preces, *Bonifacium Romanum Pontificem Romæ in summo Circo S. Michaelis Ecclesiam dedicasse III. Kal. Octobris*. [5] Hunc Circum Flaminium esse opinor. De hac enim re triplex opinio est. Prima eorum qui *Circum* fuisse Neronianum, eique appositam volunt ædem S. Michaelis in Vaticano. Quos confutat Baronius [6]: tum quia ædes illa celsitatem non habet, quam eidem attribuunt auctores: tum quia ejus conditorem Leonem IV. Pontificem ex antiquo lapide recognoscit. Altera opinio ipsius Cæsaris Baronii est, qui templum a Bonifacio dedicatum statuit in summa Adriani mole, recitatque Adonis verba: *Romæ venerabilis etiam Bonifacius Pontifex Ecclesiam S. Michaelis nomine constructam dedicavit in summitate Circi, cryptatim miro opere altissime porrectam. Unde & idem locus, in summitate sua continens Ecclesiam, Inter Nubes situs vocatur*. Hæc verba gravissimus auctor accommodat moli Adriani, ab alio scriptore, affini loquutione, *Turri inter Cœlos* appellatæ, ut ejus verticem templum S. Michaelis insideret. Idem pro *Circi*, *Circuli* legendum putat, ut forma molis in orbem ducta declaretur: vel si *Circum* quis velit retinere, ait, illi loco proximum fuisse *Circum Domitiæ*, quæ amita Neronis fuit.

Tertia opinio nostra est. [1] Putamus autem in summo circo Flaminio templum S. Michaelis a Bonifacio fuisse dicatum, quod nunc a foro Piscario dictum in Urbe vetustissimum est. Positus enim templi veteri locorum memoriæ & summo circo Flaminio ad amussim respondet. Adonis autem verba *in summitate Circi* juxta Breviarii Rom. narrationem intelligi possunt. Summus enim Circus est caput Circi, cujus adversa pars ima erat, ubi Circi carceres, unde emittebantur equi: in summa vero metæ, ad quas cursum flectebant. Ovidius de capite circi Flaminii opposito carceribus loquens, ait: [2]

Prospicit a tergo summum brevis area Circum.

Ædes ergo S. Michaelis dedicata in summo Circo, est ædes sita in extrema Circi parte, quæ in semicirculum desinens circumflectendis curribus apta erat. Quo loco nunc templum S. Michaelis spectatur. Quod si Ado summitatem pro excelsitate videtur usurpare (idque significant ea verba, *Ecclesiam constructam in summitate Circi cryptatim miro opere altissime porrectam*. & clarius sequentia: *Unde & idem locus in summitate sua continens Ecclesiam, inter Nubes situs vocatur*) atque utrumque intelligit, & caput Circi, & in eo loci altitudinem; hanc quoque nostro olim templo non defuisse probabiliter dicimus. Nam cum olim multa essent in circo Flaminio partim extructa, partim adjuncta deorum Templa, Neptuni, Herculis, Vulcani, Martis, Castoris, Junonis, Dianæ, ut suo loco dicam; aliquod ex his eminens ex e sedilium gradibus, imminensque eorum cryptis & fornicibus, aut inter Circi porticus fuisse verisimile est: sicut in theatris supra scenam dedicabantur templa. Illud ergo instauratum refectumque expiavit, dicavitque idem Pontifex qui Pantheon in honorem Beatissimæ Virginis, Sanctorumque Martyrum dedicavit. Dictum porro est, *Inter nubes*, quoniam a terra sublatum supra Circi gradus erat: postea vero collapso penitus Circo ac veterum molibus, redactum est in eam, quam videmus formam, & humiliorem situm. Quadrat enim in Romana præsertim opera Poetæ vox:

Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas.

Ita sane templum, quod statuerat in summa arce S. Angeli, deinde in subjectam planiciem traductum asserit Cardinalis Baronius. Quod si Æliæ moli addidere cognomentum *Inter cœlos*, nihil prohibet alterum ædificium propter minorem altitudinem dici, *Inter nubes*. Ut enim nubes cœlo sunt inferiores, ita e nubibus deducta appellatio inferiori ædificio congruit; ideoque alterum ab Adriani mole esse conficitur, quæ esse dicebatur *Inter cœlos*. Hæc quidem conjecturis potius, quam rationibus nituntur; sed in re antiqua ubique agitur conjecturis. Iisdem tamen elicimus, non esse cur apud Adonem *circuli* legamus. Quod si iis verbis circus Domitiæ intelligitur propinquus sepulchro Adriani, animad-

1 lib. 2. ad Q. Fratrem Epist. 5. 2 in Or. pro Milone. 3 Lib. 40. 4 Ubi situs esset circus Flaminius. 5 Onuphrius de Circo c. 18. die 8. Maii Ecclesia S. Michaelis in summo Circo Flaminio. 6 in Annotation. ad Martyrol. die 8. Maii & 29. Septembris.

1 Bonifacius Pontifex, quod templum S. Michaelis in summo Circo dedicavit. 2 lib. 6. Fast.

vertere oportet, hunc circum a monumento Adriani fuiſſe disjunctum, ut colligi poteſt ex Procopio [1], qui eum deſcribens non meminit molis Adriani: eoque præterea oſtenditur, quod Cæſarei Mauſolei religio poſtularet, ut vacuum undique ſolum relinqueretur. nam quis unquam ſcripſit illud in ſummo Domitiæ circo fuiſſe conditum? Itaque *ſummus circus*, aut *ſummitas circi* fabricam ſibi quidem proximam, ſed nihilominus ſeparatam haud recte ſignificat. Deinde ſi in ipſa Adriani mole templum ſitum erat, cur hanc Ado præteriit, & alterum ædificium, in quo templum non erat, nominavit? Cur *circum* abſolute & antonomaſtice dixit, ad ſignificandum Domitiæ circum rudi opere impolitum & ignobilem? Quod tamen uſurpatum legimus de Circo maximo, & Flaminio propter eorum nobilitatem ac vetuſtatem.

Hæc in re dubia breviter adduximus. ſi quis ad alias opiniones inclinarit, habet quod in omnem partem expendat.

Multo ante eadem ſcripſeram, cum animadverti verba Adonis planius explicari poſſe. Eſt ergo illi *ſummitas circi* pro ſummo circo. Ibi dedicata eſt Eccleſia *cryptatim miro opere altiſſime porrecta*: id eſt, fornicato opere altiſſimoque ſublata. *Ideoque locus, in ſummitate ſua continens Eccleſiam, Inter nubes ſitus vocatur*. Ideoque locus in ſummo Circo, ubi templum eſt, propter fabricam altiſſime fornicatam, *Inter nubes* appellatur. Quo innuitur, illum fornicem tholi, qui hodie in hemiſphærium ubique attollitur & maxime erigitur, ſimilem fuiſſe. Neque inconſulte *cryptatim* quaſi *fornicatim* expoſui. Nam quamvis *crypta* teſtudinem ſubterraneam ſignificet, aliquando tamen propter curvitatem ad quemcumque fornicem videtur poſſe transferri. Sic cryptoporticus non ſemper ſubterraneam porticum ſignificat, ſed munitam ſepimento parietum. Ut apud Plinium [2]: *Subeſt cryptoporticus ſubterraneæ ſimilis. æſtate incluſo frigore riget*.

1 Initio lib. 2. de Bello Gothico. 2 Lib. 5. Ep. 6.

CAP. XI.

Circum Flaminium extra Urbem fuiſſe aliis rationibus oſtenditur.

In loco a nobis demonſtrato fuiſſe caput Circi, eumdemque extra Urbem ſitum, oſtendit etiam ædes Bellonæ [1]. Huic enim quaſi Duellonæ, ac deæ Bellorum Appius Claudius ædem extruxit, quam P. Victor ait, *eſſe verſus portam Carmentalem*. Livius [2]: *Dicitur Appius in medio pugnæ diſcrimine ita precatus: Bellona, ſi hodie nobis victoriam duis: aſt ego templum tibi voveo*. Ovidius [3]:

Hac ſacrata die Tuſco Bellona duello
Dicitur, & Latio proſpera ſemper adeſt.
Appius eſt auctor: Pyrrho qui pace negata,
Multum animo vidit, lumine captus erat.

Idem ædem ornavit depictis majorum imaginibus. Plinius [4]: *Suorum clypeos in ſacro vel publico privatim dicare primus inſtituit Appius Claudius, qui conſul cum Servilio fuit anno Urbis CCLIX. Poſuit enim in Bellonæ æde majores ſuos, placuitque in excelſo ſpectari, & titulos honorum legi*. Quo loco perſpicuum in codice mendum eſt. Appius enim Claudius & P. Servilius, non multo poſt exactos reges, illo ipſo anno, quo mortuus eſt Tarquinius Superbus, conſules fuere. Neque ille Appius Claudius ædem Bellonæ vovit, ſed alter cognomento

1 Templum Bellonæ ubi fuerit. 2 Dec. 1. l. 10. 3 6. Faſt. 4 Lib. 35. cap. 3.

A Craſſus, qui fuit conſul cum L. Volumnio, anno Urbis CCCCLVII. & poſtea Cæcus eſt dictus. Hæc conſtant ex Livio & Ovidio. Itaque locus Plinii corrigendus. Pergit porro Ovidius:

Proſpicit a tergo ſummum brevis area Circum;
Eſt ubi non parvæ parva columna notæ.
Hinc ſolet haſta manu belli prænuncia mitti
In Regem & gentes, cum placet arma capi.
Altera pars Circi cuſtode ſub Hercule tuta eſt:
Quod Deus Euboico carmine munus habet.

Ex his liquet inter templum Bellonæ & Circum B ſolum fuiſſe brevem aream interjectam, in qua eſſet *Columna bellica* [1]. An vero Circus eſſet a tergo templi, ut Ovidii verba videntur indicare, dubium eſt: nam Sext. Pompejus ante templum Bellonæ collocat *Columnam bellicam*. P. Victor in regione nona ait, *ante hanc ædem eſſe Columnam indicem belli inferendi*. Sic enim, ut alios omittam, Dion. de M. Antonino [2]: *Cumque hæc dixiſſet*, inquit, *haſtam cruentam juxta Bellonæ templum in hoſticum contorſit*. Ad Ovidium autem exponendum (nam Interpretes non ſatisfaciunt) ajo, *a tergo* conjungendum eſſe cum *circo*, non autem cum *templo*; C ut ſit ſenſus: *Area brevis ſummum Circum proſpicit, a tergo ipſius*. Nam cum ibi eſſet pars Circi, quæ ad metas hemicycli formam efficit, atque externis muris aream attingeret, recte area ponitur a tergo Circi. pars enim Circenſis fabricæ huic adverſa, eſt anterior, ubi ſunt carceres & initia curſus. Templum igitur Bellonæ brevi area a Circo Flaminio diſcretum fuit. Cujus germanus locus ſi quæritur, fuit inter Palatium Sabellorum theatro Marcelli ſuperimpoſitum, & ædem S. Angeli in foro Piſcario: ſed nihilominus extra Urbem. Livius [3]: *P. Scipioni ſenatu extra Urbem dato in æde Bellonæ*. Plutarchus [4]: *Venienti ſenatus extra Urbem* D *datus eſt in æde Bellonæ*. Idem Livius [5]: *Senatus Marcello ad ædem Bellonæ datus eſt: poſtulavit, ut triumphanti Urbem inire liceret*. Idem [6]: *L. Furius ſenatum in æde Bellonæ habuit, expoſitiſque rebus geſtis, ut triumphanti ſibi in Urbem invehi liceret, petit*. Idem [7]: *Macedones deducti extra Urbem in villam publicam, ibique iis locus, & lautia præbita, & ad ædem Bellonæ ſenatus eſt habitus*. Idem [8]: *Cn. Manlius proconſul Romam venit, cui cum ſenatus ad ædem Bellonæ datus eſſet, & ipſe poſtulaſſet, ut ſibi triumphanti Urbem invehi liceret*. Idem: *Manlio poſtulanti ab ſenatu in æde Bellonæ triumphum*. P. Victor *tertium Senatulum* E memorat *citra ædem Bellonæ in circo Flaminio, ubi dabatur ſenatus legatis, quos in Urbem admittere nolebant*. Denique ut monet Vitruvius [9], *templum Martis extra Urbem collocatur* (more videlicet antiquorum) *ne ſit inter cives belligera diſſenſio*. quæ ratio & Bellonæ templa extra collocari probat. Neque vacat hic aut Blondum [10] aut interpretes Ovidii refellere, qui Bellonæ hanc ædem & Columnam bellicam ad Circum maximum, nempe in media fere Urbe collocant: errant enim in circo, & cum una ædes Bellonæ, ut vidimus, extra Urbem fuerit, aliam, opinor, proferre non poſſunt.

F Hæc, quibus fines circo Flaminio circumſcripſimus, probant etiam circum fuiſſe extra Urbem [11]. Si enim ædes Apollinis & Bellonæ extra urbem fuerunt, multo magis circus paulo remotior ab Urbe. Sed tamen alia clariora ſuperſunt. Varro idcirco ait hunc appellatum fuiſſe Circum, *quod ibi quoque ludis tauricis equi circum metas currunt*. *Inſtituti autem taurici ludi*, inquit Feſtus, *diis infe-*

1 Columna bellica. 2 lib. 16. 3 Dec. 3. l. 8. 4 In Vita Scipionis. 5 Dec. 3. l. 6. 6 Dec. 4. l. 1. 7 Dec. 4. l. 8. 8 Lib. 9. 9 Lib. 1. c. 7. 10 Inſtaur. Rom. lib. 3. 11 Circus Flaminius extra Urbem.

ris regnante Superbo Tarquinio, cum magna incidisset perstilentia in mulieres gravidas, quæ facta fuerat ex taurorum carne diu vendita populo. Ob id taurici ludi fiunt in circo Flaminio, ne intra muros evocentur dii manes.

Præterea duæ leges ac Romana instituta id clare demonstrant, quæ spectabant ad imperatores habentes sub signis exercitum, vel triumphaturos. Neutri [1] enim poterant Urbem ingredi; qui tamen leguntur fuisse in circo Flaminio. Meminit harum legum Plutarchus in vita Pompeii & Cæsaris. *Non interfuit*, inquit, *senatui Pompeius*; οἱ γὰρ ἄρχοντες στρατοπέδων εἰς τὴν πόλιν οὐκ εἰσίασι. *Imperatores enim exercituum in Urbem non ingrediuntur.* Pompeius autem Africam & Hispaniam tunc suis exercitibus tenebat. Asconius [2]: *Horum magna pars tabellas laudaverunt, quia aberant; inter quos Pompeius quoque. nam quod erat Proconsul, extra Urbem morabatur.* Ibidem Plutarchus: ἐπεὶ δὲ ὁ νόμος οὐκ εἴα πρὸ τοῦ θριάμβου παρελθεῖν εἰς τὴν πόλιν. *quando autem lex non sinebat ante triumphum ingredi civitatem.* Idem referens [3] Cæsarem e Lusitania rediisse victorem, ut triumphum simul & consulatum peteret, ἐπεὶ δὲ, inquit, τοὺς μὲν μνωμένους θρίαμβον ἔξω διατρίβειν ἔδει, τοὺς δὲ μετιόντας ὑπατείαν παρόντας ἐν τῇ πόλει τοῦτο πράττειν. ἐν τοιαύτῃ γεγονὼς ἀντινομίᾳ. *quia vero triumphum postulantibus extra manere necesse erat:* [4] *petentibus autem consulatum præsentes in Urbe negotium agere: in hac legum contrarietate constitutus petiit a senatu, ut sui absentis ratio haberetur.* Quod cum impetrare non posset, τὸν θρίαμβον ἀφεὶς ὁ Καῖσαρ ἔχεσθαι τῆς ὑπατείας, καὶ παρελθὼν εὐθὺς. *dimittens triumphum Cæsar insistere consulatui, & confestim in Urbem ingressus, actionem suscepit.* Valerius [5]: *Is cum in concione extra Urbem more majorum ante triumphi diem, ordinem actorum suorum commemoraret.* Meminit & Dion [6] ejus legis, quæ vetaret duces Urbem inire. ait enim. ἐξεστράτευτο γὰρ, καὶ οὐκ ἦν οἱ ὅσιον μὴ οὐ τὰ καθήκοντα ἐπὶ τοῖς κατειργασμένοις παρ' αὐτὴν τὴν εἴσω τοῦ πωμηρίου ἔσοδον ἐπιτελέσαι. quod sic vertunt: *Qui cum exercitu, Urbe profectus, neque fas ei erat intra pomœrium intrare, cum ea, quæ ante id fieri instituta majorum jubent, nondum perfecisset.* Vel dicas: *profectus enim erat cum exercitu, neque erat illi fas non facere convenientia pro rebus gestis ob ingressum in pomœrium.* Meminit & Appianus [7] de Cæsare ita loquens ambigente, peteret ne triumphum, an consulatum: εἰσελθόντι δὲ οὐκ ἦν ἔτι τὸν θρίαμβον ἐπανελθεῖν. *Urbem enim ingredienti non erat rursus redire ad triumphum.* Ideo M. Tullius [8]: *Mihi*, inquit, *valde placet de triumpho nos moliri aliquid, extra Urbem esse cum justissima causa.* Dion [9]: *Tiberius Kal. Januarii, quibus consulatum inibat cum Cn. Pisone in Octavii curiam* (hæc enim erat extra pomœrium) *convocato senatu fanum concordiæ sibi parari jussit, ut suo id & Drusi nomine inscriberet, ac deinde triumphavit.*

Hæc leges quando, & a quo latæ fuerint, mihi referre in promptu non est. Sed illis manifeste cavebatur securitati reipublicæ, ne rebus urbanis arma miscerentur, atque ut beneficia magistratus triumphi peterentur a civibus, non per vim raperentur. Tulit quidem Pompeius tertio consulatu, ut nemini liceret absenti consulatum petere, præterquam Cæsari, ut Dion [10] & Appianus [11] tradunt; nec tamen Cæsar, cum per legatos peteret, impetravit. & multo ante lex vigebat. Ii autem, quibus decretum erat imperium, in Urbem ingressi, illo ex lege privabantur. Nam *Proconsul portam Romæ ingressus deponit imperium*, ff. l. 11. off. proc. tit. 16. l. Procon. Itaque *a Senatu decretum est, ut Q. Fulvio ne minueretur imperium, si in Urbem venisset.* Ut *Paulo Anicio & Cn. Octavio ex bello Macedonico cum victoria redeuntibus, quo die Urbem triumphantes inveherentur*, auctore Livio [1], *imperium esset.* Postea vero *a Senatu decretum est*, quod refert Dion [2], *ut Augustus proconsulare imperium semper haberet, neque id* ἐν τῇ εἰσόδῳ τῇ εἴσω τοῦ πωμηρίου, *in quovis pomœrii ingressu deponeret.*


His ita positis, clarissime deducitur, circum Flaminium extra Urbem fuisse. In eo [3] enim multi ex his fuerunt, quibus prohibitus erat in Urbem ingressus. Sic enim, ut testatur Dion [4]: *Mortuo Druso & Romam delato, habita est in Foro ejus laudatio a Tiberio*: sed *ab Augusto*, qui *cum exercitu Urbe profectus, neque fas ei erat intra pomœrium intrare*, ἐν Φλαμινίῳ ἱπποδρόμῳ, *in circo sive hippodromo Flaminio* extra muros Urbis. Sic Cicero [5] exprobrat Clodio tribuno plebis, quod in Circo Flaminio productis consulibus Pisone & Gabinio infestam sibi concionem habuerit. Causa fuit, ut etiam Cæsar adesset, qui superiore anno consul provinciam Galliam cum exercitu regendam acceperat, & necdum in eam profectus, extra Urbem morabatur, & in ea causa adversabatur Ciceroni. *Erat*, inquit Cicero, *ad portas, erat cum imperio, erat in Italia ejus exercitus.* Igitur ut narrat Dion [6] ejus causa Clodius concionem ἔξω τοῦ τείχους, *extra mœnia convocaverat*, ut Cæsarem legis suæ approbatorem haberet. Valerius & Horatius coss. ut supra dixi, petituri triumphum senatum primo in campum Martium, deinde in prata Flaminia propinquiora & circum Apollinarem vocarunt. Marcellus, qui adversus Annibalem habebat exercitum, teste Livio [7], & Plutarcho [8], accusatus a Bibulo tribuno plebis Romam venit. Actum de Imperio Marcelli in Circo Flaminio est, nam intra muros esse non poterat. Idem Livius [9] de Fulvio loquens, qui de Ætolis triumphavit, *Multos*, inquit, *eo die, priusquam in Urbem inveheretur, in circo Flaminio tribunos, præfectos, equites, centuriones Romanos sociosque donis militaribus donavit.* Hunc cum aliis nonnullis locum affert Onuphrius [10] quibus probatur circum Flaminium extra Urbem fuisse; tum constituens ejus fines nostris supra designatis consentientes, *Longitudo*, inquit, *ab area domus Marganiæ, ubi in hemicycli formam desinebat.* Qui ergo dixerat cum Livio Circum Flaminium extra Urbem esse, quomodo ultra circum usque ad palatium Farnesianum, & circum Agonalem mœnia Romana producit? cum præsertim ille ætate Regum talem murorum circuitum definiat. Quæ duo sine dubio pugnant inter se. In eodem Circi ambitu Fulvius qui vidit, non dissentit.

Atque ex his omnibus, quæ fusius evolvimus, perspicue concluditur, Urbem, ejusque mœnia arci Romanæ imposita, ultra Capitolium, versus campum Martium, non processisse. Postremo est adnotandum, quod refert Dionysius [11], *ævo ipsius murum Urbis vix fuisse perscrutabilem propter ædes complectentes eum undique. Servasse quidem multis in locis vestigia quædam structuræ veteris.* Hoc fiebat, privatis commodis publicas majorum religiones obruentibus; sciebatur tamen extra portam Carmentalem non produci pomœrium.

1 Duces exercituum non poterant ingredi Urbem. 2 In Orat. pro M. Scauro. 3 In Vita Cæsaris, quod & Dion testatur Lib 37. 4 Petentes consulatum debebant esse in Urbe. 5 De l. Paulo. 6 Lib. 55. 7 Lib. 2. Bel. civil. 8 Lib. 7. Ep. ad Atticum. 9 Lib. 55. de Tiberio. 10 Lib. 40. 11 Lib. 2. de Bel. Civil.

1 Lib. 26. & 45. 2 Lib. 53. 3 Multi, qui non poterant Urbem ingredi, fuerunt in circo Flaminio. 4 Lib. 55. 5 In Or. post reditum in Senatu & pro Sextio. 6 Lib. 38. 7 Dec. 3. l. 7. 8 in Vita Marcelli. 9 Lib. 39. 10 De Lud. Circens. l. 18. c. 8. 11 Mœnia in Urbe vix cognosci poterant. Lib. 4.

CAP.



CAP. XII.

Quid Sylla & Julius Cæsar dictatores Urbi adjecerint.

Mos [1] erat a Romanis Regibus deductus, ut ii Urbem augerent, qui imperium propagassent; quasi cum imperii corpore deberet etiam caput Roma crescere. Nec tamen (post Reges) duces Romani, ut ait Tacitus [2], *quamquam magnis nationibus subactis jus proferendi pomœrii usurparunt, nisi L. Sylla & Divus Augustus*. Cæterum Dionysius, qui Augusto jam principatum tenente scripsit, ait, *post Reges ulterius non processisse Urbis ambitum, religionibus, ut fertur, non permittentibus*. Quod si velit ad sua usque tempora pomœrium, ne a Sylla quidem, cujus dictatura Actiacam victoriam annos plus quinquaginta præcessit, fuisse mutatum, ego illi non assentior. Taciti enim auctoritatem & Gellii, qui idem scripsit, pluris facio. Verius autem Sylla titulum proferendi pomœrii, ut ait Gellius [3], quæsivit quam habuit. Ille enim territorium populi Romani de hostibus ante occupatum recuperavit, non auxit. Jus enim Urbis dilatandæ habebat, ut idem Gellius, *qui Populum Romanum agro de hostibus capto auxerat*. Magis ambiguum est, qua parte muros produxerit. Onuphrius: *Syllam*, inquit, *eam Urbis partem, quæ est versus Hortos Salustianos, portasque Collinam & Viminalem ampliasse crederem*. & paulo post: *Liquet murorum ambitum, qui est a Collina ad Capenam, & muros protractos fuisse vel a Sylla, vel a Julio, aut Augusto Cæsare. Nam ante Syllæ tempora, mœnia Urbis aggerem Tarquinii non excedebant*. Hic cum aliqua sint probabilia, quod tamen putat

A murorum ambitum ultra aggerem Tarquinii, vel a Sylla, vel a Julio, aut Augusto Cæsare fuisse protractum, est contra Plinium. Qui cum scripserit principe Vespasiano, nempe centum quinquaginta amplius annos a Sylla dictatore, scribit tamen, ut supra dixi [1]: *Clauditur Roma ab oriente aggere Tarquinii Superbi*: isque a porta Collina Esquilinam usque tendebat. Eorum igitur nemo ultra aggerem muros ædificavit. Probabile autem est, Syllam [2] ad portam Collinam produxisse pomœrium; quamquam nullum hujus rei vestigium, mihi saltem notum sit apud veteres auctores. Ideo autem in hoc

B potissimum inclinavit, quod forte ibi Urbem non munitam animadvertit, cum bello Mariano a Samnitibus, Thelesino Duce, qui ad Collinam castra posuerat, & sinistrum Syllæ cornu fuderat, pæne capta fuerit. Quare Lucanus [3]:

Aut Collina tulit stratas quot porta catervas,
Tunc cum pæne caput mundi, rerumque potestas
Mutavit translata locum, Romanaque Samnis
Ultra Caudinas speravit vulnera Furcas.

Sylla ergo, sive ut muniret Urbem, sive ut ibi victoriæ monimentum poneret, ubi hostem vicerat,

C muros ad Collinam perduxit; ut porta, ubi est sita, locaretur, & muri vallem S. Susannæ templo subjectam, hortosque adjacentes, ubi & horti quondam Salustiani, complecterentur; conversique ad portam Pincianam seu Collatinam, excluderent Collem Hortorum, ubi nunc Templum Sanctissimæ Trinitatis, cognomento in Montibus.

Quod spectat ad Julium [4], Gellius loco supra laudato: *Nec postea*, inquit, *Divus Julius cum pomœrium proferret, intra effatos Urbis fines incluserit*.

1 Qui Imperium propagassent, Urbem augere poterant. 2 Lib. 12. Annal. 3 Lib. 13. cap. 14.

1 Lib. 3. c. 5. 2 Sylla qua parte Urbem auxerit. 3 Lib. 2. 4 Qui Urbis pomœrium auxerint.

Dion [1] *Leges*, inquit, *præterea Cæsar tulit, pomœriumque auxit*. (A) Quod deinde repetit in oratione, quam in Cæsaris funere habuit Antonius consul. Dionysius vero Syllam & Cæsarem videtur omisisse. Tacitus Syllæ, Augusti & Claudii meminit, Cæsarem reliquit. Seneca [2] ex quodam referente narrat, *Syllam ultimum Romanorum protulisse pomœrium, quod nunquam provinciali, sed Italico agro acquisito mos proferre apud antiquos fuit*. Hic ergo omnes post Syllam excludebat. At contra Flav. Vopiscus in vita Aureliani, *Pomœrio*, inquit, *nemini Principum licet addere, nisi ei, qui agri barbarici aliqua parte Romanam rempublicam locupletaverit. Addidit autem Augustus, addidit Trajanus, addidit Nero, sub quo Pontus Polemoniacus, & Alpes Cottiæ Romano nomini tributæ*. (B) Hic vero auctor Syllæ, Cæsaris, & Claudii non meminit. Suetonius rem adeo insignem in omnibus suppressit. Quare cum tanta scriptorum varietate consentit, qui unum forte non sentiet.

De Julio Cæsare M. Tullus ad Atticum [3] sic scribit: *Sed casu sermo a Capitone de Urbe augenda. A ponte Milvio Tiberim duci secundum montes Vaticanos, Campum Martium coædificari: illum autem Campum Vaticanum fieri quasi Martium Campum*. Et paulo post: *Ista lex perferetur: vult enim Cæsar*. (C) Voluit ergo Cæsar Urbi addere Campum Martium. Sed quia in eo Comitia fiebant ad creandos Magistratus, quæ necesse erat fieri extra Urbem, ea in Campum Vaticanum Tiberi a Martio divisum transferre cogitavit; atque, ut ii duo campi conjungerentur, Tiberim dextrorsum derivare, ut allueret montes Vaticanos; nempe ubi Villa Farnesiana est, tum montis vulgo Marii clivus, tum Ædes Pontificiæ, tum Sancti Onuphrii, tum Sancti Petri in Janiculo templa & cœnobia. Sic enim repleto, obturatoque alveo Tiberino, laxatus ager Vaticanus, & Martio finitimus Comitiis relinquebatur. (D) Verum hoc Cæsar morte præventus facere non potuit, nec dum Tiberis mutavit alveum. Constat autem ex epistolis superioribus Ciceronis, Cæsarem nihil egisse; ibi enim dicitur iturus in Parthos. Atqui cum ab Urbe ad Parthicum bellum profecturus esset, occisus est, nondum scilicet lata lege augendæ Urbis: & Martius Campus diu remansit extra Urbem; immo & Campus, in quo erat Circus Flaminius, ut supra vidimus. At Cæsar alio in loco muros produxit. Hoc quidem mihi, & puto, alteri non constat. Certe Tacitus eos recensebat, qui pomœrium protulerant, cur ergo magno historiæ lapsu Cæsarem omisit? (E) Non sciebat scriptor accuratissimus? Cognoverat de Sylla antiquiore, de Cæsare nihil audiverat? Crediderim potius [4], quidquid scribant Gellius & Dion, Cæsarem non auxisse, sed augere Urbem voluisse. Favet Suetonius. *Nam*, inquit, [5] *de ornanda instruendaque Urbe plura ac majora in dies destinabat. Talia agentem atque meditantem mors prævenit*.

1 Lib. 43. 2 De brevit. vitæ c. 14. 3 Lib. 13. Epist. ad Att. epist 13. 4 Julius Cæsar Urbem non auxit. 5 In Vita Cæs. c. 24.

CAP. XIII.

Quid Augustus, & Claudius adjecerint.

DION [1]: *Augustus*, inquit, *pomœrii quoque terminos protulit*. Tacitus & Vopiscus locis ante laudatis testantur Augustum protulisse pomœrium, & veterum lapidum inscriptiones. Hanc ante adduximus:

1 Lib. 15.

C. MARCIVS. L. F. L. N.
CENSORINVS. ET. C. ASI
NIVS. C. F. GALLVS. COS
EX. S. C.

FIN. POMER. TERMIN.

Hi fuere consules anno Urbis DCCXLVI. sex annos ante Christum natum. Alia quoque cippi inscriptio sic habet:

IMP. CAESAR. DIVI. F
AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
TRIBVNIC. POTEST. XVII.
EX. S. C. TERMINAVIT

R. PROX. CIPP. PED. CLXVIS

Nec tamen constat qua parte protulerit. Mihi probabile est [1], juxta aggerem Tarquinii, a porta Esquilina, nunc S. Laurentii, versus portam Labicanam, nunc Majorem, & Cœlium montem mœnia dilatasse. Argumento est, quod, cum in campo Esquilino extra Urbem plebs humaretur, unde populus Romanus odoris ac cæli gravitate laborabat, Augustus locum repurgavit, Urbemque ædificiis auxit, ornavitque. *Puticuli* antea locus appellatus, quod vetustissimum genus sepulturæ *in puteis* fuerit. dicti *puticuli, quia ibi cadavera putrescerent*, ut ait Festus. Horatius [2]:

Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulchrum,
Pantolabo scurræ, Nomentanoque nepoti.

cum patritii & nobiles, nonnullis dumtaxat exceptis, cremarentur, teste Plinio [3], collectique e busto cineres urnis, tumulisque conderentur. Campus ergo ille fuit extra Urbem, cum in ea non liceret mortuos sepelire. Postea vero quam amota sunt sepulchra, receptusque intra Urbis ambitum campus, loci amœnitatem, tectorumque frequentiam sequuta est nova cæli salubritas. Horatius ibidem:

Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.

At præter cætera, quæ ibi structa sunt, hortos Mecœnas fecit, turrimque nobilem, quæ *Mecœnetiana* est dicta, erexit. De Hortis videtur loqui eodem in loco Horatius:

Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.

De turri idem [4]:

Fastidiosam desere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis:
Omitte mirari beatæ
Fumum, & opes, strepitumque Romæ.

Hæc nostra conjectura auctæ Urbis in Esquiliis etsi non plane est inutilis, rem tamen clare non conficit. Sed in re incerta alii certiora proferant.

Post Augustum, terminos Urbis septuaginta circiter post annis auxit Claudius. *Et quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognoscitur, & publicis actis perscriptum*, scripsit Tacitus [5]. Quia tamen

1 Ubi Augustus Urbem auxerit. 2 Sat. 8. l. 1. 3 Lib. 2 cap. 54. 4 Lib. 3. Od. 29. 5 Lib. 12 Annal.

Gellius clarius tradidit, ut supra dixi, *Aventinum extra pomœrium exclusum, post auctore D. Claudio receptum, & intra pomœrii fines observatum*; ibi tantum pomœrium protulisse Claudius dicendus est, ut a porta Capena, nunc S. Sebastiani, usque ad Tiberim mœnia deduxerit, & portam Trigeminam, nunc S. Pauli, ad eum, ubi hodieque sita est, locum transtulerit; cum ante cis Aventinum fuerit, ubi nunc templum Sanctæ Mariæ cognomento in Cosmedin, sive ad scholam Græcam. Id probat Livius [1]: *Censores extra eamdem portam Trigeminam, in Aventinum, porticum silice straverunt.* Et Valerius [2], ubi de C. Graccho sermo est: *Is fugiens vim Opimii consulis, se ex Capitolio receperat in Aventinum, in ipsum Dianæ templum. Mox supervenientibus armatis ex eo loco pulsus, ut flumen ponte Sublicio trajiceret, fugit cum duobus amicis. Quorum Pompejus, quo is* Gracchus *facilius evaderet, concitatum sequentium agmen in porta Trigemina aliquandiu acerrima pugna inhibuit.* Erat ergo cis Aventinum hæc porta, quo veniebat C. Gracchus, sicuti & pons Sublicius prope locum, ubi nunc pons S. Mariæ cognomento. Verum adjecto Aventino verius Roma septem una sibi muro circumdedit Arces. Veterem Claudii Inscriptionem pomœrium prolatantis supra adductam repetimus:

TI. CLAVDIVS
DRVSI F. CAISAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT
VIIII. IMP. XVI. COS. IIII.
CENSOR. P. P
AVCTIS. POPVLI. ROMANI
FINIBVS. POMERIVM
AMPLIAFIT. TERMINAFITQ

1 Lib. 1. Deca 5. 2 Lib. 4. c. 7. Luc. Flor lib. 3. c. 15. & Plutarchus in vita Gracc.

CAP. XIV.

Quid alii Cæsares Urbi addiderint.

CLAUDIO successit Nero, qui, teste Flavio Vopisco, auxit Urbem. Constat quidem, Neronem voluisse augere Urbem, vel potius mutare, ut ait Suetonius. *Destinarat*, inquit [1], *Hostia tenus mœnia promovere, atque inde fossa mare veteri Urbi inducere, & Romam Neropolim nuncupare:* sicuti mensem *Aprilem Neroneum* appellaverat Tacitus [2]: *Incensa Urbe, videbatur Nero condendæ Urbis novæ, & cognomento suo appellandæ gloriam quærere. Nam domus meliore forma restitutæ; laxatæ, directæque viæ; additæ porticus, quæ frontem insularum domorumque protegerent.* Itaque renovatam Urbem a Nerone hi auctores, non auctam [3] esse volunt. Si audimus Flavium Vopiscum, non modo renovavit, sed etiam auxit: at quo loco, incertum.

Nonus a Nerone, trigesimo primo post anno regnavit Trajanus, qui & a Vopisco dicitur mœnia dilatasse. Verisimile est in hac Romana planicie Trajanum Urbem auxisse [4], Dacia subacta. Nam cum Forum suum effossa quoquoversus terra, & complanato Quirinali clivo extruxerit, credibile est muros a colle Hortulorum per Forum columnæ ad Tiberim duxisse, ut Campus Martius extra relinqueretur. quamquam hac de re libenter alios audirem, quam ipse audiri mallem.

1 In ejus Vita c. 16. 2 Cap. 55. Lib. 15. Annal. 3 Nero Urbem non auget. 4 Trajanus auget Urbem.

Post Trajanum nullus Romanorum Principum usque ad Aurelianum pomœrium protulisse legitur. De Aureliano sic Vopiscus [1]: *His actis adhibito consilio Senatus, muros Urbis Romæ dilatavit, nec tamen pomœrio addidit eo tempore, sed postea.* nam confectis maximis bellis, & pacato terrarum orbe, cum triumphans rediisset ad Urbem, tum demum, ut idem ait [2]: *Muros urbis Romæ sic ampliavit, ut quinquaginta prope millia murorum ejus ambitus teneant.* At qua ex parte tantum spatii adjecit? De spatio & verbis Vopisci dicam infra. Nunc ajo cum Onuphrio, inclusum fuisse pomœrio Campum Martium. Itaque a porta Collatina per longitudinem Collis Hortorum muros deduxit, tum ad Tiberim eo in loco flexit, ubi murum obliquum hodieque conspicimus. Nec placet quod Zosimus narrat, ab Aureliano inchoatos, a successore Tacito muros fuisse perfectos. Quid enim fecit, qui nec vivere potuit, nisi sex menses in imperio, &, ut ait Vopiscus, *Propter brevitatem temporum nihil magnum gessit*? Qui sane auctor non omisisset, si tantum opus de illo Cæsare referendum habuisset. Quamvis autem Aurelianus mœnibus Campum cinxerit; remansisse tamen in eo vacuam herbidamque planiciem supra memoravimus, idoneam habendis concionibus ad Populum Romanum, cum Augusti crearentur, aut alia se præberet occasio.


1 In ejus Vita. 2 Aurelianus Urbem auget.

CAP. XV.

Castra Prætoria ubi fuerint, & quomodo Urbem auxerint.

CASTRA Urbi adjecta extruxit Tiberius monitu ambituque Ælii Sejani cohortibus prætoriis præfecti. De eo Tacitus [1]: *Vim præfecturæ modicam antea intendit, dispersas per Urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent, numeroque & robore & visu inter se fiducia ipsis, in cæteros metus crearetur. Prætendebat lascivire militem diductum: siquid subitum ingruat, majore auxilio pariter subveniri, & severius acturos, si vallum statuatur procul Urbis illecebris.* Durarunt Castra usque ad Constantinum: eumque castrorum spatium Urbi addidisse indicat Zosimus [2] his verbis: *Prætorianis militibus e medio sublatis* (nam Maxentio faverant) *& castellis seu castris dirutis, in quibus esse consueverant.* Ex quo quidem loco perspicue non infertur, quod ait Onuphrius, Zosimi testimonio Constantinum Urbi castra addidisse; conjicitur tamen ex situ, & forma murorum ad portam Viminalem. Sunt enim ibi [3] mœnia ultra reliquos muros quadrata; quam formam vallo fossaque munitam Romani usurpabant in castris. Et quæ ab ea porta, nunc Pia, ad portam Esquilinam, nunc Sancti Laurentii, recta ducerentur, interjecta extrinsecus & angulis incisa structura, projiciuntur ac protenduntur ulterius. Quamquam injuria temporum & hominum incuria multa vitiavit mutavitque. Et vero ibi fuisse castra militum Prætorianorum, cum Onuphrius de iis agens & Lipsius [4] tradunt, & communiter Antiquarii (quamquam alii perperam attribuant Diocletiani militibus, quasi non & aliis tribuenda sint) tum Suetonius ostendit in vita Neronis. Ubi refert, iturum Neronem *in suburbanum inter Salariam & Numentanam viam circa quartum milliarium*, equum inscendisse, & audivisse *ex proximis Castris clamorem militum, & sibi adversa, & Galbæ prospera ominantium.* Erant ergo viæ proxima, qua Nero vehebatur, seu Numentanæ, quod verosimilius est, seu Salariæ. Por-

1 Lib. 4. Annal. 2 Lib. 2. Hist. 3 Castra ubi fuerunt. 4 In Comm. Taciti lib. 4. Cap. 48.



ro aliquo intervallo fuiſſe ab Urbe ſecreta indicare videbatur Herodianus [1], niſi aliud nos Græcus codex monuiſſet. *Milites*, inquit, *erumpunt patentibus* Caſtrorum *portis*, *congreſſuque multitudinem fugientem in Urbem uſque perſequuntur*. At Græca ſic habent: Οἱ δὲ στρατιῶται τὰς πύλας ἀνοίξαντες ἐπεξῆλθον, μάχης δὲ καρτερᾶς γινομένης, καὶ φυγῆς τῶν δημοτῶν, ἐπὶ πολὺ τῆς πόλεως διώκοντες οἱ στρατιῶται προὔβησαν. *Milites autem apertis foribus eruperunt, factaque aſpera pugna, & fuga popularium, ad multum Civitatis perſequentes proceſſerunt*. Aliud ergo eſt *in Urbem uſque perſequi*, aliud *perſequi ad multum Civitatis*. Primum rem diſcretam, unde profecti perſequuntur, ſignificat: ſecundum non item. Quare ſolo muro & turribus munitionum caſtrenſium a reliqua Urbe Caſtra ſecernebantur; & paulo ſupra ἐπανελθεῖν ἐθέλησαν, verterat Interpres, *regredi in Urbem decreviſſent*. nimirum e Caſtris, quæ Romani obſidebant. redundat autem *in Urbem*. Fuerunt [2] Caſtra quadrata more veteri: muris, propugnaculis, turribuſque munita, inſtructa templo, armamentario, balneis, & fontibus. Formam indicant mœnia. Turrium Caſtrenſium meminit Herodianus [3]: φρουρὰς ἐπὶ τῶν πύργων καταστήσαντες. *cuſtodias pro turribus conſtituentes*. Mœnium & turrium Tacitus [1]: *Multi ſemianimes ſuper turres & propugnacula mœnium expiravere*. Templi, in quo ſigna ac ſimulachra exercitus adorarentur, idem Herodianus [2]: τὸν νεὼν, ἔνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τοῦ στρατοπέδου προσκυνεῖται. *Templum in quo ſigna & imagines exercitus adorantur*. Et paulo poſt: ἐπιμείνας ὁ Ἀντωνῖνος ἐν τῷ νεῷ. *manens Antoninus in templo*. Suggeſtus, e quo Imperator verba faceret ad milites, & ſacramentum ab illis acciperet, meminit Tacitus [3] *In ſuggeſtu, in quo paulo ante aurea Galbæ ſtatua fuerat, medium inter ſigna Othonem vexillis circumdarent*. B Idem armamentarii caſtrenſis [4]: *Aperire deinde armamentarium juſſit. rapta ſtatim arma ſine more & ordine militiæ*. Inibi fuiſſe balineas ad uſum militum indicat Herodianus [5]: *Re militibus nunciata*, ὧν οἱ μὲν ἤδη περὶ λουτρὰ εἶχον, οἱ δὲ ἀνεπαύοντο. *quorum alii quidem jam in balneis lavabant, alii quieſcebant*. Herodianus [6], & Capitolinus [7], aquæ deductæ in Caſtrum Prætorium meminerunt, interceptæque a plebe Romana, quæ potandi, lavandique commoda præbere potuit. Hæc Martia fuit, ut veteres Inſcriptiones in tubis ſeu fiſtulis plumbeis, apud Panvin.

1 Lib. 7. 2 Caſtra Romæ quadrata, & alia, quæ in iis erant. 3 Lib. 2.

1 Lib. 3. Hiſtoriar. 2 Lib. 4. 3 Lib. 1. Hiſt. 4 Ibid. 5 Lib. 4. 6 Lib. 7. 7 In Vita Max. & Balbin.

Q. AQVILLIO. SABINO. II. COS.
SEX. AVR. ANVLLINO
CASTR. PRAET. L. VRNAS. OFF. PED. CCCLXXXIII
AQVA MARC

Et:

T. VESPAS. AVG. VII. FLAV. DOMIT. VI. COS.
Q. CLAVD. SER. OFF. FEC. CASTR. PRAET

Et:

CLARO. ET. SEVERO. COS. QVADRAT. SER. FEC
CASTRVM. PRAETOR. P. CC

Amplificatam Urbem a Constantino Castrorum ambitu [1] nemo deinceps auxit. muros [2] tamen fuisse interdum refectos constat. Id fecisse Arcadium & Honorium, qui (mortuo Theodosio Patre) simul A regnare cœperunt ab obitu Constantini annis quinquaginta septem, vetus Inscriptio testatur, quæ super Portuensem portam in Transtiberina regione hodieque legitur:

1 Ultimum incrementum Urb. 2 Muri subinde refecti.

S. P. Q. R
IMPP. CAESS. DD. NN. INVICTISSIMIS
PRINCIPIBVS. ARCADIO. ET. HONORIO
VICTORIBVS. AC. TRIVMFATORIBVS
SEMPER. AVGG
OB. INSTAVRATOS. VRBI. AETERNAE
MVROS. PORTAS. AC. TVRRES. EGGESTIS
IMMENSIS. RVDERIBVS. EX. SVGGESTIONE
V. C. ET. INLVSTRIS
MILITIS. ET. MAGISTRI. VTRIVSQVE. MILITIAE
FL. STILICONIS. AD. PERPETVITATEM
NOMINIS. EORVM. SIMVLACHRA
CONSTITVIT
CVRANTE. FL. MACROBIO. LONGINIANO
V. C. PRAEF. VRBIS. D. N. M. Q. EORVM

Tunc autem non in ea solum parte, sed ubique fuisse muros instauratos cecinit Claudianus [1]:

Sic oculis placitura tuis, insignior auctis
Collibus, & nota major se Roma videndam
Obtulit. addebant pulchrum nova mœnia vultum,
Audito perfecta recens rumore Getarum:
Profecitque opifex decori timor, & vice mira
Quam pax intulerat, bello discussa senectus
Erexit subitas turres, cinctosque coegit
Septem continuo montes juvenescere muro.

Post hos instaurasse legitur Theodoricus Gothorum & Italiæ Rex, ut infra. Deinceps diminutus est potius, quam auctus ambitus. Itaque cum maxima Urbis amplitudo fuerit Aureliano, Constantino, & Honorio Principibus, quærendum est, in quantam magnitudinem illa ætate excreverit, ut constet, quid incrementi decrementive habuerit consequentibus sæculis.

1 In 6. Conf. Honorii.

CAP. XVI.

Investigatur post Aurelianum Romæ amplitudo, & primo Suburbia.

CAUSAM quærendi, dubitandique maximam attulit Flavius Vopiscus loco supra allato in Vita Aureliani. *Aurelianus*, inquit, *muros Urbis sic ampliavit, ut quinquaginia prope millia murorum ambitus teneant.* Quod si verum est, nemo non videt, quam sint imminuta Urbis mœnia, quæ hac tempestate, addito quidquid circa Vaticanos montes trans Tiberim incolitur, longissime ab illa magnitudine recedunt.

Atque ut clarior rei perobscuræ tractatio sit, statuendum est, hic non esse de suburbiis sermonem, quorum ædificia procurrebant ab Urbe continuata, & in magnam protensa longitudinem. De quibus Plinius [1]: *Exspatiantia tecta multas addidere urbes.* Nam e suburbiis aliud ad aliam producebatur urbem, Gabios, Tibur, Ariciam, Hostiam, &c. quæ nunquam, aut raro intermisso tectorum ordine, unum cum ipsa Roma videbantur esse. Quot quidem hæc suburbia essent, & quantum excurrerent, ex antiquis scriptoribus non habeo dicere, sed pro certo est habendum viis illis celeberrimis, Appiæ, Latinæ, Cassiæ, Flaminiæ, Aureliæ, aliisB que fuisse imposita. Onuphrius loco citato, *Quandoquidem*, inquit, *feratur viam Flaminiam totam ab Urbe Otriculum usque, ædificiis ex utraque parte plenam fuisse.* Quod & Fulvius, & Lipsius [1] tradunt. De Hostiensi suburbio Aristides in Urbis encomio: Πόλις καλύπτει μὲν ἄκρυς κορῶνας, καλύπτει δὲ ἐν μέσῳ γῆν, καταβαίνει δὲ καὶ μέχρι θαλάττης. ὅπου δέ τις αὐτῆς γίγνοιτο, οὐδέν ἐστι τὸ κωλύον, ὁμοίως εἶναι ἐν μέσῳ. *Urbs operit editos montium vertices, operit in medio terram, descendit autem usque ad mare. In quacumque autem ejus parte quis steterit, nullum est impedimentum, quo minus pariter in medio sit.* Quod ergo est hujus loci, habemus usque C ad mare productam Urbem suburbanis tectis. Alia alibi pensitabimus; postrema enim verba videntur infinitam propemodum Urbis magnitudinem facere. Demum Dionysius [2] sic de suburbiis omnibus generatim loquitur [3]: Ἀλλ' ἔστιν ἅπαντα τὰ περὶ τὴν πόλιν οἰκούμενα χωρία, πολλὰ ὄντα καὶ μεγάλα, γυμνὰ καὶ ἀτείχιστα. *Sed omnia sunt circa Urbem habitata loca multa & magna, aperta neque muris cincta. & siquidem*, pergit, *hæc unus aliquis videns, voluerit magnitudinem Romæ inquirere, cogetur falli*, καὶ οὐχ ἕξει βέβαιον σημεῖον οὐδὲν, ᾧ διαγνώσεται μέχρι τοῦ προβαίνουσα ἡ πόλις ἐστὶ καὶ πόθεν ἄρχεται μηκέτι εἶναι πόλις. D *neque certum habebit signum, quo dignoscat, quousque processerit & unde Urbs incipiat, ac desinat. Ita attexta*, pergit, *sunt Urbi suburbana domorum spatia*, καὶ εἰς ἄπειρον ἐκμηκυνομένης πόλεως ὑπόληψιν θεωμένοις παρέχεται. *& in infinitum* [4] *productæ Urbis opinionem spectantibus præbent.* Ex his Plinii, Aristidis, Dionysii locis liquet, suburbia fuisse multa, magna, & in eam porrecta longitudinem, ut Urbs immensa quodam modo, & infinita videretur esse; &, quod proprium est infinitæ rei, nec medium habere, nec finem. Itaque plures, quam supra memoravi urbes junctæ suburbiis Romæ adE debantur in Latio, in Sabinis, in Hetruria, propinquæ videlicet, viisque præcipuis impositæ. Quod facile persuadent, tum ea, quæ adducit Lipsius, tum quæ scripsit Ammianus Marcellinus [5] de Romani populi multitudine [6]. *Constantinus*, inquit, *non, ut Cyneas ille Pyrrhi legatus, in unum coactam Regum multitudinem: sed asylum mundi totius adesse æstimabat. Stupebat, qua celeritate omne, quod ubique est hominum genus, confluxerit Romam.* Seneca ad Helviam: *Ex toto orbe terrarum* (ad Urbem) *confluxerunt*. Et: *Nullum non hominum genus concurrit in Urbem, quæ veluti communis patria potest dici.* Qui enim habitabant in

1 Lib. 3. c. 5.

1 Lib. 3. de Magnit. Rom. c. 3. 2 Lib. 4. 3 Omnia circ Urbem tectis frequentia. 4 Urbs fere in infinitum producta 5 Lib. 16. 6 Romæ ingens multitudo.

ſuburbiis, dicebantur & Romæ habitare: ſic ff. lib. 50. de Verbor. ſignificat. tit.16. L. *Urbis*. *Urbis appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis finitur, quod latius patet*. & L. *Ædificia*. *Romæ fieri etiam ea videntur, quæ in continentibus Romæ ædificiis fiant*. Denique ut habetur eodem tit. L. *ut Alfenus*. *Urbs eſt Roma, quæ muro cingeretur*: *Roma eſt etiam, qua continentia ædificia eſſent*. *Nam Romam non muro tenus exiſtimari, ex conſuetudine quotidiana poſſe intelligi, cum diceremus Romam nos ire, etiamſi extra Urbem habitaremus*. Hæc demum intellexit Ovidius ſuburbia adjuncta mœnibus, aut certe mœnia palmari hyperbole amplificavit [1]:

Quæque capit vaſtis immenſum mœnibus orbem,
Hoſpitiis Romam vix habuiſſe locum.

Plura leges apud Lipſium [2]: *Nam maximam, ejuſque immenſa tecta* dixit Seneca loco citato. *Cujus ſpatium viſus non caperet*, Claudianus [3]. *Commune totius terræ oppidum* Ariſtides [4]. *Populis, victiſque gentibus frequentem, & generis capacem humani*, Lucanus. Tantæ enim laxitati, & ſuburbanis habitationibus hominum multitudo reſpondit. Hanc vero paucis etiam perſtringam, quoniam auget Urbis magnitudinem. Legimus quidem apud Tacitum [5] luſtro quod condidit Claudius Cæſar, *cenſa fuiſſe civium LXVIIII. centena, & XLIIII. millia*. Sed niſi mens Taciti recte intelligatur, numerus pro falſo habendus omnino eſt. tanta enim Civium multitudo Romæ eſſe non potuit. Nam poſt bellum civile anno Urbis DCCVII. [6] pro CCCXX. millibus civium, quot ſuperiore cenſu fuerant ante bellum, cenſa ſunt a Cæſare dictatore CL. millia, teſte Plutarcho [7]; cum antea Craſſo & Pompejo primum conſulibus an. Urbis DCLXXXIII. [8] cenſa fuiſſent CCCCL. millia, ut habet Epitome Liviana. Sequuta ſunt poſt mortem Cæſaris alia bella civilia, donec Auguſtus poſt Actiacam victoriam ſolus imperare cœpit anno Urbis DCCXXIII. Quo tempore civium numerum, quem non invenio, parum creviſſe credendum eſt. Ab hoc anno uſque ad luſtrum Claudii interceſſere anni LXXV. nempe uſque ad annum Urbis DCCLXXXXVIII. [9] cum actus eſt cenſus a Claudio Valerio Aliatico & L. Cornelio Coſſ. ut eſt apud Caſſiodorum. Quomodo igitur tam brevi tempore tanto numero aucta eſt civitas, ut a centum quinquaginta millibus fere ad ſeptuagies centena millia, ſeu ſeptem milliones pervenerit? Cum præſertim, tradente eodem Tacito, in numerum patriciorum multos aſciverit Claudius, *paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellaverant: exhauſtis etiam, quas dictator Cæſar lege Caſſia, & Princeps Auguſtus lege Senia ſublegere*. Sane cruenta Tiberii & Caligulæ tempora plurimos abſumpſerant. Quare [10] ne demus locum Taciti eſſe corruptum, dixerim Claudium non modo cives Romam incolentes, ſed omnes extra Urbem atque Italiam, militiæ, negociationis, cujuslibet rei gratia commorantes, & coloniarum cives cenſuiſſe. Nam & hos fuiſſe interdum cenſitos recte docet ex Livio & Dionyſio Sigonius [11], nec tamen frequentiam Romæ habitantium diminuimus. Nam ſi Craſſo & Pompejo coſſ. fuerunt CCCCL millia, demus Claudio Principe ſexcenta millia, & amplius fuiſſe; tunc ex computatione calculoque Lipſii [12] ſummopere creſcit habitatorum numerus. Nam mulieres puerique, qui uſque ad annum XVII. ætatis non cenſebantur, duplo triploque plures erunt. adde turbam & ſervorum greges: adde opifices & inquilinos (*nemini enim civi Romano*, ait Dionyſius lib. 9. *aut cauponari, aut officia ſordida exercere licebat*.) adde exteros ex toto terrarum Orbe ambitionis, neceſſitatis, officii publici, legationis, luxuriæ, locique vitiis opportuni, liberalium ſtudiorum, ſpectaculorum cauſa in Urbem confluentes; profecto numerum Taciti æqualem, aut ſuperiorem feceris. Seneca [1]: *Cogitate in hac civitate, in qua turba per latiſſima itinera ſine intermiſſione defluens eliditur, in qua conſumitur, quidquid terris omnibus aratur*.

His ita declaratis, multi putant nodum ſe facile diſſolvere, ſi, ut Blondus, dicant, *Romam adjunctis ſuburbiis quinquaginta milliaria comprehendiſſe*. Hi vero Vopiſci verba non explicant, ſed eludunt. Nam Otriculum recto itinere diſtat fere ab Hoſtia quinquaginta paſſuum millibus, quod ſpatium ædificiis occupatum ſupra memoravi. Adde reliqua ſuburbia multa & magna, adde Romæ ambitum, numerum quanto ampliorem quinquagenario ſubduces? ducenta amplius millia paſſuum non implebunt circuitum tam late protenſum, tot viarum ductibus diſcretum. Deinde, ut ſupra, ex Dionyſio, ſuburbia nuda, & ſine muro fuerunt. At Vopiſcus ait: *Aurelianus ſic muros Urbis ampliavit, ut quinquaginta prope millia murorum ambitus teneant*.

Itaque ſecluſis ſuburbiis de ipſa Roma mœnibus & pomœrio concluſa loquendum eſt, ejuſque magnitudo inveſtiganda.

1 De Clem. lib.1. c.6.

CAP. XVII.

Urbis magnitudo explicatur.

TAMETSI Urbs variis temporibus varia ſumpſerit incrementa, tamen murorum ambitus ante Aurelianum minor illo habendus eſt, quem hodie videmus; poſt Aurelianum & Conſtantinum aut idem, aut alicubi paulum differens. Ut ſæpius mœnia diruta & collapſa iiſdem prope veſtigiis ac fundamentis fuerint reſtituta, & idem fere terræ ſpatium in maxima ſua amplitudine Roma inſederit, quem retinet vineis & hortis conſita, civiumque domibus cis ſeptem montes in planicie collocatis, ubi olim Prata Flaminia & Martius Campus fuere. Ita & Marlianus, & Blondus ſenſit. Marlianus [1]: *Credimus ſuper fundamentis priſcis muros nunc exiſtentes extructos fuiſſe*. Blondus [2]: *Quamquam*, inquit, *muri partim collapſi & corroſi ſint, partim ruinam multis in locis minentur, in ipſo tamen remanent priſco veſtigio veteris fundamenti*. Sed quod hi auctores verbo tenus pronunciant, ego conabor oſtendere. Contra ſentit Lipſius. Onuphrius autem: *Omnino hunc murorum Urbis circuitum paulo minorem eo eſſe exiſtimo, qui ante Beliſarii tempora fuit*.

Primo ab omnibus antiquis Urbs ſita dicitur in ſeptem montibus. Dionyſius [3]: *ὁ δὲ Τύλλιος ἐπεὶ τοὺς ἑπτὰ λόφους ἑνὶ τείχει περιέλαβεν*. *poſtquam autem Tullius ſeptem colles uno muro complexus eſt*. & ambitus, ut ante dixerat (uſque ad Auguſtum) *ulterius non proceſſit*. Plinius [4]; *Complexa montes ſeptem ipſa dividitur in regiones quatuordecim*. Virgilius [5];

Septemque una ſibi muro circumdedit arces.

Ovidius [6]:

Et quæ de ſeptem totum circumſpicit Orbem
Montibus ——

1 2. de Ponto El 1. 2 Lib. 3. de Magn. Rom. cap. 3. 3 3. Panegyr. in Stilic. 4 In Panegirico. lib.1. 5 Lib.11 Annal. 6 Juxta Sigonium, qui Onuphrio eſt 709. aliis 708 7 In ejus Vita. 8 Aliis 684. 9 Onuphrio 799. 10 Quo modo cenſus Claudii ſit intelligendus. 11 De Jure Civ. Rom lib.1. c.14. 12 Loco cit.

1 Libro 1. c.5. 2 Initio Romæ inſtauratæ. 3 Libro 3. 4 Lib.3. c.5. 5 1. Georg. 6 2. Triſt.

Martialis Janiculi hortos ab Urbe excludens [1];

Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam.

Propertius [2];

Septem Urbs alta jugis, toti quæ præsidet Orbi.

Claudianus [3];

Quæ septem scopulis zonas imitatur Olympi.

Idem [4];

—— Cinctosque coegit
Septem continuo montes juvenescere muro.

Ammianus de Constantio loquens [5]: *Deinde*, inquit, *intra septem montium culmina per acclivitates planiciemque posita Urbis membra collustrans*. Nihil ais, dicet aliquis; nam Urbs montes includebat, & alia plana & tumulosa loca, quæ sunt circa & extra montes. Verum aliud judicabit, qui diligentius verba expenderit. Nam quid est apud Claudianum, Honorii ætate *septem montes juvenescere cinctos continuo muro*, nisi muros aut ipsis montibus fuisse impositos, aut prope ipsorum radices ductis munitionibus præcinctos, receptis tantum intermediis vallibus? Non enim montes cinguntur ornanturque (quod poeticum est *juvenescere*) renovatis mœnibus, si mœnia aliquot millia passuum absunt a montibus, nec prope dixisset Virgilius: *Septem arces*, id est, *colles*, *muro circumdedit*. Immo & montes fuisse pro mœnibus testatur Plinius [6]; *Cæterum munita erat præcelsis muris, aut abruptis montibus*. Muri enim præcelsi in vallibus interjacentibus altos montes inter se jungebant, qui prærupta & sua altitudine absque manufactis operibus muniebantur. Ideo Ammianus: *Urbis membra seu partes intra septem montium culmina per acclivitates, planiciemque*, intermediam videlicet, *positas* dixit. Si erant partes Urbis intra montes Constantii ævo, cur tu tanto locorum spatio extra constituis? Quamvis enim Martius campus tunc ædificatus esset extra montes, quia tamen reliquæ Urbis partes montibus continebantur, a potioribus & pluribus jure dicuntur esse intra montes. Sunt autem colles Urbis in circulum dispositi, & Palatinum undique modicis vallibus secretum, quasi centrum, etsi non omnino medium, relinquunt. Ideo eum collem in meditullio ferme Urbis posuit Dionysius, ne hac de causa cogatur Cluverus Transtiberinum tractum intra Urbem censere. Jam nostram Romam ad veterem referendo, optime apparet, quomodo septem montes pomœrio concluderet. Nam Aventinus deficiens ad portam Trigeminam, planiciem, ubi navalia fuerunt, circumjacentem habet: Cœlius in muris ipsis definit; Esquilinus aut interjecto campo longe a pomœrio finitur, aut certe in planiciem cum Viminali excurrit, qua parte ductus est Agger Tarquinii, qui plana collis Quirinalis terminabat, hodieque terminat. A porta Collina deinde murus latiori circuitu descendit in Martium campum, cum sub Regibus per prærupta montis Quirinalis recta in vallem, ubi Columna Trajani, inde in summum Capitolium, tum ad Tiberim duceretur. Hic ergo murorum ambitus antiquo septicolli respondet. Porro si, ut ajunt, cum adjectis in Janiculo mœnibus, Urbs nihilominus hodie vix tredecim millia passuum implet; si alia decem, aut etiam triginta septem millia adjicias, tam insano extra colles ambitu; quomodo aut muros in collibus, aut Urbis partes intra septem colles collocabis?

Secundo muros Urbis circumeunti, eorum partes ac portæ idem indicant. Incipio a Tiberi & porta Flaminia. Hic ab ætate Justiniani, præter portæ situm, qui tunc in editiore loco, ultra templum Virginis cognomento a Populo, videtur fuisse, eadem sunt spatia murorum, ut constat ex Procopio [1]. Ait enim, Vitigem Gothorum regem ad Urbem proxime obsidendam accessisse, venisseque ad pontem fluminis decem & quatuor stadia distantem ab Urbe: qui Milvius fuit, ut patet tum ex turri in summo ponte, quæ a Belisario inibi extructa adhuc visitur; tum ex ipsamet narratione historici. Gothi enim locatis castris inter Prænestinam, nunc Majorem, & Flaminiam portam, in Pratis Neronianis, & ad Molem Adriani alia castra muniverunt, ut medium pontem Milvium, quem occupaverant, & trans Tiberim omnia in tuto haberent. Hic ergo pons illo ævo ab Urbe aberat stadia quatuordecim, hoc est, passus mille septingentos quinquaginta, sive duo non plane absoluta milliaria. stadium enim continet passus centum viginti quinque. Nec puto minore spatio nunc pons Milvius abest ab Urbe.

Idem ex conflictu Constantini & Maxentii ad pontem Milvium patet. Nam Maxentius, ut ajunt Incertus & Nazarius in Panegyricis ad Constantinum, transmisso fluvio suos instruxit sic in ripæ margine locatos, ut a tergo Tiberi premerentur, & *ultimorum vestigia præsagio quodam eventuræ cladis unda fatalis allueret*. Ad primum enim impetum Constantiniani exercitus territi fugatique, locum, quem pugnæ ceperant, texere corporibus, vel in fluvium cum ipso duce abiere præcipites sive angustiis Milvii pontis exclusi, ut Incertus in Panegyrico, sive diffracto ligneo ponte, quem Tyrannus fabricaverat prope Milvium, ut dissolutis compagibus hostem immergeret; quod Zosimus [2] & Eusebius [3] aliique tradiderunt. Hic ergo ubi [4] pugnatum est, locus longissime ab Urbe distare dicitur ab Eusebio: *Ne*, inquit, *Tyranni gratia*, *Constantinus Romanos bello affligere cogeretur*, θεὸς αὐτὸς οἷα δεσμοῖς τισι τὸν τύραννον πορρωτάτω πυλῶν ἐξέλκει, *Deus ipse veluti vinculis quibusdam Tyrannum longissime a portis extrahit*. Quod si cuipiam forte videatur Eusebius non integra fide loquutus, quod intervallum, quo porta Flaminia distat a ponte Milvio, pro *longissimo* habendum non sit; intelligat primo, Urbis mœnia longe a ponte dissita, ut hodieque sunt, illo ævo fuisse: deinde, pro *longissimo* habendum esse intervallum, quo victores milites, cædibus, direptionibus, incendiis Urbi nocere non potuerunt.

Jam ultra portam Flaminiam, versus Collatinam, seu Pincianam flectuntur mœnia, & *murum obliquum* [5] vulgari vocabulo appellant. Cujus eamdem formam sic Procopius [6] describit: *Inter portam*, inquit, *Flaminiam*, *& alteram ad dexteram huic proximam portulam*, *porta alia est*, *quæ Pinciana vocatur*. *Huic proximi muri pars quædam lapidum laxata jampridem compage*, *sejuncta spectatur*, *non tantum a solo*, *sed a medio ad summum fastigium scissa*, *nec sane collapsa*, *nec alias resoluta*; *sed utrinque sic inclinavit*, *ut cætero muro extrinsecus partim prominentior esse appareat*, *partim retractior*. Deinde cum dixisset, eam muri partem, quæ opinio Romanorum erat, Gothico bello Beati Petri Apostoli defensione munitam, subdit: *Nec sarcire in posterum quisquam*, *nec de integro restituere au-*

1 Libro 4. Epigram. 64. 2 Libro 3. Elegia 10. 3 Paneg. 3. in Stiliconem. 4 in 6. Conf. Honorii. 5 Lib. 26. 6 Libro 3. c. 5.

1 Lib. 1. de bello Gothico. 2 Lib. 2. 3 Lib. 1. Vit. Constant. cap 32. 4 Ubi pugnarit Constantinus cum Maxentio. 5 Murus inclinatus in mœnibus Urbis. 6 Lib. 1. de bello Gothico.

sus est, sed ad hanc diem ea regione sejunctus remanet murus. Ita prorsus hodieque angulus ille inclinatus spectatur: quare non est, cur aliquis ex hac Urbis parte strictius murorum spatium, quam olim fuerit, esse contendat. Confirmat idem S. Gregorius in [1] Epistolis scribens, juxta portam Flami- A niam, viamque publicam occultas fuisse cryptas, quo monachi fugitivi se receperint. Quæ etiam hac tempestate eodem in loco obliqui mœnium anguli visuntur.

1 Lib. 1. Epist. 38.



At Collinæ seu Salariæ portæ mœnia ibidem olim fuisse, & Horti Salustiani & Christianorum sacra monumenta ostendunt. Hortos quidem Salustianos ad Collinam fuisse nemo dubitat, ut alio in loco dicam. Tacitus [1]: *Tertium agmen per Salariam Collinæ portæ propinquabat*. De quo paulo post: *Ii tantum conflictati, qui in partem sinistram Urbis ad Salustianos hortos per angusta & lubrica viarum flexerant. Superstantes maceriis hortorum Vitelliani ad serum usque diem saxis pilisque subeuntes arcebant: donec ab equitibus, qui porta Collina irruperant, circumvenirentur*. Ad hos Hortos [2] domus olim Sanctæ Susannæ regiæ virginis fuit, quæ postea in templum ejus nomini dicatum conversa est, hodieque percelebre visitur. Constat ex ejus actis & Ecclesiastica Historia, quam refert Cardin. Baronius [3]. *Domus*, inquit, *S. Susannæ & Gabinii Patris erat conjuncta domui S. Caii Papæ in sexta regione*, Alta olim Semita, nunc via Pia, *apud Vicum Mamuri ante Forum Salustii, sive apud Arcus portæ Salariæ, juxta ædes Salustii*. Tum subdit Baronius: *Est apud Gentiles auctores mentio de ædibus hortisque Salustii in eadem regione positis. Perseverat hactenus nobilis memoria S. Susannæ eodem in loco, qui nostra ætate auctus est nobili monasterio sacrarum Virginum*. Ex his, quæ a me non eodem verborum ordine relata sunt, conficere sic quisque potest. Templum S. Susannæ est, ubi fuit ejus domus: domus ad Hortos Salustianos: Horti ad portam Collinam: Igitur hæc porta ætate illius B. Virginis, nempe Diocletiano Principe, latiore, quam nunc absit, spatio ab ejus domo ac templo abesse non poterat, interjectis videlicet tantum Salustianis Hortis. Nunc B certe longe sita est ab æde S. Susannæ, & spatium in medio relinquit, quod *Salustricum* suo tempore nuncupatum, ab Hortis videlicet Salustii, testatur Fulvius: hodie *Salustiam* vulgo appellant.

1 Hist. lib. 3. 2 Domus, & Templum S. Susannæ ad Hortos Salustii. 3 Tom 2. Annal. an. sal. 294. & 295.

Aliud extra portam Viminalem, nunc Piam, pro ejus muris indicium est. Nam templo S. Agnetis extra Urbem condito a Constantino proximum est [1] templum & sepulcrum S. Constantiæ sororis Constantini. De quo sic Pomponius Lætus in vita Galli Cæsaris, qui ejusdem magni Constantini patruelis fuit: *Constantiæ corpus delatum ad Urbem, & in Suburbano via Numentana post primum lapidem sepulchro majorum illatum*. Recens auctor rei C antiquæ, ut olim est gesta, seriem & modum exposuit. neque spatium viæ mutatum est a porta Urbis ad ædem ædi S. Agnetis proximam, & Constantiæ sepulchro insignitam.

Hinc extenditur rectus ad portam Esquilinam murus, interjecto quadrato Castrorum intervallo, quod, ut supra dicebam, demonstrat reliquias Tarquiniani aggeris, quo Urbs ab oriente claudebatur.

Porta vero Esquilina in latiori murorum ambitu non fuit. Argumento est templum [2] S. Laurentii antiquis etiam temporibus dictum *extra muros*: D ibique conditum a Constantino Augusto, quod B. Martyr in Viminali, ubi nunc ædes Sancti Laurentii cognomento in Panisperna ardentibus prunis super cratem ferream ustulatus, eadem nocte sublatus a S. Hyppolito, & per Esquilias extra Urbem in cœmeterio Cyriacæ in agro Verano depositus, sepultusque est. Locus ergo ille, in quo postea templum augusta magnificentia condidit Constantinus, semper extra Urbem fuit. Et quamvis spatium inter-

1 Sepulchr. S. Constantiæ. 2 Templum S. Laurentii.

terjectum inter veteres Urbis muros digito designare nemo possit, tamen veritati consentaneum est, olim non fuisse brevius quam nunc est, cum cœmeteria fere distarent a mœnibus, & cadaver beati Martyris clam deportatum sub ipsam portam confestim occultari non potuerit.

Huc afferri potest, quod Prudentius in Hymno 11. S. Hippolyti (quamvis aliter alii codices numerent) scribit de Crypta Verania, seu cœmeterio Cyriacæ, in qua beati Martyris corpus sepultum est, & ostium habet in templo S. Laurentii:

Haud procul extremo culta ad pomœria vallo
Mersa latebrosis crypta latet foveis.

Et paulo post:

Stat sed juxta aliud, quod tanta frequentia templum
Tunc adeat, cultu nobile regifico.

Id vel S. Laurentii templum est, vel S. Hippolyti, quod non longe distabat, referente Card. Baronio [1].

Nihil ita certum affirmare possum de ea mœnium parte, quæ est ad portam Næviam, nunc Majorem. Tamen pro argumento sit pervetus quædam ædes prope Sanctæ Crucis Templum; quæ ab Antiquariis Veneris & Cupidinis, eademque a P. Victore non longe a porta Nævia fuisse dicitur. Et forte in hoc Esquiliarum angulo aliquid mutatum est, ut Amphitheatrum incideret in mœnia.

Jam ad portam Cœlimontanam, nunc Lateranensem, cum ipso monte terminatam Urbem situs ipse loci demonstrat; desinebat enim in abruptis montibus, ut ait Plinius.

Portam Latinam in eodem stare vestigio S. Joannis ædicula, *vulgo ante portam Latinam*, testatur; nam ibidem in olei ferventis dolium demissus est Domitiano Principe.

Idem de porta Capena, nunc S. Sebastiani, colligitur, ex eo quod S. Gregorius commemorat epist. 30. lib. 3. *De corporibus vero*, inquit, *Beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum? dum constat, quod eo tempore, quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora sicuti civium suorum repeterent. Quæ ducta usque ad secundum Urbis milliarium usque ad locum, qui dicitur ad Catacumbas, collocata sunt.* Videant qui ævo Neronis volunt ampliorem Urbem, & post illum etiam producunt; an locus ille ad Catacumbas, adjunctus templo S. Sebastiani, nunc magis ab Urbe distet.

Tandem porta Trigemina, nunc S. Pauli, ex qua brevis est ad Tiberim tractus, ne multum abesse a veteri loco credatur, indicio est [2] templum S. Pauli a Constantino erectum, ab aliis deinde Augustis amplificatum. De quo sic Procopius [3]: *Extat templum S. Pauli Romanis procul a mœnibus stadiis decem & quatuor* (id est, ut supra de ponte Milvio dicebam, passibus mille septingentis quinquaginta) *juxta quod Tiberis fluit, ubi nullum patet munitum esse præsidium. Porticus tamen eodem ab Urbe pertinens, circaque & ædificia alia pleraque non satis ad invadendum opportunum locum hunc reddunt.* Templum ergo illud religiosissimum & maximum, cum ætate Belisarii & Justiniani abesset ab Urbe milliaria duo, minus ducentis quinquaginta passibus, tantundem hoc ævo aut circiter distare a Romanis mœnibus recte æstimanti videbitur.

Supersunt Transtiberina mœnia, quæ immota,

1 In Annot. ad Martyrol. die 13. Augusti. 2 Templum S. Pauli. 3 Lib. 2. de bello Gothico.

A nec magis angusta hoc ævo sunt, quam olim fuerunt. Nam portæ Portuensis structura cum inscriptione Arcadii & Honorii Principum adhuc visitur. Deinde qua murus per acclivitatem Janiculi ad portam S. Pancratii, & jugum collis evadit, indeque flexus ad portam Septimianam Tiberimque descendit, eosdem habere fines dicendus omnino est, quos illi Rex olim Ancus imposuit, ut ex Livio, Dionysio, & Procopio inferri potest.

In ea vero Janiculi parte conclusa mœnibus, fuisse molas [1] omnes ab antiquis Romanis collocatas testatur Procopius [2], aqua præcipiti lapsu e supercilio collis structiles per canales subjectis machinis movendis illabente.
B At contra muri extrema, qui ripam Tiberis prope Septimianam portam, in hortis nunc Farnesianis, attingebat, in ripa citeriore alter murus incipiens secundum fluvium deducebatur ad pontem Ælium, eumque prætergressus, muro demum committebatur, qui descendens e colle Pincio prope portam Flaminiam pertinebat ad Tiberim. Porro illa mœnia cis flumen secundum ripam extructa porta Aurelia dividebat: quæ, cum vigerent Christiana sacra, etiam S. Petri est appellata; quoniam, eodem Procopio referente, Apostoli templo esset omnium propinquior. Quare eadem porta
C constituitur in aditu pontis, quem Triumphalem nominant, nempe olim impositum viæ Triumphali ad Nosocomium S. Spiritus. Cujus sane tres ingentes pilæ in aquis semirutæ eo loci spectantur; ibique cum porta conspicitur in veteri Roma, quam Pyrrhus Ligorius a se descriptam in ære incidendam curavit. Idem secundum ulteriorem ripam, contra quam nos fecimus, & Onuphrius in parte Vaticani campi mœnia statuerunt. Sed Procopius [3], quamvis subobscure loquatur, pluribus tamen in locis, si recte intelligitur, a nobis est mediumque inter mœnia flumen constituit, ea videlicet, quæ in ripa citeriore, quæque Janiculo fuerunt. ὅν τινα δὲ,
D inquit, τρόπον Ῥωμαῖοι τοῦ ποταμοῦ ἐφ' ἑκατέρα τὸ τῆς πόλεως τεῖχος ἐδείμαντο, ἐρῶν ἔρχομαι. *quemadmodum autem Romani ex utraque fluminis parte Urbis murum ædificarunt, dicere aggredior. Multus quidem*, ait, *Tiberis mœnia longo spatio præterfluens*, παραῤῥέων ἐπιπλεῖστον τοῦ περιβόλου, *hac ferebatur. Hic autem locus, in quo murus juxta profluentem amnis consurgit, planus & valde facilis est. At contra hunc locum, trans Tiberim, collem quemdam magnum contingit esse.* Idque esse Janiculum nemo dubitet: ubi deinde frumentarias molas fuisse a priscis fabricatas tradit: tum pergit:
E Διὸ καὶ οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι τόν τε λόφον, καὶ τὴν κατ' αὐτὸν τοῦ ποταμοῦ ὄχθην τείχει περιλαβεῖν ἔγνωσαν, ὡς μήτε τοῖς πολεμίοις δυνατὰ εἴη τούς τε μύλωνας διαφθεῖναι, καὶ ποταμὸν διαβᾶσιν εὐπετῶς τῷ τῆς πόλεως περιβόλῳ ἐπιβουλεύειν. *Propterea* [4] *antiquitus Romani & Collem & juxta ipsum fluminis ripam muro comprehendere decreverunt. Ut neque hostibus possibile esset molas evertere, nec fluvium trajicientibus facile mœnibus Urbis insidiari.* Additque, *itaque jungentes inibi fluvium ponte, & mœnia conjungere voluerunt, & crebras domos in loco, qui est ex adverso, ædificantes medium Urbis Tiberis alveum fecerunt.* Hæc, puto, ostendunt mœnia cis Tiberim contra Janiculum, non in Transtiberina ripa fuisse. Itaque
F non ducenda sunt a porta Septimiana secundum eamdem ripam ad Molem Adriani. Sed quoniam alia ejusdem Procopii verba videntur negocium facessere, ea primum afferenda, tum quid probabilius consequatur, depromendum est. Igitur loquens [5] de Mole Adriani, Ἀδριανοῦ, inquit, τοῦ Ῥωμαίων αὐτοκράτορος τάφος ἔξω πύλης Αὐρηλίας ἐστὶν, ἀπέχων τοῦ περιβόλου ὅσον λίθου βολήν. *Adriani Romano-*

1 Molæ ubi Romæ fuerint. 2 Lib. 1. de bello Gothico. 3 Ibidem. 4 Mœnia fuerunt in ripa Tiberis. 5 Moles Adriani.

rum Imperatoris tumulus extra portam Aureliam est, distans a mœnibus, quantum jactus est lapidis. Pergitque paulo post: *Hoc autem sepulchrum prisci homines (visum enim id civitati) muris duobus ad ipsum a mœnium circuitu pertinentibus, eorum partem esse fecerunt. simile enim est præcelsæ turri ad ejus loci portam prominenti. erat igitur ibi munitio tutissima. Huic autem munimento Constantianum Belisarius præfecit: cui etiam mandavit custodiam muri contigui curare, leve & non magni momenti præsidium habentis.* ἥκιστα γὰρ ταύτῃ ὄντος τοῦ περιβόλου, ἅτε τοῦ ποταμοῦ παραῤῥέοντος. *Hic enim minime expugnatu facilis murus erat præterlabente flumine.* Et paulo post: Κωνσταντιανὸς δὲ, καὶ γὰρ ἠγγέλλοντο οἱ πολέμιοι τὸν Τίβεριν ἀποπειρώμενοι διαβάσεως, δείσας περὶ τῷ ἐκεῖσε τειχίσματι. *Constantianus autem (etenim nunciabantur hostes in Tiberim tentantes aditum) metuens illi, qui inibi erat, muro,* ipse quidem cum paucis opitulatum venit: plures curare jussit ad portam & sepulchrum, idemque victor rediit, cum fugasset τοὺς τοῦ ποταμοῦ ἀποπειραμένους, *eos qui fluvium tentaverant.* Ubi mœnia cis fluvium aperte videmus, quandoquidem trajiciendus erat hostibus Vaticano venientibus, ut illa possent oppugnare, atque irrumpere: eademque præterlabente flumine modico præsidio indigere. Videmus portam Aureliam ad Tiberim. Itaque, eodem Historico referente, Gothi cum tentassent transitum fluvii, ut murum aggrederentur, alia parte molem ac portam simul aggressi sunt.

Dices, cur porta Aurelia non collocatur ad pontem Ælium Adrianæ Moli propinquior? Id enim indicat Procopius. Respondeo, ex Procopii narratione, nullam portam [1] Templo S. Petri fuisse Aurelia propinquiorem. Si autem hæc ad pontem Ælium & Molem ponatur; alia ponenda esset in aditu pontis Triumphalis (ut ajunt: sed P. Victor *Vaticanum* nominat) quæ vicinior illi Basilicæ fuisset. Murus autem a Mole quasi brachium ad pontem illum pertinens, interposita porta patefaciendus non erat, cum ripam undique clauderet.

Sic ergo his in locis, saltem ævo Procopii murorum ambitum se habuisse reor. Antiquissima mœnia e supercilio Janiculi ab Anco Martio Rege ad Tiberim, dextra, lævaque perducta sunt. Deinde prope Septimianam portam ædificatus pons, qui a Pontifice ultimo conditore nunc XYSTUS dicitur, plana Urbis, interfluente flumine, conjunxit. Ab eo ponte [2] murus in citeriore ripa versus pontem Triumphalem excurrebat: ultra quem porta Aurelia, eo translata, cum antea sub Janiculo fuisset. Moles vero Adriani, duplici brachio extenso, uno quidem ponti Aureliæ portæ conjungebatur: alterum lævorsum ad aliam murorum partem Ælio ponti commissam dirigebat. Hæc mœnia cis Tiberim item structa sunt, ab Ælio ponte versus portam Flaminiam. An ejus portæ mœnibus conjungerentur, & Campum Martium a flumine perpetuo dividerent, alii certius decernant. Probabile quidem est, murum subinde habuisse arcuatos aditus, ut Romana juventus post armorum exercitationem posset e Campo Martio in Tiberim, natatum lavatumque descendere. Sic autem constitutis in citeriore fluvii ripa mœnibus, clare intelligitur quod in Panegyrico ad Constantinum ait, affatus Tiberim Orator: *Tu munitor mœnibus ambiendis.*

1 Porta Aurelia omnium vicinissima Templo S. Petri.
2 Quomodo se mœnia haberent ad ripam Tiberis.

CAP. XVIII.

Quomodo Gothi & alii qui Urbem ceperint, mœnia domosque diruerint.

FREQUENTES clades a Barbaris Urbi illatas quemadmodum opes ac cives, sic magnum soli spatium mœnibus antea conclusum abstulisse, multorum opinio fert. Quomodo enim, ajunt, fieri potuit, ut diuturno temporis intervallo, quod ab Aureliano ad Justinianum usque defluxit, Roma ab exteris aliquoties expugnata atque direpta, muris nunquam disturbatis, eamdem formam & amplitudinem retinuerit? Itaque etsi Belisarius Urbem instauravit, bellorum incendio ante diminutam, minorem tamen reddidit, quam florentem olim Cæsares fecere.

Successum ordinemque temporum hæc quæstio involvit, quem paucis perstringam. Annorum ergo spatium quod inter Aurelianum & Justinianum primo inauguratos Principes intercessit, fuit ducentorum quinquaginta septem, quo tempore Urbis mœnia e suo loco statuque mota non sunt. Nam Urbs integra usque ad Honorium Principem, novisque semper aucta ornamentis, demum expugnata est ab Alarico Gothorum Rege anno ejusdem conditæ MCLXIV. Sed Gothus majore ignominia, quam damno Urbem depopulatus, pauca ædificia incendit, muros intactos reliquit, non multa onustus præda, Placidiam abducens paucis post diebus profectus est. Hæc passim auctores. Inter quos Cassiodorus in Chronico: *Roma*, inquit, *a Gothis Alarico duce capta est, ubi clementer usi victoria sunt.* Mortuo Alarico, rediere Gothi ad eamdem diripiendam Ataulpho Rege, sed manus ab ædificiis ac mœnibus abstinuerunt.

Tertio capta est Urbs a Vandalis, quos ex Africa in Italiam Genserico Rege accivit Eudocia Augusta, ut viri sui Valentiniani necem, Maximi dolo illatam ulcisceretur. Gensericus quidem, teste Eutropio [1], illico vacuam præsidio civitatem cepit, & occursu Leonis sanctissimi Pontificis, quod passim Ecclesiastici annales memorant, mitigatus ab incendio, cædibusque, ac suppliciis Urbem servavit immunem.

Quarto Odoacer Herulorum rex Urbem potitus est sublato Augustulo, quamquam aliter de eo scripsit Procopius, initio libri primi. In qua & regnavit, postea a Theodorico Gothorum Rege ipse occisus, qui Urbem quintum cepit. Ex qua Gothi sexaginta post annis ductu Belisarii, nono anno Justiniani pulsi sunt, ut testatur Procopius [2]. Sed hi duo postremi reges non quærebant Urbis incendium & ruinas, cum in ea regnare vellent. Itaque nemo dixerit muros ab his dirutos ac diminutos. immo, ut constat ex Cassiodoro [3], qui Theodorici nomine scribebat epistolas, Theodoricus [4] muros Urbis vetustate collabentes, diligenter reficiendos curavit. Nam ad Sabinianum Urbis Senatorem scribens, ait: *Dudum siquidem propter Romanæ mœnia Civitatis, ubi studium nobis semper impendere infatigabilis ambitus erit, portum Lucrini deputatis redditibus reparari jussio nostra constituit.* Et ad Artemidorum Præfectum Urbis [5]: *Pecunia*, inquit, *quæ fuerat fabricis deputata Romanis sine aliqua dilatione, & vobis ordinantibus iterum Romanis mœnibus applicetur.* Quanta vero laxitas non sine firmitate murorum illo ævo esset, idem pluribus in locis testatur Cassiodorus [6]: *Illa*, inquit, *mirabilis sylva mœnium diligentia subveniente servetur.* Et [7]: *Absit*

1 Lib. 3. in Martiano. 2 Lib. 1. 3 Lib. 1. var. Epist. 25. 4 Theodoricus reficit mœnia Urbis. 5 Lib. 2. Epist. 34. 6 Lib. 7. Epist. 15. 7 Lib. 10. Epist. 18.

enim ut nostris temporibus Urbs illa mœnibus videatur protegi, quam constat gentibus vel sola opinione fuisse terrori. Et [1]: *Testantur enim turbas civium amplissima spatia murorum.* Quomodo etiam Procopius [2] ejusdem ætatis auctor *magnum ambitum & circuitum Urbis* appellat. Atque ex his clare conficitur, muros Principum studio sumptuque subinde refectos ante immanem Totilæ procellam fuisse illæsos & integros. Successit bellum Gothicum, in quo defensa primum adversus Vitigem Roma, a Totila deinde expugnata est. Quid vero Barbarus ille demolitus sit, constat ex Procopii libro tertio. Nam, ut ibi ait, Totilas Gothorum Rex, cum cepisset Urbem, velletque in Campaniam discedere cum exercitu [3], *Romam in primis dirutam solo æquare decrevit* ἔγνωμεν Ῥώμην καθελεῖν ἐς ἔδαφος. Sic ille: τοῦ μὲν οὖν περιβόλου ἐν χωρίοις πολλοῖς τοσοῦτον καθεῖλεν, ὅσον ἐς τριτημόριον τοῦ παντὸς μάλιστα. Id est, *Muri quidem in partibus multis tantum diruit, quanta tertia pars totius ad summum esset.* Additque: *Incensurus autem erat ædificiorum pulcherrima & dignissima, Romamque pascuam & desertam facturus.* Sed tamen Barbarus litteris Belisarii mitigatus Urbem servavit, discessitque in Campaniam abactis civibus: ἐπείθητε, ait Procopius, καὶ Ῥώμην εἰργάσατο ἄχαρι περαιτέρω οὐδέν. *persuasus est* Totilas *litteris Belisarii, & Romæ nihil mali amplius intulit.* Tum Belisarius, qui ad Hostia Tiberina morabatur, in Urbem incolis vacuam venit; *cumque non posset*, inquit Procopius, *eam mœnium partem, quam Totilas diruerat, brevi instaurare, lapides, qui in proximo erant, in unum coacervatos nullo ordine componebat, nec ulla prorsus intermixtos materia, ut cui cæmenti nihil præsto esset, nec ejusmodi aliud quidpiam. Sed id duntaxat efficere nitebatur, ut ædificii saltem facies servaretur. Exteriori vero ex parte ingentem vim sudium fixit. Ad hæc accedebat, quod fossam, & hanc quidem profundiorem, circa muros produxerat. Unde totius exercitus incredibili promptitudine operantis per dies continuos quindecim, quod muri fuerat per Totilam disturbatum, reficitur.* Hæc ille. Ex quo factum est, ut ad obsidionem reversus Barbarus Urbem frustra tentaret. Cumque se Tibur cum copiis recepisset, Belisarius foribus ferro contectis, portas obseravit, & claves ad Imperatorem transmisit. Deinde, quod illi promptissimum, atque in tanta rerum copia pæne necessarium erat, iisdem terminis muros instauravit, neque omnino contraxit dilatavitque. Quare Totilas cum tertio rediisset ad Urbem, non aperta vi, sed incuria ducis, dolo, & proditione militum eam cepit. Et Narses paulo post a Justiniano missus muris instructam reperit, atque munitam, quos & ipse munimentis additis firmavit & instruxit. Itaque vehementer errant, qui putant mœnia a Belisario [4] refecta, & Urbem hodieque cingentia, angustiora esse, quam antea.

Demum quomodo Totilas Urbis mœnibus, atque ædificiis pepercerit, ex sese postea dissolutis & collapsis, scripsit S. Gregorius lib. 2. Dialog. cap 15. ubi de S. Benedicto sermo est. Illum enim alloquens Canusinus Antistes sic ait: *Per hunc* Totilam, *civitas ista*, Roma, *destruetur, ut jam amplius non inhabitetur. Cui vir domini respondit: Roma a gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscis, turbinibus, ac terræmotu fatigata in semetipsa marcescet. Cujus Prophetiæ*, pergit S. Gregorius, *mysteria nobis jam facta sunt luce clariora, qui in hac Urbe dissoluta mœnia, eversas domos, destructas Ecclesias turbine cernimus, ejusque ædificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur, vidimus.*

1 Lib. 11. Epist. 39. 2 Lib. 1. 3 Quomodo Totilas mœnia diruerit. 4 Belisarius iisdem finibus mœnia instaurat.

CAP. XIX.

Auctoribus contra sentientibus occurritur.

JUSTUS Lipsius in antiquitate oculatissimus majorem, quam nos intra muros, e longinquo Romam aspexit: & post illum Philippus Cluverus. Lipsius tamen optavit & Romæ tantisper esse, ut ex propinquo aliquid certius videret. Sic enim ait [1]: *Ah cur non Romæ nunc paucos dies sum? Cur non obambulo, video, metior? Cur non cum viris doctis inibi confero? firmius fortasse, certiusque definirem.* Definisset, credo, qua erat sapientia, si oculis locorum situs & spatia subjecisset. Nec tamen illi ad contra sentiendum rationum momenta defuerunt: & fundamentum, quod Græcorum scriptorum ope struxit ipse, Plinianum. Nititur enim Dionysio dicenti, Romam Athenis parem esse. Tum subsumit: Athenæ pares Syracusis, teste Plutarcho. Syracusæ autem, referente Strabone, CLXXX. stadiorum, quæ sunt nobis milliaria XXII. cum dimidio. Tanta igitur Roma. Quo fit, ut Plinius ascribens Urbi XIII. millia passuum corrigatur, & XXIII. millia cogatur ascribere. Quæ circumducta ratio nos, qui Romæ pedem fiximus, minus movere debet.

Plinii locus sic habet: *Mœnia ejus collegere ambitu Imperatoribus Censoribusque Vespasianis, anno conditæ DCCCXXVIII. passuum XIII. M. CC. complexa montes septem. ipsa dividitur in regiones XIV. compita earum* [2] *CCLXV. ejusdem spatii mensura currente a milliario in capite Romani fori statuto ad singulas portas, quæ sunt hodie numero XXXVII. ita ut duodecim portæ semel numerentur, prætereanturque ex veteribus septem, quæ esse desierunt, efficit passuum per directum XXX. M. DCCLXV. Ad extrema vero tectorum cum castris Prætoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum mensura colligit paulo amplius LXX. M. passuum.* Huic loco, qui teste eodem Lipsio [3] magnas habet tenebras, mutatis ab illo numeris, lux nihilo major affulsit. *Ut mihi*, inquit, *nunc videtur, Plinii numeri isti corrupti sunt, & sic reformandi: Mœnia collegere ambitu passuum XXIII. millia. Hoc primum pono, tantam fuisse Romam: aut si placet XXII. parum in uno alteroque milliari est.* Verum non sunt corrigendi numeri XIII. M. & addito X. spatium Urbis pæne duplicandum. Nam nostra lectio e manuscriptis libris excepta vulgatissima est, quam sequitur Onuphrius, hoc ipsum accuratissime persequutus. Vidi ego septem codices Bibliothecæ Vaticanæ; e quibus unus vetustissimus. omnes habent XIII. M. præter duos qui habent XIV. In libris autem cur verba corrigenda sunt, nisi locus perspicue depravatus appareat? Plinius [4] sane de ea Urbe loquebatur, quam ipse præsentem videbat, nec dum auxerant Trajanus & Aurelianus, Lipsianis terminis multo angustiorem. Nam ut supra ex ipso dicebam Plinio, finesque constituebam ab ipso præscriptos: Urbem ab oriente agger Tarquinii claudebat, cis castra Prætoria a Collina ad Esquilinam protensus. Castrorum autem formam, quadrata & angulosa mœnia adhuc cernimus, & Aggeris reliquias in ipsis mœnibus. Eodem teste Plinio Urbs complexa montes septem iisdem abruptis muniebatur. Horum fines omnes lustramus & contemplamur, quique abrupti Ur-

1 Lib. 3. de Magnit. Rom. c. 2. 2 M. S. Codices *larum*. 3 Lipsius Romæ tribuit XXIII. M. passuum. 4 Plinii Urbs minor, quam sub Aureliano.

bem munire tunc poterant, fuere, Quirinalis versus Septentriones, Esquilinus ad Orientem, Cœlius meridiem versus, Aventinus, & Capitolium. Nam Campus Martius ævo Plinii extra Urbem fuit.

At Lipsius, *Fateor*, inquit, *extra pomœrium habitum, & intra mœnia tamen fuisse. Nonne idem in Aventino? qui usque ad Claudii tempora in pomœrio habitus non fuit, & tamen a Regum tempore Urbi inclusus. Et Campus quidem Martius etsi olim non erat, tamen Julius Cæsar (quod Cicero ad Atticum scribit) destinabat eum includere; qui scio, an non Augustus fecerit? nam & is pomœrium protulit? an denique Nero? quem ego præcipue puto in tota Roma mutasse & innovasse*. Atqui Aventinum & Janiculum mœnibus septos fuisse scriptorum auctoritate constat, quamvis extra pomœrium habitos. De aliis locis non docemus, sed divinamus. Martius autem Campus illo ævo nec mœnia nec pomœrium habuit, ut supra dicebam. Illo quidem ipso tempore, *concurrere in Campo Martio infestæ acies*, ut ait Tacitus [1], Vitellii, ut Urbem tuerentur; Vespasiani, ut caperent. Quare ante Urbem & mœnia conflictus. Quomodo enim Vitelliani ad defendendam Urbem, hostem intrare portas, deinde cum eo pugnare voluissent? Sed & Vespasiani triumphus idem ostendit: de quo infra [2]. Referente enim Josepho Vespasianus ac Titus e Palatio migrarunt ad ædes propinquas Isidis templo. Triumphaturos enim egredi Urbem necesse erat. Ædes autem Isidis prope Pantheon fuit, cis Campum Martium, in altero & minore Campo. At non degebant extra mœnia, postridie ingressuri portam Triumphalem? Itaque neque Augustus, neque Nero hac parte Urbem produxit. Et porta Flaminia tunc prope Capitolium erat.

Sed quoniam correctionem, opinionemque suam Lipsius confirmat auctoritate Dionysii [3], quid ex ea inferatur, videndum est. Comparat enim Græcus historicus cum Athenis Romam [4]: *Cujus*, inquit, *ambitum siquis metiri voluerit, & conferre cum eo, quo Atheniensis urbs continetur*, ὐ πολλῷ τινι μείζων ὁ τῆς Ῥώμης φανείη κύκλος, *non multo major Romæ ambitus apparebit*. At *circuitum Athenarum*, scribit Dion ab eodem allatus, *cum Pyræo & longis muris fuisse ducentorum circiter stadiorum*, quæ sunt nobis *viginti quinque milliaria*. Sed *an ea*, pergit Lipsius, *inclusa Athenis suis Dionysius in hac collatione voluerit, hæremus*. Et merito. Nam ibi Dionysius secernit suburbia, & quidquid est extra Romam, tum ait: *Si quis mœnibus inventu difficilibus propter undique conjunctas ædes, vestigia tamen structuræ multis in locis servantibus, metiri ejus ambitum voluerit, &c.* Urbem igitur urbi comparat septæ mœnibus: quæ extra sunt, permittit. Piræeum autem extra Athenas fuisse quis dubitet? Dion eo loco significat: *Quamquam*, inquit, *ducentum sit stadiorum ambitus Athenarum, si Piræeum una complectaris, & quod muri medium est inter eum & Urbis ambitum*. Clare Plutarchus in Sylla. Cum enim narrasset, ab illo obsessas & captas Athenas: *Urbe*, inquit, *capta, Tyrannus in arce, quo confugerat, obsessus est*. Arce expugnata, *non multo post*, ait, *venit in Syllæ potestatem Piræeum*. Perspicue portum sejunxit ab Urbe Livius [5]: *Muros Piræeum Urbi jungentes*. Jungebant, sed intermedii dividebant.

Dices, cum Urbe arx capta non est, quæ tamen potuit esse in urbe, ut hodieque arces videmus. Sic etiam portus, quamvis in urbe non esset, post illam capi potuit. Hoc nempe vim arcium attingit, quæ quamvis intra urbes sitæ, tamen propter munitiones non statim expugnantur ab hostibus. Portis autem præsertim tantæ magnitudinis, si intra urbem fuisset, quomodo non cum Athenis captus esset? Sicut [1] ergo Dionysius de Romæ amplitudine loquens, *immensam longitudinem* suburbiorum, & quidquid extra esset, separavit: sic ab Athenis, & portum extra positum, & suburbia semovit, ut justa fieret comparatio. At quantæ fuerunt Athenæ sine Piræeo, alteroque portu, quem Munichiam dixerunt? Ostendit Thucydides prolatus a Cluvero: *Phalericus*, inquit, *murus erat stadiorum XXXV. ad ambitum usque Urbis. Ipsius ambitus pars, quæ custodiebatur, XLIII. Nam pars ejus media longum murum inter, & Phalericum sine custodia erat. Longi vero muri ad Piræea usque continebat XL. quorum exteriora custodiebantur. Piræei cum Munichia universus ambitus erat LX. stadiorum*. Quæ simul collecta, stadia sunt CLXXVIII. At sublatis LX. quæ habent duo portus extra Urbem, Athenis attribues stadia CXVIII. idest, minus quam XV. milliaria. Deinde Phalericus murus ad ambitum usque Urbis, nescio an aliquid spatii adjiciat, sive intra, sive extra ponatur. Ex quo non male infertur, per vim compingi in urbem Romam XXIII. millia passuum. Quod si Plutarchus [2] Syracusas *urbem Athenis non angustiorem* appellavit, quam *CLXXX. stadiorum fuisse* docet Strabo [3], eo loco Athenas cum portu perspicue accepit, sicuti Syracusas, quæ terra marique ab Atheniensibus obsessæ etiam in portu validas classes, & ante portum navale prælium spectarunt.

Denique ex verbis Dionysii non bene corrigi Plinii locum, patet ex eo, quod Dionysius Romam describit auctam postremum a Servio Tullio rege, anno ejus conditæ circiter CC. annos amplius DCXX. antequam Plinius scriberet. Ille autem Rex septem nec totos colles uno muro complexus fuerat, non excedente Capitolii crepidinem, sejungente Prata Flaminia sub Capitolio, & longius ab Urbe Campum Martium. Quem ambitum nondum Sylla; Julius Cæsar, ut placet Cluvero; Augustus, Claudius, Nero, ut placet Lipsio, dilataverant. Itaque Romam arctiorem describit Dionysius, quam tot incrementis auctam Plinius videret: atque, ut sentit etiam Onuphrius, illa ætate, & post exactos Reges, multo, quam nunc est, angustiorem. Quomodo igitur ab ejus temporis ambitu qui tot incrementa nescait, licet eumdem post sexcentos amplius annos inducere, & Plinium cogere, ut sui ævi Romam antiquæ parem faciat, cum longe majorem, & pæne aliam videbat?

Neque inferas: Jure ergo statuitur ætate Plinii Urbs XXII. milliariorum, siquidem tam ampla erat ante sexcentos annos, qualem describit Dionysius. Aliud enim hic agitamus, an videlicet hæc consequutio recte deducatur: Dionysius scribit, Urbem tantam rege Servio [4] fuisse: igitur ætate Plinii ejusdem amplitudinis fuit, quæ intermediis seculis magna incrementa perceperat. Immo nec ipse Dionysius id consequi vellet, qui justam offensionem Romanorum effugere non potuisset, si narrasset, sexcentis post annis ejusdem esse magnitudinis, qua erat ante illos.

Crediderim potius, Dionysium vulgari quadam æstimatione fuisse loquutum, qua seclusis iis, quæ extra adjungebantur, illæ principes urbes inter se aliquo modo comparabiles videbantur esse, nec geometricam trutinam in utriusque pensanda magnitudine adhibuisse. Et vero hic Græcus historicus, ut in cæteris accuratus ac diligens, hoc tamen nomine mihi non probandus videtur, quod

1 Lib. 3. Hist. 2 Cap. 22. 3 Lib. 4. & 9. Antiq. Roman. 4 Athenæ ex Dionysio pares Romæ, ambitu. 5 Dec. 5. l. 5.

1 Athenæ quomodo cum Roma comparentur. 2 In Nicia. 3 Lib. 6. 4 Magnitudo Urbis ab Servii ætate non potest inferri ad ætatem Plinii.

præter Urbis initia, Romanorum mores, magiſtratuum, religionum, cæremoniarum, ludorum inſtitutiones fere omnes derivat a Græcis; cum rudes homines hæc inſtituerint, qui an eſſet Græcia, vix audiverant. Quod ad præſentem collationem ſpectat, placet in rem Athenarum loqui Saluſtium [1]: *Athenienſium res geſtæ, ſicuti ego exiſtimo, ſatis amplæ magnificæque fuere. Verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur. Sed quia provenere ibi ſcriptorum magna ingenia, per terrarum Orbem Athenienſium facta pro maximis laudantur. Ita eorum qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere extollere præclara ingenia.*

Eodem loco Pliniano altera menſura erat *a milliario ad ſingulas portas*. Et *efficit*, inquit, paſſuum per directum XXX. M. DCCLXV. *Ego dico ſcribenda* ∞ ∞ ∞; *id eſt, tria millia*, docet Lipſius. *A milliario ad portam tria milliaria, & paſſus ſeptingentos ſexaginta quinque. Ergo in plena diametro, ſeptem millia quingentos triginta; hanc triplica, nonne XXII. & ſemis in ambitu redduntur? At Plinius neglexit aut inſuper habuit de dimidio, & rotunde XXII. aut XXIII. dixit.* Sic ille. Hæc interpretatio ex proportione diametri ad univerſum ambitum quid conficit, niſi pro certo habeatur, [2] Romam rotundam fuiſſe? Atqui Romæ circuitus potius ad quadratam formam acceſſit, ut veſtigia demonſtrant: & muris qua longius procurrebat, qua contrahebatur anguſtius. Neque id mirum, fuit enim reapſe neceſſitas natæ coæva Romæ. quod Strabo [3] teſtatur: *Roma*, inquit, *ſuper Tiberim jacet: de qua jam dictum eſt, eam non delectu, ſed neceſſitate conditam eſſe. Qui etiam ædificia quædam ex parte addiderunt, non ſane potiora in ſua poteſtate habuerunt, verum jactis antea fundamentis ſervierunt.* Et paulo poſt [4]: *Ancus Martius montem Cœlium & Aventinum, & jacentem inter hos campum aſſumens urgente neceſſitate prioribus copulavit.* Hinc extitit ille modo flexuoſus, modo cuneatus, modo directus, modo angulis inciſus murorum circuitus; quippe qui ſitum montium ſequeretur. quod etiam confirmatum leges a Marliano. Et pomœrium poſt Servium regem uſque ad Syllam intactum, ſi deinde alicubi promovebatur, alibi veteres terminos ex augurum religione retinebat. Quare partes æqualiter diſtare a centro non poterant. Hinc etiam varia ſpatii menſura brevior longiorque a milliario decurrit ad portas. Porro milliarium erat aurea Columna in capite fori Romani poſita, in quam viæ militares Italiæ deſinebant. Et quia in loco Urbis celeberrimo erat, ejus umbilicus dicebatur. Ab eo loco ad Tiberim brevis eſt tractus, interjectu Fori quondam Romani, & Fori Boarii. Par fere ad Campum, ubi erat illa ætate porta Flaminia. Multo productior ad alias portas, præſertim Collinam, Viminalem, Næviam, Capenam. Dicat ergo Plinius immutatis numeris: *Menſura a milliario ad ſingulas portas efficit paſſuum per directum XXX. M. DCCLXV.* [5] Significat autem, præter ſpatium ambitus murorum, dimenſum quoque fuiſſe ſpatium a milliario ad ſingulas portas: recenſitiſque paſſibus a milliario ad portas ſigillatim interjectis illum numerum initum fuiſſe. Poſtremo menſuram, quæ a milliario ad extrema tectorum Plinio colligit LXX. millia, Lipſius putat colligi *ſeptem millia*, ut ex hac ſemidiametro inferat *XXXXII. milliaria* pro ambitu tectorum extra muros Urbis.

Hoc etſi nobis, qui magnitudinem murorum Urbis inveſtigamus, non adverſatur; tamen, ut de mœnibus dicebam, niſi ea tecta in orbem probe figures, nihil ex ſeptem millium diametro conficies. Sed quomodo ædificia, quæ pro civium & advenarum voluntate Urbi adjungebantur, in circulum, nec potius in longum aut nullam in figuram ſurgebant? Demum quid negamus Urbi non ſeptæ mœnibus LXX. milliaria, quæ illi ſua magnitudo & fœlicitas attribuit, ſi tamen menſura per vicos omnium viarum excurrat? Tunc enim ſine dubio tantus numerus efficietur. Codices Vaticani omnes præter unum habent *XX. M. paſſuum*, & facilius auctor explicatur; ut quemadmodum mœnium ambitus XIII. M. paſſuum & CC. ita circuitus tectorum, extra mœnia XX. M. paſſuum amplecteretur. Cluverus hoc ſpatium aliter dimenſus ſic ait: *Ad extrema vero tectorum, id eſt, ædificiorum ab eodem milliario per vicos omnes etiam, id eſt, per ſingula ſuburbia, quæ viis publicis, Hoſtienſi, Appiæ, &c. circumjecta erant, menſura colligebat paulo amplius ſeptem millia paſſuum. Hujus menſuræ ambitus efficiet ad paſſuum millia XLV.* Sed hoc fieri non potuit, ut menſura excurrens per ſingula ſuburbia per directum colligeret paulo amplius ſeptem millia, & in ambitu XLV. millia paſſuum; cum quindecim, aut viginti, aut triginta milliaria vel uno ſuburbio continerentur, & omnium ambitu, teſte Dionyſio, Urbs quodammodo nec initium nec finem haberet.

Movit etiam Lipſium Olympiodori auctoritas, qui ait: *Romanæ urbis murus menſuratus ab Ammone geometra, quo tempore Gothi primam invaſionem fecere, habebat ſpatium unius & viginti milliarium.* At hic ſi docet primo Gothico bello fuiſſe unius & viginti milliariorum, cur dicenda eſt ætate Plinii tredecim fuiſſe, cum poſterior acceſſio tantum illi ambitum non dederit? Deinde nec primo Gothico bello ſub Alarico, nec ſecundo ſub Theodorico, nec tertio ſub Vitige diruta, vel anguſtata ſunt Romana mœnia; & aliquod paſſa detrimentum, poſtea refecta & inſtaurata priorem firmitatem receperunt. Tertio autem bello Procopius interfuit, nobiſque Urbis ambitum circumſcripſit, qualem fere huic, quem vetuſtas ac vis temporum nondum perdomuit ac dejecit, reſpondentem oculis intuemur. Hunc ergo potius geometram, quam Ammonem neſcio quem præoptamus.

Martino Polono reſpondendum non eſt, qui nec pro antiqua, nec pro noſtra Roma loquitur. *Romæ*, inquit, *ſunt milliaria viginti duo præter Tranſtiberim & Leoninam Civitatem, cum quibus dicitur habere quadraginta duo milliaria.* Leoniana Civitas recens oſtendit eum loqui de recenti Roma. At Tranſtiberina Regio, & Leonina Civitas cognomento Burgus, quæ quatuor amplius patet milliaria, cur viginti efficere dicitur? Reliqua pars Urbis cis Tiberim explebit viginti duo? Sed illi auctori multa fingere licuit in libro de quatuor majoribus Regnis; ſi tamen illi hic liber eſt adſcribendus, ut quidam ajunt. Nam præter hoc quod ſcribit cap. 4. ait cap. 5. *Porta Salariæ, quæ ducit verſus S. Sabinam. In Sabinos* dicere voluit: nam ab illa longiſſime abducit. *Porta Collina, quæ eſt prope templum Adriani circa portam S. Petri.* Atqui Collina eadem eſt cum Salaria in Colle ad ortum, non ad ripam Tiberis; ubi ſcilicet Adriani ſepulchrum, non templum eſt. Et cap. 6. *Palatium Neronis Lateranenſe dictum a latere ſeptemtrionalis plagæ in qua ſitum eſt.* Palatium Nero ad Sacram viam ſub colle Palatino, ſed in Laterano nunquam ſtruxit, nec habuit. Hoc autem non ad ſeptentrionem, ſed auſtralem plagam eſt ſitum. Et: *Palatium, ubi Romulus poſuit ſtatuam ſuam auream, dicens: Ne cadat, donec Virgo pariat.*

1 In Conjur. Catilinæ. 2 Roma non rotunda, ſed angulоſa. 3 Libro 1. cap. 5. edito 1. 4 5. Lib. 5. 5 M. S. codices habent XX. M. DCCLXV.

Nugæ. quod enim Palatium ætate Romuli, cum opprobrio non fuit facta sine arte casa? Quæ illi statua viventi aurea, qui forte nec luteam, nec scorteam habuit? Quod fictum in ore Ethnici hominis vaticinium? Et: *Palatium Titi & Vespasiani ad Catacumbas*. Et: *Tempore Tiberii venerunt Romam duo juvenes Philosophi, Praxiteles & Phidias*. Et alia, ne rudi quidem sæculo & ingenio digna. Atque hic in testimonium historicæ eruditionis adducitur?

At Vopiscus sua quinquaginta millia passuum nobis obtrudit. Huic vero & Lipsius, & Onuphrius, & cæteri omnes respondeant necesse est. Onuphrius quid dicat, fatetur se ignorare: existimare autem, vel historicum errasse, nec, quid diceret, intellexisse; vel in numeri nota erratum esse. Liberalius se expedit Marlianus. Ait, producta fuisse mœnia, transmisso Tiberi per viam Flaminiam usque ad Tabernam, quam Primam Portam vulgo nominant, distantem ab Urbe millia passuum VIII. totidem milliaria e regione portæ Flaminiæ, via Latina muros occupasse. hinc existere diametrum XVI. M. passuum, cujus ambitus efficit L. M. passuum. Mirum sane commentum. At nemini placet vacare in fabulas. Addit idem successu temporis muros [1] fuisse contractos, ut nostris majori ex parte sedem præberent. Lipsius vero, qui duo aut tria supra viginti passuum millia muris peramplæ Romæ inclusit, quanto laxiora Vopisci spatia nihilominus expunxit? Ubi erunt viginti & octo passuum millia? quomodo post Constantinum tanti spatii mœnia desierunt? quis diruit ante Gothicum tertium bellum, quæ custodia Principum & hostium reverentia conservavit?

Aut ergo locus ille corruptus est, aut ita quispiam dicere posset: Quemadmodum Plinius scripsit, in mœnium ambitu XIII. milliaria, & mensura currente a milliario ad singulas portas amplius XXX. id est simul sumpta XLIII. amplius milliaria fuisse collecta; sic post auctam Urbem Campo Martio, mensura a milliario ad portas recurrente, & muros circumeunte, collecta milliaria quinquaginta. Sed libentius probabiliora audirem. Cassiodorus & Eusebius non auctam ab Aureliano, sed munitam Urbem scribunt. *Aurelianus*, inquiunt [2], *templum Soli ædificat, & Urbem firmioribus muris vallat*.

Ex his quæ dicta sunt, objiciet aliquis: Hac nostra ætate murorum circuitus, cum includat Campum Martium, Pliniano ambitu major erit. nunc tamen vix, aut ne vix quidem æquat, teste Marliano, tredecim millia passuum; Plinius vero tredecim millia statuit & ducentos. Deinde cum aucta fuerit postea Urbs Trajano Principe, ut ajunt; certissime tamen Cæsare Aureliano, quanto erit amplior nostro antiquus ambitus? Hæc antea mihi solvenda in hunc locum potissimum rejeci, quæ Marliano, & Blondo, & Onuphrio, & omnibus, qui hunc ambitum antiquo paulo minorem agnoscunt, solvenda sunt. Ajo igitur terminos Plinianos [3] tanto temporum decursu alibi fuisse mutatos, (neque enim iisdem omnino vestigiis immutabiles muros fuisse volumus) alibi vero dimensos, sed ejus mensuræ nullam nos habere rationem. Nam Plinius loquitur de circuitu murorum. scribit enim: *mœnia collegere ambitu*. Quare & Transtiberinam regionem cinctam muris quamvis extra pomœrium, inclusit, & alia loca, in quibus nunc mœnia esse desierunt. Nam primo Capitolium (hæc enim tum ars Romana) *magnis*, ut ait Tacitus [4], *exercitibus inexpugnabilis*, undique præaltis muris ac turribus cingebatur. Tunc

1 Prima edit. muros in priscis fundamentis absolute posuit. 2 In Chronicis. 3 Mœnia ætate Plinii aliquot in locis erant, in quibus esse desierunt. 4 Lib. 3 Hist.

A etiam a porta Collatina (quæ vel erat in eodem vestigio, ubi nunc alio nomine Pinciana est, vel non longe aberat) murus conversus ad Quirinalem, & in ejus crepidinem ascendens, postea secundum illam tendebat Capitolium versus, ejusque munitionibus jungebatur: vel certe planiciei Romanæ, non longe ab eodem Capitolio, aliquam partem occupabat, ut ad Tiberim excurreret. Ad hæc, Castra murum Aggeris Tarquinii non abstulerant, quo, ut ex eodem Plinio sæpe dixi, Urbs claudebatur ab Oriente. Castra autem quadrato spatio illis extrinsecus adjecta sunt. Nunc vero mœnium Tarquinianorum in castrensi illo spatio reliquiæ nullæ supersunt. Præterea ad portam Næviam, ubi veteres arcus aquæ Claudiæ; & in ultimis Esquiliis ad templum S. Crucis, ubi rude amphiteatrum aspicimus, fortasse aliquanto latiora mœnia & magis directum angulum spectavit Plinius, ut arcus & amphiteatrum includerent. Tunc etiam mœnia prope Aventinum, secundum Tiberim & planiciem Testacei montis probabiliter ferebantur. Quid si & alibi prope flumen fuerunt? nam contra Janiculum in ripa fuisse constat. Quando & a quo sint extructa, non constat. Horum autem vestigia nulla extant. Itaque [1] etsi deerat ævo Pliniano Campus Martius, mœnia, cum aliquot loca, in quibus esse desierunt, occuparent, tredecim amplius millia passuum explere, minore tamen, quam nostro, ambitu potuerunt. Nec etiam multum urget inclusus ab Aureliano Campus Martius, etsi plus uno milliari adjecit. Tunc enim præter eas, quas memoravi murorum partes stantes Plinii ævo, nunc autem penitus sublatas, secundum Tiberim muri Urbis, ut dixi, a ponte nunc Xysto versus portam Flaminiam excurrebant, & a fluvio seu temporum morsu consumpti sunt. Hos vero, & illos Campi Martii si Plinianis adnumeres, nonne quindecim millia passuum efficies, & tamen terræ spatium, in quo nostri visuntur, nisi forte ad angulum illum Esquiliarum augebis? Mœnia enim quæ aliquot in locis intra nostrum ambitum collapsa nec refecta, vel diruta, & sponte sublata priscis mensuram augebant, nos necessario præterire cogimur.

Quamvis autem hæc vera sint; tamen scribente Plinio, & sub Principe Vespasiano dici absolute non potest, Urbem fuisse, quam nunc est, angustiorem propter ædificia, & civiles domos, quæ mœnibus undique adherentes ea parum agnosci sinebant, & omnem in partem late fundebantur. Neque enim hæc pro suburbiis habenda sunt. Plinius autem, ut dixi pro tredecim millibus passuum solum habitam rationem ambitus murorum tradit. Jam qui Urbem ad XXII. aut XXIII. millia passuum extendunt sine Campo Martio, quonam illam compingunt? Ad Anienem & Castra Annibalis? An ad Puticulos, vel Appia via ad sepulchra Metellorum? Quod nam structuræ vestigium extra Urbem possunt nobis demonstrare mœnia indicantis? Durant adhuc multis in locis arcuati aquæductus, cur alicubi ea non extant?

1 Quomodo intra minorem ambitum majora mœnia esse potuerint.

CAP. XIV.

Mœnia subinde a Pontificibus instaurata.

HÆC de ambitu, & muris Urbis diligenter a nobis pervestigata & explanata sunt. Cæterum cura eosdem instaurandi ab Augustis ac Regibus transivit ad Pontifices. Et septimo quidem sæculo in id vehementer incubuerunt,

quod jam vetustate & oppugnationibus quassata mœnia, multis fortasse in locis fatiscerent, vel diruta jacerent. Refertur ab Anastasio Sisinnius dierum viginti Pontifex, tam brevi Pontificatu calcis tamen fornaces ad murorum instaurationem parari jussisse anno DCCVIII. Gregorius II. qui septem ab illo annis Pontificatu est evectus, statim eodem Anastasio referente, ut muros reficeret, calcarias fornaces expediri, convehi cæmenta, & a porta Sancti Laurentii opus inchoari jussit; tum aliqua parte refecta, emergentibus intempestivis tumultibus cessare coactus est. Gregorius III. eidem successit. De eo sic Anastasius: *Hujus temporibus plurima pars murorum bujus civitatis Romæ restaurata est. Alimoniam quoque artificum, & pretium ad emendam calcem de proprio tribuit*. Triginta post annis Adrianus I. Ecclesiæ præfuit. Is teste eodem Anastasio muros atque turres Urbis, quæ dirutæ erant & usque ad fundamenta collapsæ, instauravit, magnamque vim auri in alimenta mercedemque opificum, & structuram operis insumpsit. Posterioris sæculi anno XLVII. Leo IV. nactus est Urbem a Saracenis antea oppugnatam, direptis religiosissimis Sanctorum Petri & Pauli templis. Itaque referente eodem Anastasio [1] totius Urbis muros renovari, & in priorem firmitatem restitui, portas ædificari, prævalidisque valvis obstrui præcepit. quæ ut propere ad exitum perduceret, equo insidens, aut pedes ipse cum famulis circumibat, & opus urgebat. Quare & mœnia undique restituit, & quindecim turres funditus dirutas excitavit. Duas ad portam Portuensem in utraque ora Tiberis hodieque stantes ingenti lapidum mole erigi jussit, firmis catenis invicem obligatas, ne quispiam deinceps per vim adverso Tiberi posset irrumpere. Partem Vaticani propinquam templo Sancti Petri circumductis mœnibus munivit, cui a conditore accepto nomine, *Leonina Civitas*, hodie *Burgus*, nomen fuit, addita, ut ajunt, ingenti turre, quæ a tergo Basilicæ insidet collem. Adeo stetit cum illo Pontifice Urbis securitas. Callistus deinde II. muros collabentes iterum refecit. Clemens III. annuam pensionem ad eosdem reficiendos decrevit. Gregorius XI. qui sedem Avenione Romam retulerat, quomodo in ea tutus degeret, mœnibus refectis providit. Idem Martinus & Nicolaus V. Pius, & Paulus II. Sixtus IV. Alexander VI. munifice curarunt. Paulus III. ingenti murorum structura inchoatam in Aventino munitionem non absolvit. Paulus IV. ingruente bello terreos passim aggeres & munimenta excitavit: Leoninam Urbem validis mœnium propugnaculis tutiorem reddidit, cujus antea muros Urbanus quoque & Nicolaus V. instauraverant. Pius IV. additis arci propugnaculis & munimentis, muros quoque Urbis Leoninæ firmavit: ædificatæ Portæ ex priore suo Angeli nomine nomen dedit. Imposita denique passim Pontificum stemmata indicant muros vetustate collabentes, aut jam collapsos, postea eorum opera restitutos. Juliorum II. & III. Clementis VII. Gregorii XIII. Sixti & Pauli V. Gregorii XV. Urbani VIII. quamquam Urbanus VIII. arcem Sancti Angeli majori operum mole tutissimam & munitissimam fecit, ut suo loco dicam.

1 Et Platina in ejus vita, & Ciaconus.

Urbis turres ac muri non tam diruti & collapsi vetustate, quam veteri forma inutiles atque invalidi, hostium invasionibus facile patebant. Discrimen vero metumque augebat Janiculus Urbi imminens. namque a levium Equitum (ut vocant) Castris, ad Janiculensem usque portam, munitionibus penitus destitutus, vinetis tantum eorumque septis claudebatur: reliquus ambitus usque ad Tiberim, perantiqua strue parum fultus, pari periculo laborabat. Itaque Urbanus VIII. pacis bellique laudibus insignis, prospiciens (quod olim Rex Ancus) ex Janiculo, tamquam, ex Orionis plaga, hostiles aggressorum eluviones in subjectam Urbem effundi, ut ille montem ipsum pomœrio adjecit, ne quando ea arx hostium esset, ita ipse pontificatus initio Urbis suæ securitati incolumitatique consulens, armamentario instructo arceque munita, sæpe cum Eminentiss. ac Reverendiss. Vincentio Maculano a Florentiola, tit. Sancti Clementis, de renovandis Urbis, ac primo ipsius collis mœnibus consilium inierat. Amplissimus Cardinalis, in sacro Prædicatorum Ordine, jam Fidei Quæsitor, ac Sac. Ap. Palatii Magister, Melita ab se novis propugnaculis fortiter instructa Romam redierat, pari fama summis virtutibus illustris. Imminente demum Parmensis Ducis bello, Urbanus ad reficienda mœnia mentem animumque converterat; & sic universa murorum cura eidem demandata est Maculano, qui operis molitionem celeriter æque ac mirifice aggressus, ab iisdem castris, ubi Alexander VI. desierat, ad Portuensem usque portam, nova condidit mœnia, Leoninamque Urbem atque universam Transtiberinam regionem validam tutamque reddidit. Interim Urbano vita functo, summus Pontifex Innocentius murorum flexum, tractumque retinuit in ipsa fluminis ripa, gentilitio stemmate imposito Portuensi portæ, quam ipse ad absolutionem perduxerat, & aperiendam curaverat, inscripto nomine INNOCENTIUS X. PONT. OPT. MAX. Satis quidem fuit a Maculano sapienterque provisum, cum prævalidis propugnaculis decem & amplius excitatis, mirum sit quam apte eadem sese invicem tuerentur, quam certo bombardæ collineent defendantque interjectorum murorum loricas, quam acriter aggressorum impetum retundant, sublatisque collis acclivitatibus quam venuste aggeres emineant, ac tamquam e specula subjacentem Urbem respiciant, abscondant, protegant. Hinc exteri nostrique rei militaris periti Romanas arces collaudant, auctoremque concelebrant. Vix CXLIIII. millia nummum in tanta murorum strue impensa sunt, architectorum cœtu ad CCCC. & amplius unanimiter reclamante, & molitionem pluris constitutam affirmante. Merito igitur super Janiculensi porta immortali memoriæ ac nomini Pontificis Urbani, pomœrii finibus Janiculo auctis, conditisque Urbis æternæ muris, ut monumentum extaret, inscriptus est lapis:

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
ABSOLVTIS CIVITATIS LEONINAE MVNIMENTIS
ET MOENIBVS AC PROPVGNACVLIS AD TIBERIM
VSQVE EXCITATIS
IMMINENTEM VRBI IANICVLVM ET
TRANSTIBERINAM REGIONEM CIRCVMDVCENS
PVBLICAE SECVRITATI PROSPEXIT
ANN. DOMINI MDCXLIV. PONTIF. XXI.

CAP. XIX.

De Portis florentis Urbis.

ADHUC Plinii locus [1] supra explicatus explicationem reposcit. *Mensura*, inquit, *currente ad singulas portas, quæ sunt hodie numero triginta septem, ita ut duodecim portæ semel numerentur, prætereanturque ex veteribus septem, quæ esse desierunt*. Onuphrius sic habet [2]: *Quæ sunt hodie numero XXXIV.* alias XXIV. ut legit Marlianus. Lipsius hæc verba præteriit. Codices Vaticani omnes habent XXXVII. Plinii mentem fortasse assequimur, si dicamus: *Portæ duodecim semel numerandæ*, id est, pro una habendæ sunt: *septemque prætereundæ, quæ jam desierunt*. Sed tamen quid illa explanatio significet, non bene intelligo. Sic autem ex portis triginta septem relinquerentur decem novem. Consentit hoc cum verbis Procopii. *Habet autem*, inquit [3], *circumjectus Urbi murus portas quatuordecim, portulasque alias quasdam*. Fulvius: *Portæ*, inquit, *apud veteres viginti, ut vulgatior fama habet. Quatuor addit Marlianus*. Ego cum ætate Procopii paulo plures quam quatuordecim fuerint, non video, quam ob causam, si Plinii ævo triginta septem erant, esse desierint; cum majora deinceps incrementa Urbs ceperit, acceperit vero nunquam, ut ostensum est, gravia ædificiorum, murorumque usque ad Belisarium detrimenta. Itaque portas illas triginta septem, ut mendosas & in locum suspectum illapsas, accuratius pervestigandas non censeo, sed quas vidit Procopius, & adhuc retinet idem fere murorum ambitus. Harum situm, & ordinem, quem hodieque servant, idem scriptor prope oculis subjicit; eumdemque ex parte pertexit Livius [4], ubi irruptionem Romanorum in prædatores Hetruscos commemorat. Quare verosimile est, semper vel easdem, vel una aut altera diminutas. Plures quidem reperire difficile est, sed plura earum nomina.

Igitur ut de singulis agam, incipienti a Tiberi occurrit primo [5] Flaminia, a via Flaminia, cui est imposita, sortita nomen, quam C. Flaminiu occisus ab Annibale stravit, & circum Flaminium extruxit. Hæc ab antiquis Flumentana dicta est, quod Tiberis partem ea fluxisse affirmant, ut ait Festus. Eratque, ut opinor, in valle inter Capitolium & Quirinalem; quæ olim angustior, postea ad ædificationem Fori Trajani, egesta terra, laxior fuit. Livius [6]: *Tiberis loca plana Urbis inundavit. circa portam Flumentanam etiam collapsa quædam ruinis sunt*. Meminit & Cicero [7]: *cur, cum portam Flumentanam Cœlius occuparit, ego Puteolos non faciam meos?* Vario deinde murorum ambitu, varios nacta locorum situs eadem via, quæ recta tendit ad Capitolium, ævo adhuc nostro inde recessit, ubi ævo Belisarii erat. De ea enim Procopius [8]: *Nec portam Flaminiam Gothi tentarunt, ut loco præcipiti sitam, atque adeo ut adiri non facile queat*. Quare credibile est, tunc in proximo colle, post cœnobium Augustinianorum locatam fuisse, quo & pons Milvius recta videtur spectare. Nunc in planiciem traducta, egregia lapidum structura, Doricis columnis, epistyliisque, singulari Pii IV. Pontificis Maximi munificentia exornata est. Cur mutato nomine, *Populi* [9] dicatur, causam quidam esse putant, quod propinqua Mausoleo Augusti proceras *populos* adsitas habuit, quibus illud sepulchrum ad ædem nunc S. Rocchi con-

1 Lib. 3. c. 5. 2 In Urbe Rom. lib. 1. cap. 6. editio 2. 3 Lib. 1. de Bell. Got. 4 Lib. 2. 5 Porta Flaminia. Quæ & Flumentana. 6 Dec. 4. l. 5. 7 Ad Attic lib. 7. 8 Lib. 1. de Bell. Got. 9 Et nunc Populi.

A ditum inumbratur [1]. Vel ergo ab iis arboribus; vel quia eas operi circumjectas sylvas in usum *Populi* Augustus publicavit [2]; aut verius, quia propinqua ædes B. Virginis *Populi* dicitur, a Populo Romano, Paschale II. Pontifice primum extructa cognomentum sumpsit.

Porro eadem [3] fortasse Ratumena est, nisi hæc Carmentalis olim Flaminiæ propinqua. Nam actis apud Vejos ludis, *Maximum*, ut ait Plinius, *augurium fuit, in Capitolium pervenisse ab Veiis, cum palma & corona effuso Ratumena, qui ibi vicerat, unde postea nomen portæ est*. Expeditissimus quidem hac porta ingressus illi fuit, qui ludicro quadriga- B rum certamine vicerat in Hetruria, & ab equis in Urbem raptus intra muros excussus est. Plutarch. in Poplic. de eodem & Ratumena: *Juxta Capitolium, ad portam quam nunc Ratumennam vocant, effuderunt eum*. De eodem Festus, & porta scripsit.

Quæres, cur ergo portam Flumentanam inter Quirinalem & Capitolium antiquitus positam fuisse censuerim potius, quam prope flumen, ubi statuunt alii; & propinquam sibi Tiberis illa fluens demonstraverit. Respondeo, hac de re me diu suspensum dubitasse; id enim indicat allata ratio. C Sed spatium illud inter Quirinalem & Capitolium utrique olim modica acclivitate conjunctum (cujus partem Corvorum Macellum hodie nuncupant) & mittens ad initium Fori Romani, necessario obstrui mœnibus debuit: igitur & media porta fieri pervium. Hæc autem quæ alia esse potuit, nisi Flumentana? Carmentalis enim erat ex alia parte, ut vidimus. Immo & Tiberis eidem illapsus id demonstrat. Non enim mirum fuit, illum fluxisse Carmentali tam propinqua, sed hanc longius sejunctam cum adjunctis ædibus inundasse: ut postea recedens merito Flumentanæ nomen illi reliquerit. Hæc dicimus, dum probabiliora expe- D ctamus.

Proxima porta in Colle sita, Pinciana est; quæ sit ne a Pinciorum nobilium Romanorum vicinis quondam ædibus dicta, alibi dicam. Antiqui Collatinam [4] dicebant, quod Collatiam oppidum Sabinorum non longe ab Urbe mitteret, *cui videlicet collatæ aliarum civitatum opes dederunt nomen*, ut ait Festus. Procopius sic ait [4]: *Inter hanc portam*, Flaminiam, *& alteram ad dexteram huic proximam portulam, porta alia est quæ Pinciana vocatur. Huic proximi muri pars quædam laxata jampridem compage*, &c ubi murum, quem *Inclinatum* vocant, describit. Portula vero illa jam E desiit. Pinciana, quæ media inter hanc, & Flaminiam muro inclinanti proxima dicitur, forte Flaminiæ ante propinquior in ejus portulæ locum successit.

Sequitur Collina sive Salaria [5]. Collina vel a collibus Quirinali & Viminali, æquata ibi planicie conjunctis: vel ab Urbis tribu, cujus nominis & regio antiquitus fuit. sed tribus potius a loco nomen sumpsit. Varro [6]: *Partes Urbis tribus dictæ: & ab locis Suburana, Esquilina, Collina, Palatina*. Salaria, *quoniam illa sal in Sabinos portari consueverat*, ut ait Plinius [7]. sive ut Festus, *quia per eam Sabini sal a mari defe-* F *rebant*. Quamvis uterque de via, non de porta loquatur. Sed par utriusque ratio est. Celebris hæc porta Historicorum rerumque ibi gestarum memoria. Hanc *obequitavit Annibal usque ad templum Honoris*, quod erat extra, ut ait Livius, & *intra muros hastam emisit*, ut ait Plinius. Hac ingressi Senones Galli Urbem everterunt. Ante

1 Strabo lib. 1. 2 Sueton. in Aug. cap. 100. 3 Eadem forsan Ratumena. 4 Porta Pinciana antiquitus Collatina. 5 Lib. 1. de Bell. Got. Porta Collina, quæ & Salaria. 6 4. de ling. Latin. 7 Lib. 31. c. 7.

hanc

hanc Sylla cum Samnitibus Romam invadentibus pugnavit. Ab hac ad Esquilinam agger Tarquinii protensus est.

Eadem porta [1] Quirinalis, vel a Quirini, id est, Romuli sacello, vel a monte Quirinali, in quem mittebat. Eadem Agonia & Agonensis. Circensem enim planiciem inundante Tiberi, ad hanc portam dabantur ludi Agonales dicti, quod hostia in illis mactata diceretur *Agonia*, vel quod montes *Agones* dicerentur. Eadem Salutaris ab æde Salutis illi proxima, ut ait Sextus Pompejus.

Collinæ Viminalis [2] porta succedit in extremo Viminali sita, unde etiam nomen traxit, quamquam non eo loci olim posita.

Extra portam Viminalem deæ Neniæ sacellum fuit, ut ait Festus, quam cantu querulo advocabant, ut adesset funeribus. Extra eamdem lucus Rubiginis, in quo canis & ovis immolabantur inclinante Aprili; canis Cani cœlesti, Rubigini ovis. illi, ne segetes exureret; huic, ne exederet. Testis Ovidius:

Hæc mihi, Nomento Romam cum luce redirem,
Obstitit in media candida turba via.
Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat.
Exta canis flammis, exta daturus ovis.
Pro Cane sydereo canis hic imponitur aræ;
Et, quare fiat, nil nisi nomen habet.

Hinc [3] portæ Catulariæ nomen, Festus: *Catularia porta Romæ dicta est, quia non longe ab ea ad placandum caniculæ sydus frugibus inimicum rufæ canes immolabatur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur*. Eamdem [4] hodie S. Agnetis nuncupant, ab æde illi sacra extra pomœrium & Piam, quod Pius IV. Pontifex refecit.

Magna agitatur quæstio inter Antiquarios, an [5] porta S. Laurentii, quæ proxima est, olim Esquilina fuerit. Quidam affirmant; alii Tiburtinam hanc nominant; alii Neviæ sequenti, vulgo Majori, Esquilinæ nomen attribuunt. Me Livii auctoritas cogit, Dionysii, Strabonis, ut Esquilinam appellem: nec quemquam priscorum invenio, ait Marlianus, Tiburtinam nominasse.

Livius [6], cum referret Romanos Hetruscis prædatoribus insidias paravisse, ait, eos emisso pecore porta Esquilina, ut hostem elicerent; in eum postea partim Collina egressos, partim Nævia, partim Cœlimontana, & Gabina etiam via occultos consedisse. Quo loco cum ageretur de obsidione Porsenæ Regis, qui Janiculo occupato, *in plano, ripisque Tiberis castra* posuerat, dicitur *porta Esquilina ab hoste aversissima*. Quod ad amussim quadrat in portam S. Laurentii, Janiculo recte oppositam. Dionysius autem & Strabo aggerem a porta Collina ad Esquilinam processisse tradunt, qui sane hanc portam non excessit. Mœnia enim, quæ, ut supra dixi, a porta S. Laurentii Viminalem versus ad lineam excurrunt, aggerem illum indicant, quamquam postea intermissa, sive extrorsus protensa Castris Prætoriis. Addit Strabo: *In medio aggere perducto a Collina ad Esquilinam, aliam portam cognomento Viminalem*. Igitur Viminalis proxima Esquilinæ, ut hodieque visitur. Sic Annibale ad Anienem habente castra, Romani inter Esquilinam & Collinam castra posuerunt [7]. Erant enim locus hosti oppositus & aggere fossaque munitus. Quæ contra objiciuntur, non ejus momenti sunt, ut pluribus diluere necesse sit. Porro hæc porta etiam [8] Taurina ab insculpto Tauri capite, & Libitinen-

1 Eadem Quirinalis, & Agonensis, & Salutaris. 2 Porta Viminalis, quæ & Numentana. 3 eadem Catularia. 4 Nunc Pia & S. Agnetis. 5 Porta Esquilina nunc Sancti Laurentii. 6 Lib. 2. 7 De ea re Liv. dec. 3. lib. 6. 8 Eadem Taurina, & Libitinensis.

A sis, puto, dicta est, quod per eam cadavera mortuorum in Campum Esquilinum commune plebis sepulchrum efferrentur.

Proxima Esquilinæ [1] Nævia a plerisque dicitur, *quod in nemoribus Næviis*, ut ait Varro. *Nævius enim loca, ubi ea sic dicta, coluit*. Nævia *sylva dicta juxta Urbem, quod Nævii cujusdam fuerit*, ait Festus. Eamdem Mæciam esse Plauto putat Onuphrius. Hæc porta celebris nunc in Urbe, & *Major* cognomento, sita est in formis Aquæ Claudiæ. *Dicebatur hæc olim Labicana*, inquit Fulvius, *& Prænestina, sive in eodem ambitu altera diversa ab hac porta; quæ multum a Procopio celebratur in bel-* B *lo Gothico*. Quod ergo mittat Præneste & in Labicos, id vehementer urget, ut ex Nævia faciat Esquilinam. Strabo [2] enim ortum Prænestinæ & Labicanæ viæ deducit a porta Esquilina. Verum cum revolutis tot sæculis antiquarum viarum strata silicea perierint, non eodem terræ solo ac limite teruntur viæ, quo terebantur antiquitus. Quare mutatis finibus eumdem processum, & frequenter initium non habent, ut in pluribus demonstrari posset. Immo Onuphrius censet portam hanc ex alio loco translatam in arcum, ubi cernitur, sive ductum Aquæ Claudiæ commigrasse. Fuit ergo alia porta Esquili- C na, de qua loquutus est Strabo, unde via Prænestina & Labicana derivantur. Varro postquam dixit de porta Nævia, subdit: *Deinde porta Rauduscula, quod ærata fuit, & æs Raudus dictum. Hinc porta Lavernalis ab ara Labernæ, quod ibi ara ejus deæ*. Cum ergo post Næviam sequeretur Rauduscula, fortasse porta Esquilina, nunc S. Laurentii, etiam Rauduscula dicebatur; & proxima Viminalis, Lavernalis. Laverna autem furum dea habebatur. Illi si extra hanc portam ara fuit, extra Collinam propinquam lucum habuit, referente Acrone in Horatium, lib. 1. Epistolarum [3]. Sed quoniam ignoramus, sinistra, an dextera Næviæ fuerit Rau- D duscula, si in aliam partem te convertas, Esquilina non erit Rauduscula, sed Cœlimontana; quæ hanc sequitur, Lavernalis.

Porta [4] Sancti Joannis Cœlimontana ab antiquis est dicta, quod in Cœlii montis clivo sita est. meminit ejus Cicero in Pisonem. antiquissime dicta est Querquetulana.

Sequitur porta [5] in murorum angulo, sed clausa. *Hanc plerique Gabiusam fuisse arbitrantur*, ait Marlianus. Mittebat enim in Gabios, vulgo Gallicanum, Gabina via. Utriusque meminit Livius, illam de cœlo tactam, hac stetisse Romanos commemorans. Hanc quoque Metrodii portam fuisse E appellatam docent [6], quam S. Gregorius [7] Metroni appellat: *Per Metroni* ait *portam exeuntes, ut eos in Latinam, vel Appiam viam sequerentur*. Hujus ergo via proxima erat Latina, ut revera esset, si esset in usu. In hac parte Urbis erat regio XII. Piscinæ publicæ: cujus fines regionibus portæ Capenæ, Cœlii montis Aventini, Circi maximi terminabantur. In regione autem Piscinæ publicæ P. Victor enumerat *vicum portæ Næviæ*, & *vicum portæ Rauduscalanæ*. Quas portas fuisse propinquas memoravi. Hinc subnasci potest suspicio de porta Nævia, an in hoc potius tractu post Cœlimonta- F nam, an ante illam, ut posuimus, ponenda sit. Quod alii videant.

Porta Latina [8] est proxima, inde nomen fortita, quod mittit in Latium. Eadem Ferentina est; Ferentinum enim Latina in via erat, ut docet Strabo.

Multo nobilior est ea [9], quæ nunc S. Sebastia-

1 Porta Nævia, nunc Major. 2 Lib. 5. 3 Ep. 16. 4 Porta Cœlimontana, quæ olim Querquetulana, nunc S. Joannis. 5 Porta Gabiusa. 6 Fulvius, & Marlianus. 7 Lib. 9. Epi. Epist. 38. 8 Porta Latina. 9 Porta Capena, nunc S. Sebastiani.

ni, olim Capena; cujus varia fertur derivatio. Aut enim a Capenatibus populis Latinis, aut a Capenate fluvio, aut a Capena urbe prope Albam ab Italo Rege condita, aut a Camœnis, quarum extra portam & lucus & ædes fuit, mutata littera Capena dicta est. Hinc tendebatur Appia via, longarum, ut ait Statius, Regina viarum.

Quoniam autem [1] Asinariæ portæ meminit Procopius scribens, Totila rege illa Gothos in Urbem fuisse ingressos, quænam hæc fuerit ambigitur. Festus ita scribit: *Significat aquam eo nomine, quæ est supra viam Ardeatinam inter lapidem secundum & tertium, qua irrigantur horti infra viam Ardeatinam & Asinariam, usque ad Latinam*. Ex quibus verbis quid eliciam, nescio. Fuisse hoc ordine stratas vias, ut primo Latina, deinde Asinaria, postea Ardeatina esset? Id vero negant Antiquarii [2], qui inter Ardeatinam & Asinariam, medias Appiam & Laurentinam constituunt. Portam Asinarium fuisse prope Latinam, cum via prope esset? Atqui prope Latinam portam fuit Capena. Nam de Gabiusa, quæ supra Latinam erat, hic sermo esse non potest. Quid ergo statuendum? Nihil equidem certi. sed tamen in his locis fuisse Asinariam viam & portam. Via quidem diversa ab Appia & Latina fuit: sed in alterutram illarum incidens, tendensque ad portam sive Capenam, sive Latinam, suum etiam nomen alterutri tribuebat. Fulvius Cœlimontanam, Asinariam putat; in causa afferenda ridiculus magis, quam eruditus. Honestiori, quam ille, derivatione deducerem ab hortis Asinianis, qui erant in regione Piscinæ publicæ, ut refert P. Victor, aut aliquo Romano Asinio auctore vel instauratore. Suetonius de Augusto [3]: *Desumpta sibi*, inquit, *Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit*. Quid? si tunc vel Asinius Pollio, vel Asinius Gallus, qui sub Augusto fuere consules, ab hortis Asinianis inchoantes viam sternendam curarunt?

Proxima Tiberi [4] Trigemina est, nunc S. Pauli. Trigeminæ nomen Tergemini Horatii fratres, inde ad pugnandum cum tribus Curiatiis egressi, fecere. Fuisse portam cis Aventinum in minore Urbis pomœrio supra retuli, cum ædiles extra Trigeminam in Aventinum porticum straverunt. Eadem Hostiensis.

Jam in ambitu Transtiberino portæ tres. Prima [5] Portuensis, quod ad portum Hostiensem deduceret, ubi muri refecti ab Honorio & Arcadio. eadem Navalis dicitur.

Altera in edito Collis, nunc [6] Sancti Pancratii, Aurelia fortasse videretur, nisi Procopius eam statuisset prope molem Adriani ac templum S Petri, ut diximus. Hanc autem veteri nomine Janiculum appellant.

Ultima ad Tiberim [7] Septimiana porta est, a Septimio Severo Imperatore sic dicta. Hic enim, teste Spartiano, thermas Septimianas in Transtiberina regione ad portam sui nominis ædificavit, ubi Janus Septimianus, & ara Septimiana. Mansit Severi nomen usque ad Alexandrum VI. Pontificem Maximum, qui portam instauravit, titulum abstulit.

Porta Septimiana [8], an Fontinalis etiam dicenda sit, ambigitur. Fontinalis autem, quod ad illam Fontium sacra fierent coronatis pueris & fontibus. Fontinalis quidem nonnullis Capena est, quod ad eam magna fontium copia, ideoque *madida* a Juvenale, & Martiale *grandi pluere gutta* dicitur. Huc etiam accommodant Livii locum: *Ædiles alterum porticum ad portam Fontinalem ad Martis aram, qua in campos iter esset, perduxerunt*. Cum enim esset extra Capenam templum Martis & Horatiorum sepulchra, putant illic geminum fuisse campum, eoque porticum perduxisse. Onuphrius campos Vaticanos intelligit, quo porticus e porta Septimiana, eademque Fontinali perducta sit. Plinius enim scribit fornacem ædificatam in campis, ut conderetur patina Vitellio Cæsari, quos fuisse Vaticanos argumento est, quod iisdem in campis sint hodieque fornaces. Neque hæc interpretatio, ac sententia, quam sequuntur Blondus & Marlianus, satisfacit. Nam loco citato Livii etiam *campum* legitur; qua sola voce significatur campus Martius. Deinde tametsi *campos* legatur, duo cis Tiberim in Romana planicie campi fuere, de quibus supra. Sed loco citato Livii sermonem esse de campo Martio, & *campum* legendum, alter ejus locus perspicue demonstrat: *Comitiis*, inquit [1], *confectis, ut traditum antiquitus est, censores in campo ad aram Martis sellis curulibus consederunt*. Erat igitur ara Martis in campo Martio, quia illi dicatus fuerat, & ibi habita fuerant censorum comitia. Præterea major necessitas in eo ædificandæ porticus, cum quotidie ad inambulationes, exercitationesque bellicas campus Martius adiretur. Quod si verum est, aliqua alia porta pro Fontinali statuenda esset: Nec tamen magnopere pugnandum, si aliquis voluerit aut Septimianam aut Capenam Fontinalem dicere, aut alibi Fontinalem quærere.

Istæ sunt portæ, quas suo ævo in Urbe fuisse notat Procopius, præter alias quasdam minoris notæ. Primo quidem portulæ cujusdam prope Collatinam seu Pincianam ipse meminit, cujus nullum apparet vestigium.

At inter Viminalem, & Esquilinam prope murum Castrorum [2] clausa jampridem porta visitur, quam nonnulli antiquarii *Inter Aggeres* appellant, & porta quidem Viminalis *Inter aggeres* a Strabone esse dicitur [3]: *In Aggere autem medio tertia est porta ejusdem nominis cum colle Viminali*. Aut ergo hic erat porta Viminalis, nunc alio translata & vulgo Pia, aut hæc non est inter aggeres. Onuphrius Querquetulariam portam nuncupat, inde dictam, quod ut est apud Sextum Pompejum, querquetum muros Urbis juxta se habuerit. Ita vero opinatur, quia præter P. Victoris, Sext. Rufi, & M. Varronis verba locum Plinii adducit [4]: *Fagutali*, inquit, *Jovi, etiam nunc, ubi lucus fageus fuit, porta Querquetulana, colle, in quem Vimina petebantur*. Unde infert, portam Querquetulanam in colle Viminali, & hanc de qua loquimur fuisse. Refragatur his Tacitus [5] *Haud fuerit*, inquit, *absurdum tradere, Montem eum*, Cœlium, [6] *antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis sylvæ frequens fœcundusque erat: mox Cœlium appellitatum a Cœlio Vibenna, qui dux gentis Hetruriæ*. Si ergo Querquetulanus mons Cœlius est, in Cœlio porta Querquetulana erat. *Non me latet*, ait Onuphrius, *Tacitum hæc scribere. utcumque autem sit, Varroni, Plinio, P.Victori, & Sext.Rufo magis credendum*. Sic ego etiam infero: his credendum, sed non magis, quam Tacito. Non enim diversa sentiunt. Pliniani quidem illius loci longe alia interpretatio est, atque illi tribuit Onuphrius. Scribit enim de lucis in Urbe consitis, aitque: *Sylvarum certe Roma distinguebatur insignibus: Fagutali Jovi etiam nunc, ubi lucus Fageus fuit*. Ubi sane *Fagutali Jovi*, sexto casu, aut *Jove* legendum est, & sensus patet. Hoc est enim unum e sylvarum insignibus,

1 Porta Asinaria quæ fuerit. 2 Onuphr. de Urbe Rom Marlian. l.1. c.8. editio2. 3 In vita cap.30. 4 Porta Trigemina, nunc Sancti Pauli. 5 Porta Portuensis. 6 Porta Janiculensis, nunc Sancti Pancratii. 7 Porta Septimiana 8 An eadem Fontinalis.

1 Dec.4. lib.10. 2 Porta clausa inter Aggeres, olim Viminalis. 3 Lib. 5. 4 ex lib. 1. cap. 16. 5 Lib. 4. Ann 6 Mons Cœlius Querquetulanus.

Fagutalis Juppiter, ubi lucus fageus fuit. Tum pergit: *porta Querquetulana*. hoc eſt aliud inſigne, ubi lucus fuit querceus. Pergit: *Colle, in quem Vimina petebantur*. Tertium ſylvarum inſigne, collis Viminalis nomine a loco viminum, quæ ex eo petebantur. Roma igitur ſylvarum diſtinguebatur inſignibus, Fagutali Jove; porta Querquetulana; Colle, in quem Vimina petebantur. Hæc eſt germana ejus loci interpretatio. ubi *porta Querquetulana*, interpunctione diſtinguetur a ſequentibus verbis. Sic autem Plinius conſentit cum Tacito: Nam hæc porta relinquetur in colle Querquetulano, id eſt, Cœlio. P. Victor & Sextus Rufus lucum Fagutalem in quinta regione Eſquilina collocant. Hoc nihil ad nos. Varro prope Eſquilias (non enim in colle Viminali, quod ait Onuphrius, ut legenti patet) conſtituit Querquetulanum ſacellum. Hoc favet nobis. Nam Cœlius finitimus Eſquiliis, in quo ſylva e quercubus, Querquetulana porta, & ſacellum fuit.

Quod ergo nomen ſortita eſt porta, de qua loquimur, ſi non eſt Querquetulana, cum hæc Cœlimontana ſit? Equidem putaverim, hanc portam propinquam olim Caſtris fuiſſe antiquitus Viminalem, & Inter Aggeres, cum in extremo Viminali & in medio Aggere ſit; ſed clauſam ædificatione Caſtrorum propter propinquitatem, eoque translatam, ubi nunc porta Viminalis ſeu Pia eſt.

Duæ præterea fuere portæ [1], Piacularis & Minucia, illa propter aliqua piacula, quæ ibidem fiebant: hæc quia *proxima erat ſacello vel aræ Minucii, quem Deum putabant*. auctor Sextus Pompejus. Hæ duæ quænam, vel ubi fuerint, cum aliis ignoro. Inter priores tamen potius numerandas, quam ſeparandas cenſerem.

Demum [2] Sangualis porta apud Feſtum, proxima ædibus Anci dicitur in ſumma Sacra via, ait Fulvius. Alii Sanginalem ab Æde Sangi nominant, cujus ſacellum in ſeptima regione Viæ latæ propinquum portæ Collatinæ numeratur a P. Victore. Vel Sangualis a Sanco vel Sango dicta eſt, quem eumdem faciunt cum Deo Fidio & Sancto. Nam cum hic ædem haberet in Quirinali, ubi porta Collina, veriſimile eſt, hanc etiam fuiſſe Sangualem, ut etiam ſcribunt.

1 Porta Piacularis & Minucia. 2 Porta Sangualis.

CAP. XXII.

De Porta Triumphali.

HANC mihi ſeorſim ſepoſui fuſiori tractatione indigentem. Et fuiſſe [1] in Urbe Triumphalem portam nemo dubitat, cujus graviſſimi ſcriptores meminerunt. Cicero in Piſonem: *Aut ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modo ne Triumphali*. Tacitus [2]: *Tum conſultatum eſt de honoribus, ex queis maxime inſignes viſi, ut porta Triumphali duceretur funus*. Suetonius in Auguſto [3]: *Inter alia complura cenſuerunt quidam funus Triumphali porta ducendum præcedente Victoria, quæ eſt in Curia*. Joſephus [4]: Πρὸς δὲ τὴν πύλην αὐτὸς ἀνεχώρει, τὴν ἀπὸ τοῦ πέμπεσθαι δι' αὐτὴν ἀεὶ τοὺς θριάμβους, τῆς προσηγορίας αὐτῶν τετυχίας. *Ipſe vero* Veſpaſianus *ad portam reſedit, quæ, quod ab illa ſemper ducuntur triumphi, nomen ipſorum ſortita eſt*. Hæc oſtendunt portam fuiſſe. Jam ubi fuerit oſtendendum. [5] Onuphrius: *Erat*, inquit, *in ea murorum parte, quæ ab Adriani ſepulchro ad Sancti Spiritus portam olim producti erant*. Idem ſenſit Marlianus & Fulvius (quamquam hic alibi Capenam pro Triumphali habere videtur) & Flavius Blondus, in cujus verba reliqui videntur juraſſe. Interpres vero Suetonii loco laudato, *Porta*, inquit, *Triumphalis media fuiſſe videtur inter portam Flumentanam & Catulariam*. Ex quo videtur Julius Bulengerius accepiſſe, dum ait [1] *Inter portam Flumentanam & Catulariam, qua iter eſt ad Septimianam*: Quæ ſane verba mihi perobſcura ſunt. Nam, ut ſupra dixi, Flumentana eſt Flaminia: Viminalis autem Catularia, cis Tiberim. Quomodo ergo Triumphalis tanto trans Tiberim intervallo ſejuncta, inter utramque collocatur? illac vero iter ad Septimianam eſſe non poteſt, ſitam ſub Janiculo. Rectius alii loquuntur, qui Flumentanæ aut Catulariæ non meminerunt.

1 Porta Triumphalis fuit antiquitus in Urbe. 2 Lib. 1. Annal. 3 Cap. 100. 4 Lib. 7. Bel. Jud c. 24. 5 Antiquarii locant portam Triumphalem ad Noſocomium S. Spiritus.

Omnes autem Joſephum quaſi aliquem Dædalum adhibent ad extruendam ſuam portam Triumphalem; quo tamen maxime demoliuntur. Ille enim loco ante citato ſcribit, Veſpaſianum & Titum triumphaturos, Palatio profectos apud Iſidis templum pernoctaſſe, indeque profectos ad Octavias ambulationes primum, tum ad portam Triumphalem veniſſe. *Quibus verbis*, ait Onuphrius, *conſtat eos extra Urbem tunc in Campo Martio fuiſſe, eoſque trajecto Tiberi per eam portam introiſſe*. Sed ut accuratius locus ille exponatur, afferam ejus verba. *Inſtructus*, inquit, *erat exercitus* περὶ θύρας οὐ τῶν ἄνω βασιλικῶν, ἀλλὰ καὶ πλησίον τοῦ τῆς Ἴσιδος ἱεροῦ. ἐκεῖ δὲ ἀνεπαύοντο τῆς νυκτὸς ἐκείνης οἱ αὐτοκράτορες. *circa fores non ſuperiorum regiarum*, id eſt, Palatii Auguſti, *ſed prope Iſidis templum. ibi enim quieſcebant nocte illa Imperatores*. Et paulo poſt: καὶ παρίασιν εἰς τοὺς Οκταβίας περιπάτους. ἐνταῦθα δὲ ἦτε βουλὴ καὶ τὰ τέλη τῶν ἀρχόντων, οἵτε ἀπὸ τοῦ τιμιοτάτων ἱππεῖς τὴν ἄφιξιν αὐτῶν ἀνέμενον. πεποίητο δὲ βῆμα πρὸ τῶν στοῶν. *& tranſeunt ad Octavias ambulationes. Ibi autem ſenatus, ducum proceres, & honorati equites eorum præſtolabantur adventum. Factus autem ſuggeſtus erat ante porticus*. Hic primo quærenda nobis eſt Iſidis ædes: tum Octavia porticus. Plura [2] quidem fuerunt in Urbe templa Iſidis; hic tamen de illo, quod erat in Campo Martio, ſermo eſt. Nam Veſpaſianus & Titus more veterum, qui triumphaturi degebant extra Urbem, Urbe egreſſi, venerunt in campum Martium ſitum extra portas. Erat autem templum prope Septa, in quibus comitia ad creandos magiſtratus habebantur; quæ quod populum incluſum cogerent, veluti caulæ gregem, olim *ovile* dicta ſunt. Juvenalis [3]:

—— ut ſpargat in æde
Iſidis, antiquo quæ proxima ſurgit Ovili.

Martialis [4]:

Si nihil Europe fecit, tum Septa petuntur;
Si quid Phyllirides præſtet & Æſonides.
Hinc quoque deceptus Memphitica templa frequentat,
Aſſidet & cathedris, mœſta Juvenca, tuis.

Nam Iſis etiam ſpecie Juvencæ colebatur, cujus ædem Septis egreſſus adibat ille cœnarum venator Selius, in quem ſcribit Martialis. Septa vero, de quibus alibi, inter Forum nunc Columnæ, fontem Aquæ Virginis ſeu Trevenſis, Montemque Trinitatis, quondam Hortulorum, fuere. A fonte Trivii ſiniſtrorſum euntibus in collem Pincium,

1 Cap. 23. de Triumpho. 2 Templum Iſidis ubi eſſet. 3 St. 6. 4 Lib. 2. Epigra. 14.

templum occurrit Sancto Andreæ dicatum, quod antiqua Septa fortasse indicat. idem enim est Italis *Fratte*, unde cognomentum traxit, quod Latinis *Septa*. Itaque templum Isidis Marlianus [1] in via Lata, ad Sancti Marcelli nunc ædem collocat: Fulvius [2] prope viam Latam & templum S. Mariæ in Aquiro. Referens enim, fuisse quasdam columnas in proximo templi horto, subdit: *Nec desunt, qui velint ibi fuisse templum Isidis, quod in hoc ambitu fuisse constat.*

1 Lib. 5. c. 1. edit. 3. 2 Antiquit. lib. 4.

Sed jam, ubi fuerit templum Isidis, ambigi non potest, refosso Osiridis simulachro. simul enim tamquam vir & uxor colebantur ab antiquis. Nam Dominicanis Patribus perample eleganterque ædificantibus, ad novi fabricam Cœnobii & fundamenta jacienda cum terra egereretur, haud longe ab eo loco, quem notat Fulvius [3] ac ad vetus Minervæ delubrum, prope viam, quæ descendentes e Quirinali deducit ad Pantheon, ore prono, ac pedibus (qui postea seorsim reperti sunt) mancum simulachrum est inventum [4]. Id erat ex atro lapide: oblatumque est a Patribus Patrono Eminentissimo Antonio Cardinali Barberino, qui eodem in loco, ponendo juniorum tyrocinio ædificat. Ne vero quisquam dubitet, an illa sit Osiridis effigies [5], argumento primum est color. Nigrum enim fuisse Osirim putabant Ægyptii, teste Plutarcho [6]: Thebisque in Ægypto immanem statuam ex basalte ferrei coloris atque duritiæ fuisse narrant Serapidis, quem alio nomine eumdem cum Osiri habitum testatur idem Plutarchus: *Ambo*, inquit, *unius Dei, seu facultatis vocabula censeo*. Et: *Præstat autem cum Osiride eumdem facere Serapin*. Idem auctor est, Osirim, quod Solem significaret, accipitris forma repræsentatum. Ea quippe avis & visus acumine & volatus celeritate pollet. Cum vero celeritatem in Sole admiremur, eidem videndi facultatem plerique antiquorum tribuebant. Ideoque statua capitis formam accipitri similem præfert. Quod autem notatam T littera tabellam manu gestat, id quoque Osirim demonstrat. Hanc enim Ægyptii habuerunt unam ex arcanis & sacris notis: cujus eam fuisse significationem ex interpretatione sapientum Socrates [1] & Sozomenus [2] docent, *Vita ventura*. Iidemque cum Suida referunt, in delubro Serapidis diruto repertas esse litteras lapidibus incisas, quæ crucis præferrent formam. Hoc autem T litteræ præcipuum est. Quare S. Hieronymus, *Antiquis*, inquit, [3], *Hebræorum litteris, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema T littera crucis*



3 Lib. 3. 4 Simulachrum Osiridis Romæ inventum. 5 Ejus forma. 6 In l. de Iside, & Osiri.

1 Lib. 5. c. 17. 2 Lib. 7. c. 15. 3 In cap. 9. Ezech.

habet similitudinem. Ideoque Tau pro signo salutis & vitæ legitur in sacris paginis, Ezechielis cap. 9. Quod sane arcanum mysterium Hebræi cum vaticinationibus Prophetarum, & Sacerdotum responsis didicissent, ab his deinde ad Ægyptios, ab Ægyptiis ad alias gentes dimanavit. Quare tam Græcis, quam Latinis T littera symbolum vitæ, Θ mortis erat. Nam & superstitum bello militum nomina, docente Isidoro [1], littera T, mortuorum vero Θ notabantur. Judices referente Asconio T absolvebant, Θ damnabant. Ideo Θ *nigrum* Persio [2], nempe infaustum est;

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.

Et Martialis [3]:

Nosti mortiferum quæstoris, Castrice, signum;
Est operæ pretium discere theta novum.

Gentiles igitur Ægyptii [4] sacrorum mysteriorum depravatores Osiridem, sive Serapidem symbolum salutis & vitæ modo pectore, ut refert Cœlius [5]; modo manu gestare voluerunt, cui mortis signum merito dare debuerant. Neque animadversione vacat, quod super T, est insculptum O, quam ansulam esse, sive annulum nonnulli existimant. Sed quia, ut dixi, Osirim Solem esse putabant, illum etiam notabant hoc signo. Clemens Alexandrinus [6]: *Qui Solem volunt scribere faciunt circulum*. Alii tamen circello T litteræ superposito, quod alibi videmus, oculum intelligunt, quo & Osirim prisci designabant. Macrobius [7]: *Osirim Ægyptii ut solem esse asserant, insculpunt sceptrum, inque eo speciem oculi exprimunt: & hoc signo Osirim monstrant significantes, hunc Deum solem esse, quia solem Jovis oculum appellavit antiquitas*. Aliter Plutarchus: *Osirim oculo, & sceptro pictis exprimunt, oculo providentiam, sceptro potentiam demonstrante*. Iisdemque signari docet *Osirim Regem & Dominum*. Qui demum scripsit, *ubique ostendi ejus simulacrum humana specie*. Hæc probent, statuam esse Osiridis [8]. Id ergo simulacrum inventum fuisse ibi ædem Isidis, seu potius utriusque communem demonstrat: apud quam postridie triumphaturus Vespasianus, extra Urbem pernoctare voluit. Et vero in utriusque cultum eum propensum fuisse probabile est, propter ea, quæ Alexandriæ mira illi accidisse narrant Tacitus [9], & Suetonius, monitu Serapidis, sive in ejus templo, dæmone scilicet illudente.

Jam Octavias ambulationes, quo ab Iside Vespasianus perrexit, Blondus esse arbitramur, quas circa suum Mausoleum consitis altissime populis fecerat Octavius Augustus. At hic auctor, & idem docens Marlianus animadvertere poterant apud Josephum verba sequentia βῆμα πρὸ τῶν στοῶν, *suggestus ante porticus*. Itaque priora verba Ὀκταβίας περιπάτας, non sunt referenda ad nemorosas & silvestres deambulationes, sed spatia ædificatæ porticus. Onuphrius, *Porticum credo*, inquit, *Octaviæ in campo Martio sitam intelligit Josephus*. Verum quæ est ista porticus Octaviæ in campo Martio, cujus nec P. Rufus, & P. Victor, nec alii, quos legerim, meminerunt? *Porticus enim Octaviæ*, ut ait Festus, *duæ appellantur, quarum alteram theatro Marcelli propiorem Octavia soror Augusti fecit; alteram theatro Pompeii proximam Cn. Octavius, Cn. filius, qui fuit Ædilis curulis, Prætor, Consul, Decemvir sacris faciendis, triumphavitque de rege Perseo navali triumpho. Quam combustam reficiendam curavit Cæsar Augustus*. Prior illa adjunctas alias porticus habuit a Metello [1] Macedonico extructas. Vellejus [2]: *Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus sine inscriptione positis, quæ nunc Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat*. De altera Vellejus idem [3]: *Porticum in Circo Cn. Octavius multo amœnissimam molitus est*. Plinius [4]: *Invenio & a Cn. Octavio, qui de Perseo rege navalem triumphum egit, factam porticum duplicem ad circum Flaminium, quæ Corinthia sit appellata a capitulis æreis columnarum*. Eandem Philander a structura & symmetriæ Corinthiæ modulis Corinthiam [5] nuncupat. Neutra ex his porticibus fuit in campo Martio. Prior enim Octaviæ sororis Augusti erat intra Urbem, ubi nunc templum Virginis, cognomento in Porticu, a veteribus Octaviæ porticibus, ut monent antiquarii, nuncupatum. At Corinthia Cn. Octavii, quamvis fuerit extra Urbem, in campo tamen Martio non fuit, sed in altero illi finitimo, Urbique propinquiore campo, in quo plurimæ aliæ porticus. & publica ædificia visebantur, ut supra memoravi.

Hæc ergo Cn. Octavii porticus intelligitur a Josepho, & Octavias ambulationes dixit, quia duplex erat porticus, sive duplici ordine columnarum in eodem solo, sive duplici concameratione, ut altera superiorem, & columnæ columnas substinerent. Utrovis modo prima Romæ constructa est, ut ait P. Victor. Causa vero, cur hæc potius quam altera Octaviæ porticus sit intelligenda, est; quia Vespasianus & Titus triumphaturi more majorum Urbe egressi sunt, ut postridie triumpharent, ideoque apud Isidem pernoctarunt, ut ex antiqua lege viderentur agere. Simile quid Tacitus de Druso [6]: *Drusus Urbe egressus repetendis auspiciis, mox ovans ingressus est*. Inde vero ad porticum propinquiorem portæ, ubi venturos Cæsares præstolabatur Senatus, tum ad portam Triumphalem, triumphum inituri perrexerunt.

Cum igitur porticus esset ad circum Flaminium & theatrum Pompeii, testibus Plinio & Festo, & nos imum Circum ad ædes Ducum Cæsarinorum statuerimus, inter has & vicum Thoracopœnorum, ut vocant, fuisse verisimile est. Ibi enim post ædes Ducum Ursinorum ad campum Floræ theatri Pompejani vestigia apparent. Marlianus putat cognomentum S. Nicolai in Chalcaria ab ea porticu derivari; χαλκὸς enim æs dicitur. Sed non placet. Nam Romani non a Græco nomine, sed Corinthiam ab æreis & Corinthiis capitulis dixerunt. Templo autem Chalcariæ propinquæ cognomentum dare potuerunt.

Hinc autem manifesta eorum deceptio apparet, qui portam Triumphalem in ulteriore ripa Tiberis ad S. Spiritum in Saxia locaverunt. Cum enim porticus, ubi erant Imperatores, esset ad Circum Flaminium, quomodo inde ad circum Neronis campo sque Vaticanos retrocessere, uno circiter milliario distantes? peractoque itinere venerunt ad portam Urbis, qui ante, tanto intervallo propinquiores, nihilominus erant extra Urbem? Non ergo fictitiam ad illam portam retro vecti, sed ad aliam vere Triumphalem provecti sunt Cæsares. Quod evincit non hic solum Vespasiani triumphus, sed multo efficacius veterum triumphi Consulum ac Prætorum. Nam porta Triumphalis fuit in Urbe ante Ciceronem; cum, ut demonstravi, Romana mœnia a rupe Capitolina per Forum nunc Montanarium recta tendebant ad Tiberim. Erat prope circus Flaminius, in quo multi, antequam triumphantes inirent Urbem, leguntur fuisse. Qui ergo in tam propinquo erant extra Urbem, quomodo plusquam mille passus retro cedebant, ut ad ejus portam venirent? Facies ipsa situsque locorum per sese hoc

1 Lib. 1. Etymol. 2 Sat. 4. 3 Lib. 7. Epigr. 36. 4 Lege Hier. Prad. in c. 9. Ezech. & Jac. Gretser. lib. 1. de cruce c. 51. 5 Lib. 10 Antiq. lect. c. 1. 6 Lib. 5. Strom. 7 Lib. 1. Satur. 8 Sic & imagines in Tab. Hieroglyph. manu gestant. 9 Ann. l. 20.

1 Porticus Metelli. 2 Lib. 1. 3 Lib. 2. 4 Lib. 34. cap. 3. 5 Porticus Corinthia eadem quæ Octavia, & ubi esset. Lib. 5. Vitruvius c. 9. 6 Lib. 3. Annal.

demonstrat, & fictam hanc fabulosamque in Vaticano triumphorum portam obruet aliquando. Quam locorum descriptionem supra cap. 11. lineavimus.

Neque hic metuam, quod objicitur ex S. Hieronymo [1]: *Petrus Apostolus sepultus Romæ in Vaticano juxta viam Triumphalem, totius Orbis veneratione celebratur.* Quod item ex S. Damaso, qui scribit ab Anacleto erectam fuisse Basilicam B. Petro juxta viam Triumphalem, & circum Caii, & Neronis. Nempe hac via Triumphali quidam auctores triumphant; sed ita, ut, quemadmodum olim Cæsar triumphans excussus est e curru, sic isti loco & opinione moveri debeant. [2] Aliud enim porta, aliud via est. In Vaticano via fuit Triumphalis. Porta non fuit. Via enim Triumphalis a porta Triumphali deducto nomine, per utrumque Campum Flaminium & Martium tendebat in Vaticanum, supra pontem strata, qui dictus Vaticanus, & his Triumphalis, prope Nosocomium S. Spiritus sui vestigia in alveo Tiberino reliquit. Hinc, sub ipsum templum D. Petri Hetruriam versus via producebatur. Sepultus est ergo Apostolus juxta viam Triumphalem: at Porta longe dissita aberat a sepulchro. Sic prorsus Campaniam & Apuliam Appia via intercurrens attigit extremos Italiæ fines. At porta, unde via producitur, extra mœnia non fuit. Quod & in aliis perspicuum est. Ubi ergo portam Triumphalem ædificabimus?

Equidem potius ubi non fuerit, quam ubi ponenda sit, possum ostendere. Videor tamen quibusdam quasi vestigiis germanum ejus locum persequi posse. Redeuntes e bello victores duces castra metabantur in campo Martio, datoque illis extra Urbem senatu, petebant triumphum. Dion [3]: *κατεστρατοπεδευκότων ἔξω τῆς πόλεως κατὰ τὸ Ἄρειον πεδίον τῶν τὸν θρίαμβον αἰτησάντων. castra metantes extra Urbem in campo Martio, qui petunt triumphum.* Eodem in loco ejus, qui triumphabat, exercitus per legatos tribunosque instruebatur; ut in manipulos, centurias, cohortes dispositus laureatum ducem sequeretur. quod factum in triumpho Vespasiani narrat Josephus. Ibidem [4] instructa & digesta pompa triumphalis est propter laxitatem & amœnitatem loci. Denique triumphaturos in proximis Campo ædificiis fuisse legimus, in circo Flaminio, in æde Apollinis, in æde Bellonæ, in porticibus, quæ Campum spectabant. Ex quo licet conjicere portam Triumphalem [5] in ea mœnium parte, quæ ad arctos & campum Martium vergeret, fuisse. Idque indicant auctores, qui Imperatores triumphaturos in via Flaminia constituunt. Martialis de reditu Trajani [6]:

Quando erit illa dies, quo Campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta fenestra nuru?
Quando moræ dulces, longusque a Cæsare pulvis,
Totaque Flaminia Roma videnda via?

Claudianus de reditus Stiliconis [7]:

Quæ tunc Flaminiam stipabunt millia vulgi?

Idem de reditu Honorii Augusti in sextum ejus Consulatum:

Palatino qua pons a Colle recedit
Milvius, & quantum licuit consurgere tectis
Una replet turbæ facies. undare videres
Ima viris, altas effulgere matribus ædes.

Tunc quidem Trajanus, Stilico, & Honorius non

1 In lib. de Script. Ecclesiast. 2 Templum S. Petri in via Triumphali, sed non prope portam. 3 Lib. 11. 4 Pompa Triumphi instituebatur in campo Martio. 5 Porta Triumphalis vergebat ad Campum Martium. 6 Lib. 10. cap. 6. 7 Paneg. 2.

A triumpharunt; sed tamen Honorii ingressum instar triumphalis fuisse, illa declarant:

Tunc tibi magnorum mercem fortuna laborum
Persolvit Stilico, curru cum vectus eodem
Urbe triumphantem generum florente juventa
Conspiceres —— ——

Eadem progressus *Vitellius a ponte Milvio insigni equo paludatus, accinctusque Senatum & populum ante se agens, quominus ut captam Urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumpta prætexta, & composito agmine incessit*, ut ait Tacitus [1]:

B Idem indicant Arcus, quorum unus adhuc extat e marmore triumphanti, ut ajunt, Domitiano erectus. Sed ille triumphanti quidem, at Domitiano dicatus non est, ut alibi. Alios in eadem via, nunc celebri *Cursus* nomine insignita, fuisse arcus testatur Fulvius. quos deinde vel hominum, vel temporum injuria demolita est.

Alii vero duo qui supersunt triumphales arcus Constantini ac Septimii Severi, etsi trans Capitolium siti remotique a via Flaminia, nobis videntur obstare; magis tamen cæteros turbant, quibus porta placet in Vaticano. Verum & hi nobis favent, si triumphalis pompæ periodus cogitatione lustretur [2], & iter, quod per urbem peregere triumphantes,
C proponatur ob oculos. Pompa enim triumphalis [3] per medios circos vehebatur, ut populus non modo e via, sed multo commodius e gradibus sedilibusque circensium cavearum cuncta sedens aspiceret. Id memorat Plutarchus in vita Æmilii Pauli, ejusque triumphi descriptione: *Ὁ μὲν δῆμος ἔν τε τοῖς ἱππικοῖς θεάτροις, ἃ κίρκους καλοῦσι, περί τε τὴν ἀγορὰν ἰκρία πηξάμενοι, καὶ τἆλλα τῆς πόλεως μέρη καταλαβόντες, ὡς ἕκαστα παρεῖχε τῆς πομπῆς ἐπ' ὄψιν, ἐθεῶντο. Populus quidem in equestribus theatris sive hippodromis, quos circos vocant, & circa forum tabulata figentes & occupantes alias Urbis partes, ut pom-*
D *pæ singula subjicerent visui, spectarunt.* Pauli quidem ætate solum Circus Flaminius. & Circus maximus usui esse poterant ad spectandum. Ideo crediderim in Circo Flaminio fuisse interdum a ducibus donatos coronis & muneribus milites, quia circum sedebat contemplator laudatorque populus. Josephus etiam locorum ad spectandum meminit in triumpho Vespasiani & Titi: *Ἔπεμπον τὸν θρίαμβον διὰ τῶν θεάτρων διεξελαύνοντες, ὅπως εἴη τοῖς πλήθεσιν ἡ θέα ῥάων.* quod vertit interpres: *inter spectacula transeuntes triumphum ducebant, ut multitudini facilior præberetur aspectus.* Quid autem est
E *transire inter spectacula*, nisi per loca spectaculorum & circos, quorum gradus insederat populus, ut spectaret facilius atque commodius? Vespasianus autem discedens ab Octavia porticu per Circum primo Flaminium, deinde Circum Maximum transiturus erat. Sed omnis triumphi pompa e Campo Martio, ubi instruebatur, incipiens, etiam per Circum Agonalem, hodie Navonum, ab Alexandro extructum, ultimis saltem ætatibus, cum rari triumphi, traduci poterat. Ambigi posset, an etiam per theatra primum Pompeii, tum Balbi, deinde Marcelli, & amphitheatrum Statilii in Campo, & Flavium prope Sacram viam, postquam extructa sunt, pompa
F Triumphalis transiret. Sed fortasse horum aditus non ceperunt machinas, pegmata, carros, & immania illa fercula, quibus manubiæ, imagines, atque hostium spolia vehebantur. Dixerim præterea, theatra, propter adjunctum scenæ pulpitum, & clausum fabricæ semicirculum, pompæ transitum non præbuisse. De amphitheatris dubitaverim.

Ad hæc constat triumphantes [4] Sacra via perrexisse, quæ prope Palatium descendebat in Forum,

1 Lib. 2. Hist. 2 Processus Triumphantium per Urbem. 3 Per Circos vehebantur Triumphantes. 4 Triumphantes vecti Sacra via.

& ideo triumphales Arcus prope Sacram viam extructi sunt. Propertius [1]:

Aut Regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in Sacra currere rostra via:

Horatius [2]:

Cæsarem, quandoque trahet feroceis
Per sacrum clivum, merita decorus
—— —— fronde, Sicambros.

Et [3]:

Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via.

Erat enim sub arcum Titi declivis via in Forum, ut nunc etiam apparet. Demum investigandæ viæ triumphorum conferunt triumphales, qui extant, arcus: illos enim Cæsares triumphantes subiere, cum veherentur in Capitolium.

His probe animadversis, via [4] primum in Urbe triumphalis, tum porta ipsa, minori quamquam probabilitate, perverstigatur. Nam pompa instructa in Campo Martio cum moveri cœpisset, Imperatoribus duntaxat ad portam præstolantibus, ut de Vespasiano & Tito dictum est, primum offendebat frequentissimas porticus & templa in Campo Flaminio; tum juxta Porticum Octaviam petebat Circum Flaminium, quo egressa intrabat portam Triumphalem. Hinc juxta theatrum Marcelli ad alias porticus Octaviæ nomine ab Augusto extructas ferebatur. Inde per medium Velabrum & Forum boarium veniebat ad Circum Maximum. Hinc lævorsum conversa tendebat ad Curias veteres, ubi Arcus Constantini. Unde alio flexu per Sacram viam descendebat in Forum. quod circumire necesse erat, ut frequentissimus, qui aderat populus, commode spectaret. Tum juxta templum Saturni, ubi Septimii Arcus, ascendebat, iterum flexo curru, in Capitolium. Hæc via, & circuitus Triumphalis est, quem præter Plutarchi & Josephi allata verba confirmat Suetonius in Cæsare [5]: *Gallici*, inquit, *triumphi die Velabrum prætervehens pæne curru excussus est, axe diffracto. apud Fanum Fortunæ*, ut Dion [6] adjungit. Considero rem gestam in Velabro, ubi hodie Ædes S. Georgii. Nam nisi a Velabro Cæsar venisset in Circum Maximum, sed flexo in forum curru, Capitolium ascendisset, Sacram non vidisset viam præter morem majorum. Venit ergo a porta proxima Circo Flaminio, quæ per Velabrum mitteret in Circum Maximum, ut inde conversus veniret in Sacram viam, tum Foro in Capitolium.

Jam ut tandem portæ situs [7] statuatur; hæc, quæ memoravi, Carmentali propinquam, inter Capitolium & Tiberim faciunt. Putarim etiam portam Triumphalem solum ad usum triumphorum patuisse, aliis temporibus clausam & obseratam. Innuit Marcus Tullius [8]: *Qua*, inquit, *porta introierit, modo ne Triumphali, quæ porta Macedonicis semper consulibus ante te patuit*. Innuit & religio inferendi cadaver Augusti per hanc portam. Si enim, illa semper patente, quilibet alius vel civis, vel jumentum ingredi poterat, quæ tandem religio vetabat inferre mortuum Augustum, quæ aliarum portarum aditum non prohibebat? Leves equidem conjecturæ. Sed porta solis triumphis patens eorum dignitatem augebat: ideoque vix numeratur ab antiquis, quod raro esset in usu, & postea senescente cum Imperio omnino desiit. Nam qui pro numero triumphorum portas triumphales multiplicant, & novissime consistunt in Flaminia [1], audiendi non sunt. Sicut qui Capenam faciunt, ut Pomponius Lætus, in vita Diocletiani. *Inferebantur*, inquit, *fere omnes Triumphi via Appia, porta Capena*. Quod & Fulvius scripsit. Placet porro in rem conclusio Martialis:

Hæc est digna tuis, Germanice, porta Triumphis;
Hos aditus Urbem Martis habere decet.

1 Lib. 2. Elegia 2. de Triumpho Augusti. 2 Libro 4 Oda 2. 3 Et lib. 2. Epodon. Oda 7. 4 Via Triumphalis. 5 Cap. 37. 6 Lib. 43. 7 Porta Triumphalis ubi esset. 8 Orat. in Pison.

1 Nec porta Flaminia; nec Capena est Triumphalis.

CAP. XXIII.

Viæ Urbis.

VIÆ, ut ait Varro, *qua vehebantur dictæ: qua anguste, semita, ut semiiter dictum*. Quod si neque vehiculum, neque jumentum ea inire possit, *iter magis quam via videbitur*, ut habetur ff. tit. 1. de Servit. L. si tam angusti. Eodem enim teste Varrone, *Iter est, quod eundo teritur*. At *vici* [1], ut idem habet, *a via, quod ex utraque parte viæ sunt ædificia*. Jam Urbs condita & aucta sub Regibus vicos viasque meliori forma direxisse credenda est, quam post Gallicum incendium. Quia etsi tunc opes angustæ erant, non tamen prohibebant, quominus ex mandatis Regiis per acclivia collium, & ima vallium justa dimensione producerentur viæ. Qui vero post Romulum colles Urbi addiderunt, id fecere receptis in civitatem finitimis, quos bello vicerant, populis, eorumque opibus traductis: cum Urbs muro lapideo, aggere, fossa in planioribus locis munita, exsiccata & purgata est cloacis minoribus primum, tum cloaca maxima. Quæ cura publicorum operum ostendit non omissa viarum vicorumque ornamenta. Cæterum post Gallicam cladem [2], anno Urbis trecentesimo sexagesimo quinto, *Festinatio curam exemit vicos dirigendi*, ut ait Livius [3], *dum omisso sui alienique discrimine in vacuo ædificant. & domus*, ut ait Tacitus [4], *nulla distinctione & passim erectæ. Urbs arctis itineribus, hucque & illuc flexis, atque enormibus vicis*. Ut Cicero in Rullum, *non optimis viis, angustissimis semitis*. Ut ibidem Livius: *Forma Urbis magis occupatæ, quam divisæ similis*. Innuit angustias & Martialis [5]:

Vicinus meus est, manuque tangi
De nostris Novius potest fenestris

Juvenalis [6]:

—— —— rhedarum transitus arcto
Vicorum inflexu, & stantis convicia mandræ;

Hæc deformitas & angustiæ viarum mansere usque ad Neronis principatum, [7], cum ejus flammæ reddidere, quod Gallicæ abstulerant. Nam teste Tacito [8], *dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum spatiis, ac patefactis areis ædificatio peracta est*. Nec tamen omnium vicorum angustias fuisse sublatas credibile est. Silice [9] stratæ sunt veteres illæ viæ anno Urbis conditæ quingentesimo octuagesimo. Livius [10]: *Censores vias sternendas silice in Urbe, glarea extra Urbem substruendas, marginandasque primi omnium locaverunt*. Erat autem silex, non malleis dolabrisque particulatim diffractus & concisus, uti hodie mos est, sed crassus, & in fronte latus binos, ternos, quaternosve pedes, multiplici ferme angulo perpolitus, ut aliis inæqualis crassitudinis facile committeretur, nec se commissura laxaret. Quod cum antiquarum extra Urbem viarum reliquiæ

1 Vicus quid sit. 2 Viæ Urbis flexæ & angustæ. 3 Lib. 5. 4 15. Ann. 5 Lib. 1. Epist. 87. 6 Sat 3. 7 Viæ post Neronem latæ & rectæ. 8 Loc. cit. 9 Viæ Urbis latis silicibus stratæ. 10 Dec. 5. lib. 1.

demonſtrant, tum intra Urbem ad locanda fundamenta egeſta in altitudinem ſolo obſervavimus, refoſſis una grandibus, eoque ordine coagmentatis ſubterjacentium viarum ſilicibus. De his Juvenalis [1]:

—— —— feneſtris
Vaſa cadunt, quanto percuſſum pondere ſignent,
Et lædant ſilicem —— ——

Ammianus [2]: *Per ampla ſpatia Urbis, ſubverſoſque ſilices ſine periculi metu equos agitant*. Sed quamvis eo lapide ſtratæ eſſent viæ, quas M. Antoninum diligentiſſime curaſſe teſtatur Capitolinus in vita, nihilominus propter anguſtias, planitiem, multitudinem hominum, jumentorum, vehiculorum, cœnoſas & lutulentas fuiſſe neceſſe eſt [3]. Juvenalis [4]:

Pinguia crura luto, —— ——

Martialis: [5]

Et Prætor medio cogitur ire luto.

Et alibi [6]:

Et nunquam ſicco ſordida ſaxa gradu.

Nec refragatur illo verſu Horatius [7]:

—— Puræ (ſic enim legendum)
Sunt plateæ, nihil ut meditantibus obſtet.

Quo ſignificatur puras adeo ac deterſos eſſe Romanas vias, ut etiam Poetis de carmine cogitantibus præbeant expeditum iter. Nam ille improprie loquutus de viis (plateæ enim illis latiores areæ ſunt) negat id licere in ſequentibus. Ut quamvis alicubi id forte liceret, id tamen de reliquis, aut de omnibus dicere abſurdum ſit. Quod ex eo loco, & Juvenalis citato quiſque poteſt conjicere. Nobiliores quædam viæ intra Urbem, quarum ſcriptores meminerunt, ſuis quæque locis recenſendæ ſunt.

1 Sat.3. 2 Lib.14. 3 Viæ Urbis cœnoſæ. 4 Ibidem. 5 Lib.6. Epigr.60. 6 Lib.5. cap.23. 7 Epiſt.2.lib.2.

CAP. XXIV.

Qualia fuerint Urbis ædificia, & primo antiquiſſima.

Ad intuenda Urbis ædificia neceſſe eſt in certos quoſdam ætatis gradus creſcentem Romæ domorum amplitudinem diſtinguere: ut quemadmodum L. Florus iis proceſſum Imperii diſtinxit, ita ædificandi incrementa ſejungantur. Prima ætas eſt a condita ad inſtauratam poſt Gallicum incendium Urbem per annos trecentos ſexaginta quinque. Altera ab Urbe reſtituta, uſque ad primum Auguſti conſulatum [1] annos continet trecentos quadraginta ſex. Tertia uſque ad decimum Imperantis Neronis annum, quo Urbem cremavit, annos habet centum quinque [2]. Quarta uſque ad Gothicam obſidionem, captamque Romam duce Alarico trecentos quadraginta ſeptem annos complectitur [3]. Quinta ad Juſtiniani principatus annum XXI. producta, annos comprehendit centum triginta ſeptem, qui eſt annus Urbis MCCC. eoque a Totila Gothorum Rege magna ex parte Urbs everſa, & incenſa, cives, aut expulſos, aut ad exteras regiones traductos amiſit. Sexta ætas ad noſtra uſque tempora decurrit.

Prima ætate [4] exiguas rudeſque domos habuit

1 Ann. Urb. 711. 2 Ann.Urb.816. 3 Ann. Urb. 1163. Alii 1162. Alii 1164. 4 Prima Romanorum paupertas exiguas domos habuit.

A Roma, cum ſub regibus, & poſt exactos reges regnabat nihilominus civium paupertas; atque, ut eſt apud Catonem [1], ampliſſime laudari exiſtimabatur, qui dicebatur *bonus agricola, bonuſque colonus*: & poterat agro colendo familiam & diuturnorum impendia bellorum, quæ ſine publico ſtipendio gerebantur, ſuſtinere. Itaque illi quæſiti ab aratro conſules & dictatores quas domos ædificarint, quærendum non eſt. *Quos*, ut ait Valerius [2], *pericula Reipublicæ imperatores accerſebant, anguſtiæ rei familiaris bubulcos fieri cogebant*. Et Romulus quam domum incoluerit, Mars apud Ovidium ſic admonet [3]:

B

Quæ fuerit noſtri, ſi quæris, regia nati,
Aſpice de canna ſtraminibuſque domum.
In ſtipula placidi capiebat munera ſomni;
Et tamen ex illo venit in aſtra thoro.

Idem poeta de domo Numæ ſucceſſoris [4].

Hic locus exiguus, qui ſuſtinet atria Veſtæ,
Tunc erat intonſi regia magna Numæ.

Valerii [5]: *Per Romuli caſam, perque veteris Capi-*
C *tolii* [6] *humilia tecta, & æternos Veſtæ focos fictilibus etiamnum vaſis contentos*. Idem tunc Propertii teſtificatione,

Non fuit opprobrio facta ſine arte caſa.

Quare quod ſine contignatione ac ſolario extruerentur domus, ædes appellatæ ſunt. *Ædes*, inquit Varro [7], *ab aditu dictæ, quod illas plano pede adibant*. Plani autem pedis ædificia leguntur apud Vitruvium ad contignationum differentiam: eodemque referente [8], *cum area plana poſtea non poſſet populi recipere multitudinem ad habitandum, ad altitudinem ædificiorum res ipſa coegit devenire*. Et vero,
D cum, ut ait Ovidius [9],

Juppiter anguſta vix totus ſtabat in æde,
Paſcebatque ſuas ipſe ſenator oves.
Nec pudor, in ſtipula placidam cepiſſe quietem,
Et fœnum capiti ſuppoſuiſſe fuit.
Jura dabat populis poſito modo prætor aratro;
Et levis argenti lamina crimen erat.

cum [10], ut eſt apud Valerium, *Septem jugera aridæ terræ, & voluptatis cauſa ſterile atque æſtuoſiſſimum ſolum verſabant, deliciarumque ignari vaſtiſſimas glebas plurimo cum ſudore diſſipabant*: cum
E *erant*, ut ſcribit Plinius [11], *dona ampliſſima Imperatorum & fortium civium, quantum quis uno die plurimum circumaraviſſet, & quartarii farris, aut heminæ conferente populo*, quomodo peramplas cœnationes ædificare, aut domos periſtyliis, tricliniis, conclavibus magnifice diſtinguere poterant? Caſulæ profecto & humillima tecta habuerunt vix ſoli defendendo arcendiſque imbribus idonea. *Nimirum*, ut ait Plinius [12], *ſic habitarunt illi, qui hoc imperium fecere, tantas ad vincendas gentes, triumphoſque referendos ab aratro aut foco redeuntes; quorum agri quoque minorem obtinent modum, quam cellaria iſtorum. Subit vero cogitatio, quota portio*
F *harum fuerit areæ illæ, quas invictis imperatoribus decernebant publice ad exædificandas domos; ſummuſque illarum honos erat adjici decreto, ut domus eorum fores extra aperirentur, & janua in publicum rejiceretur. Hoc erat clariſſimum inſigne inter triumphales quoque domos*. Hæc ille. Hujus ætatis opera publica paulo ampliora fuere: porticus circa forum rudes, videlicet a Tarquinio Priſco factæ:

1 De re ruſtic. 2 Lib.4. c. 4. 3 3. Faſt. 4 Lib.6. Faſt. 5 Loc. cit. 6 Ædes antiquorum humiles. 7 4. de ling. Latin. 8 Lib.2. c. 8. 9 1. Faſt. 10 Anguſtiæ, & paupertas veterum Romanorum. 11 Lib.8. c. 9. 12 Lib. 36. cap.15.

Tem-

Templum Jovis Capitolini a Tarquinio Superbo, de quo infra. Livius [1]: *Urbem quoque (Vejos) Urbi Romæ vel situ, vel magnificentia publicorum privatorumque tectorum ac locorum præponebant.*

1 Lib. 5.

Cap. XXV.

Ædificia Urbis ab incendio Gallico usque ad Augustum.

PRIMIS hisce temporibus paupertati, duritiæque rusticæ dedicatis fœda clades, & Urbis eversio supervenit, unde altera ætas initium sumit. Capta enim a Gallis, incensaque Urbs, trucidatis omnibus, præter eos, qui extra profugerant, aut confugerant in Capitolium: omnia eversa, ac solo penitus exæquata sunt. Livius de Juventute, quæ se in Arcem receperat [1]: *Quocunque*, inquit, *sonitus flammæ & fragor ruentium tectorum avertisset, paventes ad omnia animos, oraque & oculos flectebant, velut ad spectaculum a fortuna positi occidentis patriæ.* At pulsis necatisque tandem hostibus, quænam ex illo incendio renasci Roma potuerit, hæc aperte demonstrant. Cuncta erant præter Capitolium ferro & igne consumpta. Omnes, præter milites & paucos, qui ex fuga se in Urbem receperant, cæsi: res familiaris accisa: exusti vastatique circum agri: vix unde vitam ægre tolerarent, convehere poterant. *Sunt qui dicant*, scribit Festus, *post Urbem a Gallis liberatam, ob inopiam cibatus cœptos sexaginta annorum homines jaci in Tiberim. Ex quo numero unus filii pietate occultatus sæpe profuerit patriæ sub persona filii. Id ut sit cognitum, ei juveni esse ignotum, & sexagenariis vita concessa, depontanis autem senibus indita appellatio.* Hoc ut in ambiguo sit, illud certo constat ex Plutarcho in Camillo, & Livio [2], populum rerum omnium egenum, ac desperatione coactum, patribus diu obluctatum, qui censebant restituendam Urbem, ut ne inflammatam instaurare patriam cogeretur, altera pæne flamma seditionis ac civilis tumultus exarserit. Itaque malebant exilium, quam ædificationem; & Vejos, in proximam Hetruriæ urbem paulo ante captam, adnitentibus tribunis, legemque de abitu jam ferentibus, discedebant. Sed tandem Camilli dictatoris eloquentia, vocibus bene ominantibus, sacrorumque victi religionibus substitere: &, ut ait Livius, *antiquata lege Urbs promiscue ædificari cœpta. Tegula publice præbita est: saxi materiæque cædendæ, unde quisque vellet, jus factum, prædibus acceptis, eo anno ædificia perfecturos. Festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omisso sui alienique discrimine in vacuo ædificant. Ea est causa, ut veteres cloacæ primo per publicum ductæ, nunc privata passim subeant tecta, formaque Urbis sit occupatæ magis, quam divisæ similis.* Idem [3], *Et Roma*, inquit, *cum frequentia crescere, tum tota simul exurgere ædificiis, & republica impensas adjuvante, & ædilibus velut publicum exigentibus opus, & ipsis privatis (admonebat enim desiderium usus) festinantibus ad effectum operis, intraque annum nova urb stetit.* Et: *nulla distinctione, & passim erectæ domus*, ut ait Tacitus [4]. Ex quo intelligere quisque potest, Romam ab egentibus, & publica privataque calamitate oppressis, festinanter sine lege ductuque artificum plerisque ædificantibus, domos non ad splendorem & luxum, sed ad necessitatem vitamque imbricibus ac tectis ab injuria temporum defendendam habuisse. Quare ingeniose magis quam vere de Gallico incendio L. Florus [5]: *Pastorum casas ignis ille & flamma paupertatem Romuli abscon-*

1 Lib. 5. 2 Ibidem. 3 Lib. 6. 4 Ann. 15. 5 Lib. 1. cap 13.

A *dit.* Casæ enim, ut ante, minore etiam directura redierunt, arcta itinera, *bucque & illuc flexi & enormes vici*, ut ait Tacitus [1]: *Deformitas ædificiorum, angustiæ, flexuræque vicorum*, ut Suetonius [2]: *Suspensa urbs, non optimis viis, angustissimis semitis*, ut Cicero [3]: *nixæ cloacis subeuntibus domus.* Et, *forma Urbis occupatæ magis, quam divisæ similis*, ut Livius. In hac ætate per annos amplius ducentos quadraginta nihil privatim magnifice extructum reperi: pauca etiam publice, præter substructionem Capitolii. Nam secundo post cladem acceptam anno, *Capitolium saxo quadrato substructum est, opus vel in hac Urbis magnificentia conspiciendum*, ut ait
B Livius [4]. Quæ sane substructio non exornando Jovis templo, sed monti & areæ sustinendæ, ut tutior esset adversus hostem, facta est. Quod ad privata ædificia pertinet, crescere illa non sinebat paupertas, quæ a majoribus recepta adhuc erat in pretio apud posteros. Exiguus enim ex auro census, & rarus usus argenti. Ideo *Cornelius Rufinus duobus consulatibus & dictatura speciosissime functus, quod decem pondo vasa argentea comparasset, a Fabricio censore Senatu motus est*, teste Valerio [5]: *Manii Curii post triumphos*, ait Plinius [6], *immensumque terrarum adjectum imperio, nota concio est: perniciosum intelligi civem, cui septem jugera non essent sa-*
C *tis. Hæc autem mensura plebi post exactos reges assignata est.* Jugerum autem, ut ibidem, vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari posset. Juvenalis [7]:

Mox etiam fractis ætate ac Punica passis
Prælia, vel Pyrrhum immanem, gladiosque Molossos,
Tandem pro multis vix jugera bina dabantur
Vulneribus. merces hæc sanguinis atque laboris.
Nullis visa unquam meritis minor, aut ingratæ
Curta fides Patriæ. saturabat glebula talis
D *Patrem ipsum turbamque casæ: qua fœta jacebat*
Uxor, & infantes ludebant quatuor, unus
Vernula, tres domini: sed magnis fratribus horum
A scrobe vel sulco redeuntibus, altera cœna
Amplior, & grandes fumabant pultibus ollæ.
Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.

Idem indicat, quod pro tegula tabellis ligneis domus contegebantur, quæ dicuntur scandulæ. Plinius [8]: *Scandula contectam fuisse Romam ad Pyrrhi usque bellum annis CCCCLXX. Cornelius Nepos auctor est.* Denique, teste Vellejo [9], *Q. Cæcilius Me-*
E *tellus primus omnium Romæ ædem ex marmore in iis ipsius monimentis molitus vel magnificentiæ vel luxuriæ princeps fuit.* Quod actum est post ejus triumphum de Pseudophilippo anno Urbis sexcentesimo septimo, post incendium Gallicum ducentesimo quadragesimo secundo. *Hic est Metellus Macedonicus*, ait idem, *qui porticus* [10], *quæ fuere circundatæ duabus ædibus sine inscriptione positis, quæ nunc Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat, quique hanc turmam statuarum equestrium, quæ frontem ædium spectant, hodieque maximum ornamentum ejus loci, ex Macedonia detulit.* Et cum Scipio Nasica item porticus in Capitolio, Cn. Octavius in circo mo-
F liti essent; *publicam magnificentiam*, ut idem Vellejus est auctor [11], *secuta privata luxuria est.* Adhuc tamen principes civitatis modicas ædes, tum ex tradita consuetudine, tum ex Romana vivendi frugalitate habitabant. Ut de reliquis conjectura fiat, quibus tenuis census, aut plebeja generis humilitas erat. Catoni consulari censorique penates angusti fuere. Pompejo

1 Ann. 15. 2 In vita Neronis. cap. 38. 3 2. Agraria in Rullum. 4 Lib. 6. 5 Libro 2. cap. 4. 6 Lib. 18. cap. 3. 7 Sat. 14. 8 Lib. 16. cap. 10. 9 Lib. 1. 10 Ubi nunc Ædes S. Mariæ cognomento in Porticu. 11 Lib. 2.

ante tertium triumphum parva domus in Carinis: ampliorem que factam ingressus Pompeii sector Antonius quæsivit, ubinam cœnarit Pompejus Magnus. M. Crassus ille ditissimus Romanorum angustis in ædibus duobus cum fratribus est educatus. Auctor Plutarchus in eorum vita. Idem in Paulo Æmilio, & Valerius [1] de Æliis patriciis: *Sexdecim eodem*, inquit, *tempore Ælii fuerunt, quibus una domuncula fuerat eodem loci, quo nunc sunt Mariana monumenta, & unus in agro Vejente fundus*. Eadem gens *nullum ante scrupulum argenti habuit, quam Paulus, Perse rege devicto, Q. Ælio Tuberoni genero suo quinque pondo argenti ex præda donaret*. Cæsar, teste Suetonio, *modicis ædibus habitavit in Suburra*; & Augustus *in Palatio modicis ædibus Hortensianis, & neque laxitate, neque cultu conspicuis, ut in quibus porticus breves essent Albanarum columnarum* (hunc lapidem forte hodie *Piperinum* vulgo nuncupant) *& sine marmore ullo, aut insigni pavimento conclavia; ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hyeme & æstate mansit* dominus terrarum. Lepidi consulis triginta quinque annis ante Augustum consulem dicitur a Plinio [2] Romæ domus pulcherrima fuisse. Quod si hujus domus quæris ornamenta, hæc invenies apud eumdem eodem libro [3], columnas crustasque Numidici marmoris ejusdemque solidas glebas & massam in liminum usu. Sed anno Urbis DCLXII. ante primum Augusti consulatum quadragesimo nono, ut idem refert Plinius [4] & Valerius [5], L. Crasso oratori magnifica domus fuit in Palatio. Nam præter sex lotos arbores ibi consitas, *columnas quatuor Hymettii marmoris, ædilitatis gratia ad scenam ornandam advectas in ejus atrio statuerat, cum in publico nondum essent ullæ marmoreæ*: ideoque a Cn. Domitio una censuram gerente graviter reprehensus, eademque de causa Crassus *Venus Palatina* a Bruto dictus est. *Tam recens*, pergit Plinius, *est opulentia*; qui post centum sexaginta sex annos hæc scribebat, principe Vespasiano anno Urbis DCCCXXVIII.

Jam si hac tempestate modica privata ædificia fuere, quid publica? nempe templa, porticus, basilicæ ad æternitatem factæ ex manubiis provinciarum, ex dono pecuniaque ditissimorum populorum. Sed neque superiori, vel hac ferme tota ætate ædes publicæ ea forma & amplitudine sunt extructæ, quam forte animo amplectimur, & multi haud perinde docti eruditique inaniter prædicant. Nam anno Urbis DCLXII. cum censor Crassus eas columnas Hymettii marmoris habebat in atrio, *in publico*, ut ait Plinius [6], *nondum erant ullæ marmoreæ*. Non ergo inusitata erat ædificiorum species, quæ tunc sola compage murorum, pilarumque lateritia firmitate constabant, aut columnis nitebantur ex Albano lapide, vel Tiburtino. Livius [7]: *Alii*, inquit, *speciem ipsius Urbis nondum exornatæ, neque publicis, neque privatis locis: alii singulos Principum eluderent*. Quod actum est anno Urbis DLXXII. Plutarchus in comparatione Periclis & Fabii: *Ædificia*, inquit, *quibus Pericles Athenas exornavit, cum omnibus, quæcumque ante Cæsares Roma habuit, non sunt conferenda; sed longe lateque sine ulla comparatione, magnificentia, & nobilitate præ his obtinent illa primas*. Templa vero ferme modica fuerunt & angusta, cujusmodi aliqua adhuc extant prope ripam Tiberis in foro Boario veteri. Templum Feretrii Jovis quindecim pedes longum, teste Dionysio fuit, id est, palmos recentes Romanos viginti. In Foro Romano aliquot basilicæ, multa erant templa, utique non magna, ut locus caperet. Illud ipsum Capitolium omnium delubrorum, religionum, sacrorum caput, deorum, ut ajebant, domicilium, & alterum Jovis fulminantis cœlum, pilis latere coctili dealbatis tres in partes divisum sustinebatur, ut Dionysius [1], & pari propemodum longitudine ac latitudine, quindecim dumtaxat latitudini detractis, patebat ducentos pedes: id est, ducentos sexaginta sex palmos, & bessem, vel uncias octo.

Sed quanto majora templa Romæ, vel magni Constantini potentia, vel deinceps maximorum Pontificum religio, vel purpuratorum Principum munificentia, vel privatorum civium liberalitas molita est? Capitolinus vero, Romanorum Deorum Augustus, fuit in templo

Fictilis, & nullo violatus Juppiter auro.

Ut cæteros deos, vilem scilicet sordidamque plebeculam, non puderet a figulo regi. Ideoque postea dixere Romani:

Fictilibus crevere Deis hæc aurea templa.

Igitur quamvis superstitiosum populum ædium sacrarum cultus splendorque vehementer urgeret; tamen quia bellicarum expeditionum, repurgandi Urbem, solemnes edendi ludos, imperium propagandi cura detinebatur, alio majores sumptus machinasque converterat. *Cum in condendis ædificiis*, ait Strabo [2], *Græci acuti maxime ac solertes fuisse videantur, cum pulchritudinem & munimentum ingeniose prospicerent, portusque & agri feracitatem; Romani ea maxime animadverterunt, quæ illi neglexere, strata videlicet viarum, aquæductus, cloacas, quibus civitatis sordes in Tiberim eluerentur. Cernere licet stratas in agro vias, excisis ad hæc collibus, exaggeratis vallibus, unde navigiorum onera plaustris exciperentur. Cloacæ duro cameratæ lapide pervias carris stramentorum semitas reliquerunt*. demum adjungit: ὡς δὲ εἰπεῖν οἱ παλαιοὶ μὲν τοῦ κάλλους τῆς Ῥώμης ὠλιγώρουν, πρὸς ἄλλοις μείζοσι καὶ ἀναγκαιοτέροις ὄντες. οἱ δὲ ὕστερον, καὶ μάλιστα οἱ νῦν καθ' ἡμᾶς, οὐδὲ τούτου καθυστέρησαν, ἀλλ' ἀναθημάτων πολλῶν καὶ καλῶν ἐπλήρωσαν τὴν πόλιν. *Ut in summa dicam, Antiqui pulchritudinem Romæ parvi fecerunt, cum in majoribus & magis necessariis versarentur. Posteri autem, & maxime nostra ætate* (scripsit autem ætate Augusti) *neque huic defuerunt, sed monumentis donariisque multis ac præclaris impleverunt Urbem*. Itaque Plinius [3], *Senes*, inquit, & de ævo Cæsaris loquitur, *aggeris vastum spatium & substructiones insanas Capitolii mirabantur; præterea cloacas, operum omnium dictu maximum, suffossis montibus, Urbe pensili subterque navigata*. Quid? hæc tria admiranda, aggerem, substructiones Capitolii, cloacas Urbs tantum continebat, quæ deinceps fuit universa miraculum? Ita sane. Sed neque hæc laudavit Cyneas Pyrrhi Epirotarum regis legatus, qui Romana omnia curiosius contemplatus, populi multitudinem Lernææ instar hydræ renascentem, & senatum Regum in Urbe suspexit, præterea nihil. Accedebat aliud non leve deformitatis argumentum. Nam affluente multitudine, cum propter religionem nec produci pomœrium, nec Urbis mœnia dilatari possent, necesse habebant domos in magnam altitudinem attollere. Cum vero Urbs septem colles vallesque intermedias complecteretur, alia jacebant in subjectis vallibus, alia editissima his imminebant e montibus ædificia, semitis viisque duntaxat peranguistis interpositis. Quo inobscuratæ civium ædes, vicique publici tenebricosi & offusi caligine solis apertam lucem accipere prohibebantur. Hoc Aristides [4] indicat, cum in septicolli ambitu plures & alias aliis impositas Urbes enumerat. Quamquam hoc laudi vertat, laxatis præsertim illo ævo viarum spatiis, domibusque magnifice extructis.

1 Lib. 4. c. 4. 2 Lib. 36. cap. 15. 3 cap. 6. 4 Lib. 17. cap. 1. 5 Lib. 9. c. 1. 6 Loc. cit. 7 Dec. 4. lib. 10.

1 Lib. 4. 2 Lib. 5. 3 Lib. 36. cap. 15. 4 In Encomio Urbis.

Idem significat Tacitus [1]: *Impetu pervagatum incendium plana primum, deinde in edita surgens, obnoxia Urbe, arctis itineribus, hucque & illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit.* Juvenalis [2]:

> *Quod spatium tectis sublimibus? unde cerebrum*
> *Tecta ferit, quoties rimosa & curta fenestris*
> *Vasa cadunt,* —— ——

Idem [3]:

> —— —— *rhedarum transitus arcto*
> *Vicorum inflexu, &c.*

Inter hæc incommodæ deformitatis indicia, unum erat Urbi exornandæ non leve momentum, nempe statuarum copia, quas primus M. Marcellus captis Syracusis intulerat, ac post illum e Græciæ Asiæque urbibus Imperatores pari contentione congesserant. *Mummius*, inquit Plinius, *devicta Achaja, replevit Urbem.* Multa & Luculli invexere. Quintus Metellus Macedonicus statuas equitum Alexandri Magni, & ipsius Regis a Lysippo factas maximum Urbis ornamentum, ut scribit Vellejus [4], ex Macedonia detulit, & primus omnium Romæ, ut dicebam, domum ex marmore molitus, eas ita collocavit, ut frontem ædium aspicerent. Atqui non multo post, nempe anno Urbis DCXXIX. *Censores L. Cassius Longinus & Cn. Servilius Cœpio*, ut scribit Vellejus [5], *Lepidum Ælium augurem, quod sex millibus ædes conduxisset, adesse jusserunt. At nunc si quis*, inquit, *tanti habitet, vix ut senator agnoscitur. Adeo mature a rectis in vitia, a vitiis in prava, a pravis in præcipitia pervenitur.* Scribebat autem Vellejus Paterculus Tiberio Principe.

At anno Urbis DCLXII. cum domus Crassi oratoris, ut ajebam, laudabatur in Palatio: *Aliquanto præstantior*, ait Plinius lib.17.cap.1. *in eodem Palatio Q. Catuli, qui Cimbros cum Cajo Mario fudit. Multo vero pulcherrima consensu omnium ætate ea in Colle Viminali C. Aquilii equitis Romani, clarioris illa etiam, quam juris civilis scientia, cum tamen objecta Crasso sua est.*

In fine hujus ætatis domus ædificari cœptæ magnificæ, ac nobiles: Nam domus illa M. Lepidi, quia pulchrior Romæ nulla fuit anno Urbis MDLXXVI. intra annos triginta quinque centesimum locum teste Plinio [6] non obtinuit; nempe ad annum Urbis DCCXI. & primum Augusti consulatum, a quo nos tertiam ætatem ædificandi auspicamur. Quo etiam tempore Capitolium, quod bello civili arserat, columnis e templo Jovis Olympici advectis, a Sylla restitutum, æreis tegulis inauratis Q. Catulus obtexit, perfectumque magnificentissime dedicavit.

1 15.Ann. 2 Sat.3. 3 Lib.1. 4 Lib.2. 5 Plin. lib.36. c.6. habet 666. ubi erratum est 10. annis. 6 Lib.36. cap.15.

CAP. XXVI.

Ædificia Urbis ab Augusto ad Neronianum incendium.

TERTIA igitur hac ætate, Augusto Principe, quam stabilita imperio, tam pulcherrimorum ædificiorum accessione decorata Roma est. Superiori ætate jam inclinante laudabantur porticus Scipionis Nasicæ in Capitolio, Metelli, Octavii, & Minucii, de quibus dixi. Pompejus autem Urbem novissime ornaverat extructo theatro, porticu, domo, basilica: tum Paulus Æmilius basilica Phrygiis columnis admirabili: tum Cæsar pulcherrimo foro, *qui de ornanda instruendaque Urbe plura ac majora in dies destinabat, nisi talia meditantem mors*, ut ait Suetonius [1], *prævenisset.* Quæ omnia perfecit Augustus. Tacitus [2]: *Urbem ipsam magnifico fico ornatu: pauca admodum vi tractata ab Augusto.* Strabo [3], *Pompejus*, inquit, *& D. Cæsar & Augustus, ejusque filii, & familiares, & uxor, & soror cunctorum studium simul, & impensas ad comparanda decora superarunt.* Suetonius in Augusto [4]: *Urbem pro majestate imperii ornatam, & inundationibus incendiisque obnoxiam excoluit; publica opera plurima extruxit. Sed & cæteros viros hortatus est, ut pro facultate quisque monimentis vel novis, vel refectis & excultis Urbem adornarent; multaque a multis extructa sunt, præsertim ab Agrippa.* Dion [5]: *Agrippa ultro ædilis factus est, omniaque ædificia publica, omnes vias privatis impendiis refecit: cloacas expurgavit, ac per eas in Tiberim subvectus est.* Livius [6]: *Augustum Cæsarem Templorum omnium conditorem aut restitutorem vocat.* Ovidius [7]:

> *Sub quo delubris sentitur nulla senectus.*
> *Nec satis est homines, obligat ille Deos.*
> *Templorum positor, templorum sancte repertor,*
> *Sit superis opto mutua cura tui.*
> *Dent tibi cœlestes, quos tu cœlestibus annos;*
> *Proque tua maneant in statione domo.*

Idem referente Suetonio [8], *Spatium Urbis in regiones quatuordecim vicosque supra mille divisit, instituitque, ut illas annui magistratus sortito tuerentur. Adversus incendia excubias nocturnas vigilesque commentus est. Ad coercendas inundationes alveum Tiberis laxavit ac repurgavit, completum olim ruderibus & ædificiorum prolapsionibus coarctatum.* Idem, ne tanta domorum dissimilitudo esset, quod aliæ deprimerentur in valles, aliæ attollerentur in colles, edicto cavit, ut ait Strabo [9]: *Nequis supra pedes septuaginta*, hoc est, nostrates palmos nonaginta tres & trientem sive uncias quatuor, *ædificaret.* Idemque postea sanxisse Neronem affirmat Tacitus; quamquam certam altitudinem suppressit. At Trajanus, ut ait Aurelius Victor, & idem affirmans Eutropius, *majorem sexaginta pedibus, nempe octuaginta palmis, altitudinem inhibuit.* Etsi ad Romanosne solos id pertineat, an provinciales, an utrosque, dignosci non plane queat. *Tiberis*, inquit Aurelius Victor in Trajano, *inundavit magna clade ædium & terræmotus gravis per provincias multas, atroxque pestilentia, famesque, & incendia facta sunt. Quibus omnibus Trajanus per exquisita remedia plurimum opitulatus est, statuens, ne domorum altitudo sexaginta superaret pedes ob ruinas faciles, & sumptus, si quando talia contingerent, exitiosos.* Tacitus sic domorum altitudinem expressit [10]: *Nec sisti*, inquit, *poterant scandentes per conjuncta ædificia, quæ, ut in multa pace, in altum edita, solum Capitolii æquabant.* Significat autem, ab ima valle, in qua erat forum Romanum, erecta ædificia præaltis tectis æquasse solum collis Capitolini; & loquitur de parte montis, in qua fuit Jovis templum, editissima, & Tarpejo saxo proxima. Cæterum vigebat sub Augusto studium ædificandi non modo in principibus, quos ille suo exemplo ac persuasione excitaverat, sed etiam in cæteris. Strabo [11]: *Δι' ἣν ἐπὶ τοσοῦτον αὐξηθεῖσα ἡ πόλις ἀντέχει τοῦτο μὲν τροφῇ, τοῦτο δὲ ξύλοις καὶ λίθοις πρὸς τὰς οἰκοδομάς, ἃς ἀδιαλείπτως ποιοῦσιν αἱ συμπτώσεις, καὶ ἐμπρήσεις, καὶ μεταπράσεις, ἀδιάλειπτοι καὶ αὗται οὖσαι. καὶ γὰρ αἱ μεταπράσεις ἑκούσιοί τινες συμπτώσεις εἰσί, καταβαλόντων καὶ ἀνοικοδομούντων πρὸς τὰς ἐπιθυμίας ἕτερα ἐξ ἑτέρων. Quam ob causam tantum aucta civitas sufficit, tum ad cibatum, tum lignis*

1 Cap. 44. 2 Lib. 1. Annal. 3 Lib. 5. 4 Cap. 28. 5 Lib.49. 6 Dec 1. l.4. 7 2. Fast. de eodem. 8 Cap. 30. 9 Lib.15. 10 Lib.3. Hist. 11 Lib.5.

& lapidibus ad ædificia, quæ continenter faciunt ruinæ, & incendia, & indesinenter venditarum domorum extructiones: hæ enim voluntariæ quædam ruinæ sunt, civibus ex aliis ædes diruentibus, & pro libito ædificantibus. Eorundem incendiorum, prolapsionum, & structurarum, quæ sequentes ætates etiam tenuere, cum alii, tum Juvenalis meminit [1]:

> *Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non*
> *Deterius credas horrere incendia, lapsus*
> *Tectorum assiduos, ac mille pericula sæva*
> *Urbis? &c.*

Deinde:

> *Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat,*
> *Axis, & eversum fudit super agmina montem,*
> *Quid superest de corporibus? &c.*

Plinius in Panegyrico: *Itaque non ut ante immanium transvectione saxorum Urbis tecta quatiuntur. Stant securæ domus, nec jam templa nutantia*. Quæ pertinent ad posteriora Domitiani tempora. Neque minor successoribus Augusti cura ædificandi fuit; nam & palatium Tiberiana domo Tiberius auxit: *Ædes Deum vetustate aut igni abolitas, cœptasque ab Augusto, Libero, Liberæ, & Cereri, & Flora juxta circum maximum, & Jano apud forum olitorium dedicavit: Spei autem ædem Germanicus*, ut scribit Tacitus [2]. tum Cajus Cæsar *sua domo Urbem cinxit*, ut ait Plinius [3]. Et cives immensæ laxitatis domos peregrino marmore vestiebant; cum primus Mamurra eques Romanus vel Catulli convicio nobilitatus, *totius domus suæ in Cœlio monte parietes crusta marmoris* operuerit, ac *totis ædibus nullam nisi e Carystio aut Lunensi marmore columnam* habuerit, ut ait Plinius [4]. Hac eadem ætate, deficiente jam altera, publicis ædificiis ornata est admirabiliter civitas: duobus foris, Cæsaris, & Augusti: tribus theatris, Pompeii, Marcelli, Balbi: amphitheatro Statilii Tauri: porticibus, basilicis, balneis, innumerabilibus fontibus tum stagnantibus, tum salientibus. Plinius: *Agrippa in ædilitate sua, adjecta Virgine aqua, cæteris corrivatis atque emendatis, lacus DCC. fecit: præterea salientes CV. castella CXXX. complura etiam cultu magnifica: operibus iis signa CCC. ærea aut marmorea imposuit, columnas ex marmore CCCC. eaque omnia annuo spatio*. Deinde Claudius quartus ab Augusto perductos Cæruleum & Curtium fontes, & Anienis rivum divisit in plurimos & ornatissimos lacus. Denique moriens Augustus jure gloriatus est, Urbem se marmoream relinquere, quam lateritiam accepisset. Ut esset pretiosior servitus civitatis; atque ex civibus reges facere videretur, quibus regias insignes e marmore ipse fecisset.

1 Sat. 3. 2 Lib. 2. Annal. 3 Lib. 36. cap. 15. 4 Lib. 36. cap. 6.

CAP. XXVII.

Ædificia Urbis a Neronis incendio ad Honorium Cæsarem, sub quo a Gothis capta est.

VERUM in tanto decorum apparatu adhuc angustiæ illæ flexuræque vicorum manebant. domus pleræque non directæ ad lineam, non conversæ ad normam, fortuito potius natæ, quam prudentia conditoris. Itaque Nero teste Suetonio [1]. *Quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, & angustiis flexurisque vicorum incendit Urbem*. Quo præsertim incendio accidit, *quod*, referente Seneca [2], *ajebat Timagenes fœlicitati Urbis inimicus, Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret meliora resurrectura, quam arsissent*. Nam *cum in quatuordecim regiones Roma divideretur, quatuor integræ mansere, tres solo tenus dejectæ, septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, semiusta*, ut ait Tacitus [1]. Confestim tamen Urbs multo pulchrior quarta jam ædificationis ætate, decimo Neronis anno, suis resurrexit e flammis. Nam, ut idem Tacitus, *domus non ut post Gallica incendia nulla distinctione, vel passim erectæ; dimensis vicorum ordinibus & latis viarum spatiis, cohibita ædificiorum altitudine, affabre factis areis, additisque porticibus, quæ frontem insularum protegerent. Eas porticus Nero sua pecunia extructurum, purgatasque areas dominis traditurum pollicitus est. Addidit præmia pro cujusque ordine, & rei familiaris copiis, finivitque tempus, intra quod effectis domibus aut insulis adipiscerentur. Ruderi accipiendo Hostienses paludes destinabat, utque naves, quæ frumentum Tiberi subvectassent, onustæ rudere decurrerent. Ædificiaque ipsa certa sui parte sine trabibus saxo Gabino Albanoque solidarentur, quod is lapis igni impervius est. Jam aqua privatorum licentia intercepta, quo largior & pluribus in locis in publicum flueret, custodes; & subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet; nec communione parietum, sed propriis quoque muris ambirentur. Ea ex utilitate accepta decorem quoque novæ Urbi attulere. Erant tamen qui crederent veterem illam formam salubritati magis conduxisse; quoniam angustiæ itinerum & altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur. At nunc patulam latitudinem, & nulla umbra defensam graviore æstu ardescere*. Tunc Nero *non in alia re damnosior quam in ædificando*, ut ait Suetonius, *domum a Palatio Esquilias usque, antea factam & incendio absumptam, refecit*, parique nomine *auream* nominavit. cujus tanta fuit laxitas, ut Roma pæne fieret domus Principis, quæ nihilominus humani generis capax relinquebatur. Hæc vero est ætas, qua pulchritudinem Urbis vix cogitando assequi licet, nedum narrando exprimere. tantus inerat ædificiis splendor & luxus. Tacitus [2]: Nero *extruxit domum, in qua haud perinde gemmæ & aurum miraculo essent, solita primum & luxu vulgata*. Quare etsi teste Suetonio [3] cuncta ibi distincta gemmis unionumque conchis erant; admirationi non fuere, usu luxuque vulgata. Plinius [4] stratas argento mulierum balineas reprehendit. Seneca de balneis loquens [5]: *Pauper*, inquit, *sibi videtur, ac sordidus, nisi parietes magnis pretiosis orbibus refulserunt; nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta; nisi illis undique operosa, & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur; nisi vitro absconditur camera; nisi Thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas nostras circumdedit, in quas multa sudatione corpora exinanita demittimus; nisi aquam argentea epistomia fuderunt: & adhuc plebejas fistulas loquor. Quid cum ad balnea libertinorum pervenero [6]? quantum statuarum, quantum columnarum est, nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum impensæ causa? quantum aquarum per gradus cum fragore labentium? Eo deliciarum pervenimus, ut nisi gemmas calcare velimus. Quid loquar*, inquit idem, *marmora quibus templa, quibus domus fulgent? quid lapideas moles in rotundum ac læve formatas, quibus porticus & capacia populorum tecta suscipimus?* Et rursus: *Delectant nos ingentium maculæ columnarum, sive ex Ægyptiis arenis, sive ex Africæ solitudinibus advectæ, porticum aliquam vel capacem populi cœnationem ferunt. Miramur parietes tenui marmore inductos, & cum auro tecta perfundimus,*

1 Cap. 38. 2 Epist. 41.

1 Lib. 15. Annal. 2 Loc. cit. 3 In vita Neronis cap. 32. 4 Lib. 33. cap. 12. 5 Epist. 86. 6 Luxus ædificiorum Romanorum.

quid aliud, quam mendacio gaudemus? Idem[1]: *Deinde in ipsas domus impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum respondeat nitor.* Idem[2]: *Versatilia cœnationum laquearia ita coagmentant, ut subinde alia facies, atque alia succedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur.* Ibidem de priscis loquens, *Non habebant*, inquit, *domos instar Urbium.* Et[3]: *quorum tecta nondum auro fulgebant, quorum templa nondum gemmis renidebant.* Idem de Ira[4]: *Hi nempe oculi, qui non ferunt, nisi varium, ac recenti cura nitens marmor; qui mensam nisi crebris distinctam nævis; qui nolunt domi nisi auro pretiosa calcare.* Ammianus de Constantio Romam invisente loquens[5], *Perque omne latus*, inquit, *quo se oculi contulissent, miraculorum densitate perstrictus.* Plinius[6]: *Ad Urbis nostræ miracula transire conveniat, & sic quoque terrarum orbem victum ostendere. Quod accidisse toties pæne, quot referentur miracula, apparebit. Universitate vero acervata, & in unum quemdam cumulum conjecta, non alia magnitudo exurget, quam si mundus alius quidam uno in loco uniretur.* Et deinde: *Computet in hac æstimatione qui volet marmorum molem, opera pictorum, impendia regalia, & cum pulcherrima laudatissimaque certantes centum domos, posteaque eas ab innumerabilibus aliis in hanc diem victas.* Juvenalis[7]

Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget,
Porticibus? quanta nemorum vectetur in umbra?
Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes?

Et[8]:

Quod spatium tectis sublimibus? &c.

Statius de civili domo[9]:

—— pandit nitidos domus alta penates.
Claraque gaudentes plauserunt limina cycni.
Digna Deæ sedes nitidis nec sordet ab astris.
Hic Libycus Phrygiusque silex, hic dura Laconum
Saxa virent: hic flexus onyx, & concolor alto
Vena mari, rupesque nitent, queis purpura sæpe
Oebalis, & Tyrii moderator livet aheni.
Pendent innumeris fastigia nixa columnis:
Robora Dalmatico lucent satiata metallo:
Excludunt radios sylvis decussa vetustis
Frigora: perspicui vivunt in marmore fontes.
Nec servat natura vices; hic Syrius alget,
Bruma tepet, versumque domus sibi temperat annum.

Eodem libro admiranda privati balnei admirabili carmine sic refert:

Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura: sola cavo Phrygiæ quam Synnados antro
Ipse cruentavit maculis lucentibus Atys:
Quasque Tyrus niveas secat, & Sidonia rupes.
Vix locus Eurotæ viridi, cum regula longo
Synnada distinctu variat; non lumina cessant:
Effulgent cameræ[10], vario fastigia vitro
In species animosque nitent. Stupet ipse beatas
Circumplexus opes, & parcius imperat ignis.
Nil ibi plebejum: nusquam Temesea notabis
Æra, sed argento fœlix propellitur unda,
Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat
Delicias mirata suas, & abire recusat.

Hic inter cætera ornamenta vitreæ cameræ laudantur.

De his Plinius[11]: *Pulsa deinde ex humo pavimenta in cameras transiere, e vitro: novitium & hoc inventum.* A tum de Agrippa: *non dubie vitreas in thermis facturus cameras, si prius inventum id fuisset: aula parietibus scenæ, ut diximus, Scauri pervenisset in cameras.* Martialis de thermis Tuccæ[1]:

Idem beatas lautus extruit thermas,
De marmore omni, quod Carystos invenit,
Quod Phrygia, sive Afra quod Nomas mittit,
Et quod virenti fonte lavit Eurotas.

Additum parietibus aliud ornamentum, pictura. Plinius[2]: *Sed nulla gloria artificum est, nisi eorum, qui tabulas pinxere; eoque venerabilior* B *apparet antiquitas. Non enim parietes excolebant dominis tantum, nec domos uno in loco mansuras, quæ ex incendiis rapi non possent. nondum libebat parietes totos pingere.* Præterea columnarum in iis præcipuus decor. Juvenalis[3]:

Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgat, & algentem rapiat cœnatio solem.

Julius Capitolinus de domo privati civis, in vita Antonini Pii. *Cum domum*, inquit, *Omuli visens, mirasque columnas porphyreticas, requisisset, unde eas* C *haberet.* Flavius Vopiscus in vita Taciti Imperatoris: *Domum suam*, inquit, *destrui præcepit, atque in eo loco, thermas publicas fieri privato sumptu jussit. Columnas centum Numidicas pedum vicenum ternum Hostiensibus dari.* Hæc illi privato fuit. Julius Capitolinus de domo suburbana Gordianorum[4]: *Villa eorum via Prænestina ducentas columnas uno peristylo habens, quarum quinquaginta Charisteæ, Claudianæ quinquaginta, quinquaginta Synnades, Numidicæ pari mensura sunt. In qua basilicæ centenariæ tres. Cætera huic operi convenientia, & thermæ quales præter Urbem, ut tunc nusquam in orbe terrarum.* Ex quibus publica opera postea sumptu D Cæsarum perfecta æstimare quisque poterit.

Cæterum ut hujus ætatis successu in ædificando constet[5], sublato Nerone, & Galba, ignibus bellorum civilium, quibus Otho & Vitellius arserant, conflagravit & Roma. Quam mox deformem incendiis ac ruinis Vespasianus, teste in ejus vita Suetonio, *Instauravit, vacuas areas occupare, & ædificare si possessores cessarent, cuicunque permisit.* Ipse Capitolium, amphitheatrum, templum Pacis, alia extruxit. Rursus graviora sub Tito incendia extitere. Sed ille amor ac deliciæ generis humani, nihil nisi sibi publice periisse testatus, cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis de- E stinavit: dumque enixe restituit, intempestiva morte præventus Domitiano rapaci ac sævo reliquit imperium. Cui, cætera fratris dissimili, non defuit tamen cura instaurandæ exornandæque Urbis: justioreque titulo, cum Sarmaticus, Germanicus, Dacicus dicebatur, dici poterat ædificator. Hic præter Capitolium jam tertio refectum, templa pulcherrima passim erexit: plurima & amplissima incendio consumpta restituit: nova & ornatissima excitavit: &, quod maximum decorem Urbi attulit, vias laxavit institorum mercatorumque tabernis & officinis artificum occupatas. Illa enim tempestate cum F ex omnibus terrarum plagis in hanc communem gentium sedem patriamque convolarent, exundante tum hominum multitudine, tum copia rerum, cauponum, laniorum, tonsorum, librariorum, cæterorumque opificum pilæ, tentoria, tabernæ, domorum parietibus in publico affixæ, magnam viarum partem perpetuis veluti nundinis insederant; ut exigua, angusta, & cœnosa semita celeberrimis relinqueretur in locis, quæ ægre cives incedere, sel-

1 Epist. 104. 2 Epist. 90. 3 De Consol. ad Helviam cap. 10. 4 Cap. 35. 5 Lib. 16. 6 Lib. 36. cap. 15. 7 Sat. 4. 8 Sat. 3. 9 Sylv. lib. 1. 10 Cameræ e vitro. 11 Lib. 36. cap. 15.

1 Ep. 77. l. 9. 2 Lib. 35. cap. 10. 3 Sat. 7. 4 In Gord. Jun. 5 Alia habet J. Lipsius lib. 3. de Magnitud. Rom. c. 4. & 8. Buleng. & Imper. Rom. c. 1.

las lecticasque ferre vectores, currus & pilenta agere aurigæ, ingentium marmorum lapidumque pondera vectibus, carris, trochleis moliri cogerentur, nec possent. Quod scilicet ludorum causa constat antea evenisse. Suetonius in Cæs. [1] *Ad quæ omnia spectacula tantum undique confluxit hominum, ut plerique advenæ, aut inter vicos, aut inter vias tabernaculis positis manerent, ac sæpe præ turba elisi exanimatique sint plurimi, & in his duo senatores.* Quæ omnia tam publicæ commoditatis, quam decoris impedimenta sustulit Domitianus, Ideoque Martialis [2]:

Abstulerat totam temerarius institor Urbem,
Inque suo nullum limine limen erat.
Jussisti tenues, Germanice, crescere vicos;
Et modo quæ fuerat semita, facta via est.
Nulla catenatis pila est præcincta lagenis.
Nec prætor medio cogitur ire luto.
Stringitur in densa nec cæca novacula turba,
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina servant,
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.

Itaque partim exuta sordibus, partim ab incendio novis molitionibus ornata, instar Phœnicis ab eodem resurrexisse dicitur [3]:

Qualiter Assyrios renovant incendia nidos,
Una decem quoties secula vixit avis:
Taliter exuta est veterem nova Roma senectam,
Et sumpsit vultus præsidis ipsa sui.

Denique sic Urbem variis pulcherrimisque ædificiis Domitianus auxit ornavitque, ut Plutarchus in vita Valerii Public. ad eum accomodans Epicharmi sententiam in prodigum hominem dixerit, Ἐχεις νόσον, χαίρεις κατοικοδομῶν, ὥσπερ ὁ Μίδας ἐκεῖνος, ἅπαντά σοι χρυσᾶ καὶ λίθινα βȣλόμενος γίνεσθαι. *habes morbum, gaudes ædificans, ut Midas ille, omnia tibi aurea & gemmea locari volens.* Eoque jam mortuo & Trajano Principe Martialis dicere potuit:

Terrarum Dea, gentiumque Roma;
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Sed Trajanus quemadmodum alter Romulus perpetuis victoriis fundavit, & propagatum stabilivit imperium, sic Urbem egregiis operibus decoravit. *Quam magnificus*, inquit in Panegyr. Plinius, *in publicum es. Hinc porticus, inde delubra occulta celeritate properantur, ut non consummata videantur. Hinc immensum latus Circi templorum pulchritudinem provocat: digna populo victore gentium sedes, nec minus ipsa videnda, quam quæ ex illa spectabuntur.* Et paulo ante: *Datur intueri pulcherrimas ædes deterso situ auctas, ac vigentes. Magnum hoc tuum non erga homines modo, sed erga tecta ipsa meritum, sistere ruinas, solitudinem pellere, ingentia opera eodem quo extructa sunt animo, ab interitu vindicare. Muta quidem illa, & anima carentia; sentire tamen, & lætari videntur, quod niteant, quod frequententur, quod aliquando cœperunt esse Domini, non fervientis.* Hæc ille, quibus crebra instauratio similium ædium declaratur. Fuit hæc sane Cæsarum egregia contentio, ut Urbem, quam ut *Deam* colebant, quam *Æternam* dixerant, pro se quisque augustis molibus augerent. Verum eadem, deficiente jam aureo imperii sæculo, post Trajanum, Antoninum, Marcum eraso veteri nomine a Commodo Principe *Commodiana* dicta, pæne suscitatis admotisque Neronianis facibus conflagravit, quas coloniæ suæ deberi funesta illa furia proclamabat. Ideoque statuam mille librarum auream habuit cum tauro & vacca quasi Urbis conditor. Quæ Lampridius in vita, Dion, ejusque compendium enarrant, & in ejus numismatis extant imagines.

Severus autem elogio Tertulliani *constantissimus Cæsarum* multo constantior fuit, cum Urbem stabili ædificiorum structura solidavit, quam cum gloriam civili sanguine imbutam exercituum strage, atque Urbium excidio obruebat. *Romæ*, inquit Spartianus in ejus vita [1], *omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, instauravit, nusquam prope suo nomine adscripto, servatis tamen ubique titulis conditorum. Et Alexander* [2], ut Lampridius, *opera veterum Principum instauravit, ipse nova multa constituit.* Quo tempore quemadmodum ornarentur extrinsecus Romana ædificia, luculenter expressit Herodianus [3]. Nam de prætorianis cohortibus scribens cum plebe Romana certantibus, ait: οἰκιῶν καὶ τῶν ἐργαστηρίων τὰς θύρας, καὶ εἴ τινες ἦσαν ξύλων ἐξοχαὶ, πολλαὶ δὲ αὗται κατὰ τὴν πόλιν, πῦρ προσετίθεσαν. ῥᾷστα δὲ διὰ πυκνότητα τῶν συνοικιῶν, ξυλείας τε πλῆθος ἐπάλληλον, μέγιστον μέρος τῆς πόλεως τὸ πῦρ ἐνεμήθη. *Domorum & tabernarum foribus, & si quæ erant ex ligno projecturæ, hujusmodi autem multæ in Urbe sunt, ignem milites admoverunt. facillime autem propter domorum densitatem, & ligneæ materiæ copiam continuatam magnam partem Urbis ignis devastavit.* Quem morem decorandi domorum templorumque frontes ligneis ornamentis, antiquis etiam Reipublicæ temporibus fuisse usurpatum didicimus a Tacito [4]. Nam loquens de templo Jovis Capitolini restituto a Sylla, perfecto dedicatoque a Q. Catulo, *Inde*, inquit, *lapsus ignis in porticus appositas ædibus. Mox sustinentes fastigium aquilæ vetere ligno traxere flammam, aluerıntque.* Itaque epistylia, & coronas, aliaque ornamenta, quæ prominent ex ædificiis, non marmore solum, vel Tiburtino lapide, sed etiam ligno, præsertim fenestrarum antas, mœniana, tectorumque projecturas non infrequenter conformabant, ut bracteato auro relucentia tegerentur [5]. Itaque non minus in hæc, quam in interiores concamerationes, & laquearia tantum auri profundebatur, ut Aurelianus teste Vopisco prohibere voluerit, & Seneca scripserit [6]: *Lacunaria auro gravia penderent.* Idem [7]: *Et cum auro tecta perfundimus, quid aliud, quam mendacio gaudemus? scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantum parietibus, aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur: omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata fœlicitas est.* Plinius [8]: *Laquearia, quæ nunc & in privatis domibus auro teguntur, post Carthaginem eversam primo inaurata sunt in Capitolio censura L. Mummii. Inde transiere in cameras, in parietes quoque, qui jam & ipsi tanquam vasa inaurantur; cum sua ætas varia de Catulo existimaverit, quod tegulas æreas Capitolii inauraſſet primus.* Nazarius in Panegyr. ad Const. *Celeberrima quæque Urbis novis operibus enitescunt; nec obsoleta modo per vetustatem redivivo cultu insigniuntur, sed illa ipsa, quæ antehac magnificentissima putabantur, nunc auri luce fulgentia indecoram majorum parsimoniam prodiderunt. Idcirco ipsæ maxime sublimes porticus, & rutilantes & auro columnæ tantum inusitati ornatus dederunt, ut illo non minus cupide conveniatur loci gratia, quam spectaculi voluptate.* Claudianus [9]:

Quæ luce metalli, &c.
Æmula vicinis fastigia conferit astris.

Propertius:
Fictilibus crevere Deis hæc aurea templa.

1 Cap. 39. 2 Lib. 7. Epig. 61. 3 Lib. 5. Epigram. 5.

1 Lib. 7. 2 Severus & Alexander exornant Urbem. 3 Lib. 5. 4 Lib. 3 Hist. 5 Ornamenta domorum inaurata. 6 Epist. 90. 7 Epist. 115. 8 Lib. 33. cap. 3. 9 3. Stil. Lib. 4.

Ovidius[1]:

Flamma nitore suo templorum verberat aurum,

Claudianus[2]:

Aurea Fortunæ reduci si templa priores.

Et templa igitur, & domus aureæ; nempe parietibus, lacunaribus, tectis, sed his rarius, inauratis fuere. Aderant & alia decora, & pigmenta[3]: marmoreæ crustæ, cameræ vitro coagmentatæ, tessellata & vermiculata pavimenta, curvata æqualiter ac versatilia laquearia, conclavia & cœnationes auro, ebore, gemmisque elaboratæ, porticus inauratæ duplices, crassis ac pretiosis fultæ columnis, cuncta statuis referta. Quam ædium elegantiam non modo patritii, sed plebeii, ac libertini homines sibi vendicabant. Quare Constantius Constantini filius Romam veniens, *Miraculorum*, ut ait Ammianus[4], *densitate perstrictus, quidquid erat primum, id eminere inter alia cuncta sperabat*. Et Poeta apud Photium:

Εἷς δόμος ἄστυ πέλει, πόλις ἄστεα μυρία κεύθει.
Urbs est quæque domus, Urbs continet oppida multa.

Eminebant tamen Cæsarum moles. Mamertin. in Panegyr. ad Julian. *Huc usque solus hic fructus imperii putabatur, ut Imperator a cæteris civibus non fortibus factis, nec splendore gloriæ, sed magnitudine sumptuum separaretur. Inde nihil necessariæ substructionum in ædibus moles, ingentes aulicorum catervæ legionum sumptum facile vincebant.*

1 1. Fast. 2 De Cons. 6. Hon. 3 Parietes marmore ac vitro vestitæ cameræ. 4 Lib. 16.

CAP. XXVIII.

Ædificia Urbis ab Honorio ad Justinianum.

TANTUS ædificiorum splendor Gothici belli detonante procella, longe lateque nihilominus illuxit, quinta videlicet ædificandi ætate, quæ profecto senium quoddam Urbis venerabile complectitur, & ab illa capta ad Justiniani Principatum perducitur. Nam Alaricus, qui Honorio Cæsare Romam invasit, expugnavitque, paucis ædificiis incensis[1], parva onustus præda, sexto die quam Urbem ceperat, egressus est. Sic in compendio ex antiquorum auctoritate, Pomponius Lætus. Et Orosius[2]: *Tertia die Barbari, quam ingressi Urbem fuerant, sponte discedunt, facto quidem aliquantarum ædium incendio*. Sed mitiora Zosimus[3] vir Ethnicus, neque in contemptum nostrorum atrocia prætermissurus, si habuisset. Ait igitur conflata e veteribus inanium Deorum simulacris, numerataque pecunia, & datis a Romano populo obsidibus, Alaricum victorem non modo a direptionibus atque incendiis temperasse, sed ultro cum Romanis iniisse societatem, ut deinceps pro majestate imperii adjutor ipse ac propugnator dimicaret. Nec Gensericus ab Eudoxia Augusta ad ulciscendam viri Valentiniani cædem ex Africa vocatus in tecta deſæviit: cum captivis & opima præda discessit. Odoacer Urbem, in qua erat regnaturus, non attigit. Eoque pulso, Theodoricus Italiæ, Gothorumque Rex nova exstruxit[4], vetera instauravit, quibus vel hostium injuria, vel temporum, aliquid de pristina firmitate ac splendore detraxerat. Quidquid demum Gothi Vandalique fecerint, intacta ne ab Urbe præcipites eruperint, an aliqua inflammarint, omnia vel sumptu civium, vel frequentium Principum munificentia instaurata sunt, ac restituta. Testis locupletissimus, ejusdemque ætatis est Cassiodorus[1] Theodorici nomine regias scribens epistolas. Is, *ea*, inquit, *custodiri volumus maxime, quæ Urbis faciem videntur ornare. Quis enim dubitet, fabricarum miracula hac provisione servata? & pendenti saxo formatas cameras tegularum tegmine custoditas? Ut antiqui Principes nobis merito debeant suas laudes, quorum fabricis dedimus longissimam juventutem; ut pristina novitate reluceant, quæ jam fuerant vetustosa senectute fuscata*. Et:[2] *Antiqua in nitorem pristinum contineas, & nova simili antiquitate producas; ut ab opere veterum sola distet novitas fabricarum*. Eodem libro: *Quamvis Romuleæ fabricæ collatæ sibi vix possunt præcipuæ reperiri, quia totum admiratione noscitur exquisitum, quod ibi cernitur esse fundatum; tamen interesse arbitramur, quod utilitas necessaria gratificat, & quod pulchritudinis tantum causa commendat. Trajani forum vel sub assiduitate videre miraculum est. Capitolia celsa conscendere, hoc est humana ingenia superata vidisse*. Tum formarum fabricam admirabilem, tum thermarum pulchritudinem commendat, jubetque, *siquid conficiente senio fuerit demolitum, pervigili celeritate reparetur*. Et[3]: *quidam populus copiosissimus statuarum, greges etiam abundantissimi equorum tali sunt cautela servandi, quali & cura videntur affixi. Ubi si esset humanis rebus ulla consideratio, Romanam pulchritudinem non vigiliæ, sed sola deberet reverentia custodire. Quid dicemus marmore, metallis, & arte pretiosa, quæ si vacet eripere, rara manus est, quæ possit a talibus abstinere? Ubi sunt exposita, quæ facere potuerunt divitiæ generales, & labor Mundi*. Et[4]: *Hoc enim studio largitas nostra non cedit, ut & facta veterum exclusis defectibus innovemus, & nova vetustatis gloria vestiamus*. Ubi post magnam laudem statuarum, *Quid dicamus*, inquit, *columnarum junceam proceritatem, & moles illas sublimissimas fabricarum, quasi quibusdam erectis hastilibus contineri?* Demum enumeratis septem orbis admirandis, *sed quis*, ait, *illa ulterius præcipua putabit, cum in una Urbe tot stupenda conspexerit? habuerunt honorem, quia præcesserunt tempore, & in rudi sæculo quidquid emersisset novum per ora hominum jure ferebatur eximium. Nunc autem potest esse veridicum, si universa Roma dicatur esse miraculum*.

Summum Urbis conservandæ instaurandæque studium regi Theodorico fuit, qui vices optimi Principis exhibens, magnificus in publicum, id maxime providit, ut sisteret ruinas, solitudinem pelleret, atque ingentia opera, eodem quo extructa erant, animo, ab interitu vindicaret. Quare non erga homines modo (ut ait in Trajani Panegyrico Plinius) sed erga tecta ipsa summopere promeruit. Extat præcitata a Donato epistola ad Sabinianum Urbis senatorem, qua Theodoricus constituit, ut viginti quinque millia tegularum, annua illatione, in ædificiorum reparatione præstarentur. Harum tegularum fictilium nonnullæ Theodorici nomine inscriptæ, nostro ævo repertæ sunt, uniusque fragmentum nuper adservabatur, in præclarissimo Francisci Angeloni Musæo, hisce signarum notis RG. DN. THD. B.R.R.F. hoc est, Regnante Domino Nostro Theodorico Bono Romæ Roma Felix. Huic adstipulantur aliæ duæ tegulæ, bipalmaris magnitudinis, sublatæ e tecto veteris templi, olim Martis, nunc S. Martinæ V. M. ad arcum Septimii, quas integras adservat Petrus Berrettinus insignis pictor, novi templi architectus, ac subterranei sarcophagi pius ædificator. Utramque libet

1 Alaricus Romanas fabricas non demolitur. Nec Gensericus. 2 Lib. 7. cap. 29. 3 Lib. 5. 4 Theodoricus instaurat.

1 Lib. 1. var. Epist. 25. 2 Lib. 7. ep. 5. Epist. 6. 3 Epist. 13. 4 Epist. 15.

exprimere, alteram quidem REG. D. N. THEODERICO BONO ROMÆ; alteram vero REG. DN. THEODERICO FELIX ROMA. Hic recensendum est numisma ipsiusmet Theoderici, exhibens ex uno latere caput Romæ galeatum, cum inscriptione ROMA INVICTA; ex altero simulacrum Virtutis, literis vero DN. THEODERICVS. REX. Notandum porro tantam fuisse Romæ majestatem ac numen, ut ipsimet hostes ac barbari, quamquam Urbem vicerint ac ceperint, eam tamen invictam ac fœlicem dixerint. Vidi persimiles nummos Athalarici Theodonatique Regum.

His addantur quæ scripsit Procopius tempore belli Gothici. Belisarius in litteris ad Totilam missis: *Romam*, inquit, *omnium Urbium, quæ sub Sole sunt maximam* [1], *& nobilissimam esse in confesso est. Neque enim unius viri potestate atque opere extructa est, neque brevi tempore* ἐς τόσον μεγέθους τε καὶ κάλλους ἀφῖκται. *ad tantum magnitudinis, & pulchritudinis provecta, sed multi reges, longinqua ætas, fortissimorum virorum numerus frequens, divitiarum ac potestatis excessus cum alia omnia ex toto orbe, tum vero artifices eo congregare potuerunt, & ita paulatim tantam Urbem, quantum vides, architectati monumenta omnifariæ potentiæ posteris reliquerunt.* μνημεῖα τῆς πάντων ἀρετῆς. Et lib. 4. *Omnium certe hominum, quos scimus, Romani maxime Urbem suam amant, studentque omnia, quæ a patribus acceperunt, conservare & procurare sedulo,* ὅπως δὴ μηδὲν ἀφανίζηται Ῥώμη τοῦ παλαιοῦ κόσμου. *ut nihil perdat Roma antiqui decoris. Qui longo jam tempore cum a Barbaris regantur, ædificia Urbis conservarunt, & ornamenta plurima, quantum fieri potuit. Et tanto tempore cum Roma neglecta sit ab imperatoribus, ob structuræ præstantiam diuturnitati resistit, & monumenta majorum quæcunque relicta sunt, conservantur.* Quæ omnia satis probant stetisse moles quamquam senescentes Urbis in eamdem formam vetustamque amplitudinem subinde restitutas. Permansit ergo, neglectus licet, atque incultus, aut etiam diminutus ille Gentilium ædificiorum nitor, invalescente præsertim religione, quæ populum Romanum ab illis revocabat. Quare S. Hieronymus [2]: *Auratum squalet Capitolium: fuligine, & aranearum telis omnia Romæ templa cooperta sunt: movetur Urbs sedibus suis, & inundans populus ante delubra semiruta, currit ad Martyrum tumulos.* Demum Totilas Gothorum rex Urbem, quam longa obsidione fameque afflixerat, captamque pulsis aut abductis civibus exhauserat, regias ejus moles magna ex parte demolitus, vacuam ac deformatam reliquit. Deinde tamen, referente Procopio, cum in ea quasi regiam appellationem optasset, potius instaurare & conservare studuit, quam novis ruinis obruere. Deinceps autem Romana ædificia, cum reficeret nemo, vetustas vero visque temporum concuteret, deficere necesse habebant. S. Gregorius, qui quinquaginta circiter post annis scribebat [3]: *Qualis*, inquit, *remanserit Roma, conspicimus. Immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione civium, impressione hostium, frequentia ruinarum.* Et: *Quid autem ista de hominibus dicimus, cum ruinis crebrescentibus ipsa quoque destrui ædificia videmus?*

Et vero, quæ sexta ætas est, priorem in cultum puduit illam resurgere, cum in Italia omnia seu civilium artium, seu litterarum studia intermortua jacuere; illis sero reflorescentibus, quomodo refloruerit, postea exponemus.

1 Roma Urbium quæ sub Sole sunt, maxima. 2 Epist. 7 ad Lætam. 3 Hom. 18. in Ezech.

CAP. XXIX.

An recens Roma cum antiqua conferri queat.

SERMO est non de potestate vel imperio, sed de ædificiis. An videlicet [1] recentium forma ac species cum veterum splendore conferri aliquo modo queat. Quod brevi expediam. Nam quod ad duas primas ætates pertinet; nempe usque ad captam Urbem a Gallis, tum usque ad bella civilia Syllæ Mariique quadraginta annos ante Augustum consulem, non dubito, quin præsens forma civitatis non modo cum veteri conferenda, sed illi etiam anteferenda sit. Decus & pulchritudinem Urbis tria præsertim [2] efficiunt: laxitas & directio viarum: sublimitas, ornatus, & amplitudo ædificiorum: situs, sive in planiciem æqualiter extensus, sive curvatus in collem, aut in summo editus & apricus: ad austrum ne, an boream: ortum Solis, an occasum vergens. Situ vincimus non modo ad ædificandum aptiore; sed salubriore ad vivendum. Quod etiam adnotavit Marsilius Cagnatus Medica facultate clarus, cum scriberet de salubritate cœli Romani. Situs enim veteris Urbis, testificatione Strabonis [3], urgente necessitate, ne hostis ex arduo mœnibus incumberet, paulatim septem in montes excurrit. Quibus comprehensis magna tectorum ac cœli inæqualitas coorta est; quod præcelsa in montibus ædificia solem ventorumque flatus libere acciperent, domus vero ab his opacatæ in subjectis angustisque vallibus gravem, ac nebulosum aerem, nec solis calore extenuatum includerent, unde spiritus impurus & noxius duceretur. Jam vero [4] in peramplam & apertam planiciem civitas descendit; ut quæ de campi Martii amœnitate, ac magnitudine Strabo, Dionysius, aliique auctores prædicarunt, in suam dignitatem, commodumque converterit. Eadem Tiberi interfluente, ab occasu Vaticanisque montibus; a meridie, Capitolio, Palatio, Aventino; ab ortu, Quirinali & Hortorum colle latissime inclusa, atque his veluti munitionibus adversus austri, euri, africi, aliorumque ventorum nocentes impetus circumsepta, aquilonaribus [5] tamen flatibus plana exponitur, ut humidam hyemis gravitatem tempestive resolvat: aut hibernos tepores, quibus abundat, modica cœli tenuitate, quam arcticus ac purus efficit spiritus, salubriores reddat, nec raro æstatis immodicos depellat ardores. Quamvis enim non modo aquilonem & boream, sed etiam austrum africumque Roma excipiat; hos tamen quasi per canales & anfractus recipit objectu collium, illos accipit aperta & obvia, cum antiquitus in septem collibus, austrinis & africis flatibus ultro obversa maxime quateretur. Quo fit, ut pestilentes annos, qui veterem Romam frequenter exhauriebant, numerare non possimus.

Ad vias [6] venio, quarum plurimæ latæ ac rectæ antiquas multum excedunt. Prisci enim suam *rectam* habuere in Campo Martio, herbis duntaxat obsito, non ædificiis: una *Lata* dedit nomen integræ regioni. Cæteræ flexuosæ & augustæ, ipsis damnantibus Romanis, vendentium adhuc pilis & cadurcis impeditæ. Quod vitium Neronianus ignis postea decoxit.

Jam vero ædificiorum usque ab Annum Urbis DCLXII. rarus decor & cultus; cum, ut supra dicebam ex Plinio, nullæ in publico erant columnæ marmoreæ; & pro Crassi magnifica domo, in qua videlicet sex loti, patulæ arbores, quatuor columnæ Hymettii marmoris (hæc enim præsertim commendantur ornamenta) Domitius censor,

1 Roma recens cum veteri aliquot seculis conferenda & anteferenda est. 2 Quæ in Urbe optanda sunt. 3 Libro 5. 4 Situs recentis Urbis. 5 Recens quos ventos Roma excipit. 6 Viæ Urbis plures rectæ ac latæ.

quam-

quamvis ad sugillandum inimicum, sextertium millies promitteret, id est, aureorum vicies quinquies centena millia, sive duos milliones & dimidium. Quamvis autem in fine secundæ ætatis multum decoris, splendorisque domibus adjectum sit; tamen non dubito, quin recentes Pontificis Maximi, Purpuratorum Patrum, nobilissimorumque Principum ædes, & laxitate, & structura, columnis marmoreis, pilis Tiburtinis, marmoreis incrustationibus, inauratis laquearibus, pictis cameris, aulæis opere Belgico, Phrygio Damasceno que peristromatis, ac reliquo argenti aurique lautissimo instrumento illius ætatis ædibus pares sint, atque ex his aliquot etiam illis superiores. Nam de templis quid dicam? quæ illis non magna, & fere altitudine columnarum, quibus epistylia ad imponendas trabeationes nitebantur, definita: columnæ Albanæ, vel Tiburtinæ, vel pilæ lateritiæ in speciem columnarum tectorio expolitæ: nullæ marmorum crustæ: nulla ad exquisitiorem cultum segmentato lævigatoque lapide cælata sacella: raræ inibi picturæ, nisi quas exercituum Imperatores translatis e Græcia tabulis sero invehere cœperunt. Cætera ex auro, argento, gemmisque ornamenta, si Capitolium excipias, ante Augustum omnino rara. Anno Urbis DLXXXI. Q. Fulvius Flaccus Censor, ut ait Livius [1], *ædem Fortunæ equestris faciebat enixo studio, ne ullum Romæ amplius, aut magnificentius templum esset. Magnum ornamentum se templo ratus adjecturum, si tegulæ marmoreæ essent, profectus in Brutios ædem Junonis Laciniæ ad partem detegit. id satis fore ratus ad tegendum quod ædificaretur*. Quæ tamen tegulæ jussu senatus ad templum Junonis relatæ, ac restitutæ sunt. Sed quod tandem illud ornamentum erat, ut ædes Fortunæ esset Romæ omnium amplissima, & magnificentissima? At nostrorum Templorum, omitto [2] primum laxitatem & amplitudinem, frontes Tiburtini candidique lapidis compage admirabili machinatorum artificio solidantur: tholi, & hemisphæria non solum eductis parietibus effulta, sed ex altissimis arcubus, ac velut in aere pendentibus in cœlum sublata. Quot deinde ad aras, aut lucentes e marmore, aut ex ære, aureis solidisque lamellis vestitæ, ac fulgentes columnæ? quot in adjunctis sacellis commissorum marmorum versicolores maculæ? quæ miracula picturarum? quis decor marmorati operis? quis inauratorum lacunarium, & concamerationum sigillatarum splendor? quæ musivi emblematis dignitas? quis ornatus pavimentorum, quæ seu tessellis vermiculata, seu lautioribus crustata segmentis pretiosissimos lapides Ophites, Alabastrites, Lacedemonios, viles tanquam glebas, pedibus proculcandos subjiciunt? quantum in aris argentum? quanta vis auri ac gemmarum? quam pretiosa vestium supellex? quanta denique pulcherrimi operis atque ornatus species, ac majestas? Ut, quemadmodum veri Numinis religione vincimus, sic eorum quæ Deo consecrantur, elegantia cultuque vincamus. Una illa [3] Petri Apostolorum Principis Vaticana Basilica, illud Pontificiæ munificentiæ atque incomparabilis structuræ miraculum, nonne hujus ante Augustum, & sequentium ætatum quælibet templa, theatra, amphitheatra, circos, balnea, mausolea magisterio artificum, molitorum sumptibus, ædificationis perennitate, immensitate molis, admirabilium varietate rerum, lucentium undique claritate marmorum, conjectis unum in locum veterum æque ac recentium præclaris æquare videtur aut vincere? Multa præterea in Urbe sunt, quæ oculos animosque devinciunt exterorum, Horti amœnissimi, obelisci, columnæ, fontes, pontesque, alia denique, quæ prioribus sæculis Roma vel non vidit, vel minus laudanda spectavit. [1] Carolus V. Cæsar Tuneto in Africa expugnato, fugatisque cum Hariadeno Archipirata Turcarum copiis triumphans Neapolim primum, deinde Romam Paulo III. Pontifice cum venisset, dissimulata persona Urbem invisens, ut semel universam in conspectum daret, plumbeos per gradus in ædis testudinatæ fastigium, summumque Pantheon evasit. Inde Urbem contemplatus ejus amplitudinem majestatemque magnopere commendavit. Sed ille Romam vidit, quam paulo ante hostilis furor igne ac ferro vastaverat. Nondum Urbi pulcherrimorum templorum, ædiumque nobilissimarum, quæ postea civium ac Principum nobilis contentio extruxit, splendor accesserat. Nondum ejusdem Pauli pontificatu in Flaminia, & Campo Martis, successorumque Pontificum in Vaticanis Campis, ad Forum vetus, in Suburra, in Esquiliis, in Viminali, & Quirinali Colle, ad Collem Hortorum, & Pilam olim Tiburtinam latas longissimasque vias direxerat, erexeratque multarum Urbium domos studium ædificandi, munificentia civium, & confluentium populorum multitudo. Ut hoc tempore si Urbem Carolus spectaret, nescio an non priorem despiceret, qui Romam se ipsa pulchriorem videret.

Hactenus utramque Romam conferendam judicavi. Augusto jam Principe tribusque ætatibus usque ad Gothicum excidium, cedendum omnino est; *cum acervata universitate victus est terrarum orbis*, ut ait Plinius. Quamquam & nunc viis compluribus rectis, longis, latisque Roma nostra sit pulchrior veteri ante Neronem; & præclara quædam Principum palatia, ac Divum templa non inferiora priscis domibus, ac delubris etiam laudatis fateatur esse: Vaticanam vero Basilicam cuicunque hujus, & consequentium temporum molibus jure opponat. Deinceps postrema ætate nunquam pulchrior quam ævo nostro refloruit, ut referemus Lib. IV.

His tamen ætatibus adhuc spectandum se offert, quo recens Roma præcellat, ex ipsa veteri, suscepto argumento. Hæc enim Otho Cæsar, referente Tacito [2], retulit ad milites Prætorianos: *Quid? vos pulcherrimam hanc Urbem, domibus, & tectis, & congestu lapidum stare creditis? Muta ista, & inania intercidere, & reparari promiscue possunt. Aeternitas rerum, & pax gentium, & mea cum vestra salus incolumitate Senatus firmatur. Hunc auspicato a parente, & conditore Urbis nostræ institutum, & a Regibus usque ad Principes continuum, & immortalem, sicut a majoribus accepimus, sic posteris tradamus. Nam ut ex vobis Senatores, ita ex Senatoribus Principes nascuntur*. Quæ si ad Collegium Eminentissimorum Patrum transferantur, & Pontifices maximos, qui Vicariam CHRISTI DOMINI potestatem gerentes ex amplissimo ordine deligi solent, quis fateri non audeat, Urbem tanto Senatu, Patribus, ac Religionum Principe memorabilem priori justius anteferendam? Quæ alii accuratius considerant, & fusius persequuntur.

1 Dec. 5. l. 2. 2 Templa Romæ ampla & ornata. 3 Basilica S. Petri.

1 Carolus V. Romam e summo Pantheo spectavit. 2 Lib. 1. Hist.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Nomina Capitolii.

UNUS e septem montibus, & caput cæterorum Capitolium est; a capite humano dictum, inibi invento, cum templi Jovis fundamenta locarentur, auctore Livio [1], & Dionysio [2]. Qua parte Urbis ædificia & campos spectat, ad septentriones vergit: ab occidente Tiberim proximum habet: ab oriente montem Quirinalem: meridie, forum vetus, & montem Palatinum. Quamquam meridies oblique potius inter Palatinum & Aventinum a Capitolio respicitur, ut etiam oriens, & aliæ mundi partes. Stadiorum septem, ut monent Antiquarii, id est, passuum octingentorum septuaginta quinque est Capitolii ambitus, longitudo multo amplior, quam latitudo, [3] ut ovalem ferme figuram efficiat, gemini instar hemicycli, lateribusque contractioribus. Est autem collis bivertex & biceps; extrema enim edita sunt, duplicique jugo sublimia, area in medio depressior, ubi equus M. Aurelii Antonini.

Quamquam autem totus mons Capitolinus *Arx* & *Capitolium* dicitur, strictius tamen in tres dividitur partes [4] *Saxum*, *Arcem*, *Capitolium*. Saxum est prærupta & aspera rupes montisque pars, quæ ad occasum, & Tiberim vergit, sita nunc prope Cœnobium Turris Speculorum, forumque Montanarium, & Tarpeja olim dicta. Plutarchus [5]: *A Tarpeja Virgine illic sepulta collis ille vocatus est Tarpejus, donec eum locum Jovi Tarquinius consecravit; quo tempore ossa ejus alio fuerunt translata, nomenque exolevit Tarpejæ, excepto saxo, quod vocant etiam nunc Tarpejum, ex quo præcipitare sceleratos solebant*. Arx significat editiorem ejusdem montis partem. Reliquum collis Capitolium est. Ista sæpe distinguunt auctores. Livius [6]: *Ne quis patricius in arce, aut Capitolio habitaret*. Dionysius [7]: *Locum enim Capitolium inter & Arcem situm*. Quamvis autem ita distinguantur, frequenter tamen *Arx* totum montem: item Capitolium eundem significat. Tacitus [8]: *Diversos Capitolii aditus invadunt*, quam paulo ante *Arcem Capitolinam* appellaverat. Livius [9]: *Romæ*, inquit, *satis jam omnibus, ut in tali re ad tuendam Arcem compositis*; nempe totum Capitolium. nam paulo post ait: *Circumferentes oculos ad templa Deum Arcemque solam belli speciem tenentem, inde modico relicto præsidio, ne quis in dissipatos ex Arce aut Capitolio impetus fieret*. Quo loco *Arcem* primum pro colle, deinde pro parte accepit. Ideoque hæc duo promiscue ponuntur, quia, ut scribit Servius [10], *Capitolium Arcem esse Urbis, manifestum est*. Præterea Capitolium ædem Jovis in summo colle sitam significat. Cicero [11]: *Annus post Capitolii incensionem vigesimus*. Tacitus [12]: *Capitolium conflagravit*. Salustius [13]: *Ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum*. His enim aliisque locis non totus collis, sed templum Jovis incensum, Capitolium est. Denique eadem Jovis ædes, *Arx* interdum dicitur. Livius [14]: *Sedem divæ Victoriæ dedit templum Jovis Optimi Maximi. In ea Arce Urbis Romæ sacrata*. Ex quibus proverbium apud Romanos fluxit *salva Urbe atque Arce*; expressitque Horatius [1]:

Incolumi Jove & urbe Roma.

Alia de his Justus Riquius, qui alia notione pro Diis inibi cultis apud Christianos scriptores sumi aliquando Capitolium animadvertit [2]. Cæterum hic mons olim Saturnius [3], & urbs in eo a Saturno condita Saturnia est dicta. Virgilius de Janiculo & Capitolio [4]:

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem:
Janiculumque illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Hunc antea montem, ait Varro, *Saturnium appellatum prodiderunt; & ab eo late Saturniam terram, ut etiam Ennius appellat. Antiquum oppidum in hoc fuisse Saturniam scribitur. Ejus vestigia etiam nunc manent tria: quod Saturni Fanum in faucibus; quod Saturnia porta, quam Junius scribit, quam nunc vocant Pandanam; quod post ædem Saturni in ædificiorum legibus parietes postici sunt scripti*. Hæc ille.

1 Lib. 1. 2 Lib. 4. Situs Capitolii. 3 Capitolium ovali figura, & bivertex. 4 Triplex significatio Capitolii. 5 In Romulo. 6 Lib. 6. 7 Lib. 2. 8 Lib. 3. Hist. 9 Lib. 5 10 Lib. 8. Æneid. 11 Catil. 12 Loc. cit. 13 In Conjur. Catil. 14 Libro 22.

1 Libro 2. Carm. 2 De Rom. Capitolio c. 5. 3 Mons Capitolinus olim Saturnius. 4 8. Æneid.

CAP. II.

Forma & circuitus Capitolii.

FORMA [1] veteris Capitolii in modum arcis fuit. Ea a summo ad imum saxo quadrato substructa, cincta muris, munita turribus. Additæ fores in summis clivis, per quos ascendebatur in arcem. De substructione Livius [2]: *Capitolium quoque saxo quadrato substructum est, opus vel in hac magnificentia Urbis conspiciendum*. De muro Plutarchus [3]. Loquens enim de Pontio Cominio, qui per rupem Tarpejam evasit in Capitolium, ait: *καὶ προσέμιξε τοῖς φυλάττουσι τὸ διατείχισμα. & accessit ad eos qui murum custodiebant*. Et paulo post de Gallis: *ὥστε διεσκευασμένους ὅσον οὐκ ἤδη τοῦ προτειχίσματος ἅπτεσθαι. ut dispositi jam murum tangerent*. Et ibidem de Manlio: *ὦσεν ὀπίσω κατὰ τῆς πέτρας, ἐπιστὰς δὲ τῷ τείχει μετὰ τῶν συνδραμόντων. retro præcipitavit de saxo. inde superstans muro cum iis, qui concurrerant*. De turribus Cicero [4]: *Memoria*, inquit, *tenetis, Cotta & Torquato coss. complures in Capitolio turres de cœlo esse percussas*. De foribus Tacitus [5]: *Erigunt aciem per adversum collem usque ad primas Capitolinæ Arcis fores* [6]. Et paulo post: *diversos Capitolii aditus invadunt, juxta lucum Asyli, & qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur*. Primæ fores undique cinctæ parietibus in capite clivi fuere, qui ob dignitatem, locique frequentiam & celebritatem Capitolinus est dictus; quo hodieque recta ascenditur ab Arcu Septimii. Secundæ fores fortasse cuipiam videbuntur, quæ in altero summo clivo erant, qui vicinior templo Jovis ad eamdem collis partem, ubi nunc carceres, pertinebat.

Sed ut demus, ibi fuisse fores, & aditus, ut ait Tacitus, tamen quia Arx pressiori significatione erat dexter Capitolii apex editus & abruptus, hic potius crediderim fuisse alterum circuitum murorum, & secundas fores, quibus in editum ascenderetur. Primæ itaque fores erant in capite clivi, mittebantque in aream, ubi nunc equus M. Antonini: Se-

1 Capitolium in modum Arcis. 2 Lib. 6. 3 In vita Camilli. 4 3. in Catil. 5 Lib. 3. Hist. 6 Atquæ primæ fores? quæ secundæ? atque ubi sitæ?

Arce, sed
cebatur. F
dicebam,
lianus eode
Sed statu
fuisse in Arc

1 Area in n
commoda. 2 Lib. 2. 3 Lib. 2. cap. 1. 4 Templum Jovis Capitolini fuit in Arce versus Tiberim.
5 ... Aeneid. 6 Fast. 6. 7 In Romulo, & Camillo. 8 Lib. 6. Cap. 2. 9 Domus Manlii in Arce prope rupem Tarpejam.




Fig VI.
Asylum
Quercetum
Curia Calabra
Tabularum
Athenæum
Clivus
Capitolinus
Gradus rupis Tarpejæ
Domus in Clivo Capitol
T. Fortunæ
Tullianus Carcer
T. Concordiæ
Arc. Severi
TARQVIN.
PRISCVS
TARQVIN.
SVPERBVS
VETERIS CAPITOLII ADVMBRATA MAGNITVDO, E NARDINI DESCRIP.
Porticus & Atrium in Capitolio
Pars Fori
Romani et eius Porticuum
Pars
Viæ Sacræ

cundæ vero [1], ubi hodie, aliis gradibus muro & porta munitis, post ædes Conservatorum evaditur in altiorem verticem, vulgo montem Caprinum. Aliæ demum fores ad rupem Tarpejam centum gradibus imminentes fuere. Quæ sane formam exprimunt perfectæ Arcis sitæ in edito & abrupto, opere naturaque munitæ. Itaque jure Tacitus [2]: *Munitissimam Capitolii Arcem* [3], *& ne magnis quidem exercitibus expugnabilem* nuncupavit. Cæterum præter aliquot domos civium, aræ, sacella, templa simul omnia in Capitolio sexaginta, teste Fulvio, colebantur, ut Cicero, *Deorum domicilium* appellarit, & P. Victor scripserit, *in eo Deorum simulacra celebrari*. Tanta vero loci pulchritudo [4] extitit, ut Ammianus dixerit [5]: *Capitolium, quo se venerabilis Roma in æternum tollit. Jovis Tarpeii delubra quantum terrenis divina præcellunt*. Denique Cassiodorus: *Capitolia celsa conscendere, hoc est humana ingenia superata videre*.

1 Nisi quis putet, in ipso aditu etiam secundas fuisse.
2 Lib. 3. Hist. 3 Capitolium Arx munitissima. 4 Et pulcherrima. 5 Lib. 22.

CAP. III.

Ubi templum Jovis Capitolini cum Arce locandum sit.

Quamvis in editiore jugo Arcem strictam acceptam statuerim; tamen quia collis duplici exurgit capite mediusque subsidit, locum quæstioni reliquit. Is quidem ubi ab utroque vertice demittitur in aream [1], olim percommodam conventibus & concionibus populi præbebat sedem, quas ibi non raro consules, tribuni, aliique habere solebant. Vellejus [2] de Tiberio Gracccho concionante, & Scipione Nasica cum Senatu in eum irruente: *Nasica ex superiore parte Capitolii summis gradibus insistens hortatus est, Qui salvam vellent Rempublicam, se sequerentur. Tum Optimates, Senatus, atque Equestris Ordinis pars melior, & major, & intacta perniciosis consiliis irruere in Gracchum stantem in area eum catervis suis, & concientem pæne totius Italiæ frequentiam. Is fugiens, decurrensque clivo Capitolino.*

Porro alterum verticem ad Orientem, incolunt Cœnobitæ Observantes e Familia S. Francisci, templo adhuc nobilem Magnæ Virginis, cognomento ab Ara Cœli. Alter ad Occasum & Tiberim vergens partem ædium Conservatorum ut vocant, & alias quasdam ædes sustinet, aut nudo teritur solo. Uter ergo vertex dicendus sit Arx, quidam dubitarunt; uterque enim pari altitudine editus est, contra quam quidam referant, qui forte non viderunt; ideoque Arcem ad Tiberim locant, quod ibi altior crepido sit. Marlianus [3] vero Arcem statuit in altero vertice, ubi Fratrum Observantium Cœnobium est, levissima ex allatis supra Taciti verbis conjectura: *Diversos Capitolii aditus invadunt*. Milites enim Vitelliani pulsi e clivo Capitolino, qui prope Cœnobium adhuc visitur, alium Capitolii clivum aditumque juxta Asylum invasere, ut in collem evaderent. *Hæc ergo*, ut ait Marlianus, *pars collis, cum a Tacito dicatur Capitolium, ab Arce sejungitur juxta clivum sita, unde recesserant milites*. Sed hæc nihil urgent. Nam Asylum non erat in Arce, sed in ea parte, quæ pressius, Capitolium dicebatur. Præterea promiscue totus mons, ut supra dicebam, Arx & Capitolium dictus est, idque Marlianus eodem loco perspicue docet.

Sed statuendum est, templum Jovis Capitolini [4] fuisse in Arce, & ad rupem Tarpejam: tum confi-

1 Area in medio Capitolio olim ad populi conventus percommoda. 2 Lib. 2. 3 Lib. 2. cap. 1. 4 Templum Jovis Capitolini fuit in Arce versus Tiberim.

A cietur, & ipsam Arcem ibidem fuisse. Quod spectat ad templum, multa germanum ejus situm demonstrant. Primo, sæpe memorata narratio Taciti. Milites enim recedentes a clivo Capitolino, cujus fores obstructas irrumpere non potuerant, alios aditus juxta lucum Asyli, & qua rupes Tarpeja descendentes in vallem gradus habebat, tentaverunt; cumque ibi pugnaretur, injectum proximis tectis ignem comprehendit templum Jovis, & incensum est. Erat ergo templum non longe a rupe; quandoquidem cum ad eam & Asylum pugnaretur, incensa inibi ædificia adjunctas templi porticus, tum ædem Jovis succenderunt.

B Idem probat Liviana de Gallis narratio. Galli [1] enim capta Urbe Capitolium obsidentes, ut ait Livius, [2] *ad Carmentis saxum ascensu æquo, sublevantesque invicem, & trahentes alii alios, tanto silentio in summum evasere, ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem sollicitum animal ad nocturnos strepitus excitarent. Anseres non fefellere Junoni sacros, quorum clangore alarumque crepitu excitus M. Manlius hostes, qui jam in summo constiterant*, deturbavit abegitque. Hi ergo anseres ad *ædem Junonis*, ut ait Plutarchus [3], *alebantur*, quæ in ipso Jovis Templo fuit, ut postea dicam. Cum vero

C adventum Gallorum, qui vix in summum evaserant, atque in Arcem penetrarant, anseres præsenserint, indicant, locum, ubi alebantur, saxo Tarpejo propinquum fuisse. Quæ ratio majorem vim habet, si advertatur, Gallos deprehensis ante vestigiis illac ascendisse, qua Pontius Cominius [4] ante ad Romanos missus ascenderat. Ille autem, iisdem scriptoribus referentibus, secundo Tiberi ad Urbem delatus, qua proximum fuit a ripa, per præruptam rupem Capitolium tenuerat. Idem confirmat Manlius, qui anserum clangore excitus Gallos abegit; non enim longe aberat, cum solus crepitum senserit. Atqui de illo Virgilius [5]:

D *In summo custos Tarpejæ Manlius arcis*
Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat.

Quo loco templum Jovis in Arce positum, & Manlius pro templi custodia, stare in altiore collis jugo, consulto dicitur. Poetica vero fide dictum crediderim, Manlium stetisse pro templo, cum potius domi fuerit in proximo sitæ. Habitavit enim in Arce, ubi postea templum Junonis Monetæ, & antea Tatius Rex habitaverat. Ovidius [6]:

E *Arce quoque in summa Junoni templa Monetæ*
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.
Ante domus Manli fuerat, qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Jove.

Idemque Plutarchus [7], & Livius [8], & Solinus testantur. Post autem, Manlio perduellionis damnato, sancitum est, *ne quis patricius*, ut ibidem Livius, *in Arce, aut Capitolio habitaret*. perinde ac vetaret lex, ut patricii non modo non habitarent in Arce, ubi Manlius habitaverat, sed neque in Capitolio, altera videlicet collis parte. Hæc ergo domus [9] non procul a saxo, sed propinquior tem-

F plo fuit. Cum enim non maneret in custodia Manlius, ut reliqui vigiles, (nihil enim de hac re Plutarchus & Livius) e domo sua anseres strepentes, & Gallos sensit cum silentio subeuntes. Ex quibus demum deducitur, templum quoque Jovis Manlianæ domui propinquum ad rupem, & in Arce fuisse extructum. Postremo templum ad ru-

1 Galli ascenderunt in Capitolium saxo prope Portam Carment. 2 Lib. 8. 3 In Camillo. 4 Eodem saxo Pontius miles ascendit. 5 8. Æneid. 6 Fast. 6. 7 In Romulo, & Camillo. 8 Lib. 6. Cap. 2. 9 Domus Manlii in Arce prope rupem Tarpejam.

pem fuisse consecratum evincit locus Plutarchi in Romulo de Tarpeja inibi sepulta. *Cæterum*, inquit, *a Tarpeja illic sepulta collis ille vocatus Tarpejus fuit, donec locum eum Tarquinius Rex consecravit. Quo tempore ossa ejus alio fuere delata, nomenque exolevit Tarpejæ, excepto saxo, quod vocant etiam nunc Tarpejum.* Si templum Jovis, ubi condita fuerant Tarpejæ ossa, consecratum est; iisque exportatis, nihilominus rupes Tarpejæ nomen retinuit, argumento est, prope rupem sepulchrum fuisse, ubi & postea templum [1]. Et ita quidem de templo sentiunt Antiquarii. Quamvis enim Marlianus Arcem in altero montis jugo constituerit; templum tamen cum aliis ad rupem posuit. idem sine fabulis prædicant antiqui Poetæ. Silius de Domitiano [2]:

Aurea Tarpeja ponet Capitolia rupe,
Et junget nostro templorum culmina cœlo.

Et;

Ipse [3] e Tarpejo sublimis culmine cuncta,
Et ventos simul, & nubes, & grandinis iras,
Fulminaque, & tonitrus, & nimbos conciet atros.

Propertius [4];

Tarpejusque pater nuda de rupe tonabat.

Prudentius contra Symmachum;

Jamque ruit paucis Tarpeja in rupe relictis,
Atque ad Apostolicos Evandria curia fontes
Æneadum soboles.

Claudianus [5];

——— Juvat intra tecta tonantis
Cernere Tarpeja pendentes rupe gigantes.

Id est, eximiæ magnitudinis statuas Colosseas. Cicero [6]: *Nunc ego te, Juppiter Optime Max. Juno, Minerva, cæterique Dii, Deæque immortales, qui excellenti tumulo civitatis sedem Capitolii in saxo incolitis constitutam.*

Hæc cum ita sint, tamen non ita facile deduci posse quispiam judicavit, Arcem ibi fuisse, ubi templum [7]. Quamvis enim hoc fuerit in Arce, tamen Arcis nomine totus mons non absurde intelligitur. Verum ea quæ de Manlii domo diximus, sita prope templum in Arce, hac interpretatione difficile est eludere, & alios item locos auctorum, qui ædem Jovis in Arce collocant, deque ea tamquam de re a Capitolio distincta loquuntur. Lucretius.

Romulidarum arcis servator candidus anser.

Ovidius [8];

Quique tenens altas Tarpejus Juppiter arces.

Et [9]:

Juppiter arce sua totum cum spectet in Orbem.

Virgilius [10]:

In summo custos Tarpejæ Manlius arcis.

Silius [11];

Tarpejos iterum scopulos, præruptaque saxa
Scandatis licet, & celsam migretis in arcem.

Propertius [12]:

Et sua Tarpeja residens ita flevit ab arce
Vulnera vicino non patienda Jovi.

1 Templum Jovis ad rupem Tarpejam. 2 Lib. 3. 3 Juppiter. 4 Lib. 4. Eleg. 1. 5 De 6. conf. Honor. 6 In Orat iret in exilium. 7 Arx fuit ubi templum Jovis Capitolini. 8 XIII. Metam. 9 1. Fast. 10 8. Æneid. 11 Libro 2. 12 Lib 4. Eleg. 4.

A Et similia passim occurrent, quæ, siquis ab Arce removeat templum Jovis, probe germaneque explicare non potest. Denique id prima templi Jovis ædificatio demonstrat, de qua sic Dionysius [1]: *Huic templo Jovis Tarquinius rex quintus sedem cum designasset in tumulo, qui difficili aditu erat, nec in summo planus, sed præruptus, & fastigiatus, multis ex partibus amplexus est cum altis substructionibus, inter quas & verticem congesto aggere, planam effecit aream, ad excipiendam sacram ædem aptissimam.* Hæc sane forma est Arcis, situ, aggeribus, & munitionibus editæ atque vallatæ; quamquam hac ætate tanta loci altitudo non appareat, quod ruinis inferiora nonnihil extumuerint.

1 Eleg. 4.

CAP. IV.

Forma Templi Capitolini.

QUONIAM de templo Romanorum templorum principe agimus, id sedulo contemplari atque exprimere debemus. Vovit ergo templum Jovi, Junoni, Minervæ Tarquinius rex quintus, quibus exigua sacella Numa rex in Quirinali constituerat, quod Capitolium vetus dictum est, ut alias dicam. Aream quoque extruendo templo paravit Tarquinius, quod ejus nepos Tarquinius Rex septimus ædificavit. *Quamquam*, ait Tacitus, *a priore Tarquinio jacta fundamenta, & a Servio successore sociorum studio pariter ædificatum. Mox regibus regioque nomine pulso ex Urbe dedicavit Horatius Pulvillus consul.* Incensum CCCCXXV [1] post annos Sylla dictator restituit; eoque vita functo Catulus dedicavit. Arsit iterum sub Vitellio, refecitque Vespasianus: rursus incendio correptum Tito Principe instauravit Domitianus. Auctores [2] Tacitus, Plutarchus, Suetonius, Dion, Eutropius, Statius, & recentes Antiquarii. Porro figuram Templi sic descripsit Dionysius. *Templum*, inquit, *situm est & fundatum in alta crepidine, octo jugerum ambitu, ducentis ferme pedibus patens per latera singula, pari propemodum longitudine atque latitudine vix quindecim pedum differentia.* Quæ summa ad rationem relata nostrarum dimensionum palmos efficit ducentos sexaginta sex & bessem, sive uncias octo longitudinis: latitudinis vero ducentos sexaginta unum, item cum besse. Pes enim pro antiquo habitus Romanum palmum, decretum usui architectorum quatuor partibus in utroque paribus excedit: quæ in palmo quidem unciæ, in pede digiti sunt: & in illo XII. at XVI. in pede. Qui & majores suas in uncias XII. dividitur; ut in atrio Aedium Capitolinarum propositæ sunt ex decreto Senatus publicæ mensuræ. Hic autem dimidium pedis, & palmi Rom. lineandum curavimus. *Frons ejus*, pergit Dionysius, *meridiem spectat. Porticum habet, cum triplici ordine columnarum: in lateribus ordo duplex est. Tres Aedes pares communibus continentur lateribus: media Jovis, hinc & inde Junonis & Minervæ sub eodem tecto & pinnaculo.* Erat ergo templum in tres partes divisum, mediæque latiori adjectæ alæ duæ, interstructos parietes sustinentibus pilis lateritiis dealbatis, quæ postea in columnas mutatæ sunt a dictatore Sylla, advectas e templo Jovis Olympici, teste Plinio. Porticum triplicis ordinis columnarum similem hac etiam ætate Agrippæ Pantheo adjunctam videmus. In summo tres Aediculæ visebantur.

1 Tacitus lib. 3. Hist. habet CCCCXV. sed de est X. 2 3. Hist. in vita Poplic. In vit. Vespas. libro 66. Lib. 9 in vita Domit. Lipf. libro 3. de Magn. Rom. cap. 5. Marlian. lib. 2. Riq. post cap. 5.

Jam, quoniam aliqua ex his controversiam parere possunt, cum templi frons Forum & Palatinum respiceret, videtur potius ortum spectasse quam meridiem. Nam Cicero sic ait: *Iidemque jusserunt simulacrum Jovis, quod erat in Capitolio, facere majus, & in excelso collocare, & contra, atque ante fuerat ad Orientem convertere: ac se sperare dixerunt, si illud signum, quod videtis, Solis Ortum, & Forum Curiamque conspiceret, fore, ut ea consilia, quæ clam essent inita contra salutem Urbis atque imperii, illustrarentur, ut a S. P. Q. R. perspici possent. Atque illud ita collocandum Consules illi locaverunt.* Si ergo forum e Capitolio spectare, est ad solis ortum vergere, non est tam certum quam putat Lipsius [1], *frontem*, templi, *ad meridiem spectasse, id est, Forum Romanum & Palatinum versus, frequentissimam Urbis partem.* Ne pugnetur cum Tullio, repetendum est, quod initio dicebam, nempe latera Capitolii non recta, sed oblique vergere ad mundi plagas; quod ego diligenter adnotavi. Igitur [2] templi frons secundum alterum collis latus extructa, non directa erat ad meridiem, sed potius inter meridiem atque orientem. Ideoque statua illa Jovis Cicerone consule refecta (quæ sane non intra templum in ipso sacello, sed extra templum fuit in excelso collocata) cum antea templi faciem & septentrionem spectaret, simul occasum æstivi solis potuit aspicere, qui ad septentrionem accedit, attingitque solstitialem circulum cancri. Postea vero conversa, cum Forum, & Curiam, & solis ortum aspiceret, non ortum æstivum, sed hibernum aspexit. Nam cum versa esset ad Forum & Curiam, ad meridiem quoque vergebat [3]. Forum enim & Palatinus collis præ Capitolio meridianus est, ut patet adeunti. Itaque cum meridiem & ortum spectaret, ortum hiberni solis meridiei propinquum spectare potuit. Si enim ortum æstivi solis spectasset, non ad montem Palatinum Forumque Romanum, sed Collem Quirinalem converti debuisset, qui obvertitur æstivo soli. Eodem ergo statua Jovis, quo frons templi spectavit, nempe inter meridiem & orientem. Sicque consentiet cum Tullio Lipsius.

At tres intra templum ædiculæ [4], non loculi ad imponendas statuas habendæ sunt, sed tres cellæ communibus quidem junctæ parietibus, verum diversæ inter se, & ab extimo templi muro divisæ. Ut hodieque in templis vetustioribus ad cultum ornatumque majoris ædis e marmore cameratum fornicem quatuor ferme fultum columnis pro summa testudine, vel altiore tholo erectum intuemur. Nam Tarquinius Jovi, Junoni, Minervæ templa voverat, quæ deinde majoris ædis ambitu conclusa sunt. Nec solum cellæ, aut ædiculæ, sed templa [5], & delubra nominantur a scriptoribus: Livius [6]: *Clavus*, inquit, *fixus fuit dextro latere ædis Jovis Optimi Maximi ea parte, qua Minervæ templum est. Eum clavum* [7] *quia raræ per ea tempora litteræ erant, notam numeri annorum fuisse ferunt, eoque Minervæ templo dicatam legem, quia numerus Minervæ inventum sit.* Præterea pro vetustis templis pronaum, seu porticus, seu vestibulum struebatur quod hisce ædiculis appositum videtur fuisse. Nam Dionysius loquens de aris Termini & Juventutis, quæ in ædificatione templi neque exauguratæ, neque loco motæ sunt, scribit [8]: καὶ νῦν ὁ μὲν ἕτερός ἐστιν ἐν τῷ προνάῳ τῆς Ἀθηνᾶς, ὁ δὲ ἕτερος ἐν αὐτῷ τῷ σηκῷ πλησίον τοῦ ἕδους. *Et nunc altera*, ara, *est in vestibulo Minervæ: altera in ipso delubro prope marginem seu murum.* Sic enim placet interpretari. Juventuti autem non modo ara, sed etiam ædicula ibidem fuit. Plinius [1]: *Proserpinæ tabula fuit in Capitolio in Minervæ delubro supra ædiculam Juventutis.* Terminus autem, rude videlicet saxum, sed cultum pro numine, ne quid supra se præter cœlum haberet, foramen illi impendens in templi tecto fecere. De eo Ovidius [2]:

> *Nunc quoque, se supra ne quid nisi sydera cernat,*
> *Exiguum templi tecta foramen habent.*

Ad hæc tres illæ sedes muneribus exornabantur [3], quorum aliqua fornicibus & cameris superponere duntaxat oportuit. Sic Livius: *Quadrigæ*, inquit, *auratæ positæ in Capitolio in cella Jovis, supra fastigium ædiculæ.* Quoniam ergo tres cellæ inter se distinctæ fuerunt, num communi templi pariete clausæ, illique affixæ? quod sensit Lipsius. Equidem potius a templi pariete secretas dixerim; pertinet enim ad decorem ornatumque templi, cellarumque majestatem, ut libero undique transitu, trium Deorum delubra in medio relinquerentur; a muro quidem totius templi secreta, communibus autem parietibus inter se conjuncta, ut testatur Dionysius [4]: Ἐν δὲ αὐτῷ τρεῖς ἔνεισι σηκοὶ παράλληλοι κοινὰς ἔχοντες πλευράς. μέσος μὲν ὁ τοῦ Διός. παρὰ ἑκάτερον δὲ τὸ μέρος ὅ, τε τῆς Ἥρας, καὶ ὁ τῆς Ἀθηνᾶς, ὑφ' ἑνὸς ἀετοῦ καὶ μιᾶς στέγης καλυπτόμενοι. *In ipso autem tres cellæ pares sunt communia habentes latera. media quidem Jovis, ex utraque parte, altera Junonis, altera Minervæ, opertæ uno fastigio atque tecto.* Hic sane, ne id omittam, ἀετὸς *fastigium* seu *cimatium* templi significat; quod nempe triangulari forma supra rectam coronam attollitur instar volantis aquilæ. At cum Tacitus ait [5], *sustinentes fastigium aquilæ veteri ligno*, veras aquilarum effigies e ligno factas fastigiique coronæ subjectas, intelligit. Nam quid viri docti [6] hac super re nos monere voluerint, non bene percipio. Sed de sacellis infra commodius.

CAP. V.

Templi gradus.

CAPITOLINO Templo fuisse gradus exploratum est, quibus in ejus vestibulum ascenderetur. Livius cum dixisset, Annio Latinorum Prætori, ac Legato datum in Templo Jovis Senatum, subdit [1]. *Cum commotus*, Annius, *ita se ab vestibulo Templi citato gradu proriperet, lapsus per gradus capite graviter offenso impactus imo ita est saxo, ut sopiretur.* Vellejus [2]: *ex superiore parte Capitolii summis gradibus insistens.* Vitruvius [3] quidem non quærit, an gradus templis sint apponendi, sed tanquam necessariam partem eos ponit; quod, ut ibi interpres, non parum faciat ad majestatem & dignitatem templi, si a cætero urbis solo extet [4]. Verum in re tam certa ob varias eruditorum sententias exorta controversia est. Lipsius enim centum gradus ex Tacito constituit. *Ergo*, inquit, *ab ea quoque parte*, Foro Romano, *centum gradus, quibus, ut Tacitus, atque alii, superbe adibatur. Gradus autem isti haud dubie ad majestatem: eoque, & in aliis templis, etsi pauciores, soliti usurpari. Sed ibi ratio, hic necessitas & locus editior voluerunt.* Verba autem Taciti sunt illa, de quibus supra: *Qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur.* Alii vero qui sint auctores saltem antiqui hujus rei testes, non bene teneo. Forte Dionem Lipsius intelligit: ubi *Cæsar*, inquit [5], triumphans *gradus in Capitolio genibus ingressus conscendit*. Et de Claudio Cæsare [6]: *Tum per*

1 Lib. 3. de adm. c. 5. 2 Capitolium & Templum Jovis quo modo Forum & orientem spectarent. 3 Oblique spectabant etiam meridiem. 4 Tres Ædiculæ intra Templum. 5 Quæ & Templa dicta. 6 Lib. 2. 7 Clavus figi solitus in Capitolio pro nota annorum. 8 Lib 3.

1 Lib. 35. c. 10. 2 2. Fast. 3 Ædicularum ornamenta. 4 Lib. 4. 5 3. Histor. 6 Justus Riquus.

1 Lib 8. 2 Loc. sup. cit. 3 Lib. 3. c. 2. 4 Gradus templis addunt dignitatem. 5 Lib. 8. 6 Lib. 60.

gradus in Capitolio genibus ascendens. Quibus locis A allatis auctor Eminentissimus Cardinalis Baronius [1] in eadem quoque sententia est, ut putet centum Taciti gradus a Foro incœpisse: hoc tamen discrepans, quod his ascensum tribuat in Junonis Monetæ, non autem Jovis Capitolini templum. De quibus gradibus Ovidius [2]:

Candida te niveo posuit lux proxima templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus.

Deinde vero Baronii vestigiis cum institerit Riquus [3], Lipsiique verbis, quæ citavi, allatis: *Quo equidem in loco*, inquit, *vir magnus*, Lipsius, *centum* B *gradus ad Monetæ cum gradibus Jovis Capitolini confudisse videtur. Alia tamen omnia, ut sentiam, M. Varronis apud Agellium* [4] *verba faciunt in epistola ad Sulpitium: In memoria sibi esse, quod Q. Catulus curator restituendi Capitolii dixisset, voluisse se aream Capitolinam deprimere, ut pluribus gradibus in ædem conscenderetur, suggestusque pro fastigii magnitudine altior fieret; sed facere id non quisse, quoniam favissæ impedissent. Id esse cellas quasdam & cisternas, quæ in area sub terra essent, ubi reponi solerent signa vetera, quæ ex eo templo collapsa essent, & alia quædam religiose donariis consecratis*. Ex quo infert Riquus, gradus templi ad aream usque Capitolinam C solum fuisse demissos. Si enim ad Forum usque tota collis altitudine descendissent, Catulus, qui gradus augere voluit, non aream in monte deprimere, sed Fori vallem ipsam debuisset.

Equidem cum arbitrer gradus ad Forum pertingere non potuisse, hac tamen ducta ex Gellio ratione parum urgeri Lipsium judico. Ille enim non continuatos gradus, sed intermissos, & subinde per intervalla planis areolis retractos constituit, in quibus consisterent ascendentes ac respirarent. Cur ergo non diceret, gradus a Foro ad aream usque Capitolinam fuisse minoribus retractionibus interstinctos D: ibi vero, ubi erant favissæ, in plateam laxatos, ut ex ea ad templi vestibulum minores identidem areolas & præcinctiones haberent? Ut hodieque ad Ædem D. Petri Vaticanam extructos videmus gradus. Area enim perampla & intermedia dividuntur, neque carent retractionibus qui magis distant a templo. Catulus ergo poterat magis aream Capitolinam deprimere, ut, diminutis gradibus, qui ab illa pertinerent ad Forum, pluribus ab eadem ascenderetur in templum, nisi favissæ impedissent. Hæc pro Lipsio dicta.

Nec tamen ad ejus sententiam accedo [5]. Nam apud Tacitum sermo non est de gradibus templi Jovis E Capitolini, vel Junonis Monetæ; sed de iis, quibus adiretur Tarpeja rupes ab occidente, fluvium versus. quod Vitellianorum militum pugna, quam ibi historicus narrat, perspicue demonstrat. Hi enim cum Capitolium invasissent, ut supra dicebam, relicto clivo Capitolino, a quo repulsi fuerant, juxta Asylum, & paulo remotius, per gradus Tarpejæ rupis ascendere cœperunt, *sed propior*, inquit, *atque acrior per Asylum vis ingruebat*: cum milites per vicinius Asylum irrumpere, quam per centum illos gradus remotiores mallent.

Ad hæc invenio apud Livium bis [6] Arcem e Foro fuisse oppugnatam, semel a Romanis ipsis, cum ab F exulibus Herdonio quodam duce teneretur; iterum a Gallis, reliqua Urbe incensa atque eversa. Verum tam Galli, quam Romani per clivum Capitolinum aciem direxisse dicuntur, nulla graduum facta mentione. Cum tamen per hos latos & expeditos facile potuissent in Capitolium evadere.

1 In annot. ad Martyrol. die 14. Martii. 2 1. Fast. 3 Cap. 12. 4 Lib. 2. c. 16. 5 Templum Jovis non habuit gradus demissos in Forum. 6 Deca 1. lib. 3. Deca 1. lib. 5.

Sed quod vehementius urget, si templi Capitolini gradus incœperunt a Foro, ibi triumphantes duces e curru descendere debuerunt, perque eos cum reliqua comitantium turba in templum ascendere. Nam ad templum Jovis desinebat triumphus, cujus pars gradus erant. Atqui triumphantes curru ascendebant [1] in montem Capitolinum e Foro. Cicero [2]: *At etiam qui triumphant, eoque diutius hostium duces servant; tamen cum de Foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent, idemque dies, & victoribus imperii, & victis finem vitæ facit*. Eumenius [3]: *Renovasti, Imperator, veterem illam Romani Imperii fiduciam, quæ de captis hostium ducibus vindictam morte sumebat: tunc enim captivi reges, cum a portis usque ad Forum triumphantium currus honestassent, simulatque in Capitolium currum flectere cœperat Imperator, abrepti in carcerem necabantur*. Neque enim, ut hoc etiam attingam, sacrificium fiebat a triumphante in Capitolio, nec templum inibatur, antequam constaret, teste Josepho [4], aliquem e captivis hostibus fuisse trucidatum. Sed de ascendentibus curru in Capitolium Livius [5]: *Quod si*, inquit, *in curru scandentes Capitolium auratos purpuratosque ex inferiore loco L. Paulus in turba togatorum unus privatus interroget*. Ovidius [6]:

Te quoque victorem Tarpejas scandere in arces,
Læta coronatis Roma videbit equis.

Lucanus de Pompejo, qui ter triumpharat [7]:

Non domitor mundi, nec ter Capitolia curru
Invectus. &c.

Ibidem paulo post:

Non mihi nunc tellus, Pompejo si qua triumphus
Victa dedit, non alta terens Capitolia currus.

Ibidem paulo post de Catone per Africam iter faciente:

Hunc ego per Syrtes Libyesque extrema triumphum
Ducere maluerim, quam ter Capitolia curru
Scandere Pompeii.

Flavius Vopiscus [8]: *Fuit alius*, inquit, *currus quatuor cervis junctus, qui fuisse dicitur regis Gothorum, quo, ut multi memoriæ tradiderunt, Capitolium Aurelianus invectus est, ut illic cæderet cervos, quos cum eodem curru captos vovisse Jovi ferebatur*. Similia passim occurrunt; ut apud eos, qui de rebus Romanis scripserunt, in confesso sit triumphantem curru ascendisse, non per ullos gradus in Capitolium. Neque vero negocium facessunt allati supra Dionis a me loci. Ex quibus valde miror, Julium Cæsarem Bulengerium virum eruditissimum universe deduxisse, eum morem servari solitum a triumphantibus, ut per gradus ascenderent in Capitolium. Nam etsi daremus, quod tamen inficiamur, Cæsarem & Claudium genibus ascendisse per gradus, non propterea triumphantes omnes ascenderunt. Verum & ipse Claudius, & Cæsar more majorum per clivum Capitolinum curru in Arcem invecti, deinde per gradus ab area Capitolina in templum genibus ascenderunt. quod ipsa Dionis loquutio innuit. *ἀναβαθμοὺς, τοὺς ἐν τῷ Καπιτολίῳ. gradus, qui sunt in Capitolio*. id est, in ipso templo Capitolino. *Hos*, inquit Dion, *Cæsar genibus ingressus ascendit, nulla neque currus, qui ei ex adverso Jovis positus fuerat, neque imaginis Orbis terrarum pedibus suis subjectæ, neque inscriptionis ejus* [9] *habita ratione*. Hæc autem erant in templo Jovis, in quo & gradus. Multo

1 Triumphantes curru ascendebant in Capitolium. 2 7. Verr. 3 In Paneg. ad Constantin. 4 Lib. 7. Jud. Antiquit. c. 24. 5 Dec. 4. l. 5. 6 2. de Pont. El. 1. 7 Lib 9. 8 In vita Aureliani. 9 Inscriptio erat: *Semideus est*.

minus affirmandum est, quod loco citato idem Julius Cæsar retulit ex Cedreno; nempe *gradus Capitolii fuisse trecentos sexaginta quinque*. Hic enim Græcus auctor falsa aliqua vulgi opinione ac fama deceptus est, cum Tacitus Romanus, & Romæ scriptor in rupe Tarpeja, ubi mons erat editissimus, centum numeret. Itaque si cœpissent a Foro, plures centum non fuissent. Ego vero ex his, quæ dixi, nullos a Foro, aliquot ab area Capitolina fuisse mihi persuadeo. Ubi ergo [1], quæret aliquis ponendi sunt centum illi gradus Taciti? Ubi idem ille positos tradit; nempe ad rupem saxumque Tarpejum, prope veterem Carmentalem portam, & theatrum Marcelli ad Occidentem. Rupis enim Tarpejæ nomine significatur abrupta illa, & abscissa pars montis, quæ vergit ad Tiberim. Quamquam hac ætate saxi Tarpeii reliquiæ exiguæ supersunt propter ædificiorum, atque adeo ipsius montis prolapsiones. Saxum enim tophinum est, quod paucis ante annis, cum fossores proxime cæderent ad ædificandum, factam egestione cavernam vidi ipse, dehiscente lacunati lapidis pondere, obstrui cæmentorum ruina, ultimo pæne exitio operarum.

Atque ex his postremo intelligitur, nec templi Capitolini gradus in Forum descendisse; neque eos Junonis Monetæ, qui potius ad Orientem spectabant, ut infra dicam, cum gradibus Tarpejæ rupis esse permiscendos.

1 Centum gradus Capitolii alieni a Foro pertinebant ad Rupem Tarpejam.

CAP. VI.

Templi Capitolini exteriora ornamenta.

ORNAMENTA Templi exteriora, & interiora sunt. Primum de primis. Extra fuere porticus [1], non modo quæ templi frontem, sed quæ latera cingebant. Illæ triplices, hæ duplices fuere, ut supra dicebam ex Dionysio. Tacitus [2]: *Inde lapsus ignis in porticus appositas ædibus*. Virgilius [3]:

Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus &c.

Hoc enim, ut notat Servius, retulit Poeta ad tempus florentis reipublicæ, cum inauratæ sunt. Sed quæ ibi auro lita [4]? nempe opus maormoratum, & toreumata in parietibus, & laquearia. Quod enim scripsit Plinius [5]: *Post Carthaginem eversam laquearia in Capitolio inaurata esse*, non solum de interiore templo est intelligendum, sed etiam iis, quæ extrinsecus adstructa fuerant. *Parietes quoque jam tamquam vasa inaurantur*, ait idem. Ad hæc in zophoris, & coronis, in fronte, fastigioque templi multa inaurata esse oportuit. Ideo enim aliqua ex his fiebant e ligno. Vitelliano quidem incendio, ut supra ex Tacito referebam, *sustinentes fastigium aquilæ, vetere ligno, traxere flammam*. Cæterum porticus Capitolinas Roma primum extructas vidit, molitore Scipione Nasica, ut ait Vellejus [6]. Sed dubium est, an præter has veluti templi exteriores alas, aliæ fuerint in atrii formam circum aream aut saltem ad areæ latus erectæ. Nam in his porticibus a triumphante post sacrificia & cæremonias in templo peractas, depositamque lauream in sinu Jovis, [7] dabatur publicum epulum senatoribus & principibus viris. Quo moris erat & consules vocare: deinde rogare, ut venire supersederent, ne quis eo die majoris in eodem convivio esset imperii, quam triumphator.

1 Porticus Templi Capitolini. 2 3. Histor. 3 8. Æneid. 4 Multa inaurata in Capitolio. 5 Lib 23. cap. 3. 6 Lib. 2. 7 Triumphantes, antequam domum redirent, cœnabant in Capitolio.

De eo cœnandi more Zonaras: *Triumphans*, inquit, *in Capitolium vehebatur, ibique aliquot cæremoniis peractis, & donariis dedicatis, cum in porticibus ibi cœnatum esset*, καὶ παρὰ τῷ ἐκεῖ δειπνῆσαι στοαῖς, *vesperi tibiis & fistulis antecedentibus domum redibat*. Appianus in Libyco, de Scipione Africano, *Ubi vero*, inquit, *Capitolium ascendit Scipio, finita pompa epulum amicis ex more in templo præbuit*. ἐς τὸ ἱερὸν. *ad*, vel *apud templum*. Bulengerius [1] ad Zonaræ verba respiciens, vertit, *in Templi porticibus*. Quo tempore nondum Scipio Nasica suas porticus extruxerat: quas postea, ut credibile est, addidit templo, peramplo peristylo circumductas, ut atrium in medio constitueretur angulare ac patens. Quod forsitan est Atrium publicum, de quo Livius [2]: *Tactum de cœlo Atrium publicum in Capitolio*. Itaque Scipio Africanus in ipso templi pronao & vestibulo dedisse convivium credendus est, idemque ante illum alii triumphantes fecisse. Id significat, ἐς τὸ ἱερὸν. neque enim dixerim templum illud ante Nasicam instructum adeo & exornatum, ut triplicem in fronte, duplicem in latere porticum habuerit; quæ fortassis usque ad Syllam simplices fuere.

Eidem Templo eximium splendorem inauratæ tecti tegulæ [3] addidere, quas æreas in instauratione Capitolii Q. Catulus primus inauravit, teste Plinio; ideoque, *fulgentia, micantia, aurea* passim dicuntur a poetis Capitolia, aliisque scriptoribus. In summo fastigio fuere quadrigæ primum fictiles, tum ex ære inauratæ, potius quam e marmore. Sub fastigio aquilæ id sustinentes, aliaque coronarum, & epistyliorum ornamenta item inaurata, ut fulgente sole, splendido lucis repercussu oculos non tam perstringerent, quam in admirationem animos perducerent. Claudianus tertio Panegyr. in Stiliconem:

——— quæ luce metalli
Aemula vicinis fastigia conserit astris.

Rutilius [4]:

Confunduntque vagos delubra micantia visus.

Ærea præterea fuere portarum limina, de quibus Livius: *Fœneratores aliquot mulctatos, & ex eo, quod in publicum redactum esset, ænea in Capitolio limina ædiles posuisse*. Fores item cælatæ magno artificio, laminis aureis magni ponderis obductæ, quas Stilico auferendas curavit. Tanta ædificii magnificentia crevit reficiente Vespasiano. Et post tertium incendium, Domitiano. Tunc enim, ut de reliquis judicium fiat, τὸ τῆς χρυσώσεως ἀνάλωμα πλέων, ἢ δισχιλίων καὶ μυρίων ταλάντων γενόμενον, ut ait Plutarchus [5]. *Inaurationis sumptus plusquam duodecim millium talentorum fuit*. id est, *plusquam septem millionum, & ducentorum millium aureorum*; cum talentum sexcentis coronatis nostris æstimetur, ut ait Budæus.

Postremo quæres, quomodo certum sit, ad templum Jovis fuisse nobile atrium cum porticibus? an hæ alibi in Capitolio statui possint cingentes *atrium publicum*, cujus meminit Livius? Respondeo probabile esse, præter porticus appositas templo Capitolino, alias fuisse propter loci dignitatem, quæ atrium constituerent ad ipsum templum; & has fortasse a Nasica extructas. Sed quia in eam Capitolii partem, quæ inter duos vertices depressior est, frequenter populus ad conciones & suffragia ferenda, aliasque ob causas conveniebat; probabile etiam est, porticus ad instar fori ibi fuisse ambientes aream, ubi nunc

1 De Triumph. c. 33. 2 Decad. 3. Lib. 4. 3 Tegulæ ex ære in Capitolio inauratæ. 4 In itinere. 5 In Valerio Publicola.

equestris Marci statua & ædes Conservatorum ; locum etiam illa tempestate ampliorem propter substructiones, quæ undique Capitolium sustinebant. Hoc ingens atrium cinctum porticibus an potius sit dicendum *publicum*, dubitaverim. Quo etiam loco, & ad templum Jovis factum dixerim, quod de Cæsare narrat Suetonius [1], *comitium ac forum basilicasque, etiam Capitolium ornavit porticibus ad tempus extructis, in quibus abundante rerum copia, pars apparatus exponeretur.*

1 In vita ejus cap. 10.

CAP. VII.

Templi ornamenta interiora.

JAM intra templum occurrunt primum tres cellæ seu minora delubra [1]. His vestibulum erat juxta allata Dionysii verba [2], *ἐν προνάῳ τῆς Ἀθηνᾶς*. Quod ita est intelligendum, ut ibi, sicut in cæteris templis, brevis esset in fronte porticus, qua adiretur delubrum; effulta videlicet columnis, coronis, epystilio, fastigioque sublata. Fastigii ædes Jovis meminit Livius [3]: *De mulcta*, inquit, *damnatorum quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ in cella Jovis supra fastigium ædiculæ, & duodecim clypea inaurata*. At cellæ curvatæ in fornicem æqualiter se mutuo terminabant, media Jovi, dextera Minervæ, sinistra Junoni. Id vetera numismata & scriptores demonstrant. Livius [4]: *Fixus fuit clavus, dextero latere ædis Jovis Opt. Max. ea parte, qua Minervæ templum est*. Onuphrius in Urbe Roma: *Templum Jovis Capitolini, alias Opt. Max. in quo erant tria delubra, medium Jovis, dextrum Minervæ, lævum Junonis, ibique in arca lapidea servabantur libri Sibyllini*. in cella tamen subterranea, ut ait Dionysius [5]. Jam statua Jovis [6] sedens in curuli sella primum fuit, ut ait Juvenalis,

Fictilis, & nullo violatus Juppiter auro.

Plinius [7]: *Turianumque a Fregellis accitum, cui locaret Tarquinius Priscus effigiem Jovis in Capitolio dicandam. Fictilem tum fuisse, & ideo miniari solitum, Fictiles in fastigio templi ejus quadrigas.* Ovidius [8]:

Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

Sed postea decemvirorum monitu decretum fuit: *Fulmen Jovi aureum quinquaginta pondo fieret: Junoni, Minervæque ex argento*, ut Livius [9]. Inde *fulminans* dictus Jupiter. Idem sceptrum gerebat manu oblongum in similitudinem hastæ, ut vetera numismata ostendunt. Suetonius [10]. *Sequenti*, inquit, *nocte statim videre visus est*, Octavius, *filium mortali specie ampliorem cum fulmine, & sceptro, exuviisque Jovis Opt. Max. ac radiata corona*. Et ad signum Junonis videtur Ovidius respexisse [11]:

Cur igitur regina vocor, princepsque dearum?
Aurea cur dextræ sceptra dedere meæ?

Dubitationem tamen non levem injicit Suetonius, qui eidem Jovi parvum Reipublicæ seu Romæ sigillum attribuit; ut me vidisse memini in antiquis Domitiani aliorumque nummis. Quod simulacrum, qua manu teneret non video, si altera fulmen, altera sceptrum gerebat. *Somniavit*, inquit, [12] *Catulus Jovem Opt. Max. prætextatis compluribus circum aram ludentibus unum secrevisse, atque in ejus*

1 Tres cellæ in Templo Capitolino. 2 Lib. 3. 3 Dec. 4. l. 5. 4 Lib. 7. 5 Lib 4. 6 Statua Jovis fictilis. 7 Lib. 35. c. 13. 8 1. Fast. 9 Lib. 2. Decad. 3. 10 In Octavio Aug c 91. 11 6. Fastor. 12 Eodem capite.

A *sinum signum Reipublicæ, quod manu gestaret, reposuisse*. Idemque Dion testatur [1]. Sed fortasse illi modo sceptrum, modo fulmen gestandum dabant. Cum utroque enim exprimitur in numismatis. Erat præterea statua sessilis, ut veteres nummi demonstrant. Quamquam & hi stantem cum Pallade ac Junone designant. Sed nihilominus sedere dicenda est in sella curuli, sive throno, ut loquuntur auctores; sicque in ejus gremio percommode laurea corona [2] deponebatur a triumphantibus. Seneca [3]: *Scilicet minus beate vivebat Dictator noster, qui Samnitum legatos audiit, cum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret, illa, qua jam sæpe hostem percusserat,*
B *laureamque in Capitolini Jovis gremio reposuerat*. Dion [4]: *In Capitolium ascendens*, Augustus, *lauream fascibus detraxit, & ad Jovis eam genua apposuit*. Plinius [5]: *Ex his in gremio Jovis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam nova victoria attulit*. Latinus Pacatus in Panegyr. ad Theod. *Depositis in gremio Capitolini Jovis laureis, triumphales viri rusticabantur*. Plinius: Trajani lauream *Nerva in gremio Jovis collocarat*. Statius [6]:

Nondum gremio Jovis Indica laurus.

Idem simulacrum quercea corona aurea coronabat.
C Id Justus Riquus c. 16. de Capitolio, probat ex Plautinæ Trinummi allatis versibus [7]:

Nam nunc ego si te surripuisse suspicer
Jovi coronam de capite e Capitolio,
Quod in culmine astat summo, &c.

Quos alii aliter componunt. Auream, pergit idem, opinor eam coronam fuisse, ad similitudinem Hetruscarum, quas Tertullianus noster descripsit libro de Corona Militis: *Hoc vocabulum est coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Jovem insignes, ad deducendas thensas cum palmatis togis sumunt*. Quercum certe Jovi dicavit antiquitas, ideo-
D que in ludis Capitolini Jovis corona dabatur e quercu. Juvenalis [8]:

An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, &c.

Martialis [9]:

Perque manus tantas plurima quercus eat.

Idem [10]:


O cui Tarpejas licuit contingere quercus.

Ex eadem vero arbore corona civica data est, nem-
E pe civi, qui civem servasset; *quoniam cibus, victusque antiquissimus quercus capi solitus est*, ut ait Gellius [11]. Demum toga palmata, & triumphali vestiebatur Capitolinus Juppiter; quam qui ferret, ferre exuvias, & ornatum Jovis dicebatur, aut etiam, ut Suetonius, *Jovis tunicam & exuvias Deorum*. Nam Prætores, Consules, Triumphantes de templo Jovis Capitolini prætextam, pictamque togam accipiebant, quæ & Capitolina dicta est. Lampridius: [12] *Prætextam, & pictam togam nunquam nisi consul accepit, & eam quidem, quam de Jovis templo sumptam alii quoque accipiebant, aut Prætores, aut Consules. Quamquam Gordianus senior primus Ro-*
F *manorum privatus suam propriam habuerit, cum ante Imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio* [13].

Sed quandiu mansit fictilis hic Romanorum deorum Augustus? Riquus exigua sane conjectura putat, exemplo Olympici Jovis primo eboreum, post devictam Asiam aureum factum a Trajano. Mihi

1 Lib. 45. 2 Lauream triumphantes deponebant in gremio Jovis. 3 De Consol. ad Helv. c. 10. 4 Lib. 54. 5 Lib. 15. cap. 30. 6 4. Silv. 7 Act. 1. sc. 2. 8 Sat. 6. 9 Lib. 4. Epigr. 1. 10 Et ep. 54. 11 Lib. 5. c. 6. 12 In Alexandro Severo. 13 Interpretes Juven. loc. cit.

pro-



BASIS COLVMNÆ
ROSTRATÆ
DVILII
REBVS GESTIS
INSCRIPTA:
HODIE
IN
CAPITOLIO.

probabile eſt poſt Syllæ reſtitutionem ſemper aureum fuiſſe [1]; periiſſe enim & ſtatuam Jovis civili illo incendio, teſtis eſt Plutarchus [2]. Nam Catulus qui templi tegulas inauravit, cur Jovem auro illuſtrare noluit? cum præſertim ſtatuarum inauratarum uſus multo ante in Urbe cœpiſſet. Et poſtea Domitianus, cum ſtatuas ſibi nonniſi aureas & argenteas dicari pateretur, magnificentiſſimus Capitolii reſtitutor aurum Jovi adimebat? *Paulo ante*, notat Plinius in Panegyrico, *aditus omnes, omnes gradus, totaque area hinc auro, hinc argento relucebat, ſeu potius polluebatur; cum injuſti Principis ſtatuis permixta Deorum ſimulacra ſorderent*. Itaque ante Syllam dictatorem, an illud ſimulacrum ex ebore fuerit, devicta Aſia conformatum; an antiquum illud fictile religio conſervarit, incertum duxerim. Fictile tamen tum potius dixerim; a Sylla, vel Catulo nonniſi aureum factum fuiſſe affirmarim. Quod ſi Martialis, cum deos pro Nerva Trajano precaretur, ait [3]:

Scriptus es [4] *æterno nunc primum, Juppiter, auro.*

id referendum eſt ad æternitatem, non autem ad operis novitatem. Significat enim Jovem tunc ex auro conflatum diu duraturum, cum incendium alios cito conſumpſerit, qui vel Sylla Dictatore, vel Veſpaſiano, aut etiam Domitiano Principe conflati fuerant. Porro ejuſdem Templi eximia, & innumera ornamenta recenſere mei negotii non eſt, quæ Marlianus, Lipſius, & Riquus [5] multo fuſius proſequutus eſt. Hæc fuere ſimulacra tum hominum, tum Deorum e marmore, varioque metallorum genere. P. Victor: *Capitolium, ubi omnium deorum ſimulacra celebrantur*. Cicero [6]: *cum in Capitolio, & ſimulacra Deorum immortalium depulſa ſunt, & ſtatuæ veterum hominum dejectæ*. Clypei etiam, & vaſa ſummorum artificum; gemmarum, & auri rudis ac ſignati vis maxima, vel coronarii, veſtes & picturæ admirandæ. Hæc vel a victoribus, & triumphantibus, vel a magiſtratibus & ſenatu mulctæ, muneris, aut voti cauſa oblata [7]. Ut cum quadrigæ aureæ in Capitolio, auctore Livio [8], poſitæ ſunt. Auguſtus [9] *in cellam Capitolini Jovis XVI. millia pondo auri, gemmaſque, ac margaritas quingenties HS. una donatione contulit*. Vel ab externis Regibus & Civitatibus miſſa. Ut cum Carthaginenſes coronam auream pondo XXV. Attalus rex alteram pondo CCXLVI. Philippus Macedonum rex pondo C. Alabandenſes pondo L. Lampſaceni pondo LXXX. Pamphylus alteram ex XXX. millibus Philippeorum factam. Hiero Syracuſarum rex Victoriam auream pondo CCCXX. Livio auctore [10]. Ariſtobolus Judæorum Princeps vitem auream quingentorum talentorum. Ægyptii coronam quatuor millium aureorum, Joſepho referente [11], & alii paſſim alia reges, populi, Cæſares obtulere. Inibi tabulæ æneæ legum. Julius Obſequens [12]: *Tabulæ legum æneæ litteris liquefactis*. Cicero [13]: *& legum*

1 Statua Jovis facta ex auro. 2 In libello de Iſide & Oſiride. 3 Lib. 11. Ep. 5. 4 Vel ut alii legunt *ſculptus es*. 5 Marlian. libro 2. c. 5. 6. 7. Lib. de Magnit. Rom. c. 5. De Capit. Rom. cap. 21. 6 3. Catil. 7 Oblata munera Capitolio. 8 Dec. 3. l. 9. 9 Sueton. in V. cap. 30. 10 Livius Dec. 1. lib. 7. Dec. 4. l. 2. Dec. 4. l. 6. Dec. 5. l. 3. Dec. 5. l. 4. Dec. 3. l. 2. 11 Lib. 14. Judæar. Antiq. cap. 4. 12 De prodigiis. 13 3. in Catil.

æra liquefacta. Statuæ regum Romanorum [1], quibus poſtea Cæſaris & Auguſti adjectæ ſunt. Plura etiam Jovis ſimulacra. Præneſtini, quod T. Quintius dictator Præneſte advectum inter cellam Jovis, & Minervæ dedicavit. Jovis Imperatoris, quod a Tito Flaminio impoſitum Columnæ ſummopere laudatur a Cicerone. Jovis ænei, quod Spurius Carvilius ex ocreis, galeis, pectoralibus Samnitium conflavit. Sed hæc duo in area extra templum fuere. De illo Julius Obſequens [2]: *In Capitolio lupam Remi & Romuli fulmine ictam, ſignum Jovis ad Columnam disjectum*. Quod poſtea refectum excelſius collocatum, & ad Forum converſum memorat Cicero. At Carviliani tanta fuit amplitudo, *ut*, quod ait Plinius [3], *conſpiceretur a Latiario Jove*. Hunc *Latialem* putat Riquus, qui in monte Albano colebatur, & pro *Latiario* reponit. Sed Latiaris Juppiter in Quirinali, opinor, fuit. Collis enim Quirinalis, aliqua ſaltem ſui parte, dictus eſt *Latiaris*, ut conſtat ex Varrone [4]. Latiaris autem Jovis in eo colle fortaſſe delubrum fuit, quod *Capitolium vetus* dicebant. Ibi enim Juppiter, Minerva, & Juno, ut in Capitolino colle, colebantur. Potuit autem Tarpejus ille & excelſus Juppiter a Latiario videri, quia propter propinquitatem loci, facilis eſt e Quirinali in Capitolium aliquo ſaltem ſigno proſpectus. At contra ex Albano illa tempeſtate videri, credo, non poterat, interjectis Palatino & Cœlio, quos præalta ædificia editionis olim, quam hodie, fecerant; præſertim Palatinum, in quo Auguſtales Cæſarum ædes altitudinem turrium, templorumque Capitolinorum, vel æquaverant, vel exceſſerant. In eadem area [5] Capitolii Hercules coloſſeus Tarento a Fabio Maximo, & Apollo triginta cubitorum a Lucullo ex Apollonia Ponti urbe translatus. Inibi, ſeu potius in adjunctarum porticuum intercolumniis inauratæ equeſtres ſtatuæ a Metello poſitæ, de quibus Cicero ſcripſit [6]. Tantus denique ſtatuarum numerus viris illuſtribus locatarum [7], ut Auguſtus ex area Capitolina propter anguſtias in Martium Campum tranſtulerit, referente Suetonio [8]. Ibidem æreæ columnæ Roſtratæ quatuor [9], quas conflatis navium roſtris confecit Auguſtus, quæ poſtea a Domitiano ſunt locatæ, ut ait Servius [10]. Virgilius:

Navali ſurgentes ære columnas.

Quamquam Servius: *Roſtratas Julius Cæſar poſuit victis Pœnis navali certamine, e quibus unam in roſtris, alteram ante Arcum videmus a parte januarum*. Claudianus [11]:

Æraque veſtitis numeroſa puppe columnis
Conſita, &c.

Columnæ Roſtratæ meminit etiam Livius [12]: *Nocturna tempeſtate columna Roſtrata in Capitolio toto ad imum fulmine diſcuſſa eſt.*

1 L. Bruti qui Reges expulit, ſtatuæ Coloſſeæ in Capitolio. 2 De prodigiis. 3 Loc. cit. Lib. 34. cap. 7. 4 Lib. 4. de ling. lat. & ibi Scal. 5 Plin. l. 34. cap. 7. 6 Lib. 6. ad Att. ep. 1. 7 Vide Marlian. lib. 2. c. 7. ſec. edit. 8 In Calig. cap. 34. 9 Columnæ æreæ Roſtratæ in Capitolio. 10 3. Georg. 11 De 6. Conſ. Honor. 12 Dec. 5. lib. 2.

Inſcriptio in baſi Columnæ Roſtratæ a PETRO CIACONIO *ſuppleta.*

C. DVILIOS. M. F. M. N. COS. ADVORSO. CARTACINIENSIS. IN. SICELIAD
REM. CERENS. AICESTANOS. COCNATOS. POPLI. ROMANI. ARTISVMAD
OBSEDEONED. EXEMET. LECIONES. CARTACINIENSIS. OMNEIS
MAXIMOSQVE. MACISTRATOS. LVCEIS. BOVEBOVS. RELICTEIS
NOVEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACELA. MOENITA. VRBEM
PVCNANDOD. CEPET. ENQVE. EODEM. MACISTRADOD. PROSPERE

REM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. CESET. REMECOSQVE
CLASESQVE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PARAVFTQVE. DIEBOVS. LX
CVMQVE. EIS. NAVEBOS. CLASEIS. POENICAS. OMNEIS. PARATASQVE
SVMAS. COPIAS. CARTACINIENS S. PRAESENTED. MAXIMOD
DICTATORED. OLOROM. IN. ALTOD. MAR D. PVCNANDOD. VECET. XX
XIQVE. NAVEIS. CEPET. CVM. SOCIEIS. SEPTERESMOSQVE. DVCIS
QVINRESMOSQVE. TRIRESMOSQVE. NAVEIS. XX. DEPRESAI
AVROM. CAPTOM. NVMEI. CIↃ. CIↃ. CIↃ. DCC.
ARCENTOM. CAPTOM. PRAEDA. NVMEI. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ
ORAVE. CAPTOM. AES. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ.
ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ.
ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. ccclɔɔɔ. P.
TRIOMPOQVE. NAVALED. PRAEDAD. POPLOM. ROMANOM. DONAVET
CAPTIVOS. CARTACINIENSIS. INOENVOS. DVXET. PRIMOSQVE
CONSOL. DE. SICELEIS. CLASEQVE. CARTACINIENSEOM. TRIOMPAVET.
OB. ASCE. RES. S. P. Q. R. COLOMNA. IN. FORO. POSEIVEIT.

A Demum, ut in Templum redeam, ibi ducum tropaea etiam aurea, arma, & hostium spolia affixa cernebantur. Tabulae vero pictae, aut res gestas & titulos victorum referebant, aut e Provinciis propter laudatos artifices transferebantur.

CAP. VIII.

Jovis Custodis, Junonis Monetae, & Fortunae templa.

JOVIS Custodis templum aedi Capitolinae adjectum est. Ibi enim templi fundator servatus est
B Domitianus Vitelliano bello. *Confugit*, inquit Suetonius [1], *in Capitolium; sed irrumpentibus adversariis, & ardente templo apud aedituum clam pernoctavit; ac mane Isiaci celatus habitu, interque sacrificulos vanae superstitionis cum se trans Tiberim contulisset*, &c. Ideo, ut idem, *novam excitavit aedem in Capitolio*. Tacitus vero [2], *Domitianus*, ait, *solertia liberti, lineo amictu turbae sacricolarum immixtus, ignoratusque apud Cornelium Primum paternum clientem, juxta Velabrum delituit; ac potiente rerum patre, disjecto aeditui contubernio modicum sacellum Jovi Conservatori, aramque posuit,
C casusque suos in marmore expressit. Mox imperium adeptus Jovi Custodi templum ingens, seque in sinu Dei sacravit*. Frustra ergo quidam hoc templum, ubi sunt aedes Romani Senatoris, locarunt [3]. Nam cum Domitianus in ipso aeditui contubernio, ubi pernoctaverat, aedificarit; id profecto, templo Capitolini Jovis adjectum [4], aut in adjunctis aedibus esse debuit, non longe a rupe Tarpeja. De ambitu & figura templi nihil quod referam, legi. sed a Domitiano nihil nisi magnificum, ac splendidum parari potuit. Et vero non modo de Capitolino, sed de hoc etiam videtur loquutus Martialis [5]:

Pro Capitolinis quod enim tibi solvere templis?

cum in eodem colle propinqua essent.

Jam vero [6] Junonem *Monetam* a *monendo* prisci dixere. Cicero [7]: *Cum terraemotus factus esset, ut sue plena procuratio fieret, vocem ab Aede Junonis ex Arce extitisse. Quocirca Junonem illam appellatam Monetam*. Haec aedes in Arce fuit. Ovidius [8]:

1 In Vita Domitian. cap. 1. 2 Cap 5. Lib. 3. Hist. 3 Ut est apud Fulv. lib. 2. & Marl. lib. 2. cap. 4. 4 Templum Jovis Custodis Capitolino adjectum. 5 Lib. 4. Epigram. 4. 6 Templum Junonis Monetae. 7 1. de Divin. 8 6 Fast.

Arce quoque in summa Junoni templa Monetae
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.
Ante domus Manli fuerat, qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Jove.

Ibidem multo ante Tatius rex collega Romuli habitaverat [1]. Sed L. Furius Camillus, M. Furii Camilli filius cum Auruncis bellum gerens, *inter ipsam dimicationem*, ut ait Livius [2], *aedem Junoni Monetae vovit. Senatus duumviros ad eundem aedem pro amplitudine Pop. Rom. faciendam creari jussit. Locus in arce destinatus, quae area aedium M. Manlii Capitolini fuerat. Anno postquam vota erat, aedes Monetae dedicatur*. Eodem in loco, ut idem Livius [3], officina Monetae fuit. Ubi & Magistratuum linteos libros fuisse repositos tradit [4]. Caeterum aedes Monetae cum esset in summa Arce, descendentibus gradibus pertinebat ad aedem Concordiae sitam prope clivum Capitolinum & Forum Romanum. Ovidius de Concordia [5]:

Candida te niveo posuit lux proxima templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus.

Idque locum dubitationi fecit, unde ab imo inciperent gradus, & ubi ante templum desinerent, quod summa in Arce collocavit Ovidius.

Riquus quidem [6], ut gradus Monetae aedemque designaret, tria docet. Primum: clivum Capitolinum, quo ascendebatur in Capitolium, a Foro Romano, & aede Vestae, secundum Concordiae templum, centum gradibus ad rupem Tarpejam fuisse protensum: adducitque huc verba Taciti, *Tarpeja rupes centum gradibus aditur*. Alterum: hos clivi gradus, quia proximi erant templo Concordiae, appellatos Concordiae gradus. Tertium: cum his gradibus ascenderetur ad aedem Monetae templo Concordiae imminentem, in ipso Arcis ingressu fabrica-
D tam fuisse. Quibus gravis & eruditus auctor quatuor inter se miscere videtur, atque confundere: nempe clivum Capitolinum, de quo infra, gradus Tarpejae rupis, Concordiae, & Junonis Monetae, quae omnino separanda sunt. Et gradus quidem Tarpejae rupis, ut supra constitutum est, ad occidentem, Tiberim versus locati fuere, cum aedes Concordiae, ut hodieque apparet, aspiciat orientem, in altera dorsi Capitolini parte prope arcum Septimii.

Nullo autem modo gradus Concordiae & Monetae permiscendi sunt [7]. Nam aedes Concordiae, de qua loquitur Riquus, suos habuit gradus, ut patet ex templi reliquiis: adhuc enim superest integra fere

1 Plutarch in Rom. Jul Solin. cap. 2. 2 Dec. 1. l. 7. 3 Lib. 6. 4 Lib. 4. 5 1. Fast. 6 Cap. 42. 7 Gradus Concordiae diversi ab gradibus Monetae.

porticus, terræ solo, quamvis undique ruinis oppletum sit, elata. Deinde ichnographia templi id ipsum ostendit, quam præter cæteros Palladius nobilis Architectus lineavit, & ipse Riquius adducit; in qua viginti quinque gradus enumerantur, in unam ædem Concordiæ mittentes. Demum qui poterant gradus duobus templis esse communes, quorum alterum Concordiæ in imo fere Capitolio situm vergebat ad ortum; alterum Junonis Monetæ in summo colle, quo spectaret, incertum est? Gradus autem Monetæ ipsum etiam fastigium templi Concordiæ altitudine facile æquabant. Igitur Tullius cum scripsit [1], *Equites Romani, qui frequentissimi in gradibus Concordiæ steterant*, nihil pertinens ad Monetam intelligere potuit. Neque Ovidius, qui Concordiam posuit,

Qua fert sublimes alta Moneta gradus,

aliud significat, nisi Monetæ gradus non longe ab æde Concordiæ incœpisse, indeque evasisse in summam Arcem. Hæc illi dicenda sunt, qui voluerit Ovidium loqui de æde Concordiæ, cujus reliquias ad radices Capitolii prope Forum Romanum videmus. Sed aptior erit, & clarior ædificiorum locorumque collocatio, si aliud Concordiæ templum in Arce prope ædem Monetæ statuamus, ut dicam Cap. XIV.

Jam ut certius designetur Junonis Monetæ sedes [2], operæ pretium est advertere quod tradit M. Tullius pro Domo sua. *Ergo*, inquit, *M. Manlii domum eversam duobus lucis convestitam videtis*. Locus inter duos lucos Asylum erat, situm inter duo Capitolii juga, ubi nunc statua Equestris M. Antonini visitur, de qua paulo post. Cum ergo ædes Monetæ in area Manlianæ domus sit condita, videri potest ibi fuisse nunc Senatoris domus: ibique eam locat Marlianus [3]. Verum hoc non respondet verbis Ovidii, qui Arce in summa Monetam constituit, nisi improprie loquutum velis. Arx enim multo editior in dextero Capitolii jugo, quem vulgo *montem Caprinum* nominant, declivis erat in Asylum sive Aream ante ædes Senatorias jacentem. Ut ergo audiatur Tullius & Ovidius, arbitror incœpisse gradus ab Asylo, sive ædem Monetæ, ita ut aliqua pars duobus lucis vestiretur; fuisse tamen sublatam, ut ad Arcem pertingeret. Ex eo loco, cujus pars Asylum tangebat, versus ædem inferiorem Concordiæ secundus Capitolii clivus devexus erat. Quem sane clivi ascensum in Capitolium intelligi arbitror a Tacito [4], verbis supra allatis: *Tum diversos Capitolii aditus invadunt juxta lucum Asyli*. Milites enim Vitelliani, qui non potuerunt per clivum Capitolinum irrumpere in Capitolium, per alium clivum venerunt ad gradus Monetæ juxta Asylum, iisque primum in ædem Junonis, tum in Capitolium evasere. Formam & ornatum Templi describere in promptu non est.

IN EADEM Arce Fortunæ templum fuit [5]: Testantur vetusta carmina Præneste in Æde Fortunæ:

Tu, quæ Tarpejo coleris vicina Tonanti,
Votorum vindex semper, Fortuna, meorum.

Fuit autem ædes Fortunæ Primigeniæ, de qua Plutarchus [6]: *Servius Tullius*, inquit, *Fortunæ templa posuit. Primigeniæ in Capitolio, & Obsequentis. Est & Privatæ Fortunæ templum in Capitolio, & Viscosæ*. Hæc ille [7]. *Primigenia* autem est dicta Fortuna, quia ad eam sui principatus initia Servius referebat. *Viscosa* quasi trahens, & tangentia reti-

1 7. Philippic. 2 Ubi esset ædes Monetæ. 3 Lib. 4. cap. 4. 4 Lib. 3. Hist. 5 Marlian. Lib. 2. c. 4. 6 In lib. de Fort. Rom. 7 Plut. in q. Rom. q. 106.

A nens. Fidei templum ibidem Numa constituit, & primus publice sacravit attributis ex ærario victimis, teste Dionysio [1]; ut opinione divinitatis populus eam frangere non auderet. Cicero, *Fidem*, inquit [2] *in Capitolio vicinam Jovis Opt. Max. ut in Catonis oratione est, majores nostri esse voluerunt*. Plinius [3]: *Spectata est*, inquit, *in æde Fidei in Capitolio imago senis cum lyra puerum docentis. Eam fecit Aristides Thebanus*. Ædem Concordiæ in eadem Arce Livius [4] collocat, quam per seditionem militarem a L. Manlio Prætore in Gallia votam duumviri ad eam rem creati *in Arce faciendam locaverunt*.

B 1 Lib. 2. Antiquit. 2 Lib. 3. de Offic. 3 Lib. 35. cap. 10. 4 Dec. 3. l. 2.

CAP. IX.

Bibliotheca, Tabularium, Casa Romuli, Curia.

BIBLIOTHECAM, & Tabularium in Arce templique Capitolini ædificiis positum passim docent auctores. Eutropius [1]: *Fulmine*, inquit, *Capitolium ictum: ex quo facta inflammatio*
C *bibliothecam illam majorum cura studioque compositam, ædesque alias juxta sitas rapaci turbine concremavit*. Id Commodo Principe factum est. Quod Eusebius [2] & Orosius tradiderunt. At quis ejus Bibliothecæ fundator? Lipsius ad Domitianum refert; hic enim *bibliothecas incendio absumptas impensissime* reparandas curavit *exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emendarentque* [3]. Riquius Domitianum restitutorem, auctorem agnoscit Syllam, qui expugnatis Athenis magnam vim librorum Romam comportavit; sive Julium Cæsarem, sive Augustum, qui libros undique conquirendos, & bibliothecas ædificandas curavit.
D Mihi facilius est, qui auctor non fuerit, quam qui fuerit, designare. Nam Cæsar cum bibliothecas Græcas & Latinas publicare destinasset, morte præventus non potuit [4]. Augustus templo Apollinis Palatini bibliothecam adjecit [5], nihil molitus est in Capitolio. Sylla ab Asia rediens in Italiam cum venisset Athenas, bibliothecam Apollinis Teii assumpsit, Romamque deportavit [6]: nec tamen dicitur quidquam publicasse. Immo nec publicare potuit, si cum veritate Plinius asseruit, primam Romæ bibliothecam ab Asinio Pollione dedicatam [7]. Quis autem dubitet, quin Bibliotheca in Capitolio, nem-
E pe in communi gentium perfugio domicilioque, publica fuerit? *In Bibliotheca*, inquit Plinius [8], *quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis dedicata Romæ est*. Et [9]: *Asinius Pollio primus Bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit*. Videtur tamen Lucullus multo ante suam publicasse, teste Plutarcho in ejus vita. Σπουδῆς δ' ἄξια τὰ περὶ τὴν τῶν βιβλίων κατασκευήν. καὶ γὰρ πολλά, καὶ γεγραμμένα καλῶς, συνῆγε. ἥ τε χρῆσις ἦν φιλοτιμοτέρα τῆς κτήσεως, ἀνειμένων τῶν βιβλιοθηκῶν, καὶ τῶν περὶ αὐτὰς περιπάτων, καὶ σχολαστηρίων ἀκωλύτως ὑποδεχομένων τοὺς Ἕλληνας, ὥσπερ εἰς Μουσῶν καταγώγιον ἐκεῖσε φοιτώντας. *At commendanda ejus*, Luculli, *fuit*,
F *& perhibenda in librorum supellectilem impensa. multos enim, & eleganter descriptos cumulavit. Erat etiam eorum visus, quam comparatio liberalior, quod Bibliothecæ omnibus paterent, atque in adjectas ambulationes scholasque reciperentur omnes Græci, velut ad Musarum hospitium divertentes*. Quod si Plutarcho credimus, primus Pollio suam non dicavit;

1 Libro 10. in Commodo. 2 Lib. 7. c. 16. in Chronic. 3 Sueton. in vita Domit. c. 20. 4 Sueton. in vita c. 44. 5 Sueton. in vita c. 29. 6 Plutarch. in vita Syllæ. 7 Prima Romæ publica Bibliotheca. 8 Lib. 7. cap. 30. 9 Lib. 35. cap. 2.

hanc autem Capitolinam, vel Sylla, vel Catulus, qui Capitolium perfecit dicavitque, dicare & publicare potuit. Ovidius antiquissimam Romæ, & publicam bibliothecam constituit in Atrio Libertatis [1]:

Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis,
Atria Libertas tangere passa sua est.

Sed Ovidius perspicue loquitur de bibliotheca Asinii Pollionis. Cum enim ille, teste Suetonio in Augusto [2], atrium Libertatis extruxerit; dubitandum non est, quin atrio bibliothecam adjunxerit. sic enim utriusque auctoris verba lucem accipiunt Hoc atrium quidam statuunt in Palatio. Verum si Pollio tantum instauravit, quod potius dixerim, cum vetus atrium Libertatis a P. Victore dicatur esse in Aventino, ubi & templum ejusdem Libertatis; probabile est, ibi Pollionem bibliothecam publicasse. Ibi & alterum publicum tabularium erat. Livius: *Censores*, inquit, *ex templo in atrium libertatis ascenderunt, & ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario negarunt*, &c.

In hac re primo, ne pugnent inter se tanti auctores, dicerem, Luculli bibliothecam omnibus quidem patuisse; sed id factum magis ex quadam humanitate hominis, quam publica testificatione, monimento, ac titulo, quo constaret, bibliothecam omnium voluntati & commodis patere. Pollio autem qui publicavit, hoc solemni notaque omnibus dedicatione præfixoque titulo testari debuit; ut omnes scirent, communi utilitati fuisse comparatam & publicatam & libenter audacterque quasi ad rem suam accederent. Deinde cum de Capitolina bibliotheca nihil certi quisquam possit afferre, non improbabile existimarem, eam ab Adriano Cæsare, vel fundatam, vel magna ex parte auctam & exornatam fuisse [3]. Hic enim gymnasium bonarum artium instituit in Capitolio [4], cui bibliotheca adjungenda fuerat. *Cærimonias*, inquit Sext. Aurelius Victor, *leges, gymnasia, doctoresque curare occœpit: adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, constitueret*. Porro Athenæum [5] erat in Capitolio, ut constat ex Codice Justin. Lib. 11. Tit. 18. de studiis liberalib. Urb. Romæ. *Sin autem*, inquit, *ex eorum numero fuerint, qui videntur intra Capitolii auditorium constituti*. & paulo post: *Nihil penitus ex illis privilegiis consequantur, quæ his, qui in Capitolio tantummodo docere præcepti sunt*. Docebant autem ibi, sub Theodosio II. Oratores tres, Grammatici decem, Sophistæ quinque, Philosophus unus, Jurisconsulti duo. Ex qua docendi discendique exercitatione appellationem loci dimanasse Dion tradit [6]: Ἀθηναῖον καλούμενον ἀπὸ τῆς ἐν αὐτῷ τῶν πεπαιδευμένων ἀσκήσεως. *Athenæum dictum, ab exercitatione eorum, qui in eo erudiuntur*, quod mirum videtur Casaubono [7] judicanti id melius referri oportere εἰς τὴν Ἀθηνᾶν. Sed profecto illa exercitatio *Minervalis* est. quod Dion non addidit, quia satis superque notum erat.

In eodem Poetæ & Oratores sua recitare scripta solebant [8], audientibus interdum Augustis, ut Lampridius in Alexandro Severo, & Julius Capitolinus in Pertinace, & Gordiano majore, tradiderunt. De Alexandro: *Ad Athenæum audiendorum & Græcorum & Latinorum Rhetorum, vel Poetarum causa frequenter processit*. De Pertinace: *Eo die processionem, quam ad Athenæum paraverat, ut audiret Poetam, ob sacrificii præsagium distulisset*. De

A Gordiano: *in Athenæo controversias declamavit audientibus Imperatoribus suis*. Ideoque Sidonius *Athenæi cuneos*, & *Athenæi cuneata subsellia* propter frequentiam auditorum nominavit. Cum igitur hi ludi litterarii, qui a P. Victore in VIII. Regione Fori Romani, in qua & Capitolium est, numerantur, antiquitus, ut constat ex Livio, in ipso Foro locati bibliothecam habere debuerint; Adrianus loci conditor, forte librorum collector, & bibliothecæ vel fundator vel amplificator fuit. Trajani præsertim exemplo præventus, qui Ulpiam bibliothecam in Urbe celeberrimam publicaverat. Athenæum tamen non in Arce [1]; non enim tot ædi-
B ficia capere potuit, sed in alio vertice Capitolii statuenda erit, si addita gymnasio ad Adrianum referatur. Aliud gymnasium Dion commemorat in Trajano. *Eo*, inquit, *divitiarum atque potentiæ Suras Licinius processerat, ut gymnasium Populo Romano suis impensis struxerit*, Aliud Tacitus [2]: *Gymnasium eo anno dedicatum a Nerone, præbitumque oleum Equiti ac Senatui Græca facilitate*. Sed hæc animi exercendi gratia facta sunt, an corporis?

Jam TABVLARIVM ædificium est [3], in quo tabulæ publicæ continentur. Et in Romano qui-
C dem omnia Senatus consulta, Plebiscita, Privilegia, Leges, & alia Patrum, Populi, & Principum decreta servabantur. Plutarchus [4]: *Cicero*, inquit, *per absentiam Clodii magna frequentia ascendit in Capitolium, tabulasque, quæ acta continebant Clodii tribunatus, revulsit corrupitque*. Idem in Catone minore de iisdem: *Quas publice Clodius in Capitolio fixerat, revulsit*. Ex quo inferri potest, templi Capitolini parietibus, has aliasque ejusmodi tabulas publice affigi solitas. Clare Polybius loquens de fœdere facto inter Pœnos & Romanos [5]: *Hæc*, inquit, *cum ita sint & in hodiernum diem tabulis æreis inscripta conspiciantur in templo Capitolini Jo-*
D *vis, ubi ab ædilibus diligentissime custodiuntur*. Sed quamvis in Templo Jovis multa intra extrave in porticibus, præsertim leges æreis incisæ tabulis apponerentur; negandum tamen non est, publicum quoque tabularium actorum Senatus Populique Romani ibi fuisse. Hujus Tabularii mentio fit in veteri inscriptione Capitolina, ut est apud Fulvium, & Marlianum [6]:

Q. LVTATIVM. ET. Q. CATVLVM. COSS.
SVBSTRVCTIONEM. ET. TABVLARIVM.
DE. SVO. COERAVISSE.

E Porro Tabulas Riquus antiquiori ætate ligneas, postea facit eboreas. certius reor, fuisse æreas, non modo legum, sed aliorum scitorum. Cicero [7]. *Et legum æra liquefacta*. Josephus [8]: *Dedicarique præcepit Cæsar, æream tabulam hæc continentem in Capitolio*. Idem [9]: *Patribus præcepit*, Claudius, *ut donationem incisam æreis tabulis in Capitolio collocarent*. Nec modo æreæ tabulæ Capitolinæ fuere, sed etiam columnæ. Josephus [10]: *Quando enim tam manifesta argumenta exhibuimus nostræ cum populo Romano amicitiæ, ostensis æneis columnis & tabulis in Capitolio nunc usque durantibus, duratu-*
F *risque in posterum*. Et [11]: *Hæc publice dedicata sunt in urbibus, atque etiam in Capitolio, & columnis insculpta sunt æreis*. Indifferenter alibi loquitur de scriptura Capitolina [12]: *Deditque*, Cæsar, *hac de re in Urbem litteras ad Consules, ut decretum hoc scriberetur in Capitolio*. Rursus de tabulis æneis Suetonius [13]: *Tria millia ænearum*

1 Trist. l. 3. 2 Cap. 29. 3 Adrianus fundat, aut auget Bibliothecam. 4 Gymnasium in Capitolio. 5 Athenæum in Capitolio. 6 Lib. 74. in Juliano. 7 In notis Capitolini in Vita Pertinacis. 8 In quo recitabant Oratores & Poetæ

1 Athenæum non in Arce, sed in altero vertice Capitolii. 2 Lib. 14. Annal. 3 Tabularium in Capitolio. 4 In Cicerone. 5 Lib. 3. Hist. 6 Lib. 2. Cap. 30. 7 3. In Catil. 8 Jud. antiq. l. 14. c. 17. 9 De bello Jud. lib. 2. cap. 11. 10 Jud antiq. c. 17. l. 14. 11 Ibid. 12 Ibid c. 16. 13 In Vespaf. c. 8.

tabularum, *quæ simul cum templo conflagraverant*, A *restituenda suscepit*, Vespasianus, *undique investigatis exemplaribus*. tum de Tabulario subdit: *Instrumentum etiam Imperii pulcherrimum, quo continentur ab exordio Urbis Senatus consulta, Plebiscita de societate, & fœdere, ac privilegio cuicunque concessis*. Quod sane monimentum Vespasianus templi Capitolini refector eidem splendide adjecit. De alio Urbis tabulario ad atrium Libertatis, alibi dicemus.

Habuit & Capitolium CASAM Romuli, quam illo regnante cannis & viminibus tectam, deinceps sacerdotes, si forte vetustate consumeretur, instaurabant, B iisdemque stramentis contegebant, ut semper integra permaneret. Ideo licuit Ovidio canere [1]:

Quæ fuerit nostri si quæris regia nati,
Adspice de canna straminibusque domum.

Seneca de Conf. ad Hel. cap.9. *Næ tu pusilli animi es, & sordide se consolantis, si ideo id fortiter pateris, quia Romuli casam nosti. Dic illud potius: Istud humile tugurium nempe virtutes accipit.*

Propter hanc CURIA nomine *Calabra* fuit. *Calabræ* nomen a *calando* deductum est, quod vocare significat, C ἀπὸ τοῦ καλεῖν. *quod omnis juxta eam Populus vocaretur*, ut ait Macrobius [2]: *Nam priscis temporibus Pontifex minor observato novæ lunæ exortu, calata, id est, evocata in Capitolium plebe juxta Curiam calabram, quæ casæ Romuli proxima est, quot numero dies a calendis ad nonas superessent, pronuntiabat*. Hanc etiam stramentis contegebant, ut priscam majorum paupertatem indicaret. Deque ea dictum putat Servius a Virgilio [3]:

Romuleoque recens horrebat Regia culmo. D

Nisi forte rectius regia seu casa Romuli significetur. quo loco Virgilius prope templum rupemque a Manlio defensam collocat. Quoniam vero e curia domui proxima observabatur ortus lunæ, loco editissimo, locata est prope templum Capitolini Jovis. hic enim plagæ inter Meridiem & Occidentem oppositus semitam errantium syderum, & aspectum egregie contemplandum dabat.

1 Fast. 3. De ead. 1. Fast. 2 Lib. 1. Sat. cap. 15. 3 8. Æneid.

E

CAP. X.

Asylum, & alia Ædificia.

ALTERA pars Capitolini montis exurgens, atque edita, Arcique obversa, pressiore significatione Capitolium dicebatur. Hoc enim præter alia, quæ attuli, significat Livius [1]: *Præsidia in Arce, in Capitolio, in muris, circa Urbem ponuntur*. Partem autem, instar valliculæ, utrique subjectam vertici, *Intermontium* nuncuparunt. Ibi Asylum, [2] quod significat *Misericordiæ templum*, ut ait F Servius, in ea Virgilii verba [3]:

Tum lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Rettulit.

Id Græcorum inventum, ut se ab inimicis loci religione defenderent, Romulus transtulit ad multiplicandam Romanam gentem; ut quisquis advena illo confugisset, reciperetur in civitatem. Ovidius [4]:

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, dixit, confuge, tutus eris.

Livius [1]: *Locum*, inquit, *qui nunc septus densis sentibus, inter duos lucos, Asylum aperit*. Dionysius [2]: *Locus enim Capitolium inter & Arcem situm, qui nunc Romana lingua inter duos lucos dicitur, ab utroque clivo condensis septus arboribus, fano in hoc, incertum cui Deo sacrato, Asylum aperuit*. Ex his docemur, lucum Asyli in area nunc Capitolina fuisse, ad ipsam substructionem & murum Capitolii, qui forum respiciebat, inter fines utriusque clivi, qua secundum latera ædium Senatoris ascenditur. Sed hoc aliter tradit Tacitus loco citato 3. Histor. Nam milites pulsi clivo Capitolino, *diversos*, inquit, *Capitolii aditus invadunt, juxta lucum Asyli*. Hic ergo aditus erat in capite alterius clivi, quo nunc ascenditur secundum carcerem. Quare Asylum juxta hunc clivum solum aliquam partem ædium nunc Senatoris, ad ipsum carcerem, non spatium inter utrumque clivum, quod videtur docere Dionysius, occupabat, sentibus & dumis præseptum. Præterea discimus, fuisse non modo sentibus, sed etiam saxo, ut ait Ovidius, nempe saxeo muro circumdatum. Postremo Jovis templo in medio extructo diremptum & discretum ita fuisse lucum, ut duplex videretur; ideoque locum *inter duos lucos* nuncupatum. Neque aliter templum locat Ovidius, cum ait [3]:

Una nota est Martis nonis; sacrata quod illis
Templa putant lucos Vejovis ante duos.

Quamvis enim anterioribus angulis fanum prostaret, luci tamen arboribus latera cingebantur: quare inter duos lucos dici poterat. Jam quod ait Dionysius, *incertum, cui Deo Asylum dicatum fuerit*, fortasse ad initia retulit, cum a Romulo statutum est. Historici enim ætate constabat, Jovi dedicatum esse, adsitis luci quercubus item Jovi dicatis. Juppiter autem juvenis & imberbis [4], ejusque simulacrum absque sagittis & fulmine cum altrice Amalthæa Capella fuit. Neque enim ante bellum giganteum sagittas & fulmina tractaverat, ideoque *Inermis* nomen traxit & *Vejovis*, quasi parvi Jovis. *ve* enim minuendi vim obtinet in nonnullis. Sic *vegrande* significari alii ajunt *male grande*, quod ait Festus; ut *vecors, vesanus, malecordis, maleque sanus*: alii parvum sive minutum, ut cum dicimus *vegrande frumentum*. Quare concludit Ovidius:

Vis ea si verbi est, cur non ego Vejovis ædem,
Ædem non magni suspicer esse Jovis?

Et Juvenis Jovis in æreo Claudii nummo conspicitur effigies.

Cæterum jus Asyli an ademptum aliquando Urbi fuerit, jure ambigitur. Nam Suetonius de Tiberio [5], *Abolevit*, inquit, *jus moremque Asylorum, quæ usquam erant*. Sed Tacitus [6] quæstionem agitatam refert in Senatu de externis Asylis. *Crescebat enim*, inquit, *Græcas per urbes licentia atque impunitas Asyla statuendi, complebantur templa pessimis servitiorum*. nec plane apud eundem constat, quid a Patribus decretum sit. Quare si Tiberius Asyla abolevit, ea de quibus agebatur, abstulit. Nihil de Romano decrevit, de quo nihil quæsitum erat.

At sedes Asyli semper fuit in Capitolii edito illo Intermontio [7]. Nam quidam alio transferunt. Primo quidem lucus cum templo, totam aream, ubi equestris Antonini statua, implere non potuit, ut quidam volunt. Quota enim Collis portio Capito-

1 Dec. 3. l. 6. 2 Asylum in Capitolio. 3 8. Æneid. 4 Fast. lib. 3.

1 Dec. 1. l. 1. 2 Antiq. l. 2. 3 Loc. cit. 4 Ibi Templum Juvenis Jovis. 5 In Vit. Tiber. cap. 37. 6 Annal. 3. & 4. 7 Ubi esset Asylum.

linis molibus relinquetur ? Et nos ibi porticus atrium cingentes ad populum recipiendum, ejusque conventus habendos statuimus. Itaque forum Romanum versus, ubi pars ædium postica Senatoris, modica latitudine, paulo ampliore longitudine, Asylum fuisse protensum credendum est. Nam lævorsum juxta gradus Cœnobii Franciscanorum fores erant clivi Capitolini, dextrorsum aditus alterius clivi (juxta verba Dionysii: *Ab utroque clivo condensis septus arboribus*) tum gradus Monetæ: reliquum areæ intervallum, porticibus, atriis, templis, aliisque ædificiis distributum.

Secundo: Quomodo Blondus ad radices Tarpejæ rupis Asylum [1] statuat, non video, & Marlianus e Capitolio eundem in locum transferat, ubi repositum putet a Tacito: cum Tacitus Capitolini Jovis Templo proximum fecerit: Tullius vero ad ædem Junonis Monetæ in Arce conditam, & duobus lucis convestitam, ubi fuerat Manlii domus: Dionysius in Intermontio, inter Arcem & Capitolium: ibidem Livius, ibidem Strabo collocarit: neque aliud doceat Ovidius [2]:

Tunc quoque vicini lucus celebratur Asyli,
Qua petit æquoreas advena Tibris aquas.

Eruditi enim interpretes, non *Asyli*, quo nomine depravatus sit locus, sed *Averni* legunt. Locum autem prope lucum intelligunt, de quo Festus: *Lucaria Festa in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit, pro eo quod victi a Gallis fugientes e prœlio ibi se occultaverunt.*

TEMPLUM IOVIS FERETRII [3] primum omnium in Capitolio & Urbe sacratum est, ut testatur Livius [4]. Causa fuit, quod fundata vix Urbe, cum Cæninenses bellum Romanis intulissent; Romulus non modo abegit hostes, sed occiso Acrone eorum duce, Regis arma trunco suspensa detulit in Capitolium, Jovique dedicavit templo designato, in quo conderentur: & reliqua deinceps opima Ducum spolia ab Romanis Imperatoribus, qui eos occidissent eidem Jovi dedicarentur [5], sive prima Jovi, secunda Marti, tertia Quirino, ut monuit Plutarchus. Quo respexit Virgilius, cum de Marcello ait:

Tertiaque arma Patri suspendet capta Quirino.

Nam secunda A. Cornelius Cossus dedicavit. Juppiter autem *Feretrius* sive a *feriendo* est dictus, precatus enim fuerat Romulus, ut hostem feriret; sive a *ferendo*, quod allatum ipse tropæum, & ad quercum appositum Jovi consecravit. Porro templum perexiguum, & latum quindecim pedes fuit in Capitolino vertice, teste Dionysio [6]. Auctum deinde ab Anco Martio quarto Romanorum Rege: post vetustate dilabens ab Augusto refectum est. utrumque testatur Livius [7]. De Augusto quidem sic ait: *Hoc ego, cum Augustum Cæsarem templorum omnium conditorem aut restitutorem ingressum ædem Feretrii Jovis, quam vetustate dilapsam refecit.* Factum est id hortatu Attici jam senis. Cornelius Nepos in ejus vita, *Ex quo*, inquit, *accidit cum ædes Jovis Feretrii in Capitolio ab Romulo constituta, vetustate atque incuria detecta, prolaberetur, ut Attici admonitu Cæsar eam reficiendam curaret.* Fuit [8] in ea Capitolii parte, ubi Magnæ Virginis templum, cognomento ab Ara Cœli. Sed ab hoc recenti priscum illud sic amplitudine, opere, ornatuque superatur, ut inter se conferri nullo modo queant.

1 Asylum non erat ad radices Tarpejæ. 2 Fast. 2. 3 Templum Jovis Feretrii. 4 Lib. 1. Dec. 1. 5 Liv. lib. 1. Propert. lib. 4. 6 Lib. 2. Antiquit. 7 Lib. 1. & 4. Dec. 1. 8 Ubi esset Templum Jovis Feretrii.

In eodem Capitolio aliæ [1] duæ IOVIS ædes, de quibus Livius [2]: *Ædes duæ Jovi in Capitolio dedicatæ sunt. Voverat L. Furius Purpureo prætor Gallico bello unam, alteram consul. Dedicavit Q. Marcius Ralla duumvir.* Aliam Jovis Fidei Sponsoris ex Fulvio Ursino refert Riquus cap. 29.

Ibidem Ædes MENTIS & VENERIS Erycinæ. Hanc Fabius Maximus dictator, illam Attilius prætor voverunt. postea Veneri idem Fabius, Menti T. Octacilius dedicavit. *Utraque*, inquit Livius, [3], *in Capitolio est, canali uno discretæ.* De Mente Lactantius [4]: *Eadem vanitate Mentem quoque inter Deos collocavit Senatus: quam profecto si habuisset, ejusmodi sacra nunquam suscepisset.* De Erycinæ Veneris cognomento alibi. Addunt & ædem Veneris CALVAE. Nam, referente Lactantio [5], *Urbe a Gallis occupata obsessi in Capitolio Romani, cum ex capillis mulierum tormenta fecissent, ædem Veneri Calvæ consecrarunt.* Certe non alibi, quam in ipso Capitolio, ubi tormenta fecerant.

Ibidem AEDES OPIS [6], quam conjugem Saturni mentiebantur. Livius [7]: *Ædes Opis in Capitolio de cœlo tacta erat.* Cicero [8]: *Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quæ sunt ad Opis, patebat?* Erant hi milliones septemdecim & quingenta scutatorum millia: quam pecuniam a Cæsare ad ædem Opis depositam dissipaverat Antonius. Usitatum Romanis ibi pecunias quasi in tuto reponere, ut de Templo Castoris dixit Juvenalis [9]:

Et ad vigilem ponendi Castora nummi.

Neque intelligas vicinos trapezitas. Quippe templa ista præsertim vigiliis militum custodiebantur. Congruens porro erat Opis templo custodiæ causa aurum civile committere, cum in æde Saturni ærarium esset Reipublicæ; & uterque communem ædem haberet in vico Jugario [10]. Id etiam indicant vetera æquipondia. Quorum duo in nostro Collegii Romani promptuario ærea sunt, a pastinatoribus refossa; quibus prominentibus litteris argenteis inscriptum est: TEMPL. OPIS AVG. II. TEMPL. OPIS AVG. V. Pensat enim alterum libras duas, quinque alterum: sed minus nostra sacomata seu libramenta, fere uncia excedit, majus unciis duabus. Cicero [11]: *Tanti nummorum acervi construuntur, ut jam appendantur, non numerentur pecuniæ.* In multorum Cæsarum nummis inscriptis MONETA AVG. tres visuntur virgines cum lancibus subjectis auri cumulis; quibus nempe lancibus aurum pendebatur.

Cæterum illum morem conferendi pecunias in templa confirmat Herodianus loquens de templo Pacis, quod incensum *multos*, inquit, *ex divitibus pauperes fecit.* Nam ἕκαςος ἃ εἶχεν, ἐκεῖσε ἐθησαυρίζετο. *unusquisque quæ habebat, illuc ut in thesaurum congerebat.*

In eodem Capitolio culta est Isis & Serapis [12]. Quos tamen, ait Tertullianus [13], *Capitolio prohibitos, id est, curia Deorum pulsos Piso & Gabinius coss. eversis etiam eorum aris abdicaverunt. His vos restitutis summam majestatem contulistis.* Et fuisse restitutos in Capitolium (alibi enim Urbe colebantur) ostendit Prudentius [14]:

Isidis amissum semper plangentis Osirim
Mimica ridendaque suis solemnia calvis,
Et quascunque solent Capitolia claudere larvas.

Ibidem locant templum Martis Ultoris, seu Bisul-

1 Ædes Jovis, Mentis, & Veneris. 2 Dec. 4. l. 5. 3 Lib. 9. dec. 4. Liv. dec. 3. Lib. 2. L. 3. dec. 3. 4 Lib. 1. c. 20. 5 Loc. cit. 6 Ædes Opis. 7 Dec. 4. l. 9. 8 Philipp. 2. 9 Sat. 14. 10 P. Victor Reg. VIII. 11 Loc. cit. 12 Ædes Isidis, & Serapidis. 13 Apologet. Cap. 6. 14 Contra Symmac. lib. 1.

toris, ab Augusto erectum [1]. De quo infra. Horum ædificiorum sedes designari non potest.

Ibidem arcus & tropæa Neroni erecta in medio Capitolio, circumstructis antea, ut dicebam, ad commodum & dignitatem porticibus in area inter duo vertices. Tacitus [2]: *At Romæ tropæa de Parthis, arcusque medio Capitolini montis sistebantur*. Eodem [3] Aqua Martia [4], quamquam libri Sybillini Anienem perducendum præcepissent, ad Jovis templi usum, cum se in sacrificiis abluerent, & aliorum habitantium commodum perducta est. Cujus fistulas in seditione Saturnini, quod se in Capitolium cum ejusdem factionis civibus recepisset, Marius consul præcidit [5], sitique adversarios perdomuit. Eodem & aqua Tepula corrivata. Ibidem positæ ubique *statuæ, decora majorum*, ut ait Tacitus [6]. Privatæ præterea civium domus, exclusis tamen patriciis, post Manlii Capitolini supplicium. Alia quædam ædificia sponte omisi, quod non ita certa, nec quibus afferuntur argumentis, probe ostendi judicaverim. Adjecta numismata Capitolini templi, Jovis Tonantis, Columnæ Augusti rostratæ, ex insigni Musæo Francisci & Bruti Gottifredis, Arcus Neronis ex Collegii Romani promptuario deprompta vides.

1 Ædes Martis. 2 Lib.15.Annal. 3 Aqua Martia, & Tepula in Capitolio. 4 Frontin. de Aquæ ductib. Cic. pro Rabirio. 5 Plutarch. in vita Marii. 6 Lib 5 Annal.



CAP. XI.

Clivus Capitolinus.

QUONIAM, celebris est de germano situ Romani Fori controversia, ut illud certis finibus circumscribam, & quasi concludam, loca Foro proxima ante designabo: tum de mea sententia constabit.

Et legenti quidem veteres scriptores Romanos, vix Fori Romani videtur quærendus locus; cum inter Palatinum & Capitolinum collem ab iis perspicue collocetur. Sed tamen viri perquam eruditi doctique contra sentiunt, quorum est princeps vir clarissimus non magis Romana purpura, quam virtute ac sapientia Cæsar Baronius: cujus auctoritas, validum tamquam pondus plerumque mentes inclinat, eorum præsertim, qui Romam nunquam viderunt, nec locorum situs cum veterum annalibus conferre potuerunt.

Quod ergo descendenti e Capitolio se primum offert [1] via declivis seu ad arcum Septimii Severi clivus cognomento Capitolinus est, quo descendebatur in Forum. In quo quidem designando Blondus [2] audiendus non est, cum senserit in ea Capitolii parte fuisse clivum, quæ respicit Aventinum. *Constare dicimus*, inquit, *clivum Capitolinum publicum fuisse ad eam Arcis partem, quæ versa in Aven-*

1 Clivus Capitolinus ad Arcum Septimii. 2 Lib.1. Inst. Rom.

A *tinum, nunc Ecclesiam S. Georgii ad velum aureum e regione respicit*. Probat ex Livii [1] verbis, qui scribit, Numidas quosdam tendentes in Aventino jussu Consulum transisse ad Esquilias. *Quos*, inquit Livius, *cum ex Arce Capitolioque clivo publico in equis decurrentes quidam vidissent, captum Aventinum conclamaverunt*. Cujus loci hæc videtur Blondo sententia, Numidas decurrentes ex Arce Capitolioque clivo publico fuisse spectatos. cui assentitur Marlianus [2]; quamquam deinde quid de clivo statuat, incertus sit. Sed longe alius est intellectus eorum verborum. Ita enim ad germanum sensum eliciendum verba construenda sunt: *Cum ex Arce*,
B *Capitolioque quidam vidissent Numidas clivo publico in equis decurrentes*. Videbant enim Romani ex Capitolio & Arce obversa in Aventinum descendentes ex illo Numidas. Itaque non loquitur Livius [3] de via in Capitolium acclivi, sed in Aventinum. Quod ipsa ostendunt Historici verba: *Cum ex Arce Capitolioque quidam vidissent*; idest, Romani spectabant ex utraque montis parte, altera, quæ Arx dicitur, altera, quæ Capitolium. Cur ergo his adjunges, *clivo publico*? Quomodo enim unus idemque clivus ad utramque montis partem pertinebat? Deinde clivus Capitolinus *publici* nomen non habuit, sed qui ducebat in Aventinum. In quo pariter ali-
C qui interpretes Ovidii [4] decepti sunt. Quod patet ex Livio; cum enim dixisset fuisse in Aventino ædem Junonis Reginæ, & decemviros sacrificium illi cum pompa destinasse, subdit: *Inde*, ex Foro, *vico Thusco Velabroque per Boarium Forum, in clivum Publicum atque ædem Junonis perrectum*. Quem & *Publicium* dicebant. Varro: *Clivus Publicius ab ædilibus plebis Publiciis, qui eum publice ædificarunt*; &, ut Festus addit, *ut in Aventinum vehiculi Velia venire possint*. Ovidius [5]:

Parte locat clivi, qui tunc erat ardua rupes:
D *Utile nunc iter est, Publiciumque vocant.*

Diversa de clivo Capitolino decernit Baronius [6], qui scribit: *Errare quidam convincuntur, qui clivum Capitolinum viam aliquam arbitrati sunt, per quam in ipsum summum Capitolium ascenderetur*. Et paulo post ait, *locum illum a majoribus esse dictum clivum Capitolinum ascensum ipsum modo levem, olim autem difficiliorem, qua e via deorsum posita prope Ecclesiam S. Mariæ in Porticu sursum ascenditur versus Ecclesiam S. Mariæ Consolationis dictam. quem olim fuisse eminentiorem atque longiorem, nul-*
E *lum est dubium*.

Sed alii in Capitolii saltem Intermontium deducunt [7], a quibus dissentire non possim. Cum enim clivus arduam viam, & paulatim sublatam significet, si in ima valle modicus sit ascensus, clivus dici vix poterit. De hoc autem nostro Ovidius [8]:

Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit,
Arduus in valles, per fora clivus erat.

Qui locus ostendit, Romanos e Capitolio per cli-
F vum Capitolinum descendisse. Quod clarissime alii auctores tradunt. Livius [9] de Gallis loquens, qui Urbem ceperant, & Capitolium capere vellent: *Prima*, inquit, *luce, signo dato, multitudo omnis*, Gallorum, *in Foro instruitur. Inde clamore sublato, ac testudine facta subeunt. Adversus quos Romani, nihil temere, nec trepide, ad omnes aditus stationibus firmatis, qua signa ferri videbant, ea ro-*

1 Dec3.l.3. 2 Lib.2.c 8. 3 Clivus publicus pertinebat ad Aventinum, non ad Capitolinum. 4 1. Fast. Dec. 3. l. 7. 5 5.Fast. 6 In Annot. ad Martyrol. die 14. Martii. 7 Clivus pertinebat ad Capitolium. 8 1.Fast. 9 Dec.1.l.5.

bore virorum opposito scandere hostem sinunt . quo successerit magis in arduum, eo pelli posse per proclive facilius rati. Medio fere clivo restitere, atque inde ex loco superiore, qui prope sua sponte in hostem inferebat , impetu facto , strage ac ruina fudere Gallos . Quo quidem loco apparet clivum non fuisse extra dorsum montis . cum enim omnia in Urbe, præter Capitolium , essent in Gallorum potestate, liberum tamen illis non erat per clivum excurrere. Totus ergo clivus extra Capitolii munimenta non erat. Eodem modo Livius [1] cum loqueretur de Romanis, qui captum a servis Capitolium recuperare volebant : *Hunc ducem sequuti nequicquam reclamantibus tribunis in clivum Capitolinum erigunt aciem* . Tacitus [2] de Vitellianis militibus, qui obsederunt, ceperuntque Capitolium : *Cito agmine Forum , & imminentia Foro templa prætervecti erigunt aciem per adversum collem , usque ad primas Capitolinæ Arcis fores. Erant antiquitus porticus in latere clivi, dextra subeuntibus. In quarum tectum egressi*, adversarii, *saxis, tegulisque Vitellianos deturbabant. Qui faces in prominentem porticum jecere , & sequebantur ignem , ambustasque Capitolii fores penetrassent, nisi Sabinus revulsas undique statuas , decora majorum, in ipso aditu vice muri objecisset* . Ex quo loco hic fuisse locorum situs elicitur, ut primum esset Forum; deinde clivus e Capitolio devexus in Forum, in collem acclivis , cui dextrorsum porticus essent adjunctæ : tum fores Capitolii in summo clivo. Vitelliani igitur cum per clivum ad primam usque portam Capitolii aciem extendissent , repulsi sunt ab hostibus egressis in tectum porticus. Mox incensa porticu, hostibusque igne summotis , ad fores venerunt in summo clivo positas, & mox eodem igne combustas. Hic est ejus loci germanus sensus , quem tamen , si Tacito placet , in rem suam alii deducunt . At de porticu clivi Livius [3] : *Censores vias sternendas silice in Urbe , & Clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt , & porticum ab Æde Saturni in Capitolium ad Senaculum* .

Præter hanc porticum ad lævam clivi, erat in dextera ejusdem parte templum Jovis Tonantis [4] ab Augusto ædificatum. *Ædem* , inquit Suetonius , [5] *Tonantis Jovis in Capitolio extruxit, liberatus periculo, cum in expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucentem exanimasset*. Idem : *Cum dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Jovi assidue frequentaret , somniavit queri Capitolinum Jovem , cultores sibi abduci, seque respondisse , Tonantem pro Janitore ei appositum . Ideoque mox tintinnabulis fastigium ædis redimivit, quod ea fere januis dependebant*. Idemque Dion testatur [6]. Verum P. Victor in regione octava, *Ædes* , ait , *Jovis Tonantis ab Augusto dedicata in clivo Capitolino*. Quare ne cum eo Suetonius pugnet, dicendus est clivum facere partem Capitolii. Neque Antiquarii alibi præterquam in clivo collocant . Hujus templi , præter effigiem expressam in numismatis, reliquiæ dicuntur extare in ipso clivo, tres columnæ marmoreæ cum epystilio egregii operis pæne sub terram capitulo tenus defossæ. Is vestibuli seu pronai veteris angulus est, cujus zophorus ab ædis latere quædam veterum sacrificiorum vasa & instrumenta : a fronte vero in laterioris marmoris tabulas diductus pro longiore inscriptione, quæ inerat, unum verbum videndum præbet absque *R*, *estituer*. Instauratio templi ex eo cognoscitur . Cæterum cum Juppiter Tonans janitor Capitolini Jovis, & in Capitolio pertinaciter locetur a Suetonio, suspicioni dat locum , an prope templum ejusdem Capitolini Jovis in Arce ponendus sit .

1 Dec 1.l.3. 2 Lib.3 Hist. 3 Dec.5.lib.1. 4 Templum Jovis Tonantis . 5 In vita Aug. c.24. Cap. 9. 6 Lib. 54.

Jam ut situs & solum clivi designetur, dicendum est, clivum Capitolinum fuisse , qua ascenditur ab arcu Septimii Severi in Capitolium . Indicat ipse arcus, sub quo vectus curru Severus , deinde ascendit ad ædem Jovis . Triumphantes enim Sacra via in Forum, inde per clivum flectebant in Capitolium, ut supra dixi. Sic autem clivus Sacræ viæ e regione respondet , de qua paulo post. Idem patet ex Plinio [1] : *Cæsar dictator*, inquit, *totum forum Romanum intexit , viamque Sacram , ab domo sua ad clivum usque Capitolinum* . Habitabat enim ipse Pontifex Max. domo publica in Sacra via , ut scribit in ejus vita Suetonius . Sacra autem via ad arcum Severi cum clivo conjungebatur . Quare ibi clivus, quo recta ascenditur. Ubi & domus quondam Milonis . Cicero [2] : *Domus in clivo Capitolino scutis referta*.

1 Lib.9.c.1. 2 Pro Mil.

CAP. XII.

Sacra Via.

SACRA Via dicta est Romæ [1] , quod certis sacris & cæremoniis fœdus inter se in ea fecerint Tatius Rex Sabinorum, & Romulus, ut Dionysius testatur [2]. *Sic* , inquit , *ante aras icto fœdere , circa mediam Sacram viam permixti se invicem consalutaverunt*. Addit Festus aliorum opinione dici *Sacram, quod eo itinere utantur sacerdotes Idulium sacrorum conficiendorum causa*. *Idulia* autem ab ove dicta , quæ singulis idibus Jovi immolabatur. Varro [3] : *Oritur caput Sacræ viæ ab Streniæ sacello , quæ pertinet in arcem , qua sacra quotquot mensibus feruntur in arcem , & per quam augures ex arce profecti solent inaugurare* . Neque vero clivus Capitolinus ea de causa dictus est *sacer* , ut putat Riquus [4]. Neque illi favent Horatii verba :

—— —— Trahet ——
Per sacrum clivum merita decoros
Fronde Sicambros

Ibi enim partem Sacræ viæ Poeta intelligit , quæ ad radices Palatii declivis erat in Forum ; ut hodieque conspicimus. Asconius : *Cum ab Sacra via descenderis , & per proximum vicum prodieris* . Quam sane Sacræ viæ partem solum vulgo fuisse notam testatur Varro . De hoc clivo Martialis [5] :

Inde sacro veneranda petes Palatia clivo.

Exeunti enim a Foro prope templum Vestæ, Jovis Statoris ædes , & pars Sacræ viæ acclivis occurrebat ; ut paulo post.

Verum [6] ut fines Sacræ viæ statuantur , repetendum est, quod Varro loco citato ait : *Ceroliensis a carinarum junctu dictus Carinæ, postea Cerionia, quod hinc oritur caput Sacræ viæ*. Et paulo ante : *Cum Cœlio conjunctæ Carinæ* . *Carinæ* autem locus erat prope amphitheatrum Flavium, qui quod olim domus instar carinarum haberet, *Carinæ* dictus est , postea domo Pompeii nobilitatus . Porro Carinæ , cum in valle inter Cœlium, & Esquilias se continerent, & circa ædem S.Clementis inciperent , ad ipsum amphitheatrum initium dabant Sacræ viæ . Ea vero juxta montem Palatinum ad templum Jovis Statoris producebatur . Plutarchus in vita Ciceronis : *εἰς τὸ τοῦ ϛησίου Διὸς ἱερὸν, ὃν ϛάτορα Ρωμαῖοι καλοῦ-*

1 Sacra via unde sit dicta. 2 Lib. 2. Antiquit. 3 4. de ling. Latina. 4 Cap. 34. 5 Lib.2. Ep.71. 6 Ubi esset Sacra via.

A σιν, ἱδρυμένον ἐν ἀρχῇ τ῀ ἱερᾶς ὁδȣ̃ πρὸς τὸ Παλάτιον ἀναιόντων. quod interpres vertit, *In Ædem Jovis Statoris, quæ est in capite Sacræ viæ, qua ascenditur in Capitolium*. Sed, ut prima omittam, quæ Græcis quadantenus respondent, postrema corrigenda omnino sunt. Neque enim *Capitolii*, sed *Palatii* meminit Plutarchus, *quo e Sacra via ascendebatur*. quod alii passim tradunt. Dionysius [1]: *Romulus Jovi Statori templum consecravit apud portam Mugoniam, ducentem e via Sacra in Palatium*. Asconius [2]: *Domum Scauri in ea parte Palatii esse, quæ cum ab Sacra via descenderis*. Dion, *Cilonem ducunt Sacra via, ut perducant in Palatium*. B Herodianus: *Vestales Virgines*, raptum Palladium, *media Sacra via in aulam Imperatoris transtulerunt*. Martialis [3]:

Inde sacro veneranda petes Palatia clivo.

Clivum enim in Sacra via posuit Varro & Horatius: hodieque ibi descenditur. Herodianus [4]: *Lectum* e Regiæ & Palatii vestibulo *attollunt, perque viam Sacram in vetus Forum deferunt*. Ubi & alterius loci fit mentio, quo via mittebat, nempe Fori Romani. quod & lib. 2. tradit Herodianus: *Videt* Severus *per quietem, magnum quemdam & generosum equum ornatum phaleris imperialibus, qui* C *Pertinacem per Urbem veheret media Sacra via. Sed ubi ad ipsum Fori pervenit ingressum*, &c. Suetonius de Vitellio [5]: *Seminudus in Forum tractus est inter magna rerum verborumque ludibria per totum viæ Sacræ spatium*. Idemque confirmat domus Numæ, vulgo *Regia*, quæ proxima templo Vestæ erat in Sacra via; cum ipsum templum ad Forum esset. Asconius [6]: *Facit & locus pugnæ: nam in Sacra via traditur commissa, in qua est Regia*. Ovidius [7]:

Paruit; & ducens, Hæc sunt fora Cæsaris, inquit;
Hæc est, a sacris quæ via nomen habet.
D *Hic locus est Vestæ, qui Pallada servat & ignem:*
Hæc fuit antiqui regia parva Numæ,
Inde petens dextram, porta est, ait, ista Palati:
Hic stator: hoc primum condita Roma loco est.

Porro ad Regiam erat Fornix Fabianus [8], ut idem Asconius [9]: *Fornix Fabianus arcus est juxta Regiam in Sacra via a Fabio censore constructus, qui a devictis Allobrogibus Allobrox cognominatus est*; ibique *statua ejus propterea posita est*. Erat Fornix prope templum Faustinæ. Trebellius in Salonino Gallieno: E *Fuit denique bactenus statua in pede montis Romulei*, Palatini, *hoc est, ante Sacram viam intra templum Faustinæ advecta ad Arcum Fabianum*. Prope arcum [10] puteal Scribonii Libonis locatum est. quod erat locus in quo fuit tribunal Prætoris, vel ædificium, in quo jus dicebat prætor, a Libone ædificatum, dictumque a *puteo*, qui inibi esse. *Puteal* enim tectum est, quo *puteus* operitur. Horatius [11]:

Roscius orabat, sibi adesses ad puteal cras.

Et [12]:

——Forum Putealque Libonis
Mandabo siccis: —— ——

F Nec tamen, ut docet Interpres [13], prope Jani templum fuit; nisi post Nervam, Jano, qui erat in Foro transitorio, propinquum dicatum esse.

Jam cum Sacra via in Forum mitteret, initium habens ad Jovis Statoris, quæ ædes in ipsis Fori finibus erat, & ad radices Palatii, ut paulo post dicam; dubitationem non levem relinquit, num ibi Sacra via desineret, an usque ad clivum Capitolinum extenderetur. Nam Trebellius in vita Salonini Gallieni, *Fuit denique*, inquit, *bactenus statua in pede montis Romulei*, Palatini, *hoc est, ante Sacram viam intra templum Faustinæ advecta ad arcum Fabianum*. Adhæc Hermannus Contractus in Chronico, & Anastasius tradit, quod & alii scriptores Ecclesiastici tradidere, Fœlicem hujus nominis quartum Pont. Max. ædem SS. Cosmæ & Damiani condidisse [1], *In loco, qui appellatur via Sacra, ubi ædes Remi ac Romuli fuisse ajunt*. Et in vita Constantini Papæ scribit, *in via Sacra ante Palatinum acriter fuisse pugnatum*. Plinius autem, *Cæsar*, inquit, *dictator totum forum Romanum velis intexit, viamque Sacram ab domo sua* [2] *ad clivum usque Capitolinum*. Præterea Varro, ut ajebam, scripsit, *Sacram viam pertinere in arcem, qua sacra quotquot mensibus in arcem ferrentur, & per quam augures ex arce profecti solerent inaugurare*. Ex quibus perspicue deducitur Sacram viam non usque ad templum Jovis Statoris, & initium Fori sub Palatio, sed usque ad clivum Capitolinum sub Capitolio, & ad arcum Severi fuisse productam. Quomodo ergo Plutarchus ait, Ædem Jovis Statoris fuisse ἐν ἀρχῇ τ῀ ἱερᾶς ὁδȣ̃. *in principio sacræ viæ?* Videtur Varro hanc solvere difficultatem loco citato. Ait enim: *Hujus sacræ viæ pars hæc sola vulgo nota, quæ est a Foro eunti primore clivo*. & Festus: *Itaque ne eatenus quidem, ut vulgus opinatur, Sacra appellanda est a Regia ad domum sacrificuli, sed etiam a Regis domo ad sacellum Streniæ; & rursus a Regia usque in arcem*. Egressis ergo a Foro prope ædem Jovis Statoris pars viæ communi appellatione Sacræ occurrebat, mittebatque ad amphitheatrum. Reliquam partem versus Capitolium, & clivo conjunctam, etsi non ita vulgo notam, & fortasse populari vocabulo aliter appellatam, peritioribus tamen constabat Sacram esse. Et vero, cum ad ædem Jovis Statoris fuisset olim porta Palatii, credibile est ibi fuisse viæ terminum: eamdemque postea processisse angulosam, & conversam versus ædem Romuli, nunc SS. Cosmæ & Damiani: inde ante templum Faustinæ ad clivum Capitolinum & arcum Septimii Severi recta excurrisse. Sic ædes Jovis Statoris erat in capite viæ vulgari cognomento Sacræ. Unde & triumphantes ingrediebantur in forum, reliqua parte viæ prætermissa. Nam, ut ajebam supra ex Cicerone [3], e Foro currum flectebant triumphantes in Capitolium.

1 Lib. 2. Antiquit. 2 In Orat. pro Scauro. 3 Lib. 1. Ep. 71. 4 Lib. 4. 5 In vita Vitel. c. 17. 6 In Orat. pro Mil. 7 3. Trist. Eleg. 1. 8 Fornix Fabianus. 9 Or. 2. contra Verr. 10 Puteal. Libonis. 11 Lib. 2. sermon. Sat. 6. 12 Lib. 1. Ep. ep. penult. 13 Lambinus.

1 Lib. 19. c. 1. 2 Sueton. in vita Cæs. cap. 46. 3 7. Verr.

CAP. XIII.

Templum Jovis Statoris.

POST Sacram viam cognoscendum est templum Statoris Jovis [1]. de eo sic Dionysius [2]: *Romulus Jovi Statori Templum posuit, apud portam Mugoniam ducentem e via Sacra in Palatium*. Quam portam ego supra constitui contra templum SS. Cosmæ & Damiani. Hæc melius constabunt ex Livio. Nam cum Tatius rex Sabinorum proditione Tarpejæ Capitolium occupasset, & *Romanus*, inquit Livius [3], *exercitus, quod inter Palatinum Capitolinumque collem campi est, complesset, non prius Sabini descenderunt in æquum, quam ira & cupiditate recuperandæ arcis stipulante animos, in adversum Romani subiere. Principes utrinque pugnam ciebant: ab Sabinis Metius Curtius, ab Romanis Hostius Hostilius. Hic rem Romanam iniquo loco ad prima signa animo atque audacia susti-*

1 Lib. 2. Antiquit. 2 Ubi esset Templum Jovis Statoris. 3 Lib. 1.

nebat. Ut Hostius cecidit, confestim Romana inclinatur acies, fusaque est ad veterem portam Palatii. Tum Romulus & ipse turba fugientium actus, ut fugam suorum sisteret, Hic ego, inquit, tibi templum Statori Jovi voveo. Ubi & postea locatum est, cum Romani, seu forte, sive adhortatione ducis, sive alia de causa constituissent. Quo loco Livius campum, quem inter Palatinum & Capitolinum collem dixerat, completum Romano exercitu, postea Romanum forum appellavit. *Metius Curtius*, inquit, *ab Sabinis princeps ab Arce decurrerat, & effusos egerat Romanos toto quantum Foro spacium est. Nec procul jam a porta Palatii erat.* Ex quibus hæc certa deducuntur, Romanos a clivo Capitolino cepisse fugam, toto Fori spatio fugisse, stetisse Romulum, & alios fugientes tenuisse in finibus Fori ad Palatii portam, ibi postea templum conditum. Ovidius confirmat [1]:

Templum idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora jugi.

In oratione, antequam Cicero iret in exilium: *teque, Jupiter Stator, cujus templum a Romulo victis Sabinis in Palatii radice cum victoria est collocatum.*

1 6. Fast.

A Porro cum alia Romæ templa essent Jovis Statoris, hoc antiquissimum & princeps fuit [2]. Quamquam, ut ait Livius [3], multo post Romulum conditum fuerit, contra quam scripsit Ovidius. *Fabius*, inquit, *ambos consules in Samnio & ad Luceriam res gessisse scribit, inque ea pugna Jovis Statoris ædem votam, ut Romulus ante voverat; sed fanum tantum, id est, locus templo effatus jam sacratus fuerat. Cæterum hoc demum anno, ut ædem etiam fieri senatus juberet, bis ejusdem voti damnata respublica in religionem venit.* Inter cætera, quæ arserunt Neroniano incendio, ædes Jovis Statoris vota Romulo exusta est, ait Tacitus. Et nunc vel Nero ipse, vel

B Senatus Populusque Rom. restituendam curavit. Fama est, doctis viris etiam referentibus, striatas tres columnas in campo nunc Boario, ad hortos Farnesianos & Palatium, adhuc stantes cum admirabilis artificii epistylio & corona, ejus templi fuisse: quas in fronte duplici porticu, in latere simplici haberet. Cujus ichnographiam & orthographiam Antonius Labaccus nobilis architectus egregie lineavit. Nec tamen id ita exploratum est, ut omnem dubitationem exhauserit. Videtur enim illud ædificium aliquanto plus a Palatino distare quam historici referant.

2 Quando extructum Templum Jovis Statoris. 3 Lib. 10.



C Hoc templum altera VIA contingebat vulgari cognomento Nova [1], quæ secundum Palatii radices Foro jungebatur. Livius [2]: *Ex superiore parte ædium in novam viam versa (habitabat enim Rex ad Jovis Statoris) populum Tanaquil alloquitur.* Ovidius [3]:

Forte revertebar festis Vestalibus illa,
Qua Nova Romano nunc via juncta foro est.

postea locum describens, ait:

Hic ubi nunc fora sunt, udæ tenuere paludes;
Amne redundatis fossa manebat aquis.


Ideo in rei memoriam matronæ nudo pede nova via commeare solebant. Idem:

1 Via nova. 2 Lib. 1. 3 Fast. 6.

Huc pede matronam nudo descendere vidi.

Aquas autem, quas derivarunt exsiccaruntque, vallis colligebat Capitolinum & Palatinum montem interjacens, quam postea Foro dederunt. Dionysius [1]: *Planiciem Capitolio subjectam excisa sylva, & stagno, quod propter loci cavitatem erat aquarum e vicinis montibus manantium receptaculum, terra congesta repleto, in hujus quod nunc Fori est, usum verterunt.* Hæc ergo planicies non modo Capitolio, sed etiam Palatio, ut Forum, subjecta fuit. Strata est enim ibi via Nova, quæ secundum Palatii radices Capitolio obversas in Forum desinebat, & altera sui parte tendebat in Velabrum.

1 Lib. 2. Rom. Ant.





Vestigia aedis Saturni cum aerario


AEDES CONCORDIAE
In Aruo ad Arcum Septimij
AEDES CONCORDIAE VESTIGIA
CONCOR EXERCIT
CONCORDIA PROVINCIAR
AIMILIA
M LEPIDVS

CAP. XIV.

Ædes Concordiæ & Saturni.

JAM redeundum ad clivum Capitolinum, & de Concordiæ templo ſtatuendum eſt; [1] quod ſane clivo proximum fuit. Conſtat id ex pluribus Ciceronis locis. hic enim conſul vocato ſenatu in ædem Concordiæ, eodem comprehenſos conjuratos adduxit, & circum ædem cuſtodiæ cauſa equites Romanos diſpoſuit, quos in clivo Capitolino dicit fuiſſe. *Cum*, inquit [2], *in hac cella Concordiæ, in qua me conſule ſalutares ſententiæ dictæ ſunt*. Et [3]: *Quis enim eques Romanus, cum ſenatus in hoc templo eſſet, in clivo Capitolino non fuit?* Et alibi [4]: *Equites Romanos daturos illius diei pœnas, qui me conſule cum gladiis in clivo Capitolino fuiſſent*. Et [5]: *Nonarum Decembrium, qui me conſule fuiſſent, clivique Capitolini pœnas ab equitibus Romanis eſſe repetiturum*. De iiſdem Saluſtius: *Nonnulli equites Romani, qui præſidii cauſa cum telis erant circum ædem concordiæ, egredienti ex ſenatu Cæſari gladio minitarentur*.

Cæterum hoc templum inter Capitolium & Forum extructum eſt, *ipſi Foro, & concionibus imminens*; ut teſtatur Plutarchus [6]. Ovidius autem prope gradus Junonis Monetæ, quæ erat in arce, collocat ædem Concordiæ [7]:

Candida te niveo poſuit lux proxima Templo,
Qua fert ſublimes alta Moneta gradus:
Nunc bene proſpicies Latiam, Concordia, turbam;
Nunc te ſacratæ conſtituere manus.
Furius antiquam populi ſuperator Hetruſci
Voverat; & voti ſolverat ille fidem.
Cauſſa, quod a Patribus ſumptis ſeceſſerat armis
Vulgus, & ipſa ſuas Roma timebat opes.
Cauſſa recens melior: ſparſos Germania crines
Porrigit auſpiciis, dux venerande, tuis.
Inde triumphatæ libaſti munera gentis:
Templaque feciſti, quam colis ipſe, Deæ.
Hæc tua conſtituit genitrix, & rebus, & ara,
Sola thoro magni digna reperta Jovis.

Quibus ſane verſibus videtur docere, templum Concordiæ a Tiberio dedicatum idem fuiſſe, quod Camillus olim propter populi ſeditionem erexerat. Et ego ita ſentientibus, quomodo cum gradibus Monetæ illud poſſent componere, ſupra expoſui. Sed tamen aliud omnino eſſe cenſendum eſt [8]. Nam ædem Concordiæ ſtructam a Camillo, poſtea incendio conſumptam & reſtitutam, ſtante adhuc integra porticu, ut monent Antiquarii, videmus ad arcum Septimii Severi, fere ad finem clivi Capitolini, & radices Capitolii.

Gradus autem Monetæ ſublimes fuere in ſumma Arce. Deinde inter ædem Monetæ & Concordiæ, mediæ erant ſubſtructiones quadrati lapidis, quæ ſuſtinebant muros, turres, moleſque Capitolii. Quare Monetæ gradus, ut deſcenderent ad ædem Concordiæ, debuerunt ſubſtructiones illas diſcindere ac dividere. quod in Arce adeo tuta & non expugnabili quis factum credat? Cum præſertim ædes Monetæ XLIV. poſt annos extructa fuerit, quam munitiones Capitolii: nec cauſa afferri poſſit, cur eas tunc Romani demoliri voluerint, ut gradus illos apponerent.

Dices: Gradus centum Tarpejæ rupis nonne dividebant ſubſtructiones? Reſpondeo, gradus illos ab ima valle pertinuiſſe ad ſummum ſubſtructionum. Ibi autem in ipſis muris Arcis, fuiſſe fores, quibus aditus erat ad rupem. quod etiam ſervatum eſt in duobus clivis, quorum in capite erant conſtitutæ fores. Non ita dices de gradibus Monetæ, qui non intermiſſi, ut in cæteris templis, in ipſo ædis veſtibulo finiebantur, quæ erat in ſumma Arce. Quod ſi per hos, abruptis ſubſtructionibus, in Arcem licebat evadere, cur Vitelliani milites hos ab æde Concordiæ incipientes, propioreſque clivo Capitolino, & aſcenſu faciliores reliquerunt? & per anguſtum alium clivum & Aſyli aditum voluerunt irrumpere? Igitur nulli iſti gradus extra ſubſtructiones, & fruſtra ab auctoribus quæſiti, vel inducti. Templum vero ab Ovidio deſcriptum in ſumma Arce ad ipſos Monetæ gradus ſtatuendum eſt, longe ſejunctum ab eo, quod Camillus ſtruxerat [1]. Legendi hac ſuper re interpretes. Quæ autem de Camillo memorantur a Poeta, id ſignificant, ut quemadmodum ille ædem Concordiæ propter populi diſſenſionem vovit & ſtruxit, ſic Tiberius propter pacatam Germaniam, ſeu Livia propter concordiam cum Auguſto, aliam ædificarit. Sed quis eorum ſtruxit, dedicavitque? Suetonius Tiberio attribuit. *Dedicavit*, inquit [2], *& Concordiæ ædem Tiberius, item Pollucis & Caſtoris ſuo fratriſque nomine*. Dion [3]: *Fanum Concordiæ ſibi parari juſſit, ut ſuo id, & Druſi nomine inſcriberet, ac deinde triumphavit. Triumpho perfecto templum Liviæ dedicavit cum matre*. Et [4]: *Anno ſequenti Tiberius Ædem Concordiæ ſacravit, inſcripto ſuo, & fratris Druſi vita pridem functi nominibus*. Ovidius:

Templaque feciſti, quam colis ipſe, Deæ.

De Tiberio [5]:

Te quoque magnifica, Concordia, dedicat æde,

De Livia [6]:

Livia, quam caro præſtitit illa viro.

Et:

Hæc tua conſtituit genitrix, & rebus, & ara.

Sed ex his colligitur, Tiberium feciſſe templum: Liviam ejus matrem inſtruxiſſe ara, ſupellectili, & rebus omnibus ſpectantibus ad ſacrificia & ornatum: eademque cum filio dedicaſſe. Verum ut ad aliam ædem Concordiæ revertamur longe ab arce poſitam ad Arcum Severi, cum hæc eſſet olim ad clivum, oſtendit eundem eſſe, quo nunc aſcenditur in Capitolium. Severus enim illum arcum tranſgreſſus in Arcem aſcendit: ſed qua alia via, niſi quam definimus, aſcendere potuit?

Objiciunt contra, fuiſſe Ædem Concordiæ propinquam templo Saturni, quod & Servius tradit. Olim vero ærarium templo Saturni (cauſas referente Plutarcho [7]) adjectum eſt, appenſaque eidem ſtatera. Cæterum hac ætate templum quoddam pervetuſtum S. Salvatoris cognomento in Statera, ſive in Aerario templo S. Mariæ cognomento in Porticu vicinum eſt. Ibi ergo olim Saturni templum, & Concordiæ. Ex quo præterea ſedem ibi Fori conſtituunt. Sed hi auctores inficiari non poſſunt, Saturni templum fuiſſe ad arcum Severi. Cum enim ibi eſſet clivus quo vectus eſt in Capitolium Septimius Severus, & ad clivum ædes Concordiæ, conficitur & proxime Saturni Aedem fuiſſe. Livius [8]: *Porticum ab æde Saturni in Capitolium* cenſores fecerunt. Quæ videlicet porticus in dextera parte clivi Capitolini, ut ſupra dixi ex Tacito, fuit, & prope ædes Concordiæ, de qua loquimur.

Saturni quidem ædes [9] Concordiæ proxima, ubi

1 Ædes Concordiæ ad clivum Capitolinum. 2 Philipp 2. 3 Ibid. 4 In Or. pro Sext. 5 In Or. poſt. red. in ſen. 6 In Camillo. 7 Faſt. 1. 8 Ædes Concordiæ in Clivo.

1 Aliæ Ædes Concordiæ in Arce prope Monetam. 2 In vita cap. 20. 3 Dion. l. 55. 4 Id. lib. 56. 5 Faſt. lib. 1. 6 Faſt. 6. 7 Plutarch. in qu. Roman. q. 42 Var. lib. 5. de lingua Latina. 8 Dec. 5. l. 1. 9 Saturni Ædes ad Ærarium.

nunc Ædes S. Adriani, ponitur ab Antiquariis [1]. Consentiunt hæc cum veterum dictis. Servius, *Ossa*, inquit, *Orestis ab Aricia Romam translata, & condita ante templum Saturni, quod est ante clivum Capitolinum*. Festus, qui docet ædem Concordiæ positam inter Capitolium & Forum: idem ait, templum Saturni in imo clivo Capitolino fuisse, ubi & ærarium fuit, ut tradit Solinus [2] & Plutarchus [3]. Præterea ad ærarium fuisse Forum ostendit Asconius [4]. nam cum Milonis judicium ageretur in Foro, *Præsidia*, inquit, *in Foro, & circa omnes Fori aditus Pompejus disposuit, ipse pro ærario, ut pridie, consedit, septus delecta manu militum. post, tantum silentium toto Foro fuit, quantum esse in aliquo Foro posset*. Quod si ex alia Capitolii parte colitur ædes S. Salvatoris in ærario, ut demus cognomentum ab ærario aliquo veteri derivatum, (quod tamen inficiari quis potest, ut paulo post) idonea responsio est: Quemadmodum non unum in Urbe Saturni templum fuit, ita nec unum fuisse ærarium. Testatur Suetonius [5], *Augustum constituisse ærarium militare [6] cum vectigalibus novis*. Et Dion [7]: *Augustus*, inquit, *pro se, & Tiberio pecuniam in ærarium, cui militaris nomen indidit, intulit*. Quod & ante dixerat [8]: *Agrippa abdicatus est ab Augusto. ejus facultates in ærarium militare relatæ*. Capitolinus de Marco: *Cum ad hoc bellum omne ærarium exhausisset suum*. Vulcatius in Avidio Cassio: *Quæ Antoninus in privatum erarium congeri noluit. Quare Senatu præcipiente in ærarium publicum sunt relata*. Trebellius in Claudio, recitans epistolam Valeriani Augusti, *Huic*, inquit, *salarium de nostro privato ærario dabis*. Hoc ergo ærarium [9] solis stipendiis militaribus constitutum quis neget ab ærario veteri Reipublicæ fuisse discretum? & fortasse ab altero secernebatur, quod proprium Augustorum fuit, ut ex Capitolino & Vulcatio recitavi. Cum autem & hoc sub tutela Saturni statuendum esset, hujus quoque nova ædes sub Augusto ædificata est a Munatio Planco, cujus meminit Suetonius: *A Munatio*, inquit [10], *Planco ædes Saturni extructa est*. Quare hanc ædem ærario adjectam, ubi *ærarii* cognomentum ajunt superfuisse, jure suo collocent.

Opponunt adhuc [11] Milliarium aureum, quod vere illis obstat. Erat autem Milliarium aureum *Aurea Columna*, ut in Othone scribit Plutarchus, *in quam omnes viæ Italiæ desinebant*. *In capite Romani fori statutum*, ut Plinius [12]; *sub ædem Saturni*, ut Tacitus [13], & Suetonius [14]. Hanc igitur prope antiquam illam ædem S. Salvatoris in Ærario collocant. Probabilius Marlianus [15], *Erat autem*, inquit, *Milliarium aureum columna prope arcum Septimii*. Hic ergo umbilicus Urbis, sic enim dicebatur, quod ab eo mensuræ viarum currerent, & in media Urbe, hoc est, in loco ejus celeberrimo esset. Si pope theatrum Marcelli, ut volunt, ponatur, poneretur prope Urbis muros, cum in propinquo esset porta Carmentalis ad forum nunc Montanarium, ut alias dixi. Quare Columna Milliaria in capite Fori ante ædem Saturni, nunc S. Adriani, verisimile collocabitur. Porro ne hoc omittam. Ad ædem Saturni arcus fuere positi Tiberio Principe. Tacitus. *Fine*, inquit [16], *anni propter ædem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa, ductu Germanici, auspiciis Tiberii dicantur*.

Præterea ubi hi auctores ædem Saturni & Forum collocant, *vicus Jugarius* fuit, qui secundum radices rupis Tarpejæ & Capitolii tendebat in Forum. Livius [1]: *A porta Carmentali Jugario vico in Forum venere*. Jugarium autem dixere, quod ibi esset ara Junonis Jugæ, quam præesse matrimonio putabant, auctore Sex. Pompejo. In eodem vico fuisse templum Opis & Saturni testatur P. Victor [2], eumdemque *Thurarium* appellat. Igitur ex *Jugario* vel *Thurario* vulgus fortasse facile finxit *ærarium*, temploque S. Salvatoris ibi condito cognomentum adjecit *in Ærario*.

1 Marlian. lib. 3. c. 16. Fulv. de Foris. 2 Cap. 2. 3 Loc. cit. 4 In arg. Or. pro Milone. 5 In vita cap. 49. 6 Ærarium militare. 7 Lib. 35. 8 Lib. 53 9 De quo L. ipf l. 2. c. 4. 10 In vita Aug. c. 28. 11 Milliarium aureum. 12 Lib. 3. c. 5. 13 Lib. 1. hist. 14 In vita Oth. c. 6. 15 Lib. 3. c. 18. Fulv. lib. 3. in For. Rom. 16 Lib. 2. Annal.

1 Dec. 3. l. 7. 2 In regione VIII.

CAP. XV.

Velabrum, Boarium Forum.

ULTIMO fines Velabri, & Fori Boarii nobis circumscribendi sunt. Fuit [1] autem Velabrum inter forum Romanum, Palatium, & Aventinum, quia, ut ait Varro [2], *Olim ex Urbe in Aventinum a reliqua Urbe paludibus disclusum vehebantur ratibus*. Propertius [3]:

Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.

Pertingebat autem Velabrum ad radices Palatini collis, ut idem insinuat Varro, qui ait [4]: *Sacrificium fit in Velabro, qua in Novam viam exitur*. Hæc autem via, ut supra dixi, a templo Jovis Statoris bipartita, vel desinebat in Forum, vel secundum radices Palatii exibat in Velabrum. Certum vero est tam ibi, quam in proxima valle Circi Maximi, inundantes aquas Tiberis stagnasse. Fuse id Ovidius [5]:

Forte revertebar festis Vestalibus illa,
Qua via Romano nunc Nova juncta foro est.
Huc pede matronam nudo descendere vidi:
Obstupui tacitus, sustinuique gradum.
Sensit anus vicina loco, jussumque sedere
Alloquitur, quatiens voce tremente caput.
Hoc, ubi nunc fora sunt, udæ tenuere paludes;
Amne redundatis fossa madebat aquis.
Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus, sed lacus ante fuit.
Qua Velabra solent in Circum ducere pompas,
Nil præter salices crassave canna fuit.
Sæpe suburbanas rediens conviva per undas,
Cantat, & ad nautas ebria verba jacit.
Nondum conveniens diversis iste figuris
Nomen ab averso ceperat amne Deus [6].
Hic quoque lucus erat juncis & arundine densus,
Et pede velato non adeunda palus.
Stagna recesserunt, & aquas sua ripa coercet,
Siccaque nunc tellus; mos tamen ille manet.
Hic, ubi nunc Fora sunt, lintres errare videres,
Quaque jacent valles, maxime Circe, tuæ.

Hæc stagna & paludes quamquam ante Romani emittere & derivare voluerant, egregio tandem opere substructis cloacis Tarquinius Romanorum quintus Rex exsiccavit. Neque, quod ego legerim, aliud averso Tiberi patefactum iter, aut alveus detortus est, quod inculcant Poetæ; sed solum ex planis imisque vallibus, quas Tiberis inundabat, evectæ sunt aquæ, simul fortasse repurgato laxatoque alveo, nec fluvius effunderetur. Propertius [7]:

Hac quondam Tiberinus iter faciebat, & ajunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne Deus.

Ovidius [8]:

Nondum conveniens diversis iste figuris
Nomen ab averso ceperat amne Deus.

1 Velabrum ubi esset. 2 4. de ling. Lat. 3 Lib. 4. Eleg. 10. 4 Lib. 1. 5 6. Fast. 6 Vertumnus. 7 El. 2. lib. 4. 8 Ovidius Fast. 6.



PONTIF MAX TRIB POTEST XII IMP XI COS III PATRI PATRIAE ET
PARTHICI MAXIMI . BRITTANICI . MAXIMI .
LOCI QVI
ARGENTARI ET NEGOTIANTES BOARI HVIVS INVENT DEVOTI NVMINI EORVM .
ARCVS
SEPTIMIO ANTONINO ET IVLIAE
ERECTVS


Fig. XXI
LVNAE SIVE ISIDIS TEMPLVM.
VESTIGIA TEMPLI LVNAE
AEGYPTOS
In Hortis Sanctæ Mariæ Novæ in Foro Boario

Hic eſt Vertumnus ſeu Vortumnus, cujus ſignum erat in vico Tuſco, qui pars Velabri fuit [1]. Cicero [2]: *Quis a ſigno Vertumni in Circum Maximum venit?* Velabrum hodieque indicat ædes S. Georgii cognomento *in Velabro*, (ibi enim erat) aliterque *in Velo aureo* corrupto cognomine.

Adjunctum Velabro fuit Boarium Forum, immo aliquam Velabri partem Forum Boarium cepit. De cujus appellatione infra. Ovidius [3]:

Pontibus & magno juncta eſt celeberrima Circo
Area, quæ poſito de Bove nomen habet.

Quæ verba fines Fori [4] circumſcribunt. Circus enim A maximus longitudinem vallis inter Palatinum & Aventinum occupavit. A quo ad Tiberim, quem eo loco pontes Senatorius, & Sublicius jungebant, ſecundum Aventini radices area producta, & ad templum S. Georgii converſa, inde rediens ad Circum, ſpatium definiet Boarii Fori. Livius [5]: *Incendio a Foro Boario orto diem noctemque ædificia in Tiberim verſa arſere*. Quare fluvio jungebatur. Situm præterea Boarii Fori notat Inſcriptio in veteri arcu quadrato marmoreo ad S. Georgium, in quo Severus Auguſtus, Julia Auguſta, & Antoninus Cæſar, aliaque inſtrumenta ſacrificiorum inſculpta ſunt.

1 Var lib. 4. de lingua Latina 2 3. Ver. 3 6. Faſt. 4 Fines Fori Boarii.

5 Lib. 5. Dec. 4.

IMP. CAES. L. SEPTIMIO. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. ARABIC. ADIABENIC. PARTH. MAX. FORTISSIMO. FELICISSIMO
PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XII. IMP. XI. COS. III. PATRI. PATRIAE. ET
IMP. CAES. M. AVRELIO. ANTONINO. PIO. FELICI. AVG. TRIB. POTEST. V. COS. I. P.P. PROCOS. FORTISSIMO. FELICISSIMOQVE. PRINCIPI. ET
IVLIAE. AVG. MATRI. AVG. N. ET. CASTRORVM. ET. SENATVS. ET. PATRIAE. ET. IMP. CAES. M. AVRELI. ANTONINI. PII. FELICIS. AVG.
PARTHICI MAXIMI BRITTANNICI MAXIMI
ARGENTARI. ET. NEGOTIANTES. BOARI. HVIVS. LOCI. QVI. INVEHENT. DEVOTI. NVMINI. EORVM.



Erat igitur hic eorum locorum ſitus. A porta Carmentali, nunc Foro Montanario Jugarius vicus ſecundum radices Capitolii porrectus deſinebat in Forum Romanum. Velabrum aliqua ſui parte vico Jugario propinquum fuit, interpoſitis duntaxat domibus & Baſilicis: tum in parte ipſa Velabri Boarium forum, quod Palatinum, Aventinum, Circum maximum, & Tiberim attigit. Livius [1]: *A porta Carmentali Jugario vico in Forum venere. In Foro pompa conſtitit. Inde vico Tuſco, Velabroque per Boarium forum in clivum publicum*, qui ducebat in Aventinum, *atque ædem Junonis reginæ perrectum*. Et Plautus, cum varia Fori loca numeraſſet, ſubdit [2]:

In Tuſco vico, ibi ſunt homines, qui ipſi ſeſe venditant.
In Velabro vel piſtorem, vel lanium, vel haruſpicem.

Propterea, & pompa Circenſis deſcendens e Capitolio per Velabrum ferebatur in Circum. Propertius:

1 Dec. 3. lib. 7. 2 In Curcul. act. 4. ſc. 1.

B *Qua Velabra ſolent in Circum ducere pompas.*

Et Cicero [1]: *Quis a ſigno Vertumni in Circum maximum venit? quam tu viam thenſarum atque pompæ ejuſmodi exegiſti.* Quæ & Boario foro tranſibat, quod Circo jungebatur. Demum vicus Tuſcus [2] partem Velabri, Boariique fori occupavit, de quo infra. Quamvis Plautus loco citato videatur vicum a Velabro ſejungere.

1 Or. 3. in Verr. 2 Vicus Tuſcus.

C

CAP. XVI.

Circumſcribuntur fines Romani Fori.

HIS ita circumpoſitis, Romanum Forum [1] inter Palatinum collem & Capitolinum collocandum eſt. Et quia longius aliquanto quam latum fuit, a Capitolio ad Palatium latitudo, longitudo a Sacra via ſita olim pro templo Saturni, nunc S. Adriani, uſque ad ædem Virginis a Con-

1 Forum Romanum inter Palatinum & Capitolium.

solatione appellatam, aut amplius excurrit. Id Antiquarii rem tanquam certam & exploratam hactenus ponebant. Sed quoniam Cardinalis Baronius, tantus auctor, refragatus est, qui statuit Forum ad aedem S. Nicolai cognomento in Carcere occasum versus; Pompejus Ugonius, cum Italica lingua scriberet de Stationibus Urbis, nonnullis rationibus comprobavit. quibus ego auctis & roboratis alias subnectam.

Primo ergo probant allata Livii verba [1]: *Effusos egit Romanos toto, quantum Foro spatium est*. Hanc ego rationem urgeo repetitis iis, quae supra de templo Jovis Statoris dicta sunt. Conditum est enim templum ad radices Palatii, ubi steterunt Romani, qui antea Sabinos ex arce Capitolina decurrentes, toto quantum Foro spatium est, fugerant. Igitur Forum desinebat ad templum. quod cum esset ad veterem Palatii portam Mugoniam nomine, eo quoque Forum pertinebat. Haec ut clariora essent cum locorum situ describenda curavi.

Confirmat Sacra via, e qua, ut ex Dionysio dicebam, porta Mugonia mittebat in Palatium, ea nempe parte, quae exurgit e regione aedis SS. Cosmae & Damiani. Ad eum ergo Palatii angulum pertingebat etiam Forum. Demonstrat idem & via Nova, quae prope templum Jovis Statoris desinebat in Forum.

Secundo, Tacitus describens fines Urbis conditae a Romulo, *Igitur*, inquit [2], *a foro Boario sulcus designandi oppidi coeptus. Inde certis spatiis interjecti lapides per ima montis Palatini ad aram Consi: mox ad Curias veteres: tum ad sacellum Larium Forumque Romanum*. Quae loca priscis insignita nominibus, ita novis adscitis recenseremus. In area, ante templum S. Anastasiae designari coepta sunt moenia. Inde dextrorsum secundum Circensem vallem hortorum radicesque Palatii ducta: tum flexa versus arcum Constantini: inde ad arcum Titi, jacentemque vellem inter Palatinum & Capitolium, ubi postea Forum fecere. Quare non alio in loco fuisse dicendum est.

Tertio, Suetonius in vita Vespasiani: *Fecit*, inquit, *& nova opera: templum Pacis* [3] *Foro proximum*. Superstites ejus templi reliquias videmus, quibus & Fori situm definire possumus. Respondent, templum Pacis fuisse Foro proximum, nempe regioni octavae Urbis, quae *Forum Romanum* inscribitur. Qua responsione multas dubitationes amoveri posse autumant. Verum hac responsione quamvis forte vim verborum Suetonii possent effugere, quae non regionem, sed forum ipsum vere significant; tamen alios scriptorum locos non recte interpretantur. Nam via Nova, quam supra diximus Foro fuisse junctam, a Sexto Rufo ponitur in regione ipsa fori Romani, quomodo igitur regioni juncta erit? Deinde quod antea ex Livio afferebam, *Romanos fugisse toto quantum Foro spatium est;* num intelligent fugisse tota regione Fori? haec enim praeter tot alia locorum spatia, ipsum Capitolium complectebatur, quo Romani ascendere non potuerunt. Nec, opinor, proferri possunt verba scriptorum, quae hujusmodi loquutione, *in Foro, vel in Foro Romano*, regionem significent. Neque enim tueri se quisquam potest P. Victoris, aut Sexti Rufi auctoritate, qui in descriptione regionum Urbis, earum nomina praescribere debuerunt. Quando enim absolute *Forum* vel *Forum Romanum* scribitur, ipsum Forum est intelligendum, non regio octava Urbis, in qua Forum est. Alioqui bene diceretur, *Capitolium est in Foro: templum Jovis Feretrii est in Foro*. quod quis dixit, aut legit? recte autem dicitur, *templum Jovis Feretrii est in regione Fori*. Sic etiam, cum legimus aliquid fuisse aedificatum, aut peractum in Circo, intelligimus Circum Maximum, aut Flaminium, non regionem undecimam Circi Maximi, aut nonam Circi Flaminii.

Quarto afferuntur Dionysii verba: *Post mortem vero Bruti Collega ejus Valerius plebi suspectus fit, tanquam sibi regnum comparans, quia domum sibi loco invidioso extruebat, collem eligens imminentem Foro, valde altum & praeruptum, quem Romani Veliam vocant*. Respondent, Veliam fuisse in Capitolio & Foro, quod collocant ad theatrum Marcelli, imminentem; *nempe*, inquiunt, *eminentiorem partem Tarpeii collis*, quae in Occidentem obversa est. Sed mirum, Veliam poni in Capitolio [1], cum P. Victor *Veliam in Palatio, decima regione Palatii numeret*: & Capitolium sit in octava. Varro autem, cum de Palatio dixisset, *Naevius Balantium appellat*, pergit: *huic Germalum & Velias conjunxerunt*. Idem: *In Velia apud aedem Deum Penatium*. Haec fuit in imo Palatio. Solinus [2]: *Tullus Hostilius habitavit in Velia, ubi postea Deum Penatium aedes facta est*. Livius [3]: *Aedes Deorum Penatium in Velia de coelo tacta erat*. Dionysius [4]: *Templum*, Deorum Penatium, *Romae non procul Foro ostenditur, secundum viam, quae ad Carinas fert compendio, situm in loco obscuro propter circumjecta aedificia*. Haec via, vel est Sacra, ortum ducens a Carinis, ultra Amphitheatrum, vel Sacrae proxima. Et hic Dionysii locus ostendit Forum ibi, ubi nos ponimus, fuisse non longe a Carinis, ut & Virgilius [5]:

—passimque armenta videbant
Romanoque Foro & latis mugire Carinis.

Tacitus loco supra citato: *Mox ad Curias veteres, tum ad sacellum Larium, Forumque Romanum*. Curiae veteres ad arcum Constantini ponuntur ab Antiquariis, inde fines Urbis ducti ad sacellum Larium seu Penatium, prope ingressum hortorum Farnesiorum, tum in Forum Romanum. Idem Tacitus loquens de templis, quae arserunt Neroniano incendio, ait [6]: *Aedesque Jovis Statoris vota Romulo, Numaeque Regia, & delubrum Vestae cum penatibus Populi Romani exusta*. Erant autem aedes prope contiguae ad radices Palatii. Demum Varro *Velias* dictas ait, *quod ibi pastores Palatini ex ovibus ante tonsuram inventam* vellere *lanam sint soliti, ex quo* vellera *dicuntur*. Velias dixit, quoniam erat ima & summa Velia; summa in summo Colle, in imo ima, apud quam aedes Penatium. Livius [7]: *Et aedificabat*, Valerius, *in summa Velia*. Plutarchus [8]: *In Velia quam vocant, Foro imminentem*. Sed Valerius consul cum propter aedificationem in summa Velia, ubi habitabat, regnum affectare diceretur, ut refert Livius, in concione ad Populum, *Ego*, inquit, *si in ipsa Arce Capitolioque habitarem, metui me crederem posse a civibus meis*. Velia ergo alibi quam in Capitolio quaerenda. Lege, qui idem docent, Antiquarios.

Quinto, Cicero [9] signum Jovis in Capitolio excelsius factum tradit, & jussu aruspicum conversum ad orientem: *Ac se*, inquit, *sperare dixerunt, si illud signum, quod videtis, Solis ortum, & Forum, Curiamque conspiceret, fore, ut ea consilia, quae clam essent inita contra salutem Urbis atque Imperii, illustrarentur*. Capitolium, ut primo libro constitui, Forum [10] versus orientem, aut inter ortum & meridiem spectat, obversumque Palatinum, ad cujus radices Curia, in qua habebatur Senatus, fuit. At planicies, jacens dextrorsum sub Tarpeja rupe ad aedem S. Nicolai, spectat occasum; nec sibi Tullius constabit. Nec vero hic *Forum* interpretari pos-

1 Lib. 1. 2 Tacit. l. 3. Annal. 3 Templum Pacis Foro proximum.

1 Velia ubi esset. 2 Cap. 2. 3 Dec. 5. l. 5. 4 Lib. 1. 5 Lib. 8. Aeneid. 6 Lib. 15. Annal. 7 Lib. 2. 8 In vita Valer. 9 Catil. 10 Forum Romanum ad Orientem.

ſunt *regionem Fori*. Hæc enim Capitolium & loca circumjecta comprehendens tam ortum, quam meridiem & occaſum ſpectavit.

Sexto: Plutarchus in vita Ciceronis commemorans ſupplicium eorum, qui cum Catilina in patriam conjuraverant, *Primum*, inquit, *a Palatio Conſul Lentulum ſumit, eumque per viam Sacram, mediumque Forum adducit. Forum egreſſus Conſul, cum ad carcerem ventum eſſet, tradit lictori Lentulum, eumque ſtrangulari juſſit*. Sacræ viæ terminos ſupra definivimus, nempe a Carinis uſque ad templum Statoris contra ædem nunc SS. Coſmæ & Damiani; ibi enim mittebat in Forum, & altera ſui parte convertebatur ad ædem Fauſtinæ. At Forum, ſi collocatur ad ædem S. Nicolai, plus nimio diſtat Sacra via.

CAP. XVII.

Idem aliis rationibus urgetur.

HÆC Pompejus, aliique viderint, a me partim propugnata, partim fuſius expoſita. Jam idem aliis non levioris momenti rationibus conabor pervincere, quod circumpoſita Foro ædificia abunde demonſtrant. In primis ædes [1] CASTORIS, quæ olim fuit in Foro. Neque vero hic aliquis inculcet regionem octavam, Fori appellatione nuncupatam. Nam Auguſtus, teſte Suetonio [2], *ſpatium Urbis vicoſque diviſit in quatuordecim regiones*. Quæ antiquitus quatuor erant, auctore Varrone, *Suburana*, *Eſquilina*, *Collina*, *Palatina*, in qua, eodem Suetonio referente [3], natus eſt Auguſtus. Sed Caſtoris ædes ante Auguſtum fuit in Foro, cum octava Urbis regio Fori nomine nondum erat. *Nonne*, inquit M. Tullius [4], *ab Aulo Poſthumio ædem Caſtori & Polluci in Foro dedicatam vides*? Et alibi pluries. Livius [5]: *Caſtoris ædes eodem anno* [6] *Idibus Quintilibus dedicata eſt. Vota erat Latino bello, Poſthumio dictatore. Filius duumvir ad ipſum creatus dedicavit*. Aliam cauſam affert Dionyſius [7]: Quod nimirum eo bello duo Juvenes humanis majores redeuntes ex prælio viſi fuerint ex equis deſcendere, ſeque lavare ad fontem proximum templo Veſtæ; quos populus, cum paulo poſt evanuiſſent, Caſtorem & Pollucem eſſe ratus, iiſdem ædem poſuit, ubi ſe videndos præbuerunt, prope ædem Veſtæ, quæ fuit ad Statoris. De fonte idem Dionyſius: *Qui*, inquit, *ad ædem Veſtæ profluens parvam, ſed profundam facit lacunam*. Juturnæ lacum dixere. Ovidius [8]:

Fratribus illa Deis fratres de gente Deorum
Circa Juturnæ compoſuere lacus.

Nam illud Tiberius ſuo & Druſi fratris nomine reſtituit. Cæterum ædes Caſtorum non modo erat in Foro, ſed etiam ad radices Palatini collis. Pomponius Lætus in Decio, *In Æde*, inquit, *Caſtoris & Pollucis in parte Fori Romani verſus Palatium, cujus veſtigia effodi vidimus*. Et vero cum in eo colle eſſet domus & Palatium Cæſarum (Auguſtus enim ibi habitavit, & alii deinceps Auguſti) C. Caligula *partem Palatii ad Forum uſque promovit*, ut ait Suetonius [9], *atque æde Caſtoris & Pollucis in veſtibulum transfigurata, conſiſtens ſæpe inter fratres Deos, medium ſe adorandum adeuntibus exhibebat*. Penſitanda ſunt verba. *Promovit Palatium*, quod erat in colle Palatino, *uſque ad Forum*. Non ergo tanta loci diſtantia, ut putant, ſed ſubjectum colli, ubi & templum. Nec ſane eo pertingere potuit

1 Ædes Caſtoris ubi eſſet. 2 In vita Aug. c. 30. 3 In vita Aug. c. 5. 4 3. de Nat. Deor. 5 Lib. 2. 6 Urbis 270. 7 Lib. 6. 8 Faſt. lib. 1. 9 Suet. in Cal. c. 22. Dion lib. 59.

A Forum poſitum ad ædem S. Nicolai. Nam inter illud & Palatinum Capitolii pars, Forum boarium, & Velabrum ſtatuenda neceſſario ſunt. Porro ædem Caſtoris (quod prætereundum hoc loco non eſt) referente Aſconio [1], de manubiis L. Metellus inſtauravit; qui Metellus ſubactis Dalmatis, Dalmaticus appellatus eſt. Hæc eadem a Tiberio poſtea refecta & dedicata eſt. Suetonius in vita Tiberii [2]: *Dedicavit*, inquit, *& Concordiæ ædem: item Pollucis & Caſtoris ſuo fratriſque nomine de manubiis*. Claudius item, poſtquam a Cajo mutata erat in veſtibulum domus, iiſdem divis, Dione referente [3], B reſtituit. Domitianus etiam vel inſtauravit, vel ornavit. Martialis [4]:

Quid loquar Alciden, Phœbumque, pioſque Laconas?
Addita quid Latio Flavia templa polo?

Eodem in loco Forum ſtatuendum eſt, propter ædem VESTÆ [5], quam Numa rex condidit ad imam partem Palatii prope ſuam domum, cognomento *Regiam*. Regia autem, ut ſupra dixi ex Aſconio, erat in Sacra via. Utraque autem prope veterem Palatii portam, Mugoniam nomine, ad ima collis, e regione templi SS. Coſmæ & Damia-C ni. Ovidius [6]:

Hæc eſt a ſacris, quæ via nomen habet.
Hic locus eſt Veſtæ, qui Pallada ſervat & ignem:
Hæc fuit antiqui regia parva Numæ.
Inde petens dextram, porta eſt, ait, iſta Palati.

Martialis [7]:

Quæris iter? dicam: vicinum Caſtora canæ
Tranſibis Veſtæ, virgineamque domum.
Inde Sacro veneranda petes Palatia clivo.

Cui lucus erat adjunctus. Cicero [8]: *a luco Veſtæ, qui a Palatii radice in novam viam devexus eſt*. D Via autem nova, quod ſupra expoſui, ibi exitum habebat in Forum. Fulvius [9] multis argumentis confirmat ædem Veſtæ fuiſſe, ubi nunc ædes S. Mariæ appellatione Liberatricis, & affert epitaphia Veſtalium virginum in ſepulchris ibidem refoſſis inſculpta. De eadem æde ignem Veſtæ perpetuum continente Dionyſius [10]: Νομᾶς δὲ τὴν ἀρχὴν παραλαβὼν τὰς μὲν ἰδίας οὐκ ἐκίνησε τῶν φρατριῶν ἑστίας, κοινὴν δὲ κατεστήσατο πάντων μίαν ἐν τῷ μεταξὺ τοῦ Καπιτωλίου, καὶ τοῦ Παλατίου χωρίῳ, συμπεπολισμένων ἤδη τῶν λόφων ἑνὶ περιβόλῳ, καὶ μέσης ἀμφοῖν οὔσης τῆς ἀγορᾶς, ἐν ᾗ κατεσκεύασε τὸ ἱερόν, τὴν φυλακὴν τῶν ἱερῶν. E *Numas autem imperium accipiens privatos quidem non movit Curiarum focos; communem autem conſtituit omnium unum, in media inter Capitolium & Palatium ora, jam collibus uno circuitu in Urbem comprehenſis, & medio inter utrumque exiſtente Foro, in quo poſuit templum, & cuſtodem ſacrorum*. Quid clarius? ut oſtendatur templum Foro adjunctum, & Forum inter Capitolium & Palatium.

Non diſſimili argumento eſt templum CÆSARIS Dictatoris [11], quod templo Caſtorum propinquum erat. De eo P. Victor in Regione VIII. *Templum Julii Cæſaris in Foro*. Scribit Dion [12], Cæſaris cadaver a populo fuiſſe in Foro crematum, F eodemque in loco aram erectam, in qua Cæſari inſtituit immolari. Sed Conſules aram demoliti ſacrificia prohibuerunt. Aliter Suetonius [13], qui narrat populum Romanum ſolidam columnam prope viginti pedum, lapidis Numidici, Cæſari in Foro ſtatuiſſe, ſcripſiſſeque, *Parenti Patriæ*, & apud eam

1 In 3. or. in Ver. in orat. pro M. Scauro. 2 Cap. 20. 3 Lib. 60. 4 Lib. 9. Epigram. 4. 5 Ædes Veſtæ, & Numæ domus, vulgo Regia, ubi eſſent. 6 3. de Triſt. Eleg. 1. 7 Lib. 1. Epigram 71. 8 1 de Divinat. 9 Lib. 3. in Foro Romano. 10 Lib. 2. 11 Templum Cæſaris in Foro. 12 Lib. 44. 13 In vita Cæſ. c. 85.

longo tempore sacrificare perseverasse. Verum, ut idem Dion postea refert [1], triumviri Antonius, Lepidus, & Octavius sacellum Cæsari eo in loco, ubi crematus fuerat, erexerunt. At idem ἡρῷον Ιȣλίȣ ab Augusto factum, & consecratum affirmat. Est autem ἡρῷον fanum & monimentum heroibus poni solitum; atque adeo ipsum, opinor, Cæsaris templum, quo nomine sic appellavit Appianus. *Quo in loco*, inquit [2], *primum ara erecta est, nunc Templum Cæsaris ipsius residet, quod divinis condignum celebravere honoribus*. Præter hoc & alia illi templa, cum viveret, dedicata sunt, aræ, simulacra juxta Deos; quod testatur Suetonius [3]. Cæterum perperam a Marliano [4] templum Cæsaris ponitur post ædem Faustinæ, cum ædi Castorum vicinum fecerit Ovidius [5]:

Fratribus assimilis, quos proxima templa tenentes
Divus ab excelsa Julius æde videt.

Et Statius sub Palatino collocat [6]:

——— hinc obvia limina pandit,
Qui fessus bellis, assertæ munere prolis
Primus iter nostris ostendit in æthera Divis.

Nam cum statua equestris Domitiani Palatium spectaret, ut paulo post dicam, Cæsar Augusti munere relatus inter divos, & obvias sui templi fores quodammodo venienti equo aperiens, necessario sub Palatino colebatur. Quibus recte ac vere positis, alibi Forum quærendum non est, nisi inter Capitolium & Palatium.

Idem repræsentat FORI descriptio, quam habet Statius [7], quod etiam innuit Ugonius. Nam statua equestris Domitiani [8] in medio Foro sita habuit a tergo templum Concordiæ & Capitolium: a fronte Palatium & templum Vestæ: a latere Basilicam Juliam, & Æmilii Pauli. Patent hæc ex versibus:

Ipse autem puro celsum caput aere septus
Templa superfulges, & prospectare videris,
An nova contemptis surgant Palatia flammis
Pulchrius? an tacita vigilet face Troicus ignis?
Atque exploratas jam laudet Vesta ministras?

Spectabat ergo Palatium & templum Vestæ, ubi ignis perpetuus, & domum Vestalium virginum & templum Cæsaris. Quod ante dixerat:

——— hinc obvia limina pandit,
Qui fessus bellis, assertæ munere prolis,
Primus iter nostris ostendit in æthera Divis.

Quæ autem retro erant:

Terga Pater, blandoque videt Concordia vultu.

Erat enim Concordiæ templum ad clivum Capitolinum: & *pater*, seu Vespasianus ipse etiam templo cultus: seu Jupiter prospectans ex æde magnificentissima Capitolii. illum enim dici *patrem* nemo non novit.

At laterum passus hinc Julia templa tuentur:
Illinc belligeri sublimis regia Pauli.

A lateribus hinc BASILICA Julia [9], hinc Pauli Æmilii. Ideo Lipsius [10] ex suo scripto codice legendum putat *Julia tecta*, ne videatur Statius redire ad templum Cæsaris. Sed perinde est, si legas *templa*. Templum enim, quodcumque augurato conditum, antiquis fuit. Itaque Curiam & Rostra, *templa* dixerunt. Neque dixeris basilicarum condi-

A tores, cum eas judiciis actisque publicis ponerent, auguria neglexisse. Quare & apud Martialem, cum loquitur de hac basilica & ejus judiciis, quidam *templa* legunt [1]:

Jam clamor, centumque viri, densumque coronæ
Vulgus, & infanti Julia templa placent.

Et quidam codices habent *tecta*.

Cæterum ne, quæ ad has duas basilicas spectant, hoc loco prætermittam. Alteram L. Æmilius Paulus [2] extruxit, qui fuit consul cum C. Claudio Marcello anno ab Urbe condita DCCIV. acceptaque B pecunia, ut ait Plutarchus [3], & Appianus [4], a Cæsare, qui tum erat in Galliis, nempe mille & quingentis talentis, *mirabilem*, teste Plinio, *Phrygibus columnis basilicam* erexit. Cicero ad Atticum [5]: *Paulus in medio Foro basilicam jam pæne texuit iisdem antiquis columnis. Illam autem, quam locavit, facit magnificentissimam. Quid quæris? nil gratius illo monumento, nil gloriosius*. Ubi duarum basilicarum mentio fit, unius quam Paulus instauravit: alterius, quam ipse extruxit. Prior illa, vel Porcia, vel Opimia fortasse fuit. Alterius basilicæ Æmiliæ meminit Plinius. *Post eum*, inquit [6], *M. Æmilius* C *collega in consulatu Q. Luctatii non in basilica modo Aemilia, verum & domi suæ posuit suorum imagines in clypeis*.


Jam non ita certo basilicæ Juliæ conditorem adducere possumus. Sed certe non alius, nisi Julii Cæsaris nomine Augustus extruxit, ac dedicavit. Dion [7] meminit curiæ Juliæ conditæ & dedicatæ ab Augusto, quam postea συνέδριον nuncupat. quod consessum non modo senatorum, sed etiam judicum significat, & videtur accommodari posse ad basilicam judiciorum sedem. βȣλευτήριον antea dixerat, quod proprie *curia* est. quamquam & judices Areopagitas βȣλευτὰς appellavit Lucianus. Me- D minit basilicæ Juliæ Quintilianus [8]: *Certe*, inquit, *cum in basilica Julia diceret*, Trachallus Orator, *primo tribunali; quatuor autem judicia, ut moris est, cogerentur*. Meminit & Plinius [9]: *Descenderam*, inquit, *in basilicam Juliam auditurus, quibus proxima comperendinatione respondere debebam: sedebant judices, centumviri venerant*.

At quoniam erant hæ duæ basilicæ Pauli & Julii a lateribus statuæ equestris Domitiani, utra lævum servabat, Julia ne, an altera? Id mihi hactenus clare compertum non est. Marlianus [10] ait, a sinistra collocari ab Statio basilicam Pauli eo versu: *Illinc belligeri sublimis regia Pauli*. Sed Statius illis E verbis id non expressit. Plutarchus in vita Galbæ narrat, cum ille venisset in Forum, *conspecti sunt primo equites, mox pedites a basilica Pauli advolare*. Hi missi fuerant e castris ab Othone, nempe ab extremo Viminali, ut Galbam occiderent. Venerunt ergo a sinistra parte, Forum indidem ingressi. Quod si verum est, Pauli basilica sita erat prope templum Faustinæ: basilica vero Julia dextrorsum non longe a templo Julii Cæsaris, quod sub Palatio collocavimus. Ducitur & conjectura ex Suetonio scribente [11], Caligulam *nummos non mediocris summæ e fastigio basilicæ Juliæ* per aliquot dies sparsisse in ple- F bem: idemque legitur apud Josephum [12]. Credibile igitur est, basilicam colli Palatino propinquam fuisse, ut Cajus e Palatio, sive e ponte, quo Palatium & Capitolium junxit, ejus fastigium adire percommode, seseque in ædes illas superiores recipere posset. Jam ut ad Forum redeamus: hæc facies ædificiorum, quæ erant in Foro, illi inter Capi-

1 Lib. 47. 2 Lib. 2. de Bello Civili. 3 In vita Cæs. cap. 76. 4 lib. 3. c. 10. 5 2. de Proto Eleg. 1. 6 Lib. 1. Syl. 7 In equo Domitiani. 8 Positus Statuæ Equestris Domitiani. 9 Basilica Julia in Foro. 10 Lib. 3. cap. 7. de Magnitud. Rom.

1 Lib. 6. Epigram. 36. 2 Basilica Pauli Æmilii in Foro. 3 In vita Cæs. lib. 2. 4 de Bello Civil. 5 Lib. 4. Epist. 16. 6 Lib. 35. cap. 5. 7 Lib. 51. 8 Lib. 12. cap. 5. 9 Lib. 5. Ep. ep. ult. 10 Lib. 3. c. 22. 11 In vita Caligul. cap. 37. 12 Lib. 19 Judaic. Antiquit. c. 1.

tolium



Antonini et Faustinae Templum

tolium & Palatium perſpicue adjungitur; ibi enim illa fuerunt.

Adhuc in hujus rei teſtificationem extat Fauſtinæ templum. Erat enim ut ſupra dixi in Sacra via, quæ prope mittebat in Forum. Quid ergo neceſſe eſt tanta loci diſtantia, ut illi faciunt, ſeparare? Porro hujus templi porticus ingentibus columnis fulta adhuc miraculo eſt, extantibus etiam extimorum templi parietum reliquiis, atque ædem S. Laurentio dicatam continentibus. Antonino Pio poſt ejus mortem majorique Fauſtinæ ejus conjugi extructum fuit. Julius Capitolinus [1]: *Meruit & flaminem, & circenſes, & templum, & ſodales Antoninianos*. Spartianus: *Ante templum D. Pii*.

1 In vita Anton. Carac.

CAP. XVIII.

Alia Romani Fori loca & ædificia inter Capitolium & Palatinum.

LACUS Curtius [1] teſtimonio ſit, qui erat in medio Foro. In Foro lacum Curtium a Curtio dictum, ſcribit Varro [2]. Nam cum ibi ſub Romulo ſtagnarent aquæ, illo Metius Curtius repulſus e Palatii porta, abdiderat ſe, atque in ſtagnum tradito nomine immiſerat: ſive quod eo loco ſubſidente terra profundam voraginem Curtius miles intrarat: ſive quod locum fulguritum ſepſerat Curtius coſ. Sed Livius lib. 7. a Curtio qui ſe cum equo in ſpecum immiſerat, celebre nomen derivat. Ceterum lacus nomine tenus remanſit; nam terræ ſolum clauſum cancellis erat. Ovidius [3]:

Curtius ille lacus, ſiccas qui ſuſtinet aras,
Nunc ſolida eſt tellus: ſed fuit ante lacus.

Dionyſius [4]: *Lacus iſte jam terra congeſta repletus eſt, Romani Fori meditullium fere occupans.*

Hic ergo lacus vel adjunctus equeſtri ſtatuæ Domitiani, vel prope fuit inter Palatium & Capitolium. Statius [5]:

Ipſe loci cuſtos; cujus ſacrata vorago,
Famoſuſque lacus, nomen memorabile ſervat.

Et paulo poſt:

Nunc veneranda palus, cum te prope noſſe, tuumque
Immortale jubar vicina ſede tueri
Conceſſum: —— ——

Ubi ſermo de ſtatua Domitiani. Cum ergo germanum ejus ſtatuæ locum antea deſignaverim inter Palatinum & Capitolinum, ſimul & Curtii lacus terminos defixiſſe neceſſe eſt.

Confirmat quæ diximus Galbæ mors, & eorum qui cum illo necati ſunt in Foro. Nam Galba [6] juxta lacum Curtium occiſus eſt. Titus Junius, qui fuerat ejus legatus in Hiſpania, ante ædem D. Julii jacuit in utrumque latus transverberatus. Piſo a Galba adoptatus in ædem Veſtæ pervaſit, extractuſque e latebra, & in foribus templi trucidatus eſt. Hæc Tacitus [7]. Nec diſſimilia Plutarchus & Suetonius in vita Galbæ prodidere.

Idem ROSTRA proclamant, & in Foro. Livius: *Roſtriſque earum*, navium, *ſuggeſtum in Foro extructum adornari placuit, Roſtraque id templum appellatum*. Erant autem Roſtra ad radices Palatii. Claudianus loquens de Palatio Cæſarum ait [8]:

1 Lacus Curtius in medio Foro. 2 Lib. 4. 3 6. Faſt. 4 Ant. lib. 2. 5 Loc. cit. 6 Galba occiſus in Foro. 7 Lib. 1. Hiſt. Lib. 8. 8 De 6. conſ. Honor.

A *Attollens apicem ſubjectis regia Roſtris.*

Cum ergo eſſent in medio Foro ad conciones, & ad Palatii radices, non poterit Forum ad ædem S. Nicolai ſitum ad Roſtra pertingere, interpoſito, ut ſæpe dixi, Velabro & Boario Foro.

Reditus Neronis in Urbem e Græcia, quem Suetonius narrat [1], idem confirmat. Alba enim veniens Romam ingreſſus eſt Appia via, & porta Capena, nunc S. Sebaſtiani. *Diruto*, inquit, *Circi maximi arcu, per Velabrum, Forumque, Palatium & Apollinem petiit*. Liquet igitur Neronem a porta S. Sebaſtiani recta veniſſe uſque ad templum S. B Anaſtaſiæ, ubi erat finis Circi maximi: tum dextra converſum in Velabrum & Forum inter Palatium & Capitolium: inde iterum dextra converſum per Sacram viam in ædem Apollinis & Palatium veniſſe. Quare aliud Forum longe ſepoſitum Nero non invenit, neque eo in Palatium venire potuiſſet. Certior argumentatio ducitur ex via Triumphantium [2], quoniam certior & exploratior eſt. Hi ergo, ut ſupra diximus, venientes a theatro Marcelli per Velabrum & Circum maximum vertentes ad arcum Conſtantini Sacram viam ingrediebantur: hac exibant in Forum: e Foro, quod circumibant, C flectebant in Capitolium. Quod ſi Forum abſtractum e valle inter Capitolium & Palatium ad ipſum Marcelli theatrum conſtituatur; triumphantes neque Circum maximum, neque Sacram viam videre potuerunt, contra quam veteres ſcriptores diſerte tradant.

Ex oppugnatione Capitolii ſub Vitellio principe idem conficitur. Nam cum Sabinus Veſpaſiani frater eo ſe recepiſſet, *Milites*, inquit Tacitus [3], *Forum & imminentia Foro templa prætervecti erigunt aciem per adverſum Collem*. Hi venerunt e Palatio, ut patet ex ſuperioribus. Miſſum enim a Sabino Cornelium Martialem internuntium pacis monue-D rat Vitellius, ut per ſecretam ædium partem occulte abiret, ne a militibus interficeretur. Et vix dum regreſſo Martiale furens miles aderat. Quod ſi Forum inter Capitolium & Palatium non fuit, quod iter tenuerunt, ut in Capitolium aſcenderent? cum præſertim per clivum Capitolinum irrumpere voluerint, prope ædem Concordiæ, ut dictum ſupra eſt.

Idem habemus ex Comitio, in quo fœdus a Romulo & Tatio ictum fuit, eratque ad radices Palatii contra Capitolium. Nam ficus ſeu caprificus, ſub qua in ſpelunca, quæ *lupercal* eſt dicta, expoſiti ſunt ad Tiberim Romulus & Remus, in Co-E mitio fuit. Tacitus, *eodem*, inquit [4], *anno*, ſeptimo Neronis, *Ruminalem arborem in Comitio, quæ ſuper octingentos & quadraginta annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & areſcente trunco diminutam, prodigii loco habitum eſt, donec in novos fœtus reviviſceret*. Plinius [5]: *Ficus arbor in Foro ipſo & Comitio Romæ nata, ſacra fulguribus ibi conditis*. Eumdem locum indicat Ovidius de iis loquens, qui pueros ad Tiberim exponebant [6]:

Hic, ubi nunc fora ſunt, lintres errare videres;
Quaque jacent valles, maxime Circe, tuæ.
F *Huc ubi venerunt (neque enim procedere poſſunt*
Longius) ex illis unus, & alter ait.

Servius in illud Virgilii [7]:


Et gelido monſtrat ſub rupe Lupercal.

Sub Palatino monte eſt quædam ſpelunca, in qua de capro luebatur, ideſt, ſarificabatur. Unde & Lupercal

1 In vita Ner. c. 25. 2 Via Triumphantium in Urbe. 3 Lib. 3. Hiſt. 4 In fin. 13. Annal. 5 Lib. 15. cap. 18. 6 Faſt 2. 7 8. Æneid.

dictum. Sed aliam nominis cauſam afferunt Ovidius, aliique: quod nempe

Venit ad expoſitos Lupa fœta gemellos.



Verum Lupercal & antrum Ruminale ætate Dionyſii [1], ut ipſe teſtatur, Romani ædificiis adornarunt, ut vix ſpeluncæ introrſum actæ ſitus agnoſceretur. Cæterum de Comitio [2] ſic Varro [3]: *ante Curiam Roſtra. Sub dextra hujus a Comitio locus ſubſtructus.* quo videmus Comitium prope Curiam fuiſſe. Aſconius [4]: *Comitium*, inquit, *locus eſt propter ſenatum, quo coire equitibus & populo Romano licet.* Porro idem Varroni eſt, *a dextra curiæ*, quod Aſconio, *propter ſenatum*. Curia autem circa medium Forum ad radices Palatii fuit. Quod & innuit Propertius [5]:

Murus erant montes, ubi nunc eſt Curia ſepta;
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.

Nam cum Roſtra in medio eſſent Foro; Curia, ante quam Roſtra fuerunt, ibidem eſt ponenda, & ad ejus lævam Comitium. Livius [6]: *Statua Accii capite velato, quo in loco res acta eſt, in Comitio, in gradibus ipſis ad lævam Curiæ.* Dion: *Curiam*, inquit [7], *Juliam ab eo*, Cæſare, *dictam ex decreto prius facto ædificaverunt propter Comitium.* Curia igitur, & Comitium, & Lupercal cum ſub imo Palatio eſſent conſtituta, nihilominus erant in Foro. Quare Forum Palatino monti adſitum reponunt, quod illi auctores removent.

Fuit etiam in Foro AVGVSTI templum [8] a Tiberio factum, ut eſt in ejus nummo, a C. Caligula perfectum, & dedicatum. Suetonius [9]: *Auguſti templum, reſtitutionemque Pompejani theatri imperfectam poſt tot annos* Tiberius *reliquit*. Idem [10]: *Templum Auguſti, theatrumque Pompeii* Cajus *abſolvit. Deinde Cajus*, inquit Dion [11] *habitu triumphali templum Auguſti dedicavit, nobiliſſimis pueris ætate florentibus, cum virginibus ejuſdem ordinis, hymnum canentibus.* Marlianus, *Templum*, inquit [12], *Auguſti in foro Romano poſitum erat.* Antiquus ſcriptor, quia non legi, hac in re mihi auctor eſſe non potuit. Sed argumento eſt, quod, ut ait Suetonius [13], *Cajus ſuper Auguſti templum ponte tranſmiſſo Palatium Capitoliumque conjunxit, ut frequentius iret in Capitolium, exoratus, ut ajebat, a Jove, & in contubernium ultro invitatus.* Perperam autem Marlianus arbitratur tres columnas cum epiſtylio in Foro nunc ſtantes, reliquias eſſe ejus pontis. Pons enim pertinebat ad alteram Capitolii partem, ubi erat templum Capitolini Jovis prope rupem Tarpejam conditum; hoc enim frequenter adire Cajus voluit. Porro templum Auguſti inſtauravit Antoninus Pius, ut conſtat ex ejus nummis. Cui adjecta eſt Bibliotheca. Plinius [14]: *Videmus certe Apollinem in bibliotheca templi Auguſti Tuſcanicum L. pedum a pollice, dubium ære mirabiliorem, an pulchritudine.* niſi aliquis interpretetur *templi Auguſti*, templum Apollinis ab Auguſto factum in Palatio.

1 Lib. 1. Roman. ant. 2 Comitium & Curia. 3 Lib. 4. 4 In 3. cont. Ver. 5 Lib. 4. Eleg. 6 Lib. 1. 7 Lib. 47. 8 Templum Auguſti. 9 In vita Tib. c. 47. 10 Sueton. in vita c. 21. 11 Dion. lib. 59. 12 Lib. 3. c. 8. 13 In vita Caligul. cap. 22. 14 Lib. 34. cap. 7.

A Poſtremo, quod advertit Pompejus Ugonius, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ templum S. Adriani ad arcum Septimii Severii [1] nuncupant *in tribus Foris*. Dextrorſum enim erat Romanum: retro, ſeu lævorſum Forum Cæſaris & Auguſti. hæc enim tria litibus præſertim, cauſiſque forenſibus dedicata erant, ut norunt periti antiquitatis. De foro Romano id certo conſtat. De foro Cæſaris Appianus [2]: *Non id quidem rerum venalium, ſed ad lites aut negotia convenientium.* De foro Auguſti Suetonius [3]: *Cauſa extruendi fuit hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur non ſufficientibus duobus etiam tertio indigere.* B De his Martialis [4].

Cauſas, inquis, agam Cicerone diſertius ipſo,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Et alibi [5]:

Foroque triplici ſparſus ante equos omnes.

Et iterum [6]:

Lis te bis decimæ numerantem frigora brumæ
Conteret una tribus, Gargiliane, foris.

C Statius [7]:

Nec ſaltem tua dicta continentem,
Quæ trino juvenis foro tonabas.

Sed quoniam quidam locum Martialis interpretatione depravant, Alexander ab Alexandro [8] longam de triplici foro diſputationem ita concludit: *Ex quibus ſine controverſia liquet, triplex, de quo quærimus, forum, de Romano, deque Cæſaris, & Auguſti foro, in quibus lites actitari, & judicia reddi conſuerant, non de aliis intelligi oportere.* Neque D erudito viro in alia opinionum diverticula diſcedendum eſt. Ex quibus demum conficitur, Forum Romanum, tam prope ſacram ædem D. Adriani, quam inter Palatinum & Capitolium fuiſſe. Nec ſufficit reſpondere Forum Capitolio fuiſſe ſubjectum. Non enim quacunque parte Capitolii, ſed ea ſolum, quæ vergit ad Palatium, utrique monti, medium ipſum, ſubjectum erat.

1 Templum S. Adriani in tribus Foris. 2 Lib. 2. Bel. civil. 3 In vita ejuſdem cap. 39. 4 Lib. 3. Epigr. 38. 5 Lib. 8. Epigram. 44. 6 Lib 7 Epigram 64. 7 Lib. 4. Syl 8 Lib. 2. cap. 12.

E

CAP. XIX.

Teſtimonium Carceris Tulliani adducitur, & objecta refelluntur.

SUPEREST ultima ratio, quæ prodiens ex Carcere Tulliano, ſuo acumine cum vulnerare ſtudet, & ipſa vulneratur. Neque immerito; nam prima rumores & controverſias excitavit. Carcer quidem Tullianus imminebat Foro. quare ubicunque fuerit, ſibi Forum adjunget. Livius F de eo loquens: *Carcer*, inquit [1], *ad terrorem increſcentis audaciæ media Urbe imminens Foro ædificatur.* Varro: *In hoc pars, quæ ſub terra, Tullianum, ideo quod additum a Tullio Rege.* Hanc partem ita Saluſtius deſcribit [2]: *Eſt locus in Carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paululum aſcenderis ad lævam, circiter viginti pedes humi depreſſus. Eum muniunt undique parietes, atque inſuper camera lapideis fornicibus juncta, ſed inculta tenebris, & odore fœda, atque terribilis ejus facies eſt.* Cæterum hæ proprietates apprime conveniunt

1 Lib. 1. 2 In Conjurat. Catil.

Carceri [1], qui hodieque visitur sub Capitolio, superextructa æde S. Petri cognomento *in Carcere*. Dicitur enim fuisse *Carcer* a Livio *imminens Foro, media Urbe*. Foro, ut patet, imminebat. Nam Forum sub Capitolio Palatioque fuisse, probatum est. *In media Urbe* habitatis undique montibus; nam & Cœlius & Aventinus additus fuerat: & aliqua pars Quirinalis, quamvis pomœrio non incluederetur, ab Numæ usque temporibus, qui eum incoluerat, ædificiis frequens erat. Loci vero Tulliani subterraneam faciem ita hodieque perdurare, ut Salustius describit, affirmat Ugonius, argumentum hoc fuse persequutus, & nos vidimus.

At objicitur: Ædes S. Nicolai ex altera Capitolii parte ad occasum prope vetus theatrum Marcelli, *in Carcere Tulliano* aliquot ab hinc sæculis, appellata est. Ibi ergo Carcer & Forum fuit. Verum hæc Templi appellatio [2] orta rudibus sæculis, cum apud imperitum vulgus invaluisset, eam postea scribæ in tabulis publicis, & illorum temporum scriptores suis in voluminibus, qui hæc accuratius non excuterent, adhibuerunt. sequuti nempe sermonem populi, penes quem *jus est & norma loquendi*. In Romanis quidem antiquitatibus hodieque multi quam multa peccant? Reliquias marmorei ædificii, quod in Quirinali & hortis Ducum Columnensium nuper dirutum Campum Martium spectabat, vulgus *Neronis turrim* appellavit; quasi ex ea Romanum incendium Nero aspexerit, non e turri Mecænatis longe dissita in Esquiliis. Statuam equestrem M. Antonini vulgus ad hæc usque tempora Constantini esse voluit. Templum Pacis nonne dicunt nascente CHRISTO DOMINO corruisse? Pyramidem ad portam Trigeminam sepulchrum Remi? Et alia passim populus pervertit. Atqui, ut appareat, eos non errare, qui templo S. Nicolai titulum *Carceris* tantum apponerent, leguntur antiquæ inscriptiones dempta voce *Tullianus*. qualis in marmorea tabula prope templi fores hodieque legitur, ut ait Ugonius: *Ego Romanus Presbyter divinæ dispensationis gratia sanctissimi confessoris Christi Nicolai, & Ecclesiæ, quæ in Carcere dicitur, procurator & rector*.

Instant acrius: Certum est eo loci fuisse carcerem. Testis Plinius [3]: *Templo Pietatis*, inquis, *extructo in illius Carceris sede, ubi nunc Marcelli theatrum est*. Eundemque carcerem indicat idem Plinius: ait enim [4] *a Columna Mœnia ad Carcerem inclinato sydere supremam pronunciabat*. Nec aliam potuisse carcerem intelligi ostendit Juvenalis [5]:

> *Felices proavorum atavos, felicia dicas*
> *Secula, quæ quondam sub regibus atque tribunis*
> *Viderunt uno contentam carcere Romam*.

Quamvis enim postea duo carceres fuerint, unum tamen vidit antiquissima ætas. In eo autem carcere fuisse locum testatur Festus, *quod Robur dicebant, ex quo præcipitaretur maleficorum genus*. Idemque dictum esse *saxum Tarpejum* aliorum quoque auctoritate confirmatum est.

Ut hæc omnia diluantur, constet primo oportet, duos olim Romæ fuisse carceres [6], quorum unus diversus a Tulliano quando ædificatus fuerit, non constat. Tullianus quidem in Regione VIII. Fori Romani; alter in Regione IX. Circi Flaminii a P. Victore & Sexto Rufo numerantur. Ille imminens Foro ædificatus media Urbe: hic autem carcer CL. XVIR. dicitur a P. Victore. Parum autem refert, utrum hic carcer dicendus sit *Centum virorum*, an *CL. xvir.* id est, *Claudii Decemviri*, de quo magna inter auctores agitur controversia; dum constet, quod negari non potest, alterum esse a Tulliano. Neque enim illi conveniunt Tulliani proprietates. Est in regione IX. Tullianus in VIII. Non imminet Foro, longe sejunctus. Non in media est Urbe, immo fuit extra Urbem. Siquidem, teste Plinio, ibi postea conditum est templum Pietatis, quod erat in Foro olitorio, nempe extra portam Carmentalem, ipsamque Urbem, ut supra ostendi. Quomodo ergo in media Urbe? Porro de hoc loquitur Plinius, non autem de Tulliano, cum ait [1], *ad Carcerem inclinato sydere, supremam horam pronunciari*. Vergit enim illa pars Urbis ad occasum: eumque sine apposito *Carcerem* nuncupat, ut ante bis nuncupaverat. Nam quod spectat ad versus Juvenalis, quibus *uno Carcere sub regibus & tribunis Romam contentam* evehit, non intelligit Satyricus tribunos plebis aut tribunos militum, qui pro consulibus rempublicam aliquando tenuerunt; sed eos tribunos militum [2], quos Romulus primus creasse fertur, cum tres equitum centurias, quorum opera in omni reipublicæ discrimine uteretur, adscripsit. Dicti autem *tribuni*, quod *terni ex tribubus*, Ramnensium scilicet, Tatiensium, Lucerum electi cum exercitu ad expeditiones mitterentur. Sive quod *tres tribus* Romanas a Romulo constituti regerent. Dionys. lib 2. *In tres partes divisa universa multitudine, Romulus, singulis præclarum aliquem virum præposuit. Illas tribus vocari voluit. Præfectos Græci phylarchos, & trittyarchos dicerent, quos Romani tribunos*. Sit ergo illis temporibus unus Carcer Tullianus, & nostro imminens Foro.

Quod dicitur de Robore [3], & saxo Tarpejo, ne Festi auctoritate firmetur, Festus ipse in verbo *Robum*, docet: *Robum rubro colore & quasi rufo significari, ut bovem quoque rustici appellant, manifestum est. Unde & materia, quæ plurimas venas ejus coloris habet, dicta est robur. Hinc & homines valentes & boni coloris robusti*. Tum subdit: *Robur quoque in Carcere dicitur is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur*. Ubi, *quo præcipitatur*, non tam, ut volunt, significat unde, quam in quem locum præcipitatur. Scio equidem apud Valer. Max. [4] legi, *de Robore præcipitati sunt*. sed nihil ibi significatur cum saxo Tarpejo commune. *De robore præcipitari*, sic ait Oliverius Interpres, *dicebantur, quod ante robusteis arcis includebantur, ibique per aliquos dies servati, atque inde postea deprompti præcipitabantur*. Sed præstat audire Turnebum [5]. Explicans enim, quid sit apud Jurisconsultum *mala mansio*, ait: *Ego eo nomine suspicor, sed suspicor tantum, arcas, in quas conjiciebantur servi, de quibus quæstio erat habenda; sed & alii malefici interdum. Cicero pro Milone: Subito accepti in quæstionem, tamen separantur a ceteris, & in arcas conjiciuntur, ne quis cum his colloqui possit. Arcæ autem illæ olim robusteæ erant, unde & robur prisci appellabant. Festus: Robur*, inquit, *in carcere dicitur locus is, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante robusteis arcis includebatur. Quem locum etiam robustum carcerem Plautus in Curculione vocavit. ex illis etiam arcis sontes interdum præcipitabantur, & interficiebantur. Valer. Max.* [6] *Quin etiam familiares eorum, nequis Reipublicæ inimicis amicus esse vellet, de robore præcipitati sunt. nisi quis de alto stipite intelligat*. Hæc Turnebus. Interpres autem loco citato Plauti [7]: *At ego vos ambo in robusto carcere, ut pereatis: dixit*, inquit, *in robusto carcere, vel pro in va-*

1 Carcer Tullianus ad radices Capitolii, Foro imminens.
2 Cur dicatur Ædes S. Nicolai in Carcere Tulliano. 3 Lib. 7. cap. 36. 4 Eodem lib. c. ult. 5 Sat. 3. 6 Olim Romæ duo Carceres.

1 Lib. 1. c. 4. Lib. 7. c. 60. & ult. Eod. libro cap. 36.
2 Tribuni qui fuerint in Urbe antiquissimi. Vide Interpretem.
3 Quid sit Robur in Carcere. 4 Lib. 6. c. 3. 5 Adversar. lib. 28. c. 21. 6 Lib. 6. c. 3. 7 Dionys. Lambin. Act. 5. Curcul.

lido carcere, vel pro in robore. Erat autem robur, seu robus, ut docet Festus, locus in carcere lignis seu tabulis robustis septus, in quem malefici præcipites agebantur. Robur igitur, docentibus his sane permagnis auctoribus, locum in ipso carcere significat, ex quo vel in quem malefici præcipitabantur. Primaria quidem significatione notatas reor arcas illas, sive angusta e ligno conclavia, quibus includebantur; deinde profundiorem depressumque humi locum illis arcis insessum, hiatuque structæ cameræ patentem, quo damnati oneratique vinculis & ferro præcipites agebantur, ut vel iis collum obstringeretur, frangerenturque cervices; vel fame alioque teterrimo tormenti genere necarentur. Livius[1]: *Q. Pleminius, qui propter multa in deos hominesque scelera Locris admissa in carcerem conjectus fuerat, comparaverat homines, qui pluribus simul locis Urbis nocte incendia facerent, ut in consternata nocturno tumultu civitate refringi carcer posset. Ea res indicio consciorum palam facta, delataque ad senatum est. Pleminius in inferiorem demissus carcerem est, necatusque.* Hunc Calphurnius Flaccus *robur Tullianum* dixit: *In hunc abjecti rei robur Tullianum aspiciunt.* Nec alium Salustius describit. Non ergo, ut robur teneas, necesse est exire e Carcere, & ad saxum Tarpejum impingere. Quod si dicant in ipso & rupe Tarpeja partem Carceris dictam *robur* fuisse, rem non perinde credibilem dicunt, nempe apud templum Jovis Capitolini locatum aliquid carceris. Nam ad summum daret aliquis, Saxum, quod educti e Robore interdum ex eo præcipitarentur, Robur forte appellatum. Erat enim totus Carcer ad radices Capitolii in ipso Fori flexu, ut hodieque conspicimus. Ibi & ponte adibatur, ut constat ex Paterculo[2]: *Inliso*, inquit, *capite in pontem lapideum januæ Carceris, effusoque cerebro expiravit.*

Porro idem Carcer (nam hoc quoque objicitur) recte a Varrone vocatur, *Latomia*[3], inquit, *a coercendo, quod exire prohibet. In hoc pars, sub terra Tullianum, ideo quod additum a Tullio Rege, quod Syracusis, ubi simili de causa custodiuntur, vocantur Latomiæ: & de Latomia translatum, quod hic quoque lapidicinæ fuerunt.* Quo nomine Livius item sæpe appellat: *Triumviri Carceris Latomiarum interiorem custodiam habere jussi.* Et: *Principes Ætolorum Romam deducti, & in Latomias conjecti sunt.* Et: *Cato Atria duo, Mænium, & Titium in Latomiis facienda curavit*[4]. Dictæ sunt ergo *Latomiæ*, quod quemadmodum effossi agri suburbani tophaceos rubri coloris lapides Romanis fabricis perpetuo suppeditant, sic etiam Capitolium suppeditavit. Nec modo antiquitus, sed hac nostra nos vidimus, eo ipso latere Capitolii, cui Tullianus carcer est affixus, institutis sub monte lapidum fodinis fuisse rubros tophos abunde diuque causa ædificationis egestos. Quare credendum omnino est, similes lapidicinas Anco Martio Tullioque regibus occasionem extruendi Carceris in cavis Capitolinis præbuisse, & *Robum* nomen a defosso *rubro* lapide fuisse deductum.

Reliquum est *Mamertini*[5] nomen, quod huic carceri pro Tulliano Ecclesiastici scriptores imponunt. At potuit id ab insigni aliquo viro fortassis instauratore proximeve incolente superaddi Tulliano. Non semel autem Mamertini referuntur in Fastis, semel Commodo Principe, iterum Constantio consules. Qui vero in fronte Carceris titulo mutilato inscribuntur literis pedalibus,

C. VIBIVS. C. F. RVFINVS. M. COCCEIVS. M. F.
NERVA. EX. S. C.

1 Dec. 4 l. 4. 2 Lib. 2. 3 Carcer Latomiarum. 4 Dec. 4. l. 2. Dec. 4. l. 7. Dec. 4. l. 9. 5 Carcer Mamertinus.

A fuere Consules, ut ex Onuphrio refert Riquus, anno Urbis DCCLXXXIV. suffecti ex Kal. Juliis.

Hæc de germano Fori situ prolixius forte, quam cogebat necessitas, disputata sunt. Antiquarii enim omnes hactenus pro certo posuere, quod sentimus, neque id in controversiam vocandum putabant. Blondus[1] in Instaur. Rom. Fulvius[2] de Foro Romano, Onuph.[3] in Urbe Roma, de Capitolio. Marlian.[4] Bernard. Gamucc.[5] L. Faunus, Raphael Volaterranus in Geographia[6], Pomponius Lætus, Franciscus Albertinus, Ugonius, & alii. B Ut Justo Riquo[7], qui contra sentiens nihil tamen novi ad probandum attulit, videndum jure sit, an recte inferat: *si quis contra sentiat, nihil sentit.* Immo si positum Fori ad S. Nicolaum ipse constituit, videat, an id consentiat cum iis, quæ scribit cap. 34. & 39. & 42. Ibi enim clivum Capitolinum collocat prope ædem Concordiæ, *quæ erat*, inquit, *in clivo forum & comitium respiciens ad ipsum Arcis ingressum, ejusque ædis porticum adhuc stantem prope arcum Severi* recognoscit; *& in eodem clivo ædem Jovis tonantis*, atque: *superant ex illa æde*, ut supra diximus, *in clivo Capitolino tres speciosissimæ columnæ striati operis, ad Forum descen-* C *dentibus vicinæ incuria temporum atque injuria in terram nunc pæne defossæ.* Cum igitur hæ columnæ adhuc extent prope arcum Septimii, ubi & illas Concordiæ videmus; ex ejus sententia ibi Forum. Quid ergo tanto intervallo dissitum alio postea distraxit?

1 Lib. 2. 2 Lib. 3. 3 Lib. 3. cap. 15. 4 Lib. 1. de Foro. 5 Lib. 2. c. 10 6 Lib. 6. 7 Cap. 47. de Capitolio.

CAP. XX.

Fori Ornamenta.

D JAM forma & structura Fori describenda nobis est. Quoniam autem hoc præ cæteris foris, quæ plurima in Urbe fuerunt, amplitudine & antiquitate commendatum est, Forum *Romanum*, *magnum vetus*, & per antonomasiam *Forum* dicebatur[1]. Dion[2]: *Forum*, inquit, *Cæsar extruxerat, quod ab ipso nomen obtinuit, Romano pulchrius, sed tamen Romani ex eo dignitas aucta est, ut Forum magnum diceretur.* Strabo[3]: *At idem si in* ἀγορὰν ἀρχαίαν, *Forum vetus deinde progressus basilicas, porticus, templaque contueatur, una alteri identi-* E *dem conjuncta.* Ovidius[4]:

Et tenet in magno templa dicata Foro.

Qui[5] & *Latium* dixit, ut Papinius[6].


Cæterum quod spectat ad formam Fori[7], quamvis de hac nihil certum veteres scripserint, tamen ex iis quæ tradit Vitruvius[8], elici perspicue potest. Nam ibi præceptor ille ædificantium tradit, cum fora Græci *quadrata* fecerint, *Romanis longitudine, quam latitudine majora* placuisse; ut *tertia parte longitudo latitudinem* superaret. Hoc fecere,[9] quod munera gladiatoria, & alia in Foro spe- F ctacula ederent, quibus cum adesset magna populi multitudo, majori, quam Græci spatio indigebant. De spectaculis in Romano foro præter cæteros Ovidius[10]:

Hos aditus circusque novo præbebit amori,
Sparsaque sollicito tristis arena Foro.
Illa sæpe puer Veneris pugnavit arena,
Et qui spectavit vulnera, vulnus habet.

1 Fori appellationes. 2 Lib. 43. 3 Lib. 5. 4 3. Fast. 5 4. Fast. 6 In equo Domitiani. 7 Forma Fori. 8 Lib. 5 c. 1. 9 Ludi in Foro. 10 Lib. 1. de Arte Amandi.

Fig. XII.




S C


IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO M FIL SEVERO PIO. PERTINACI AVG PATRI. PATRIAE PARTHICO. ARABICO ET
PARTHICO. ADIABENICO. PONTIFIC. MAXIMO. TRIBVNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET.
IMP. CAES. M. AVRELIO. L. FIL ANTONINO. AVG. PIO. FELICI. TRIBVNIC. POTEST. VI. COS PROCOS P.P.
OPTIMIS FORTISSIMIS QVE. PRINCIPIBVS.
OB. REMPVBLICAM. RESTITVTAM. IMPERIVMQVE. POPVLI ROMANI. PROPAGATVM.
INSIGNIBVS VIRTVTIBVS. EORVM. DOMI. FORISQVE. S P. Q. R.


ARCVS
LVCII SEPTIMII
SEVERI AVGVSTI
E REGIONE
ROMANI FORI
S C

Plutarchus [1] : *Ludi gladiatorii populo in Foro exhibendi erant*. De ſpectaculis Cæſaris Suetonius [2] : *Munere, in Foro depugnavit Furius Leptinus*. Quo munere, ut ait Plinius [3], *Forum velis obtexit*. Dati tamen primo ſunt in foro boario. Valerius [4] : *Gladiatorum munus primum Romæ datum eſt in Foro Boario*. Aream Fori porticus [5] claudebant, concameratione duplici, nixæ columnis, aut pilis Tiburtini lapidis, quæ epiſtyliis ex eodem lapide ornabantur; quod, ut ſupra dixi, ante annos Urbis conditæ DCLXI. nulla, teſte Plinio, in publico ſtetit columna e marmore. Tarquinius Quintus rex has fecit porticus, & tabernas adjunxit. Livius [6] : *Circa Forum privatis ædificanda diviſa ſunt loca: porticus tabernæque factæ*. Quæ fere argentariæ erant. Idem [7] : *Tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc eſſent, juſſerit venire*. Ibidem *litterarum ludi fuerunt* adeundi a pueris & puellis, ut idem auctor eſt [8]. De iiſdem porticibus Plutarchus [9] : *Ibi*, inquit, *multitudo diſcurrit, non fuga ſe diffundens, ſed porticus, & edita Fori, ſicut theatrum occupans*. Quo ſane tempore egregia ſtructura fuit; nec mihi conſtat, an aliquis meliorem in formam poſt Tarquinium regem reſtituerit. Veroſimile quidem eſt, fuiſſe porticus inſtauratas, ornataſque. Dion [10] : *Noſque Senatores, uxoreſque noſtræ acceſſimus in Forum funebri veſtitu; illæ in porticibus, nos ſub dio ſedebamus*. Suetonius de Foro Auguſti non abſimili forma extructo: *Statuas omnium triumphali ſpecie in utraque Fori ſui porticu dedicavit*. nempe ſuperiore atque inferiore: Ammianus [11] : *Cum veniſſet* Conſtantius *ad Roſtra perſpectiſſimum priſcæ potentiæ Forum obſtupuit: perque omne latus, quo ſe oculi contuliſſent, miraculorum denſitate perſtrictus*. Ex iis porro porticibus populus ludos ſpectabat, ut ex Plutarcho, loco ſupra citato colligi poteſt, extructis præterea ſub dio tabulatis & ſubſelliis. Inter eas porticus baſilicæ [1] ad negotiatorum & ludorum conventus: templa ad Deorum cultum collocata ſunt. Livius: *Silentio*, inquit [2], *facto templa deorum immortalium, quæ Foro imminent*. Tacitus: *Forum & imminentia Foro templa prætervecti*. In eodem cancelli in ſuperioribus porticibus poſiti. Cicero pro Sextio: *Tantus ex omnibus ſpectaculis uſque a Capitolio: tantus ex Fori cancellis plauſus excitatus*. Qui locus indicat porticus multitudine refertas, & ſpectante e mœnianis & ſuperioribus cancellis. Vitruvius [3] : *Circum ſpectacula ſpatioſiora intercolumnia diſtribuantur, circaque ibi porticibus argentariæ tabernæ mœnianaque ſuperioribus coaxationibus collocentur, quæ ad uſum & ad vectigalia publica recte erunt diſpoſita*. Hæc forma Romani fori. Eodemque modo reliqua Romæ extructa ſunt.

Jam Fori latitudo [4] protenſa inter Capitolium & Palatium. Longitudo autem a templo Virginis cognomento a Conſolatione, aut paulo amplius verſus ædem D. Adriani. In quo errarunt, qui ab arcu Septimii Severi uſque ad arcum Titi producunt. Nam, ut dixi, Sacra via adjunctis ædificiis tendebat uſque ad angulum Palatii, ſive tres columnas ſtantes, reliquias, ut ajunt, Jovis Statoris. Præterea templum Pacis, quod Foro proximum appellat Suetonius, fuiſſet in Foro: neque alia templa, quæ ad radices Palatii, e regione Capitolii fuerunt, fuiſſent in Foro, de quibus ſupra.

Quæ poſtremo ad forum pertinent, pauca quædam ſunt ædificia, de quibus ſupra dictum non eſt. Arcus Septimii Severi [5] ad clivi Capitolini radices & Foro proximus, ſed ima ſui parte terra ſigillis expreſſa veteris arietis mœnia pulſantis effigies cernitur. Una inſcriptione repetita ex utraque parte notatur, litterarum ære ſublato:

1 In vita Grac. 2 In vita c. 10. & 39. 3 Lib 19. cap 1. 4 Lib. 2. c. 1. 5 Porticus circa Forum. 6 Liv. lib. 1. 7 Lib. 6. Dec. 3. 8 Lib. 3. Dec. 1. 9 In Galba. 10 Lib. 74. 11 Lib. 16.

1 Porticus Baſilicæ Templa in Foro. 2 Dec. 1. l. 7. 3 Loc. cit. 4 Fori latitudo & longitudo. 5 Arcus Severi.



IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO. M. FIL. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. PATRI. PATRIAE. PARTHICO. ARABICO. ET. PARTHICO. ADIABENICO. PONTIFIC. MAXIMO. TRIBVNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET
IMP. CAES. M. AVRELIO. L. FIL. ANTONINO. AVG. PIO. FELICI. TRIBVNIC. POTEST. XI. COS. PROCOS. P. P.
OPTIMIS. FORTISSIMISQVE. PRINCIPIBVS.
OB. REM. PVBLICAM. RESTITVTAM. IMPERIVMQVE. POPVLI. ROMANI. PROPAGATVM.
INSIGNIBVS. VIRTVTIBVS. EORVM. DOMI. FORISQVE. S. P. Q. R.

Templum TITI & Vespasiani sub Capitolio, contra Palatinum, quod Domitianum dedicasse credibile est. P. Victor: *Templum Titi & Vespasiani*.

GRÆCOSTASIS [1] vero, *ubi nationum subsisterent legati, qui ad Senatum essent missi*, ut ait Varro [2]: *sub dextra* Curiæ, *a Comitio locus substructus*. Plinius: *Cum a Curia inter Rostra & Græcostasim prospexisset solem*. Varro: *Senatulum, idest, Curia supra Græcostasim, ubi ædes Concordiæ & basilica Opimia*. ab Opimio utraque condita post cædem C. Gracchi: atque in ea inscriptum a quodam est, *Opus Vecordiæ templum Concordiæ fecit*. Plinius [3]: *Ædiculam æream fecit in Græcostasi, quæ tunc supra Comitium erat*. Sed ex his constat Græcostasim B prope Curiam fuisse. Si cui autem placeat fuisse sub Curia, propter verba Varronis, Plinium animadvertat id citatis antea verbis pernegantem. Julius Capitolinus ascribit Antonino Pio *Græcostasium post incendium restitutum*.

In eodem Foro Columna Mœnia [4], cui Mœnius nomen dedit, de quo infra. Altera erecta *C. Duilio* [5], *qui primus navalem triumphum egit de Pœnis, quæ est etiam nunc in Foro*. Sic Plinius [6], ubi & columnæ C. Mœnii meminit Latinorum victoris, sed locum non adscripsit. Alia in Foro *Columna ænea pro solario horologio* statuta secundum C Rostra, deportata ex Sicilia, ut loco citato Plinius.

Ante eadem Rostra *Marsyæ statua* [7], quo convenirent litigatores. Horatius [8]:

—— *Non solicitus, mihi quod cras*
Surgendum sit mane, obeundus Marsyas.

Plinius [9]: *P. Munatius, cum demptam Marsyæ coronam e floribus capiti suo imposuisset*. Nam cum haud procul ab ea statua causæ agerentur, qui dicendo placuerant, Marsyam coronabant. Seneca [10]: *Forum ipsum ac Rostra, quotidianum ad Marsyam concursum*. D

Minervæ delubrum in Foro collocat Sext. Rufus [11], cujus sane germanus locus positusque non liquet, nisi fortasse ad radicem Capitolii contra Palatium constituendum sit.

In medio item Foro *colossus equestris Domitiani* [12] ex ære inauratus fuit. Sed hic cum cæteris ejus monimentis ac titulis post ejus mortem jussu senatus sublatus atque eversus est.

Demum & locus *Doliola* [13] dictus in foro fuit, in quo spuere non licebat, quod invadentibus Urbem Gallis, sacra quædam ibi doliis inclusa, recondita fuerint. In eodem Foro *Horatia Pila*. Livius [14]: *Spolia Curatiorum fixa eo loco, qui nunc pila Horatia appellatur*. Dionysius [15]: E *Angularis columella, a qua altera Fori basilica incipit, cui affixa fuerant Trigeminorum spolia, sed illa vetustate consumpta sunt; columella tamen priscam appellationem retinens, Pila vocatur Horatia*. Alia Fori ornamenta, præsertim statuas, fusius recensere necesse non est. Illud addam, quod narrat Plinius [16]:

1 Græcostasis in Foro. 2 Lib. 7. c. 6. 3 Lib. 12. cap. 1. 4 Columna Mœnia in Foro. 5 & Duilii. 6 Lib. 34. cap. 5. 7 Marsyas in Foro. 8 Lib. 1. Sat. 6. 9 Lib. 21. cap. 3. 10 Lib 6. de Benefic. cap. 32. 11 In VIII. regione Fori. 12 Statua Domitiani in Foro. 13 & Doliola. 14 Lib. 1. 15 Lib. 3. Antiquit. 16 Lib. 19. cap. 1.

A *Marcellus Octavia sorore Augusti genitus in ædilitate sua Kal. Augusti velis Forum inumbravit, ut salubrius litigantes consisterent*. Quantus enim tunc in Urbe Solis ardor? Idem fecerat Cæsar in ludis.

CAP. XXI.

Forum Cæsaris, ejusque Domus.

HOC Cæsar inchoavit cum in Gallia bellum gereret, area coempta sextertio millies, id est, vicies quinquies centenis millibus aureorum, Plinius [1] testatur, & supra id stetisse Suetonius [2]. Appianus [3]: *Atrium quoque Foro circumduxit, quod Romanum forum esse voluit, non rerum quidem venalium, sed eorum qui ad jura convenirent*. Dion [4]: *Forum Cæsar extruxerat, quod ab ipso nomen obtinuit, Romano pulchrius*. Forma ædificii eadem fuit, ac Fori veteris, cum latitudo duas tertias complecteretur; pulchrioribus tamen porticibus, quas statuæ intercolumniis positæ distinguebant. Inter has etiam, *sibi Cæsar loricatam dicari passus est, cum Romanæ militum ac ducum statuæ thoracas ferrent*, ut ait Plinius [5]. Qui & locum inter Urbis ornamenta perspicuum fuisse affirmat. In medio Foro templum Veneri Genitrici [6], nam ab ea genus ducere per Æneam & Julum jactabat, extruxit, votum, teste Appiano [7], ante prælium Pharsalicum; & *Cleopatra*, subdit idem, *perillustrem Deæ imaginem templo contulit, quæ a nobis adhuc visitur*. In eodem *Veneri consecravit Cæsar thoracem ex Britannicis margaritis factum*: & *sex dactyliothecas*, ut ait Plinius [8]. De dactyliotheca idem alibi: *Gemmas plures, quod peregrino appellat nomine dactyliothecam*, quasi thecam gemmarum. Pro æde statua Cæsaris ex ære inaurata fuit. Equus autem illi persimilis, *quo insigni fuerat usus pedibus prope humanis & in modum digitorum ungulis fissis, eumque non patientem sessoris alterius primus ascendit, cujus etiam instar pro æde Veneris Genitricis postea dedicavit*: Suetonius [9], & Plinius [10]. Quo etiam in loco sedens Cæsar senatum excepit, magna ejusdem senatus indignatione, ut idem Suetonius [11]. Equi porro effigiem fecerat ante Alexandro Macedoni Lysippus, expressam, ut arbitror, e Bucephalo, quam Cæsar mutatis ungulis suæ statuæ accommodavit, locavitque contra Templi frontem. Statius [12]:

Cedat eques, Latiæ qui contra templa Diones
Cæsarei stat sede fori, quem tradere es ausus
Pellæo, Lisippe, duci; mox Cæsaris ora
Aurata cervice tulit.

Jam ut constet, ubi esset Cæsaris forum, primo ad Sacram viam est ponendum. Ovidius [13]:

—— *hæc sunt fora Cæsaris, inquit,*
Hæc est a sacris quæ via nomen habet.

1 Lib. 36. cap. 15. 2 In vita Cæs. c. 26. 3 Lib. 2. de Bel. civil. 4 Lib. 43. 5 Lib. 34. cap. 5. 6 Templum Veneris Genitr. in medio Foro Cæs. 7 Loc. cit. 8 Lib. 9. c. 35. Lib. 37. c. 1. 9 In vita Cæs. c. 61. 10 Lib. 8. cap. 42. 11 In vita Cæs. c. 78. 12 In Equo Domitiani. 13 Lib. 3. de Trist. El. 1.

Nec mirum, cum ibi esset domus Cæsaris. Nam post Pontificatum maximum, *habitavit in Sacra via, domo publica*, ut ait Suetonius [1]: & Plinius [2] scribens, a Cæsare forum Romanum & Sacram viam ab domo suo carbasinis velis fuisse contectam. Domus ergo Cæsaris in Sacra via prope Forum. Sed ubi tandem est ponenda, ut de foro Cæsaris statuatur? Fulvius [3], & Marlianus [4] docent fuisse, ubi templum Pacis conditum postea est, ejusque reliquiæ cernuntur. Ajunt enim domum Cæsaris fuisse eversam, ibique conditam porticum Liviam, tum Pacis templum. Quod & Ovidii interpretes inculcant [5]:

Disce tamen, veniens ætas, ubi Livia nunc est
Porticus, immensæ tecta fuere domus.
Hæc æquata solo est nullo sub crimine regni,
Sed quia luxuria visa nocere sua est.
Sustinuit tantas operum subvertere moles,
Totque suas hæres perdere Cæsar opes.

Ajunt autem, domum Cæsaris, quæ deinde Augusti Pontificis maximi fuit, ab eodem fuisse eversam, quod Livia uxor, seu Julia filia, vel neptis eam profuse exornasset; ibique porticum Liviæ nomine excitatam. Sed neutrum veritati consentaneum est. Legi equidem de Augusto apud Suetonium [6]: *Ampla & operosa prætoria gravabatur, & neptis quidem suæ Juliæ profuse ab ea extructa etiam diruit ad solum*. At ibi perspicue sermo est de villis elegantioribus, earumque sumptuosis ædificiis, ut sequentia declarant: *Sua vero quamvis modica*. Domus autem Cæsaris post Lepidi obitum, Augusto non hereditate, ut ait Ovidius de domo eversa, obvenerat, (neque enim haberi sic poterat) sed quia Lepidi successor in Pontificatu [7], in domum publicam transiturus erat, post obitum ejusdem Augusti ad alium item Pontificem transituram. Qui tamen ea uti noluit, teste Dione [8]. *Augustus*, inquit, *cum esset creatus summus Pontifex, neque domum publicam accepit; sed cum omnino publicam esse Pontifici maximo habitationem oporteret, suarum ædium partem ipse publicam esse jussit, ac regis sacrificuli domum virginibus Vestalibus dedit, quoniam earum ædibus contigua erat*. Hæc domus, quam *βασιλέως τῶν ἱερέων*, *regis sacrorum* Dion appellat, fuerat Cæsaris & Pontificis maximi, qui eidem *ἀρχιερεὺς*, *Princeps sacrorum* seu *Pontifex maximus* dicitur. Quare *βασιλεὺς τῶν ἱερέων* idem est hoc loco Dioni, atque *ἀρχιερεὺς*, *Pontifex Maximus*. neque enim hic sermo est de *rege sacrorum* seu *sacrificulo*, ut vertit interpres, qui alius erat a *Pontifice Maximo*, & curabat quædam sacra a regibus olim fieri solita. Quod patet; nam Augustus domum dedit Vestalibus, quæ ut Pontifici maximo illi obvenerat, eamque ipse habitare noluit, ac deinceps Pontificibus in Palatio domum paravit. Quid quod idem auctor testatur, alterius ædem fuisse, in cujus area extructa est Livia porticus? Vedius enim Pollio libertinus genere & equestris ordinis, nec magis divitiarum copia, quam crudelitate nobilitatus, quod murænas in piscinis traditis mancipiis aleret, moriens multis multa legavit: *Augusto autem magnam hæreditatis partem, & Pausilypum villam inter Neapolim & Puteolos jacentem: jussitque, ut is populo aliquod splendidum opus faceret. Ejus operis causa faciendi verbo, re autem, ne quod Vedii in Urbe restaret monumentum, ædes Pollionis funditus evertit Augustus: porticuque ibi circumducta, non Pollionis, sed Liviæ nomen inscripsit*. Hæc Dion [9]. Quod ergo hujus domum propter eximiam crudelitatem & luxum Augustus diruere voluerit, scripsit Ovidius:

Hæc æquata solo est, nullo sub crimine regni.

Nam ædes diruebantur eorum, qui Romæ regnare voluissent, ut Sp.Melii, Sp.Cassii, M.Manlii.

Sed quia luxuria visa nocere sua est.

Sed neque hæc domus fuit, ubi postea templum Pacis. Nam cum Livia porticus [1] in ejus area extructa fuerit; hanc post conditum templum diu superstitem, & simul extare Roma spectavit. Itaque Plinius [2] qui *Pacis templum pulcherrimum operum* appellavit, alibi, *Una*, inquit, *vitis Romæ in Liviæ porticibus subdiales inambulationes umbrosis pergulis opacat, eadem duodenis musti amphoris fœcunda*. In eadem Trajanum civibus aures dedisse aliquot annis post Vespasianum templi Pacis conditorem testatur Dion [3]. Et Martialis:

Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat.

Quo tempore cum hæc Poeta scriberet, Vespasianus sua opera perfecerat. Cum igitur simul extarent Livia porticus & templum Pacis, hoc in area ejus domus extructum non est, in qua fuerat ædificata Porticus Livia.

Atque ut rem difficilem quoquomodo concludam; Si domum Cæsaris [4] seu Pontificis ædibus Vestalium proximam iisdem cessit Augustus, perspicue elicitur ad radicem Palatini fuisse, ubi Vestæ templum & ædes Vestalium erant; atque adeo Sacram viam, mediam inter hanc domum & templum Pacis fuisse productam. Hoc enim venientibus ab arcu Titi dextrorsum, lævorsum domus occurrebat. At forum Cæsaris [5] in eo Urbis spatio productum est, quod patet post templa Pacis & Faustinæ. sic enim Sacræ viæ & Foro veteri & ipsius domui propinquum, juxta forum Augusti collocabitur. Demum porticus Livia ultra forum Cæsaris, Esquiliis vicinior, & clivo, quo ascenditur ad D. Petri cognomento ad Vincula. Quod clarius constabit, cum de domo Neronis infra dicemus.

1 In vita Cæs.c.46. 2 Lib.19. cap.1. 3 Lib.3. 4 Lib.3. cap.23. 5 Fast. lib.6. 6 In ejus vita cap.72. 7 Domus Pont.max. publica. 8 Lib.54. 9 Dion.l.54.

1 Porticus Livia an ubi postea Templum Pacis. 2 Lib.36. cap.15. 3 Lib.14. cap.1. 4 Domus Cæsaris ubi esset. 5 & Forum ejusdem.

CAP. XXII.

Forum Augusti.

FORUM Augusti *inter præcipua ejus opera* numerat Suetonius [1]. cujus *extruendi causa fuit hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur non sufficientibus duobus etiam tertio indigere. Itaque festinantius, nec dum perfecta Martis æde, publicatum est*. Scribit Macrobius [2]: *Cum multi Severo Cassio accusante absolverentur, & architectus fori Augusti expectationem operis diu traheret, ita jocatum esse: Vellem Cassius & meum forum accusasset*. Sed *in eo sic publicato cautum est, ut separatim publica judicia & sortitiones judicum fierent*: Suetonius.

Cæterum Augusti forum [3] prope forum Cæsaris constituitur, ut ab illo fere usque ad Capitolium & templum nunc S. Martinæ, ultra ædem S. Adriani pateret, quam, ut supra dixi, scriptores Ecclesiastici *in tribus foris* nuncupant. Erat enim ibi anti-

1 In vita Aug.c.29. 2 Saturnal.lib.2. 3 Forum Augusti prope forum Cæsaris.

quitus Saturni ædes cum ærario, media inter forum Romanum & forum Augusti, cui post templum Faustinæ jungebatur forum Cæsaris. Forma fori eadem cum superioribus: nisi forte propter angustias, quia non ausus est Augustus *extorquere possessoribus proximas domos* [1], vel longitudini latitudo, vel contra longitudo latitudini non respondebat. In medio *ædem Marti Ultori* [2] *votam Philippensi bello*, quod cum Bruto & Cassio gesserat, posuit: *Et statuas omnium ducum Romanorum triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit, professus edicto, Commentum id se, ut ad illorum velut exemplar, & ipse dum viveret & insequentium ætatum Principes exigerentur a civibus* Suetonius [3]. Sed fori ac templi ornamenta fuse complexus est Ovidius [4]:

> *Mars venit, & veniens bellica signa dedit.*
> *Ultor ad ipse suos cœlo descendit honores,*
> *Templaque in Augusto conspicienda foro.*
> *Prospicit armipotens operis fastigia summi,*
> *Et probat invictos illa tenere Deos.*

Nempe in templi fastigio statuas deorum, &, quæ deinde enumerat, arma & spolia de hostibus capta, affixa postibus; simulacra illustrium regum & Romanorum longa serie ab Ænea usque deductorum; Romulum de Acrone triumphantem; titulos subjectos statuis & inscriptiones rerum præclare gestarum. Addit fuisse votum ab Augusto templum pro victoria, cum in ultionem Cæsaris bellum civile gerendum suscepit.

> *Templa feres, & me victore vocaberis Ultor* [5].
> *Voverat, & fuso lætus ab hoste redit.*
> *Nec satis est meruisse sui cognomina Martis,*
> *Persequitur Parthi signa retenta manu.*
> *Parthe, refers aquilas* [6], *victos quoque porrigis arcus;*
> *Pignora jam nostri nulla pudoris habes.*
> *Rite Deo templumque datum nomenque Bisultor,*
> *Emeritus voti debita solvit honor.*

Ex quibus verbi ambigi potest, an duplici cognomento Mars in eodem templo sit cultus, an duo essent templa Ultoris & Bisultoris [7]. Riquus, auctore Ovidio, duo Martis Templa constituit Ultoris, & Bisultoris, & hujus collocat in Capitolio, quod ante observavit in Suetonium [8] Lævinus Torrentius. Sed & Dion [9] perspicue id tradit, templumque Martis Ultoris, quem Bisultorem appellat Ovidius, statuit in Capitolio. Nam cum recepta ab Augusto de Parthis signa dixisset: *Itaque*, inquit, *& sacrificia ejus rei causa & templum Martis Ultoris in Capitolio ad imitationem Jovis Feretrii, quo signa ea militaria suspenderentur, decerni jussit, ac deinde perfecit*. Duo ergo templa Martis Ultoris, sive Ultoris & Bisultoris, alterum in foro Augusti, alterum in Capitolio statuenda sunt. Quod autem erat in Capitolio, quia ad similitudinem templi Jovis Feretrii factum est, prope illud etiam probabiliter est collocatum. Structi sunt etiam arcus ob signa recepta, ut apparet in nummis, & post, sub Tiberio, ut ait Tacitus [10]: *Structi & arcus circum latera templi Martis Ultoris cum effigie Cæsarum Germanici & Drusi, lætiore Tiberio, quia pacem sapientia firmaverat*. A templo autem Forum ipsum Martis aliquando dicitur. Quod sane præter Romanorum statuas, aliis quoque simulacris & picturarum insignibus e Græcia advectis decoratum est, & *inter pulcherrima, quæ unquam, operum* adscriptum a Plinio, Adrianus deinde, auctore Spartiano [1], instauravit. Martis ludi in foro Augusti facti. Dion. lib.56. Martialis quærendos ibi carminum quosdam recitatores monet:

> *Pompejum quæras, & nosti forsitan, Auctum,*
> *Ultoris prima Martis in æde sedet.*

1 Sueton. in vita c. 56. 2 Templum Martis Ultoris. 3 In vita Aug. c. 31. 4 5. Fast. 5 Cognomen Ultoris unde traxerit Mars. 6 Parthi signa reddiderunt & obsides. 7 Duo templa Martis. 8 Cap. 29. Vitæ Augusti. 9 Lib. 50. 10 Lib. 2. Annal.

1 In vita Adriani.

CAP. XXXIII.

Forum Nervæ.

FORUM Nervæ [1] post forum Augusti, & remotius a foro Romano fuit. Quædam adhuc vestigia in via publica ejus fori superesse probabile est. Hæc, duæ sunt columnæ insculpto marmoreo parieti egregii operis adjunctæ: eodemque in loco superioribus annis columnæ majores imposito epistylio fastigioque extabant, adjecto titulo: IMP. NERVA CAESAR.

Quæ deformatæ ac pæne corrosæ Paulo V. Pont. Max. dejectæ sectæque sunt in tabulas marmoreas ad Janicularem aquæ Braccianæ fontem extruendum & exornandum. Porro Suetonius [2] de foro Nervæ: *Excitavit*, inquit, *forum*, Domitianus, *quod nunc Nervæ vocatur*. Occiso enim eodem, antequam absolveret, Domitiano, Nerva successor perfecit ac dedicavt; dictumque est [3] *transitorium*, non quia per illud in alia fora viasque opportune transiretur, ut Marlianus & alii putant; sic enim & forum Augusti, & Cæsaris, & alia transitoria dicerentur, nam & ab his transitus erat; sed quia, ut alias dixi, Jani templum haberet, cui quatuor inerant portas sive arcus. Jani autem ejusmodi quadrilateri transitiones dicebantur, quod semper transeuntibus paterent. Nam Nerva Janum quadrifrontem ex humiliori delubro suum in forum transtulit. Martialis [4]:

> *Publica quem primum vota precesque canunt,*
> *Pervius exiguos habitabas ante penates,*
> *Plurima qua medium Roma terebat iter.*
> *Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis,*
> *Et fora tot numeras, Jane, quot ora geris.*
> *At tu, sancte pater, tanto pro munere gratus,*
> *Ferrea perpetua claustra tuere sera.*

Confirmat Servius [5]: *Sacrarium*, inquit, *Jani Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum, juxta theatrum Marcelli, quod fuit in duobus brevissimis templis, duobus autem propter Janum Bifrontem. Postea captis Phaleris civitate Tusciæ, inventum est simulacrum Jani cum frontibus quatuor* [6], *propter quod in Foro transitorio constitutum est illi sacrarium aliud, quod novimus quatuor portas habere*. Loquitur Servius de sacrario quadrilatero, quod Jano conditum captis Phaleris idem esse probabile est, quod hodieque conspicitur in veteri Boario foro, cui propterea *transitorio* cognomen fuit. Verum ex eo translatum Jani simulacrum ad forum Nervæ transtulit secum & cognomentum [7]. Illi vero erant *exigui penates*, quos ut ait Martialis, *pervius ante Janus habitabat*,

> *Plurima qua medium Roma terebat iter.*

Atque ex iis pervius ipse asportatus, fecit etiam forum Nervæ appellatione pervium. Sic enim Aure-

1 Forum Nervæ ubi fuerit. 2 In vita Domit. cap. 5. 3 Porum cur *transitorium*. 4 Lib. 10. Epig. 28. 5 7. Æneid. 6 Janus quadrifrons. 7 Ita Fulvius lib. 3. de Foro Boario.

lius


Tab XIII
FORI
NERVAE
VESTIGIA

IMP. NERVA CAESAR.
AVG. PM. TR. B. POT. COS.




FORI VESTIGIA, EX ALTERO ASPECTU.









lius Victor nominavit [1]. In quo tot numeravit fora, quot ora, nempe quatuor: *Romanum*, *Cæsaris*, *Augusti*, *Nervæ*. nam de Trajano foro, quod postea factum est, loqui Martialis non poterat.

Cæterum Nervæ forum fuisse ornatissimum, tria persuadent. primum, quia ædificavit Domitianus, quadam videlicet æmulatione Cæsaris & Augusti, nec ille opera fecit nisi eximia & egregia. Deinde, præter templum Jani ædem Palladis ibi extruxit, quam velut sibi propitiam præcipue colebat. De Jano Statius [2]:

Janus agit, quem tu vicina pace ligatum
Omnia jussisti componere bella, novique
In leges jurare fori.

De templo Palladis Aurelius Victor [3]; *Dedicato* inquit, *foro, quod appellatur pervium, quo ædes Minervæ eminentior consurgit & magnificentior.* Dubitat Lipsius [4], an hæc ædes Palladis, an illa Jani in medio foro locata fuerit. nam & de hac scripsit Statius:

Sed qui limina bellicosa Jani
Justis legibus & foro coronat.

foro coronata, id est, cincta fori porticibus. Non dubitarim tamen ædem illam sublimem Palladis in medio; Janum vero quadrifariam pervium potius in transitu adituque fuisse. Id enim videtur huic præsertim Deo tributum, quod extrema conjungeret. De Jano quidem bifronte Ovidius [5]:

Hic ubi juncta foris templa duobus habes.

Quod autem ædes illa Palladis in medio foro, ejus duntaxat præsidis extaret, forum dictum est *Palladium*. Martialis [6]:

Libertum docti Lucensis quære Secundum,
Limina post Pacis Palladiumque forum [7].

Observant id præter cæteros Onuphrius & Lipsius, tanti viri. Sed mihi duo aliquam de re suspicionem injiciunt. Primum, quod Martialis illud epigramma scripsit, cum primo libros suos evulgare cœpit, non omnes simul, sed ut quemque absolverat, in lucem editos, circa initia, ut arbitror, imperii Domitiani. Hic autem, cum quindecim annos imperarit, tunc fortasse nondum forum inchoaverat, quod imperfectum tanto post moriens reliquit, aut certe minimam ejus partem erexerat. Cur ergo nondum extructo jam cognomen inditum? Deinde cur forum Nervæ seu Palladium conjungitur cum templo Pacis, cum intercederet forum Cæsaris inter utrumque, aut etiam Augusti? hæc ergo primum afferri debuerant. Itaque vel Martialis de alio Urbis ædificio scripsit, vel poetice, quod potius dixerim, adulatorio & suo more loquutus, nomen inchoato vix foro dedit; & solum Flaviæ gentis ædificia, quamvis sejuncta recensuit, ut Domitiano assentaretur. Sed *Palladium* nomen cum foro non perennavit, *transitorio* vel *Nervæ* post dedicationem appellato. Accessit tertio ejusdem fori exornandi singularis cura Alexandri Cæsaris [8]. Hic enim teste Lampridio [9], *statuas Colosseas vel pedestres nudas, vel equestres divis Imperatoribus in foro D. Nervæ, quod Transitorium dicitur, locavit omnibus cum titulis & columnis æreis, quæ gestorum ordinem continerent, exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas in foro suo e marmore collocavit, additis gestis.* Ambigit Lipsius, an æreæ columnæ statuis essent pro basi; an additas porticus sustinerent; deque iis, & hoc Foro scripserit Pausanias, quod Fulvius &

1 De Cæsaribus in Nerva. 2 Lib. 4. Sylv. 3 De Cæs in vita Nervæ. 4 Lib. 3. de Magn. Roman. c. 7. 5 Lib 1. Fast. 6 Lib. 1. Epig. 2. 7 Forum Nervæ Palladium. 8 Forum Nervæ ornatum ab Alexandro Imperat. 9 In vita Alexand.

A Marlianus affirmant [1]. Verba Lipsii: *Quæ autem istæ columnæ? an quibus loco basium insisterent & acta inscripta essent? an & alias intellexit, quæ seorsim porticus sustinuerunt? Non de nibilo ambigo. Quoniam in Pausania lego de quibusdam ædificiis ex ære solido differente: lego, inquam, fuisse talia, ut Minervæ templum Spartæ, quod Chalciœcon ideo dicitur, atque item alibi, sed tum addit in fidem, præsentaneum & sui ævi exemplum,* καὶ Ῥωμαίοις, inquit, ἡ ἀγορὰ μεγέθους ἕνεκα καὶ κατασκευῆς τῆς ἄλλης θαῦμα οὖσα παρέχεται τὸν ὄροφον χαλκοῦν. *Romanis forum, quod & magnitudine & alio apparatu omni instar miraculi est, exhibet tectum & camerationem æream.* B *Quod istud forum tecto æreo? Vellem nominasset. Nunc suspicari tamen fas est, de isto Nervæ capiendum: nisi de alio ædificio, quod Chalcidicum appellabant, quodque foris solet adjungi.* Hæc ille. Quod spectat ad columnas ab Alexandro additas, putaverim vel bases statuarum [2] fuisse, vel parerga fori ad exornandum. Cæterum cum de fori cameratione ærea scribit Pausanias [3], non loquitur de foro Nervæ, sed de foro Trajani. Testimonio est locus alter ejusdem auctoris [4] fere cum illo geminus. loquens enim de operibus a Trajano in Urbe factis, inter quæ thermas, amphitheatrum, circum enumerat, C deinde ejus Forum sic describit: ἡ Ῥωμαίων ἀγορὰ κόσμου τε ἕνεκα τοῦ λοιποῦ θέας ἀξία, καὶ μάλιστα ἐς τὸν ὄροφον χαλκοῦ πεποιημένον. *& forum Romanorum, tum reliqui ornatus causa spectari dignum, tum maxime propter camerationem ex ære factam.* Hoc ergo Trajani forum, de quo paulo post, eo loco nominavit Pausanias; neque ejus verba alio distrahenda sunt. Errat vero, siquis pro cameratione & fornice, tectum & culmen intelligit æreis instructum tegulis. De ædificiis enim æreis [5] loquitur Pausanias; & cum de Minervæ fano ex ære facto, ideoque Chalciœco dicto, dixisset, ex hoc ærei culminis Romanorum foro infert, non alienum esse a veritate templum Apollini D γενέσθαι χαλκοῦν, *factum esse æneum.*

Denique omittendum non videtur, quod, cum alia tria Fora judiciis dedicata essent, in foro Nervæ rei aliquando suppliciis mulctati sunt. De Vetronio Turino, qui acceptis muneribus multa petentibus nomine Imperatoris falso promiserat, sic Lampridius [6]: *In Foro transitorio ad stipitem illum ligari præcepit*, Alexander, *& fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri jusserat, necavit, præcone dicente: Fumo punitur, qui vendidit fumum.* Spatium hujus fori certo definiri non potest: sed & illud exploratum est, veterem murum, [7] E qui hodieque visitur, enormem & angulosum e quadratis magnisque lapidibus, & arcu ad viæ transitum intercisum in finibus fori fuisse. Tres vero ingentes columnæ, quibus campanaria turris Ecclesiæ S. Basilii Monialium imposita est, ad latus marmorei ædificii, reliquiæ dicuntur esse templi Nervæ Cæsaris. De quo Plinius in Panegyrico: *Nervam lacrymis primum, ut filium decuit, mox templis honestasti, non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente fecerunt.* Ejus & adjuncti totius operis ichnographiam, atque orthographiam multi egregie descripserunt. Quamquam ambigendum judico, an illud templum Nervæ, an potius Minervæ, an F alteri tribuendum, quodque ædificium eo nomine censendum sit.

1 Lips. Marlianus. Fulvius locis citatis. 2 Columnæ pro basibus. 3 Lib. 10. 4 Lib. 5. 5 Ædificia cum cameratione ærea. 6 In vita Alexan. 7 Murus in Urbe finis fori Nervæ.



CAP. XXIV.

Forum Trajani.

PROXIMUM Foro Nervæ fuit Ulpium & Trajanum Forum, cujus cochlis columna [1] in medio olim posita hodieque index est. Hoc Forum Apollodoro insigni architecto Trajanus post bellum Dacicum ædificavit, complanata Quirinalis montis parte, & æquata vallibus, ut docet inscriptio in Columnæ basi. Fuit autem inter cætera Cæsarum opera Trajani Forum maxime admirandum testificatione Cassiodori: *Trajani*, inquit [2], *Forum vel sub assiduitate videre miraculum est* [3]. Et Ammiani Marcellini: *Cum*, inquit, *ad Trajani Forum venisset*, Constantinus, *singularem sub omni cælo structuram, ut opinamur etiam numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos*. Quid potest de ædificio dici sublimius? Hac sane de causa, cum Fori atrium, quemadmodum cætera, columnis, epistyliis, coronis cingeretur, quidam columnas crassitudine ac celsitate Cochlidi ferme æquant. Qui enim alii fuere gigantei contextus præter hos, & immensæ A magnitudinis lapides, æreosque fornices, quos sustinebant? Atqui Columna, ut habet P. Victor, *est alta pedes CXXVIII.* Ait idem: *Forum Trajano cum templo & equo æneo*. Num æneum templum, sicut equus, qui in medio atrii, teste Ammiano [1], ipsum Principem vehebat. Id quidem de templo non facile dixerim, sicut de camerationibus & tecto; hoc enim tradit Pausanias. At statuas in fastigio templi positas, ut ostendit numisma Trajani, æneas inauratas fuisse, sicut in reliquis Fori fastigiis dubium non est. De his Gellius [2]. *In fastigiis*, inquit, *Fori Trajani simulacra sunt sita circum undique inaurata equorum atque signorum militarium, subscriptumque est: Ex manubiis*. id est, B ut idem eo capite declarat, *ex pecunia, quæ ex venditione prædæ manu captæ percepta sit*. Hæc autem præda ex bello Dacico redacta est, quo perfecto, Trajanus Forum extruxit, & in eo columnam posuit. Dion [3], *In Foro suo, ingentem columnam statuit, sive ut ea pro sepulchro esset, sive in ostentationem ejus operis, quod ille circa Forum egit. Clivus surgebat, quem effossa quoquoversus terra ita complanavit, ut undique columna conspiceretur, Forumque deinde in areæ modum æquatum mansit. Posthæc Armeniis atque Parthis bellum inferre statuit*. At Columnæ inscriptio sic habet:

1 Columna Cochlis in Foro Trajano. 2 Lib. 1. Var. Epist. 3 Trajani Forum admirandum.

1 Loc. cit. 2 Lib. 13. cap. 23. 3 In Trajano.

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS
IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE
TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF
MAXIMO. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P
AD.DECLARANDVM.QVANTAE.ALTITVDINIS
MONS.ET.LOCVS.TANTIS.EX.COLLIBVS.SIT.EGESTVS


Fol. 708
Fig. XXVI
GALLIENVS AVGVSTVS
CORNELIA SALONINA AVG
A CVS GALLIENI

Fig. XIV.

COLVMNA Imp. TRAJANI, in ipsius FORO.





COLVMNAE
Basis et introitus ad interiores gradus

COLVMNAE
Caput, cui impofita TRAIANI Statua

In postremo Inscriptionis versiculo aliquæ desunt syllabæ: MONS ET LOCVS TAN . . BVS SIT EGESTVS. supplet Egnatius TANTIS OPIBVS; Marlianus TANTIS OPERIBVS. melius Donatus TANTIS EX COLLIBXS . . . atque I. Gruterus TANTIS RVDERIBVS SIT EGESTVS. & hæc loquendi formula repetita comprobatur in Inscriptione Arcadii & Honorii, de qua in 1. lib. OB INSTAVRATOS MVROS ET TVRRES EGESTIS IMMENSIS RVDERIBVS. Porro sculptura anaglyptica [1] in extima facie admirandi operis MMD hominum figuras, partim integras, dimidias partim, vel pectore tenus continet, præter equos, arma, & alia insignia, & (quod admirabilius est) una manu cuncta, unoque scalpro insculpta videntur. Unde triumphalis columna exhibet profectiones, trajectus, castra, adlocutiones, sacrificia, pugnas, victorias, tropæa. Sed in tam varia imagine duo adnotanda sunt: facinus fœminarum Dacicarum, quæ in Romanos ita sæviunt, ut captivos denudatos vivos facibus comburant; & fortitudo virorum, qui servitutis metu, incensa urbe, unanimiter festinant ad necem, ipsorum uno e vase venenum ministrante, singulis manus porrigentibus ad poculum; cum interim alii exanimes jaceant, & alii jam concidant morituri. Cæterum in columnæ fastigio colossus Trajani [2] stetit hastam tenentis, atque auream pilam, in quam ejusdem cineres recondidit Hadrianus. Ex quo inferes, columnam rebus Dacicis insculptam prope Quirinalem non ipsum sibi, sed populum ac senatum Trajano statuisse. Ejus quidem ossa ibi condita fuere ab Adriano. Dion [3], *Trajani*, inquit, *ossa in illius columna condidit*: vel, ut ait Cassiodorus [4], *ossa in urna aurea collocata sub columna Fori, quæ ejus nomine vocatur, recondita sunt*.

Auxerunt postea Fori pulchritudinem alii Cæsares [5]. Marcus enim Antoninus, cum multi nobiles bello Germanico interiissent, *omnibus statuas in foro Ulpio collocavit*. Alexander *statuas summorum virorum in Foro Trajani collocavit undique translatas*, ut in eodem Alexandro Lampridius. Pausanias præter alia Fori ornamenta statuas duas commendat, alteram Augusti Cæsaris ex electro, alteram ex ebore Nicomedis Bithyniæ regis.

In eodem Foro obita alia Principum munera. Adrianus, cum gratiam hominum aucuparetur, & pecuniam, quæ fisco debebatur, debitoribus remitteret, syngraphas *in Foro D. Trajani, quo magis securitas omnibus roboraretur*, incendit [6]. Aurelianus tabulas publicas ad privatorum securitatem exuri in foro Trajano semel jussit. Marcus vero Antoninus profecturus ad bellum Marcomannicum exhausto ærario, cum extra ordinem aliquid provincialibus imperare nollet, *in foro D. Trajani*, teste Capitolino [7], *auctionem ornamentorum imperialium fecit, vendiditque aurea pocula, & crystallina, & murrhina: vasa etiam regia, & vestem uxoriam sericam, & auratam, gemmasque etiam, quas multas in repositorio sanctiore Adriani repererat, & per duos quidem menses hæc venditio celebrata est*. Commodus, teste Lampridio [8], *cooptatus inter tres solos principes juventutis, cum togam sumpsit, adhuc in prætexta puerili congiarium dedit, atque ipse in basilica Trajani præsedit*. Ibidem acta fuisse judicia [9] testatur Gellius [10]: *Phavorinus*, inquit, *cum in area Fori*, Trajani, *ambularet, & amicum suum consulem opperiretur, causas pro Tribunali cognoscentem*.

1 Sculptura anaglyptica. 2 Colossus Trajani. 3 In Adriano. 4 In Chronico. In eodem Eusebius. 5 Forum Trajanum ornatum a Cæsaribus. 6 Spartian. in vita. 7 In ejus vita. 8 Ibidem. 9 Judicia acta in Foro Trajani. 10 Loc. cit.

Hæc autem judicia in basilica Ulpia ejusdem Fori celeberrima præcipue habebantur. Illud vero solemne ac statum, quod Kalendis Januariis novi consules in foro Trajano servos manumittere solebant. Ammianus: *Mamertino*, inquit [1], *consule kalendis Januariis ludos edente manumittendis ex more inductis per admissionum proximum*. Claudianus de Honorio consulatum ineunte [2]:

—— desuetaque cingit
Regius auratis fora fascibus Ulpia lictor.

Idem de Eutropio consule:

—— libertatemque daturus,
Quam nondum meruit, scandit sublime tribunal.

Sidonius de Antemio Augusto consule:

Nam modo nos jam festa vocant, & ad Ulpia poscunt
Te fora, donabis quos libertate Quirites,
Quorum gaudentes exceptant verbera malæ.
Perge, Pater Patriæ, fœlix atque omine fausto
Captivos vincture novos, absolve vetustos.

Eidem foro arcus additus est in honorem Trajani jam per orientem victoris. Dion in ejus vita: *Triumphalis*, inquit, *tunc arcus, præter alia multa, quæ in honorem ejus & decreta & facta fuerant, in illius Foro substructus est*. At templum de more positum in Foro, cujus supra mentionem fecimus, cui dicatum est? Num eidem Trajano relato inter divos? Trajanus certe ibi templum habuit. Spartianus [3]: *Cum opera ubique infinita fecisset*, Adrianus, *numquam ipse, nisi in Trajani patris templo nomen suum scripsit*. Videtur ergo hic esse Templi conditor. Gellius [4]: *Sedentibus forte nobis in bibliotheca templi Trajani*. Quæ videlicet non minus templi, quam fori alterum insigne fuit ornamentum. Sed Dion [5]: *Bibliothecas*, inquit, *Trajanus extruxit*. Igitur plures. *Nam duæ fuerunt in eodem foro*. Meminit Sidonius, ubi statuam æream promeritus [6]:

Cum meis poni statuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret
Inter auctores utriusque fixam
Bibliothecæ.

Et fortasse porticu discretæ, ubi simulacra doctorum virorum Græcæ Latinæque linguæ.

Librorum bibliothecæ Ulpiæ meminit Vopiscus in vita Valeriani, Taciti, Probi, quos *linteos* & *elephantinos* nominat. De *linteis*, qui in usu priscis erant, ad Monetæ inventis, antiquior mentio apud Livium [7]. Porro in his ephemeridas resque Principum gestas præsertim adnotare solebant, & in bibliotheca Ulpia reponere. *Quæ omnia*, inquit Vopiscus [8], *ex libris linteis, in quibus ipse*, Aurelianus, *quotidiana sua scribi præceperat, pro tua sedulitate condisces. Curabo autem, ut tibi ex Ulpia bibliotheca, & libri lintei proferantur*: quasi reconditiores sanctioresque. Idem [9]: *Habet*, inquit, *in bibliotheca Ulpia in armario sexto librum elephantinum, in quo hoc Senatusconsultum perscriptum est, cui Tacitus ipse manu sua subscripsit. Nam diu hæc Senatusconsulta, quæ ad Principem pertinebant, in libris elephantinis scribebantur*. Libri autem *elephantini* sunt eborei. quamquam alii minus vere e pellibus ipsius elephanti confectos velint. Porro ad ornamentum suarum thermarum videtur Diocletianus eo transtulisse Trajani bibliothecam. Indicat Vopiscus [10]: *Usus autem*, inquit, *sum præcipue libris ex bibliotheca Ulpia, ætate mea in thermis Diocletianis*. Sed quoniam hic auctor

1 Lib. 22. 2 In Paneg. ejusdem Consulatus. 3 In vita Adriani. 4 Lib. 11. cap. 17. 5 In ejus vita. 6 Lib. 9. Epigr. 19. 7 Dec. 1. l. 4. 8 In Aureliano. 9 In Tacito. 10 In Probo.

ſemper unam, nos ſupra duplicem bibliothecam fecimus, opinari aliquis poſſet, unam fuiſſe ædificio & ſtructura; duplicem auctoribus utriuſque linguæ. In hac, vel Baſilica fori Trajani, oratores & poetæ ſolebant etiam recitare. Fortunatus [1]:

Vix modo tam nitido pompoſa poemata cultu
Audit Trajano Roma verenda foro.

Spectantur in nummis icones fori Trajani, templi, columnæ, baſilicæ, quas opponimus. Præterea arcum Septimii Severi, templum Cæſaris, templum Auguſti, idemque reſtitutum; duo templa Martis Ultoris, unum in Foro, alterum in Capitolio cum ſignis receptis; baſilicam Æmiliam, templum Fauſtinæ, ex eodem inſigni muſæo Franciſci & Bruti de Gottifredis. Quamquam templum Trajani & Auguſti reſtitutum, e Collegii Romani promptuario damus.

1 Ad Bertechramnum Epiſc. Cinomanenſen.



CAP. XXV.

Fora ad alterum Capitolii latus, inter quæ Boarium.

QUATUOR fora, quæ deſcripſimus, ad orientem fuere ſita. Quæ ſequentur, occaſum verſus, alterum Capitolii latus cingebant, inter hæc & priora interpoſito Romano Foro.

Boarium primo inſpiciendum ſe offert, cujus fines ante perſcripſimus. Nam a Circo maximo ad Tiberim longitudo; a templo S. Georgii ad radices Aventini latitudo producitur. Boarii nomen [1] vel Bovis ærei in medio poſiti effigies, ut placet Tacito [2], & Ovidio [3]: vel boves ibi venditæ, ut placet Feſto & Varroni, fecerunt. Alii tertiam addunt cauſam, taurum ab Hercule immolatum.

1 Unde nomen boario Foro 2 Lib. 12. Annal. 3 6. Faſt.

A Propertius quartam videtur addere, quod ibi Hercules paverit boves ſuas [1].

Herculis ite boves, noſtræ labor ultime clavæ.
Bis mihi quæſitæ, bis mea præda, boves.
Arvaque mugitu ſancite boaria longo;
Nobile erit Romæ paſcua veſtra forum.

Certe vetuſta & culta religionibus eo loco Herculis memoria. Nam ab Hiſpania victo Geryone revertentem, agentemque præ ſe boves ibi ſtetiſſe: tum Cacum, qui duas in Aventini ſpeluncam abegerat, ſive octo, ut tradit Virgilius, occidiſſe; B poſtremo Aram, quæ *maxima* dicta eſt, ſibi locaſſe [2], ritumque ſacrorum decreviſſe Poetæ pariter atque Hiſtorici prodidere. Virgilius [3]:

Hanc aram luco ſtatuit, quæ Maxima ſemper
Dicetur nobis, & erit quæ Maxima ſemper.

Propter magnitudinem, ut placet Servio: *cultum, & venerationem*, ut Dionyſius: *auctorem Herculem*, ut Propertius [4]:

Ara per has, inquit, *Maxima facta manus.*

C Sed poſtea ſine luco culta eſt propior Circo & Palatino, quam Tiberi. Auctor Tacitus [5], qui tradit, cum Romulus urbem conderet, *ſulcum deſignandi oppidi cœpiſſe a foro boario, ut magnam Herculis aram amplecteretur.* Atqui cum ſulcus per ima montis Palatini circumductus fuerit, argumento eſt, non longe a monte aram fuiſſe collocatam, adituque Circi. De hac ara Solinus [6]: *Suo quoque numini Hercules inſtituit aram, quæ Maxima apud pontifices habetur, cum ſe ex Nicoſtrata Evandri matre, quæ a vaticinio Carmentis dicta eſt, immortalem comperiſſet.* *Ad eam*, teſte Dionyſio [7], D *Romani jusjurandum, & conventa, quæ vellent eſſe firma, peragebant, & decimas facultatum ex voto ſæpe illic offerebant: religione videlicet, & cultu, quam apparatu ornatuque potiorem.* Pergit Solinus: *Sacellum Herculis in boario Foro eſt. In illud neque canibus, neque muſcis ingreſſus erat. Nam epulum daturus Hercules, muſcarum deum* [8] *dicitur imprecatus; & clavam in aditu reliquiſſe, cujus olfactu fugerent canes. Id uſque nunc durat*, ait Solinus. Plinius [9], *Romæ*, inquit, *in ædem Herculis in Foro boario, nec muſcæ, nec canes intrant. Ædem* nuncupat, quam *ſacellum* Solinus. Et adhuc extare quidam volunt, rotundi ambitus inter ripam Tiberis E templumque Virginis cognomento in Coſmedin, titulo S. Stephani decoratam. Sed eam Pomponius Lætus Matutæ attribuit, & ex eo Marlianus, in alia ejuſdem Fori parte Herculis ædem conſtituens, poſtea dirutam a Sixto IV. Pont. Max. inibi invento æneo Hercule, qui viſitur in ædibus Capitolinis. Contra Fulvius ad aram ejus maximam inventum id ſimulacrum affirmat, quod ipſe in medium relinquo. Conſtat tamen ædem Herculis fuiſſe rotundam [10]. Livius: *In ſacello Pudicitiæ patriciæ, quæ in Foro boario eſt ad ædem rotundam Herculis.* P. F Victor in regione octava: *Ædes Herculis Victoris duæ: altera ad portam Trigeminam, altera in Foro boario cognomine Rotunda & Parva.* Porro alteram illam ædem ejuſdem Herculis fuiſſe tradunt ab Octavio Herennio conſecratam juxta Tiberim, ubi tunc porta Trigemina, olim, ut antea dixi, ad radices Aventini ſita prope idem templum Virginis in Coſmedin, & propinqua Foro boario.

1 Lib. 4. Eleg. 10. 2 Ara Herculis maxim. in Foro boario. 3 8. Æneid. Ovid. 1. Faſtorum. 4 Propert. lib. 4. Elegia 10. 5 Lib. 12. Annal. 6 Cap. 2. 7 Lib. 1. Antiq. 8 Myagrum. 9 Lib. 10. cap. 29. 10 Ædes Herculis rotunda in Foro boario.



In eodem Foro Matris Matutæ templum [1] fuit a Servio Tullio factum, refectum a Camillo, & cum arsisset, iterum instauratum Q. Fulvio, Appio Claudio coss. anno Urbis DXLII. cum æde Fortunæ, illi proxima, ab eodem Servio dedicata, quam nunc ædem S. Mariæ Ægyptiacæ appellant. De æde Matutæ in Foro boario Ovidius [2]:

Pontibus & magno juncta est celeberrima Circo
Area, quæ posito de Bove nomen habet.
Hac ibi luce ferunt Matutæ sacra parenti
Sceptriferas ServI [3] templa dedisse manus.

Idem de Fortunæ templo paulo post:

Lux eadem, Fortuna, tua est, auctorque, locusque;
Sed super injectis quis latet iste togis?

Porro ædem Matutæ, ut ait Livius [4], *Camillus dictator dictus vovit se refectam dedicaturum, jam ante ab rege Servio*, Tullio, *dedicatam*. eodemque libro de eodem: *Dedicavitque Matutæ matris templum*. Idem auctor [5]: *Triumviri bini, uni sacris conquirendis donisque persignandis, alteri reficiendis ædibus Fortunæ & Matris Matutæ intra portam Carmentalem: sed & Spei extra portam, quæ priore anno incendio consumptæ fuerant*. Hujus ædis Fortunæ [6] non meminit Plutarchus in libro de Fortuna Romanorum, cum alias recenseret. De utraque plura Ovidius. Livius [7]: *L. Stertinius de manubiis duos fornices, in Foro boario ante Fortunæ ædem, & Matris Matutæ, & his signa aurata imposuit*. Ædem Matutæ perperam quidam locant ad radices Capitolii, nempe extra fines boarii Fori, & contra Livium, longe semotam a Tiberi. De sacello Pudicitiæ [8] jam dictum est, quod quidam putant fuisse, quod nos Fortunæ dedimus, A nunc S. Mariæ Ægyptiacæ nuncupatum. Sed amplior videtur ædes quam sacelli angustiæ paterentur. Quidam eam basilicam Cajo & Lucio nepotibus Augusti attribuunt ab invento inibi lapide, cujus inscriptio haberet utriusque nomina, quibus sane non assentior. Nam ædificium humilius est, ac rudius, quam ut nepotum nomini factum videatur ab Augusto: & lapis, quorum antiquitus erat magna copia, cum inscriptione inventus, quod inculcant, nisi rei aliqua memoria apud auctores sit, ædificium loco non affigit.

Fuerit ergo Fortunæ templum, deque eo Dionysius [1], *Servius*, inquit, *duobus templis conditis* [2] *altero Bonæ Fortunæ ob perpetuum ejus favorem in Foro boario; altero Fortunæ Virilis, sicut hodieque* B *cognominatur in ripa Tiberis provectus jam ætate*. In templo Bonæ Fortunæ simulacrum Servii erat velatum, de quo plura Ovidius loco citato, & nos uno ejus versu supra diximus. *In templo Fortunæ*, ait Dionysius [3] *ab ipso*, Servio, *condito, dedicata ejus effigies inaurata lignea sola incendio superfuit integra, absumptis intus reliquis omnibus: & hodieque templum, & quidquid inest instauratum post incendium, apparet esse novi artificii. Statua, qualis prius, antiqui est operis. durat enim adhuc, & a Romanis colitur*. Alterum Virilis Fortunæ idem fortasse est templum, quod Fortis Fortunæ nuncupat Varro, qui ait: *Dies Fortis Fortunæ appellatus est* C *ab Servio Tullio rege, quod fanum Fortis Fortunæ secundum Tiberim extra Urbem Romam dedicavit*. Non igitur in Foro Boario. Fuit tamen prope illam ædem Bonæ Fortunæ ædes. De qua Livius [4]: *Carvilius cos. de reliquo ære ædem Fortis Fortunæ de manubiis faciendam locavit prope ædem eidem deæ ab rege Servio Tullio dicatam*.

1 Ædes Matutæ in Foro Boario. 2 Fast. 6. quidam legunt, *Montibus*, sed non placet. 3 Tullii Regis. 4 Lib. 5. Dec. 1. 5 Dec. 3. l. 5. 6 Ædes Fortunæ. 7 Dec. 4. l. 3. 8 Sacellum Pudicitiæ.

1 Lib. 4. Antiq. 2 Plura Fortunæ Templa. 3 Loc. cit. 4 Lib. 10. Dec. 1.



CAP. XXVI.

Forum Piscarium, & Olitorium.

A BOARIO Foro exitus erat in Piscarium, quod, ut ait Varro, secundum Tiberim fuit [1], ubi præter pisces varia vendebantur. Spatium fori se ipsum demonstrat. Nam cum Boarium ad pontem nunc S. Mariæ pertingeret, inde secundum Tiberim Piscarium protendebatur usque ad Urbis mœnia, ut alibi dixi, a Capitolio ad Tiberim deducta juxta templum S. Nicolai in Carcere, quæ ætate Augusti vix apparebant.

Id certo probat Forum Olitorium, ubi olerum copia, ut ait Varro, quod Piscario propinquum, nihilominus erat extra Urbem. Id antea ostendi, ac perspicue demonstrat Livius [2]: ait enim, *ædem Spei* [3] *quæ in Foro Olitorio est, fulmine ictam*; quam postea ait fuisse *extra portam Carmentalem*. *Æquata*, inquit, *omnia inter Salinas & portam Carmentalem in templis Fortunæ ac Matris Matutæ, & Spei extra portam*. Porro hoc Spei templum *voverat Attilius primo bello Punico: postea Germanicus Cæsar instauratum sacravit*, ut refert Tacitus [4].

Templum Jani Gemini inter Forum Olitorium & Piscarium fuit. Nec certo exploratum est [5], quis primo ædem illam Jano condiderit indicem Pacis ac Belli. Macrobius ante Sabinum bellum ædem Jano locatam asserit. Ovidius pulsis Sabinis aram & sacellum confestim positum. quod Servius confirmat: *Postquam*, inquit [6], *Romulus & Titus Tatius in fœdera convenerunt, Jano simulacrum duplicis frontis effectum, quasi ad imaginem duorum populorum*. Nec Plutarchus [7], quamquam hic de simulacro loquitur, Numam templi fecit auctorem. At Livius de Numa, *Janum*, inquit [8], *ad infimum*


1 Ubi esset Forum Piscarium. 2 Dec. 3. l. 1. 3 Ædes Spei. 4 Lib. 2. Annal. 5 Quis Ædem Jani struxerit. 6 12. Æneidem. 7 In vita Numæ. 8 Lib. 1.

B *Argiletum, indicem pacis bellique fecit. apertus, ut in armis esse civitatem; clausus, pacatos circa omnes populos significaret*. Et Servius [1]: *Sacrarium hoc, inquit, Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum juxta theatrum Marcelli, quod fuit in duobus brevissimis templis*. Porro Jani *statua*, ut ait Plinius, *dicata est digitis figuratis ad trecentorum sexaginta quinque dierum notam*. Cæterum cum hoc templum ad imum Argiletum, prope theatrum Marcelli, sub radicibus Capitolii Livius collocarit, non dissentit Ovidius, qui Janum alloquutus, sic ait [2]:

C
Cum tot sint Jani, cur sic sacratus in uno es,
Hic ubi juncta foris templa duobus habes?

At quæ fuerunt hæc duo fora, inter quæ Janus? Boarium interpretes & Piscarium intelligunt. Boarium enim a Circo maximo pertinebat ad Tiberim. Huic adjunctum erat Piscarium *secundum Tiberim*, ut ait Varro, *ad Junonium*, id est, *ad Janum*. Janum enim, ut loco citato Macrobius, *Junonium* dicebant, quasi non solum mensis Januarii, sed mensium omnium ingressus tenentem. In ditione autem *Junonis* sunt omnes Kalendæ. Hæc Piscarii Boarii-
D que Fori interpretatio non probatur. Nam ædes Jani fuit extra portam Carmentalem: extra quam erat Forum Olitorium, ut supra docuimus. Itaque hoc Forum potius intelligendum est, ut Janus esset inter Piscarium & Olitorium [3]. Ubi aliud quoque Jani templum fuit a Duillio extructum, instauratum ab Augusto, dedicatum a Tiberio. Tacitus [4]: *Et Jano*, inquit, *templum Tiberius dedicavit, quod apud Forum Olitorium C. Duillius struxerat, qui primus rem Romanam prospere mari gessit, triumphumque navalem de Pœnis meruit*. Sed hoc erat templum Jani Quadrifrontis, ut habent Augusti nummi apud Gulielmum Choultium; *cum tamen geminum ac bi-*

1 2. Æneid. 2 1. Fast. 3 Templum Jani inter Forum Olitorium & Piscarium. 4 Lib. 2. Annal.


IANI TEMPLVM.

frontem dedicaverit Numa. Servius, cum de Jano bifronte sito ad theatrum Marcelli dixisset, *Captis*, inquit [1], *Phaleris civitate Thusciæ, inventum est simulacrum Jani cum frontibus quatuor. propter quod in foro Transitorio constitutum est illis sacrarium aliud, quod novimus hodieque quatuor portas habere*. At illud Numæ apud Plutarchum [2] dicitur νεὼς δίθυρος, *templum duarum portarum: quod*, inquit, *belli Januam vocant*. Et Virgilius:

Sunt geminæ belli portæ.

Templo ergo signoque Numæ immutato, extructa sunt alia templa quadrilatera Jano Quadrifronti [3]. Unum hodieque cernimus apud ædem S. Georgii in Foro Boario: Quod illa ætate, ut ait Fulvius, *Transitorium* erat. Idque nomen postea cum Jano translatum est ad Forum Nervæ, quod deinceps *Transitorium* dictum.

Quia cum quadrilaterum & quadrifariam pervium haberet Jani templum, *Transitorium* ab ejus *transitionibus* nominabant, ut supra dixi; & reliqua ejusmodi quadriformia, perviaque ædificia *Jani* sunt dicti. Suetonius: *Janos arcusque cum quadrigis & insignibus triumphorum per regiones Urbis tantos ac tot* Domitianus *extruxit*. P. Victor: *Jani per omnes regiones incrustati & adornati signis: duo præcipui ad Arcum Fabianum, superior inferiorque*. Neque de hoc est loquutus Procopius de bello Gothico [4], sed de Jano bifronti Numæ. *Foro* [5], inquit, *in medio, & ex adverso Capitolii sacellum extat paulo supra eum locum, quem nunc Romani* tres Parcas *appellant. Id vero Jani sacellum totum ex ære constructum fuisse sat constat, & quadrata quadam dimensione locatum, tantæque amplitudinis, quanta integri Jani statua capi poterat. quæ utique & ipsa cum ænea sit, non minor quam quinquepedalis esse apparet, per cætera omnia mortali similis, capite duntaxat bifronti; ita ut facies altera in orientem solem divergat, in occidentem altera. Portæ utrinque æneæ in faciem alterutram versæ, quas ferme in pace & prosperis rebus occludi Romani veteres quondam instituerunt, contraque aperiri, dum interea bellum his est*.

Hujus templi vestigium exprimitur in numismatis Neronis.

Porro a templo Jani via quædam adjuncta dicta est *Janus*, in qua fœneratores & trapezitæ habitabant, ejusque partes *summus*, *imus*, *medius Janus* dictæ. Horatius [6]:

—— *hæc Janus summus ab imo*
Perdocet ——

Cicero [7]: *A quibusdam optimis viris ad medium Janum sedentibus*. Et [8]: *Janus medius in Antonii clientela sit*. Hic locus an esset ad Janum bifrontem, an ad quadrifrontem definire non ausim; potius tamen ad quadrifrontem constituerem. In eodem foro Junonis Matutæ ædes. Livius [9]: *Ædes Junonis Matutæ in Foro olitorio vota, locataque quadriennio ante a C. Cornelio cons. Gallico bello. censor idem dedicavit*.

Demum *Columna Lactaria in Foro olitorio dicta, quod ibi infantes alendos deferebant*, ut scribit Festus.

1 Lib. 7. Æneid. 2 In vita Numæ. 3 Jani Quadrifrontes. 4 Lib. 1. 5 Quod Forum nisi Olitorium? 6 Lib. 1 Ep. 1. 7 Lib. 2. de Offic. 8 Philipp. 6. 9 Dec. 4. l. 4.

CAP. XXVII.

Alia circum Capitolium sita.

VELABRUM planiciem inter Capitolium, Palatinum, & Aventinum occupabat, in qua & Boarium Forum. Sed Velabrum latius, quantum videlicet aquæ olim Tiberis effusæ inundaverunt stagnantis instar paludis. Quibus exsiccatis & coercitis, nomen nihilominus loco mansit. De eo supra scripsimus, in quo fuisse sepulchrum Accæ Laurentiæ testatur Varro [1]. In eodem Velabro fuit & VICUS TUSCUS. Nam Hetrusci, qui Porsena rege venerant ad Urbem, cum deinde issent oppugnatum Ariciam, fusi cæsique sunt. Pars exigua Romæ excepti curatique, hospitum Urbisque charitate retenti sunt. *His locus ad habitandum datus, quem deinde Tuscum vicum appellarunt*, ut tradit Livius [2]. Dionysius [3]: *His*, inquit, *Senatus locum in Urbe ad ædificandum dedit, vallem Palatinum inter & Capitolinum colles, quatuor ferme stadiis*, hoc est, passibus fere quingentis, *protensam, qui usque ad nostram ætatem* Tuscus vicus *Romana lingua vocatur, qua transitur a Foro in Circum maximum*. Hæc ille, quibus patet amplitudo loci: & ambitus, opinor, non rectus vici processus describitur inter Forum Romanum & Circum maximum. At Varro scribit, multo ante Romulum venisse Tuscos auxilio contra Sabinum regem, & Cœlium montem habitasse: sed mortuo Cœlio Vibenna duce, qui monti nomen dederat, ne nimis munita loca tenerent, in planum deductos, & *ab eis*, inquit [4], *dictus vicus Tuscus; & ideo ibi Vertumnum stare, quod is deus Hetruriæ*. Idem sensit Tacitus. Nam cum de Cœlii, ejusque copiarum adventu non Romulo, sed Tarquinio Prisco regnante, & mora in monte Cœlio dixisset, *Cætera*, inquit, *non ambigua sunt, magnas eas copias per plana etiam, ac Foro propinqua habitavisse. Unde Tuscum vicum e vocabulo advenarum dictum* [5]. Cæterum cum in parte Velabri Tuscus vicus esset, liquet, eumdem locum varias ob causas, varias etiam appellationes sortitum. Nam quia olim lacunosus vehebat naviculas, *Velabrum*: quia derivatis in fluvium aquis, Tuscis habitationi fuit, *Tuscus vicus* est appellatus.

In fine Vici, ut alias dixi, statua VERTUMNI [6] fuit, sive a *conversis aquis inundantis fluminis*: sive, *quod hic esset Hetruriæ Deus*, ut ait Varro: sive *a perceptis fructibus vertentis anni*, quod addit Propertius. Aliam addit causam Asconius [7], *quod esset invertendarum rerum, id est, mercaturæ Deus. Signum Vertumni*, inquit, *in ultimo vico Thurario est, sub Basilicæ angulo flectentibus se ad postremam dexteram partem*. VICUS THURARIUS sive JUGARIUS a porta Carmentali mittebat in Forum, & vico Tusco jungebatur in Velabro. Sic cum Varro, aliique auctores dicant Vertumni signum fuisse in vico Tusco, non dissentiunt ab Asconio. erat enim in fine utriusque vici, ubi jungebantur. At quæ Basilica, cujus meminit Asconius? Sempronia videlicet [8], extructa, ubi antea ædes P. Africani. Livius [9]: *Tiberius Sempronius ex ea pecunia, quæ ipsi attributa erat, ædes P. Africani pone Veteres ad Vertumni signum, laneasque, & tabernas conjunctas in publicum emit, basilicamque faciendam curavit, quæ Sempronia appellata est*. Ideo multa ibi mercimonia. Nam basilicæ pro actis judicum, & antiquitus mercatorum extruebantur. Horatius quidem ad Vertumnum mittebat librum suum, eo scilicet vico vendibilem [10]:

Vertumnum, Janumque liber spectare videris:
Scilicet ut prostes sociorum pumice mundus.

Adjunxit Janum. Erat enim Janus via templo Jani proxima, ut supra, celebritate vendentium frequens.

1 Lib. 5. 2 Lib. 2 Dec. 1. 3 Antiq. l. 5. 4 Lib. 4. Antiq. 5 Unde vico Tusco nomen. 6 Statua Vertumni. 7 In 3. Orat. in Verr. 8 Basilica Sempronia. 9 Dec. 5. l. 4. 10 Lib. 1. Epist. Ep. ult.

Nec longe aberat ARGILETUM [1] ſub Capitolio, ſive ab *argilla*, ſive ab *Argo* Evandri hoſpite ibi ſepulto dictum, ut ait Varro. Sed Virgilio poſterior cauſa videtur probari:

Nec non & ſacri monſtrat nemus Argileti,
Teſtaturque locum, & lethum docet hoſpitis Argi.

Argileti ima pars deſinebat ad theatrum Marcelli, ubi nunc Forum vulgo *Montanarium*; ſumma circa finem Velabri & vici Tuſci. Servius de templo Jani [2]: *Sacrarium hoc Numa Pompilius fecit circa imum Argiletum juxta theatrum Marcelli*. Sed aliter Martialis [3]:

Quod quæris, propius petas licebit:
Argi nempe ſoles ſubire letum.
Contra Cæſaris eſt forum taberna;
Illinc me pete ——

Et [4]:

Tonſtrix Suburræ faucibus ſedet primis,
Cruenta pendent qua flagella tortorum,
Argique letum multus obſidet ſutor.

Hæc ſine dubio pugnant. Nam forum Cæſaris erat poſt templum Pacis, ubi & principium Suburræ, longe a theatro Marcelli. Aut ergo fuit duplex Argiletum [5], alterum ad radices Capitolii verſus Tiberim, alterum ad initium Suburræ: aut Servius, vel Martialis erravit. Potius inferri poteſt, duo fuiſſe; niſi doctiores meliora proferant. Cum autem idem Poeta dixerit, ſuos verſus emi poſſe prope forum Cæſaris, in capite Suburræ; ibi quoque videntur collocandæ TABERNÆ, de quibus ait, alloquens librum ſuum [6]:

Argiletanas mavis habitare Tabernas,
Cum tibi, parve liber, ſcrinia noſtra vacent.

Eodemque loco librum ſupra collocaverat [7]:

Limina poſt Pacis, Palladiumque forum.

At vicus Tuſcus non modo frequens mercibus, ſed etiam turpi quæſtu infamis fuit. quare apud Horatium [8]: *Tuſci turba impia vici*, & ſimilia apud Plautum [9].

Jam vero Livius ædes P. AFRICANI conſtituit prope VETERES. cui ſane locutioni non diſſimilis alia eſt, *ſub Veteribus*, *ſub Novis*. Suetonius [10]: *Bifariam laudatus eſt Auguſtus, pro æde D. Julii a Tiberio; & pro Roſtris, ſub Veteribus a Druſo Tiberii filio*. Nec ſane laudabiliter id quidam explicant, *pro roſtris veteribus*, cum fuerint etiam *nova* referente Aſconio; quid enim *ſub* rejicitur? Plautus [11]: *ſub Veteribus, ubi ſunt, qui dant, quique accipiunt fœnore*. Subintellige ergo *tabernis*, aut aliis ædificiis pervetuſtis, in quibus fœneratores, & qui fœnori accipiunt, verſantur. Varro [12]: *Curia Hoſtilia, cujus id vocabulum, quod primus ædificavit Hoſtilius Rex ſub Veteribus*. Idem: *Sub Novis dicta, pars in Foro ædificiorum: quod vocabulum ejus pervetuſtum, ut Novæ viæ, quæ via jam diu vetus*. Cicero [13]: *Demonſtravi digito pictum Gallum in Mariano ſcuto Cimbrico ſub Novis, diſtortum, ejecta lingua, buccis fluentibus*. Livius [14]: *Eodem tempore ſeptem Tabernæ, quæ poſtea quinque, & argentariæ, quæ nunc novæ appellantur, arſere*. ſic apud eumdem, *pone veteres*, nempe *tabernas*, vel *domos veteres*. Qui locus erat propinquus Foro verſus Circum Maximum. ibi enim Vertumnus.

1 Argiletum. 2 7. Æneid. 3 Lib. 1. Ep 118. 4 Lib. 2. Ep. 17. 5 Duplex Argiletum. 6 Lib. 1. Ep. 4. 7 Eod. lib. Ep. 2. 8 Lib. 2. Sat. 3. 9 In Curcul. & Ciſtel. 10 In ejus vita c. 100. 11 In Curc. act. 4. ſc. 1. 12 Lib. 5. de ling. Lat. 13 Lib. 2. de Orat. 14 Dec. 3. l. 5.

Quod ſpectat ad reliqua, Livius, *Omnia*, inquit [1], *inter Salinas, ac portam Carmentalem, cum Æquimelio, Jugarioque vico late vagatus ignis, ſacra profanaque multa abſumpſit*. *Salinæ* ſalis publici officinæ ac receptacula fuere, prope portam Trigeminam & Forum Boarium verſus Aventinum.

ÆQUIMELIUM, area domus Spurii Melii Foro item Boario propinqua, & vico Jugario, Capitolium verſus. Cicero [2]: *Sp. Melii regnum appetentis domus eſt complanata. Ecquid aliud æquum accidiſſe Melio populus Romanus judicavit? nomine ipſo Æquimelii, ſtultitia pœna comprobata eſt*. Idem Livius [3], qui & *Melii vici* mentionem fecit: *Lupus*, inquit, *Tuſco vico, atque inde Melio per portam Capenam prope intactus evaſerat*. Quare proximi fuere vici, Tuſcus, Jugarius, Melius.

De porticibus Octaviæ, & theatro Marcelli, alibi dicemus.

De ejus Carceris ſede, *ubi nunc Marcelli theatrum eſt*, quod ait Plinius [4], jam diximus, & Tullianum eſſe pernegavimus. Nec omittendum hoc loco eſt, ædem S. Nicolai ibi conditam, etiam apud Eccleſiaſticos veteres ſcriptores dici *in Carcere*, non addito *Tulliano*. Quare in Actis Alexandri III. Pontificis apud Cardin. Baronium [5] leges: *Oddo Diaconus Card. S. Nicolai in Carcere*. Jam vero eruditiore ſeculo, utrumque paſſim uſurpatur *in Carcere Tulliano*, aut ſolum *in Carcere*: & habent Bullæ Pontificum, quibus ſubſcripti ſunt Cardinales. In Bulla Clementis VIII. Canonizationis S. Hiacynthi *Benedictus Pater*, leges [6]: *Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Diaconus Card. Aldobrandinus*. In Bulla Canonizationis S. Philippi Nerii edita ab Urbano VIII. *Rationi congruit*, leges [7]: *Ego Carolus S. Nicolai in Carcere Diaconus Card. Pius*. In Bulla Sixti V. de prohibitione ad Arma, *Dum pro communi*, leges [8]: *Ego F. Sfortia Card. Diaconus S. Nicolai in Carcere*. Et alibi compluries. Quare vetus appellatio jam diminuta quam vim habet, ut ibi dicatur fuiſſe Carcer Tullianus?

Ex privatis ædificiis recenſeri poteſt domus MARII prope Forum Romanum. Plutarchus, *Domum*, inquit, [9] *extruxit propter Forum, vel ut ipſe dicebat, ne clientibus ſuis eſſet longius ire grave: vel quod ea re crederet fore, ut plures alii domum ſuam celebrarent*. Vicinior Capitolio domus Milonis, in Clivo, ut ſupra. Domus Ovidii juncta fuit Capitolio. Idem memoriæ mandavit [10]:

Hanc ego ſuſpiciens, & adhuc Capitolia cernens,
Quæ noſtro fruſtra juncta fuere lari:
Numina vicinis habitantia ſedibus, inquam,
Jamque oculis numquam templa videnda meis.

Conjuncta autem ædificia, ut alibi ex Tacito memoravi, in altum edita ſolum Capitolii æquabant.

Domus D. BRUTI Foro propinqua. Saluſtius [11]: *Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod Foro propinqua erat*.

De ædibus ATTICI Veſtini conſulis, quem, detecta multorum conjuratione, Nero quamvis innoxium occidit, idem Tacitus [12]: *Quia Veſtinus imminentes Foro ædes, decoraque ſervitia, & pari ætate habet*. Id vero pro crimine habitum.

1 Dec. 3. 2 Pro domo ſua. 3 Dec. 1. l. 4. Dec. 4. l. 3. 4 Lib. 7. cap. 36. 5 Ann. ſal. 1159. Tomo 12. 6 Bullarium Tom. 3. 7 Bullarium Tom. 4. 8 Bullarium Tom. 2. 9 In vita Marii. 10 Lib. 1. Triſt. Eleg. 3. 11 In conjurat. Catil. 12 Lib. 15. Annal.

Demum placet in Plauto [1] nonnulla aut jam explicata aut explicanda inspicere.

a. *Qui perjurum hominem vult convenire, mitto in Comitium.*
b. *Qui mendacem & gloriosum, apud Cloacinæ sacrum.*
c. *Dites damnosos maritos sub Basilica quærito.*
d. *Symbolarum collatores apud Forum Piscarium.*
e. *In Foro infimo boni homines atque dites ambulant.*
f. *In medio propter canalem, ibi ostentatores meri.*
g. *Confidentesque, garrulique, & malevoli. Supra lacum,*
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam.
h. *Sub Veteribus, ibi sunt, qui dant, quique accipiunt fœnore.*
i. *Pone ædem Castoris, ibi sunt, quibus credas male.*
l. *In Tusco vico, ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.*
m. *In Velabro vel pistorem, vel lanium, vel haruspicem;*
Vel qui ipsi vortant, vel qui aliis subversandos præbeant.
n. *Dites damnosos maritos apud Leucadiam Oppiam.*

a. *Comitium* jam diximus fuisse in foro Romano ad radices Palatii.

b. *Venus Cluacina* prope Sacram viam colebatur, ubi factum fœdus inter Tatium Regem & Romulum. Plinius [2]: *Quippe ita*, inquit, *traditur: myrtea verbena Romanos Sabinosque, cum propter raptas Virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos in eo loco, qui nunc signa Veneris Cluacinæ habet.* Cluere *enim antiqui purgare dicebant*.

c. Quænam Plauto significetur BASILICA, plane ambigo. Tres [3] enim ex antiquioribus Basilicæ fuere, *Porcia*, *Sempronia*, *Opimia*. Porciam M. Porcius Cato censor faciendam curavit. de qua Livius [4]: *Cato atria duo, Mænium & Titium in Latomiis, & quatuor tabernas in publicum emit; basilicamque ibi fecit, quæ Porcia appellata est* Plutarchus [5]: *Multum etiam ei obstrepuit, cum basilicam faceret, quam pecunia publica sub Curia Foro adjunxit, & basilicam Porciam appellavit.* Asconius [6]: *Curia flagravit, & item Porcia basilica, quæ erat ei juncta, ambusta est.* In ea tribuni civibus aures præbere soliti erant. Ex quibus liquet Basilicæ locus. Curia enim erat in Foro sub Palatio. Quod autem dicitur *Mœnii* atrium coemisse, hic est ille Mœnius, qui vendito atrio ac domo, unam sibi columnam fertur reservasse, ut ex ea, tignis supra impositis, & extrorsum projectis, ludos in Foro, ejusque posteri spectarent. Unde *Mœniana*, & *Mœnia columnæ* celebre nomen. Jamvero Plautus floruisse exorto Punico bello secundo, & vita excessisse dicitur Catone censore. Gellius [7]: *Bellum secundum adversus Pœnos sumptum est. Atque non nimium longe M. Cato orator in civitate, & Plautus*

1 In Curc. Act. 4. sc. 1. 2 Lib. 14. cap. 29. 3 Tres antiquæ Basilicæ. 4 Dec. 4. l. 9. 5 In Catone majore. 6 In Orat. pro Milone. 7 Lib. 17. cap. ult.

A *Poeta in scena floruerunt*. Nono quidem ejus belli anno M. Marcello III. M. Valerio Lævino coss. basilicæ in Urbe non erant, ut ait Livius [1]. Quare dubium, an Plautus Porciam basilicam viderit factam a Catone censore, anno post circiter XXVI. Quam si vidit, nonnisi extrema ætate vidit, parum idonea pangendis versibus. Non paucis post annis facta est basilica Sempronia in Vico Tusco. & multo post Opimia in Foro prope Curiam, & Græcostasim. An fuerit aliqua alia antiquior, quam Porcia, eamque Plautus intelligat, mihi est ignotum. Ab hac *subbasilicani* negociatores & deambulantes in basilica. Idem [2]:

B *Quorum odos subbasilicanos omnes abigit in Forum.*

d. Jam *symbolarum collatores*, id est, collectarum portionumque, quas pro se quisque fert, quærendi apud Forum Piscarium, ubi nempe variorum copia cibariorum venditioni exposita.

e. *In foro infimo*; in ima parte Fori alii degunt.

f. Alii vero in media secundum *canalem*. Canales [3] enim in medio Foro, sicut & in viis silice stratis positi erant, quibus flueret aqua. Vidi ego aliquot hujusmodi viarum canales, cubitum ferme latos, factosque ex Tiburtino lapide a fossoribus e-
C geri. Porro hi, qui circa canales Fori consisterent, homines pauperes, dicti, *canalicolæ forenses*, ut ait Festus.

g. De *lacu* Curtio.
h. *Veteribus* tabernis.
i. *Aede Castoris*.
l. *Tusco vico* dictum supra satis est.
m. *In Velabro* sunt, qui vel pistorem, vel lanium fraudant, vel aliis tradunt fraudandos. Ibi enim obsonia vendebantur. Horatius [4]:

Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum.

D Nec inde aberant *haruspices*; quippe qui Hetrusci vel in vico Tusco parte Velabri, vel prope vicum habitabant.

n. *Leucadia Oppia* quid, aut ubi fuerit, egregii Interpretes eruditis videndum relinquunt, & versum ut minime Plautinum, quamvis alii aliter legant & sentiant, amovendum putant. Ut me quoque, illis nescientibus, nescire non pudeat.

Fuerunt præterea in Urbe alia quædam, præter ea, quæ descripsimus, Fora. *Suarium*, in quo sues vendebantur ad radices Quirinalis. *Archemorium*, sive *Archimonium* ad ædem S. Nicolai de Archimoniis. Hæc duo recenset P. Victor in regione septi-
E ma Viæ latæ. Forum *Cupedinis*, *a Cupedio*, ut ait Varro; *quod multis Forum Cupidinis, a cupiditate.* nam hoc in Suburra, in qua cibaria venum exponebantur. Forum *Flaminium*, & *Julium* pro locis negotiationis apud Festum, *ab eorum*, inquit, *nominibus, qui ea loca constituenda curarunt*. quæ duo Fora an Romæ fuerint, dubitari potest. Forum *Salustii*, ædi S. Susannæ propinquum, *Pistorium* etiam *Diocletiani*, *Gallorum*, *Rusticorum* recenset P. Victor.

1 Lib. 6. Dec 3. 2 In captivis. Act. 4. sc. 1. 3 Canales in Foro, & viis Urbis. 4 Lib. 2. Ser. Sat. 3.

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

Situs & nomen Palatini Collis.



OST Forum erigitur mons Palatinus, prima sedes Urbis, & postea Imperii. Varias nominis [1] origines adducunt Varro & Festus. *Quartæ regionis*, inquit Varro [2], *Palatium, quod pallantes cum Evandro venerunt: aut quod Palatini, qui & Aborigines ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi consederunt. Sed hoc alii a Palatia uxore Latini putarunt. Eundem hunc locum a pecore dictum quidam putant. Itaque Nævius Balantium appellat.* Festus: *Quod ibi pascens pecus balare consueverit: vel quod palare, id est, errare ibi pecudes solerent.* Alii quod *ibi Hyperborei filia Pallanto habitaverit*, quæ ex Hercule Latinum pepererit. Alii eumdem, quod *Pallas ibi sepultus sit*, existimant appellari. Demum Virgilius [3], quod Arcades, cum eo venissent Evandro duce,

> *Delegere locum, & posuere in montibus urbem,*
> *Pallantis proavi de nomine Pallanteum.*

Mamertinus in Genethliaco Maximiani: *Primam in ea sedem Numinis vestri, sanctum illud venerandumque Palatium regem advenam condidisse. Principem illum tui generis ac nominis Herculem Pallantea mœnia adiisse victorem, & parva licet tunc Regia, summa tamen religione susceptum futuræ Majestatis dedisse primordia, ut esse possit domus Cæsarum, quæ Herculis fuisset hospitium.* Fines Palatini Collis [4] exurgentis e vallibus ipsi sese produnt. A septentrione clauditur foro Romano, & antiquo Velabro, seu valle ipsum interjacente & Capitolium. Ab occasu valle inter Palatium & Aventinum sita, ubi olim Circus maximus. A meridie valle inter eumdem Palatinum & Cœlium intermedia, in qua olim Septizonium Severi, viæque Appiæ fines. Ab ortu via olim Sacra, & planicie, quæ Palatio adjacet, Cœlio, Esquilino, & Quirinali. Forma paulo longior quadrata: olim fortasse rotundo propior. In eo primum spectandæ ædes Augustales.

1 Unde Palatini nomen. 2 Lib. 4. de ling. Lat. 3 8. Æneid. 4 Situs & fines Palatini.

CAP. II.

Palatium Cæsarum.

ÆDIBUS Cæsarum dedit nomen Palatinus. Dion [1]: *Imperatoris*, inquit, *ædes Palatium nominatur, non quod ita aliquando decretum sit, sed quod in Palatino Augustus Cæsar habitabat, ibique prætorium ejus erat, ac domus ejus ab eo monte, propterea quod ibi quondam Romulus habitabat, multum splendoris accepit; ideoque etiamsi alibi Imperator domicilium suum habeat, tamen id quoque Palatii nomen obtinet.* Domus autem Romuli, ut alias dixi ex Plutarcho, fuit ad pulchri littoris gradus, qui locus imminebat, devexusque erat in vallem, in qua conditus postea est Circus maximus contra Aventinum. At Cæsa-

1 Lib. 53.

A rum ædes modicæ primo sub Augusto, postea in eximiam amplitudinem a successoribus auctæ sunt. Ille cum habitasset *primo juxta Romanum forum in domo, quæ Calvi oratoris fuerat, postea in Palatio, sed nihilominus ædibus modicis Hortensianis, & neque laxitate neque cultu conspicuis, ut in quibus porticus breves essent Albanarum columnarum, & sine marmore ullo, aut insigni pavimento conclavia. ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hyeme & æstate mansit* [1].

In hujus parte domus *templum* APOLLINIS Palatini [2] *excitavit, quam fulmine ictam desiderari a deo aruspices pronunciarunt, editam, & gradibus sublatam* [3]. Ovidius [4]:

B

> *Inde timore pari gradibus sublimia celsis*
> *Ducor ad intonsi candida templa Dei.*

Additæ porticus cum bibliotheca Latina Græcaque. Idemque Augustus libros Sibyllinos *delectu habito condidit duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi* [5]. Hujus statuæ auctorem facit Scopam Plinius [6]. Meminit & Dion ejus templi: *Apollinis*, inquit, *in Palatio templum & bibliothecas perfecit* Augustus [7], *& dedicavit*. De iisdem Ovidius [8]:

C

> *Quæque viri docto veteres fecere novique*
> *Pectore, lecturis inspicienda patens.*

Propertius de Porticu [9]:

> *Quæris, cur veniam tibi tardior? Aurea Phœbi*
> *Porticus a magno Cæsare aperta fuit.*
> *Tantam erat in speciem Pœnis digesta columnis,*
> *Inter quas Danai fœmina turba senis*

Quod explicat Ovidius [10]:

D

> *Signa peregrinis ubi sunt alterna columnis*
> *Belides, & stricto stat ferus ense pater.*

Ibidem Apollinis statua [11]:

> *Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso*
> *Marmoreus tacita carmen hiare lyra.*
> *Atque aram circum steterant armenta Myronis*
> *Quatuor artificis vivida signa boves.*

Dein templum interius:

E


> *Dum medium claro surgebat marmore templum,*
> *Et patria Phœbo carius Ortygia.*
> *Auro solis erat supra fastigia currus,*
> *Et valvæ Lybici nobile dentis opus.*
> *Altera dejectos Parnassi vertice Gallos:*
> *Altera mœrebat funera Tantalidos.*
> *Deinde inter matrem Deus ipse, interque sororem*
> *Pythius in longa carmina veste sonat.*

Hæc fuere templi ornamenta, quorum non postremum *Dactyliotheca fuit, quam Marcellus Octavia genitus in Palatina Apollinis æde consecravit*, ut ait Plinius [12]. Et aureæ Cortinæ, de quibus Suetonius [13]: *Argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes, ex quibus aureas Cortinas Apol-*

F

1 Sueton. in vita c. 72. 2 Templum Apollinis Palatini. 3 Sueton. in vita c. 29. 4 Lib. 3. Trist. El. 1. 5 Sueton. in vita c. 31. 6 Lib. 36. c. 5. 7 Bibliotheca Augusti. 8 Lib. 3. Trist. El. 1. 9 Lib. 2. El 31. 10 Ibid. 11 Ib. 12 Lib. 37. cap. 1. 13 In Aug. c. 52.


PALATII
VESTIGIA.


MATER
DEVM
Palatii Antiqui
IMPERATORVM
ROMANORVM
Prospectus.

ini Palatino dicavit. Et lychnus, de quo Plinius [1]: *Placuere & lychnuchi pensiles in delubris, aut arborum modo mala ferentium lucentes. Quale est in templo Apollinis Palatini. Quod Alexander Magnus Thebarum expugnatione captum in Cyme dicaverat eidem deo*. Denique ut templum Martis Ultoris votum, & postea factum est propter Philippense bellum; sic ædes Apollinis Palatini, Propertio referente [2], occasione Actiaci belli destinata est atque condita. *Ædificium*, ut ait Josephus [3], *admirandis opibus exornatum, cum ante apud Actium vetus Apollinis templum Augustus ampliasset*. In hac æde, referente Horatio, etiam Poetæ sua carmina recitabant [4]:

> *Quæ nec in æde sonent certantia judice Tarpa,*

Et [5]:

> *Spectamus vacuam Romanis vatibus ædem.*

In eodem Augusti Palatio ædes VESTÆ dedicata est ex decreto & auctoritate Senatus. Testis Ovidius [6]:

> *Aufert Vesta diem. cognati Vesta recepta est*
> *Limine: sic justi constituere Patres.*
> *Phœbus habet partem, Vestæ pars altera cessit;*
> *Quod superest illis, tertius ipse tenet.*
> *State Palatinæ laurus, prætextaque quercus*
> *Stet domus; æternos tres habet una Deos.*

Nec solum Ovidius eo loco aliisque meminit quercus & laurus affixæ Augustis postibus, sed Plinius, Valerius, Dion [7], aliique meminerunt. Nam *laurus*, teste Plinio, *gratissima domibus janitrix Cæsarum Pontificumque, quæ sola domos exornat, & ante limina excubat*. Lauro autem superposita est, teste Dione [8], *Quercea corona*, data clementiæ Augusti, ac deinceps aliorum imperatorum. Hæc autem cum daretur ob servatos cives, Augusto ac cæteris data est, perinde quasi non solum cives, sed genus humanum servassent universum. Quas coronas & titulos multa veterum Augustorum numismata testantur.

Cæterum cum arsisset Palatium [9], ab Augusto refectum est. Suetonius: *Ex qua summa pretiosissima Deorum simulacra mercatus vicatim dedicabat, aliaque in restitutionem Palatinæ domus incendio absumptæ*. Dion [10]: *Cum forte Palatium incendio periisset, refectam domum Augustus totam publicam esse jussit, sive quod ad eam ædificandam populus pecuniam contulisset, sive quod Pontifex maximus esset, ut simul in propriis ac publicis ædibus habitaret*. Adjecit ibi arcum in honorem patris. Plinius [11]: *Ex bonore apparet in magna auctoritate habitum Lysiæ opus, quod in Palatio super arcum divus Augustus honori Octavii patris sui dicavit, in ædicula columnis adornata: id est quadriga, currusque, & Apollo, ac Diana ex uno lapide*.

Post Augustum, auctum est Palatium DOMO TIBERIANA [12], quam Tiberius habitavit, aut etiam struxit, quamvis id silentio suppresserit Suetonius, cum opera Tiberii referret [13]. Hanc autem Circum maximum & Aventinum spectasse conjicitur ex Tacito, Suetonio, Plutarcho. Nam ut refert Tacitus [14], Galba sacrificante pro æde Apollinis, Otho, qui in eum conjuraverat, digressus *per Tiberinam domum in Velabrum, inde ad Milliarium aureum sub ædem Saturni* perrexit. Plutarchus: *Per Tiberii*, inquit, *domum, quam vocant, descendit in Forum*. At Suetonius: *Quasi venalem domum inspecturus abscessit, proripuitque se postica parte*

A *Palatii ad constitutum*. *Posticam Palatii partem* nuncupat, quam alii *domum Tiberianam*. An eamdem intelligit, cum de Claudio scribit [1], *ut ægre, nec nisi postico evadere in Palatium valuerit?* Nec mirum, ex ea Othonem venisse in Velabrum, quod Circo maximo jungebatur, ideoque recte infertur, anticam Palatii partem, ejusque gradus atque vestibulum fuisse conversa ad Sacram viam & templum Pacis. In Tiberiana domo, ut refert Julius Capitolinus [2], habitavit Antoninus Pius: *Cum Apollonium*, inquit, *quem Chalcide acciverat, ad Tiberianam domum, in qua habitabat, vocasset*. Idem Pius Marcum consulem designatum, eodem aucto- B re, *in Tiberianam domum transgredi jussit, & aulico fastigio retinentem ornavit*. Marci Frater *L. Verus educatus est in domo Tiberiana*, ut idem scriptor affirmat [3]. Et postea: *Quem sagis fuco tinctis coopertum in Tiberianam ad se adduci jubebat*. Videtur & ibi fuisse bibliotheca Principum, & libri præsertim ad Imperium pertinentes. Nam Vopiscus in vita Probi testatur, *usum se præcipue libris ex bibliotheca Ulpia: Item ex domo Tiberiana*. Dion [4]: *Conscendit Palatium*, ignis, *ubi adeo multa exusta sunt, ut* γράμματα τὰ τῇ ἀρχῇ προσήκοντα, *libri scripturæque ad imperium pertinentes, omnes fere inte-* C *rierint*. Quamvis autem vergeret ad Circum & Aventinum, prospectum nihilominus habebat in Forum & Capitolium. Suetonius de Vitellio [5], cum ab ejus militibus Capitolini Jovis templum incenderetur, *Cum*, inquit, *& prælium & incendium e Tiberiana prospiceret domo*. Sed cum pars esset Palatii, fere ejus nomine comprehenditur, ut apud Dionem vidimus. Julius Capitolinus, cum dixisset Apollonium Marci magistrum vocatum a Pio in domum Tiberianam, in qua habitabat, venire noluisse, subdit: *Risit eum Pius dicens: facilius fuit Apollonio a Chalcide Romam venire, quam a domo sua in Palatium*.

D Post Tiberium Caligula [6] Palatium maxime amplificavit. Suetonius: *Partem*, inquit, *Palatii ad Forum usque promovit, atque æde Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata*. Igitur, dicet aliquis, frons Palatii spectabat Forum, quo pertinebat vestibulum, non autem Sacram viam & templum Pacis, ut diximus. Verum id ex verbis Suetonii non recte infertur. Hoc enim Caligulæ vestibulum inusitatum fuit, eoque mortuo, templo Castorum sua forma restituta est, conservato Palatii additamento. *Restituit*, ait Dion [7], *templum suum Geminis* Claudius Caii successor. Et fortasse de alio Palatii vestibulo idem Suetonius loquitur [8], de eodem Ca- E jo scribens. *Stetitque in vestibulo ædium Kalend. Januariis ad captandas stipes*. Cæterum quod ad incrementum Palatinæ domus sub Cajo spectat, Plinius [9] eam comparat cum domo Neronis, quæ tota stabat in Urbe. *Bis*, inquit, *vidimus Urbem totam cingi* DOMIBUS *Caii & Neronis*. Suetonius longissimas porticus illi attribuit. *Ideoque*, inquit, [10] *Cajus magna parte noctis, vigiliæ cubandique tædio nunc thoro residens, nunc per longissimas porticus vagus, invocare identidem, atque expectare lucem consueverat*. Idem Cajus, scribente Dione [11], *in Palatio sibi properato templum posuit, in quo cum statuisset Jovis Olympii simulacrum suam in effigiem commuta-* F *tum collocare, id perficere non potuit*. De eodem templo Suetonius [12]: *Templum nomini suo proprium, & sacerdotes, & excogitatissimas bostias instituit. In templo simulacrum stabat aureum iconium; amiciebaturque quotidie veste, quali ipse uteretur*. At *templorum Græcanicorum*, ut ait Josephus [13], *nullum inspoliatum*

1 Lib. 34. cap. 3. 2 Lib. 4. Eleg. El. 6. 3 De bello Jud. lib. 2. cap. 4. 4 Lib. 1. Sat. Sat. 10. 5 Lib. 1. Epist. Ep 2. 6 Lib. 4. Fast. 7 Lib. 16. c. 4. Lib. 2. c. 3. Lib. 53. Lib. 53 c. 30. 8 Id. loc. cit. 9 Palatium incensum, & refectum. 10 Lib. 55. 11 Lib. 36. cap. 4. 12 Domus Tiberiana. 13 In vita cap. 47. 14 Lib. 1. Hist.

1 In ejus vita c. 18. 2 In ejus vita. 3 Ibid. 4 Lib. 73. in Comm. 5 In vita c. 15. 6 Cajus auget Palatium. 7 Lib. 60. 8 in vita c. 41. 9 Lib. 36. cap. 15. 10 In vita cap. 50. 11 Lib. 60. 12 In vita Cal. c. 22. 13 Lib. 19. antiquitatum Judaic. c. 1.

reliquit, & omnes insignis artificii tabulas atque statuas edicto ad se comportari imperavit, quidquid ubique terrarum pulchri esset in pulcherrimo loco, hoc est, Romana sede spectari debere dictitans. His spoliis Palatium suum, & hortos exornavit, aliosque secessus per Italiam. Idem Josephus ibidem sic ait: *Contulerunt se ad ædes Germanici, cujus filium Cajum tum necaverant. Hæ fuerunt contigua Palatio: quod ita unum erat, ut tamen excultum esset ædificiis per partes a singulis Imperatoribus, quorum appellationem retinebat.*

Arsit Palatium sub Nerone Claudii, qui Cajo successerat, successore. Tacitus [1]: *Neque tamen*, inquit, *ignis sisti potuit, quin & Palatium, & domus, & cuncta circum haurirentur.* Idemque testatur Dion [2]. Arsit hoc incendio templum Augusti ibi a Livia ædificatum. Plinius [3]: *In Palatii templo, quod fecerat D. Augusto conjux Augusta.* Paulo post: *donec id delubrum incendio consumptum est.* Tum Nero, qui domum auream & multa in Urbe sua pecunia extruxit, Palatium quoque magnificentissime reficiendum curavit [4]. Non habeo hac super re verba scriptoris. Sed qui id neget, neget solem in meridie. Indicat Tacitus, qui postea sic de Nerone [5]: *Tigillinum & Nervam ita extollens, ut, super triumphales in Foro imagines, apud Palatium eorum effigies quoque sisteret.* Igitur jam refectum. Idem, Galba jam Principe: *Circumsteterat*, inquit [6], *interim Palatium publica expectatio magni secreti impatiens.* Ibidem: *Otho in Palatium vectus.* An Vespasianus, qui deformem Urbem incendiis ac ruinis instauravit; & Titus filius, sub quo Romæ fœdum incendium per triduum fuit, Palatium vel refecerint, vel auxerint atque exornaverint, mihi non liquet.

Domitianus in immensum amplificavit, exornavitque. Plutarchus in vita Poplicolæ: *Qui*, inquit, *Capitolii magnificentiam admiratur, εἰ μίαν εἶδεν ἐν οἰκείᾳ Δομιτιανοῦ στοὰν, ἢ βασιλικήν, ἢ βαλανεῖον, ἢ παλλακίδων δίαιταν, si unam videat in [7] DOMITIANI DOMO porticum, vel basilicam, vel balneum, vel pellicum diætam* (gynæceum & domicilium fœminarum, an cœnationem?) quasi æqua videns Capitolia, admirationem deponet. Et hæc fecisse Domitianum, constat ex sequentibus: *Gaudes, cum in ædificia omnia profundas, qui ut Midas ille, omnia tibi aurea fieri, & gemmea cupis.* Suetonius [8]: *Solicitior in dies, porticuum, in quibus spatiari consueverat, patietes Phengite lapide distinxit; e cujus splendore per imagines, quidquid a tergo fieret, provideret.* Majora Poetæ proloquuntur. Martialis negat ante fuisse commodam convivarum sedem [9]:

Qui Palatinæ caperet convivia mensæ,
Ambrosiasque dapes, non erat ante locus.

Idem externis & laudatis ædificiis sublimius, & pulchrius, & cœlo par ostendit [10]:

Regia Pyramidum, Cæsar, miracula ride;
Jam tacet Eoum barbara Memphis opus.
Pars quota Parrhasiæ labor est Mareoticus aulæ;
Clarius in toto nil videt orbe dies.
Septenos pariter credas assurgere montes,
Thessalicum brevior Pelion Ossa tulit.
Æthera sic intrat, nitidis ut conditus astris
Inferiore tonet nube serenus apex.
Et prius arcano satietur lumine Phœbi,
Nascentis Circe quam videt ora patris.
Hoc, Auguste tamen, quæ vertice sydera pulsat,
Par domus est cœlo, sed minor est domino.

1 Lib. 15. Annal. 2 Lib. 62. in Nero. 3 Lib. 12. c. 29 4 Nero Palatium incensum reficit. 5 Lib. 15. Annal. 6 Lib. 1. Hist. 7 Domitiani domus, ut Tiberiana domus, addita Palatio. 8 In vita Domitian. cap. 15. 9 Lib. 8. Ep. 39. 10 Lib. 8. Ep. 36.

Statius [1]:

Tectum augustum, ingens, non centum insigne columnis,
Sed quantæ superos, cœlumque Atlante remisso
Sustentare queant. stupet hoc vicina Tonantis
Regia, teque pari lætantur sede locatum
Numina, ne magnum properes ascendere cœlum.
Tanta patet moles, effusæque impetus aulæ,
Liberior campi multumque amplexus aperti,
Æthereo & tantum Domino minor. ille penates
Implet, & ingenti genio juvat. Æmulus illic
Mons Lybis, Iliacusque nitent, & multa Syene,
Et Chios, & glauca certantia Doride saxa,
Lunaque portandis tantum suffecta columnis.
Longa super species; fessis vix culmina prendas
Visibus, auratique putes laquearia cœli.

Nec [2] solum tam variis marmorum seu glebis seu crustis omnia distinguebantur, sed argento, auro, ac gemmis. Argenti aurique mentionem supra fecit Plutarchus. aurum item ac gemmas conjicias ex Tacito [3]: *In qua*, inquit, domo Neronis, *haud perinde gemmæ & aurum miraculo essent, solita pridem & luxu vulgata.* Si hæc usitata in ædibus civium, multo magis in Palatio Principis. Multas ejusmodi gemmas, sed præsertim in pocula conflata conformatas Trajano Principe in Capitolium translatas testatur Martialis [4]:

Quidquid Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis, Deisque nostris.
Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Juppiter, & stupet superbus
Regis delicias, gravesque luxus.

Plinius delubrum statuit in Palatio, quod videlicet, ut placet Servio, sub uno tecto plurima complexum est numina. *Romæ*, inquit [5], *ejus opera sunt, Latona in Palatii delubro.* LARARIUM, aut ego fallor, intelligit. Hoc autem duplex fuit. Lampridius in Alexandro: *Virgilii imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo larario habuit: ubi & Achillis, & magnorum virorum. Alexandrum vero magnum inter divos & optimos in larario majore consecravit.* Unius meminit Capitolinus in Marco: *Ut imagines magistrorum aureas in lario haberet.*

Jam vero quia nondum de gradibus [6] devexis in Sacram viam versus arcum Titi dictum est, pro certo habendum, GRADUS & FRONTEM Palatii ex ea parte fuisse, qua inde in Palatinum collem, ipsasque Cæsarum ædes ascendebatur. Tacitus [7]: *Interclusum alterum iter; idque solum, quod in Sacra via pergeret, patebat. Tum consilii inops in Palatium rediit.* Martialis [8]:

Quæris iter? dicam: vicinum Castora canæ
Transibis Vestæ, Virgineamque domum.
Inde sacro veneranda petes Palatia clivo,
Plurima qua summi fulget imago ducis.

Paria scripsit Ovidius [9]:

Hæc est, a Sacris quæ via nomen habet.
Hic locus est vestæ, qui Pallada servat & ignem,
Hæc fuit antiqui regia parva Numæ.
Inde petens dextram, Porta est, ait, ista Palati,
Hic sator, hoc primum condita Roma loco est.

Dion [10]: *Ducunt via Sacra, ut perducant in Palatium.* Idem de Vitellio [11]: *Cæsarem e Palatio, ubi magnas*

1 Sylvar. in epulo Domitiani. 2 Palatii ornamenta. 3 Lib. 15. Annal. 4 Lib. 12. Ep. 15. 5 Lib. 36. cap. 5. 6 Frons & gradus Palatii. 7 3. Histor. 8 Ep. 71. L. 1. 9 Loc. cit. 10 Lib. 77. in Antonin. Carac. 11 Lib. 65. in Vitellio.





MVALERIVS MESSALLA CORVINVS
P RVTILIVS LVPVS L IVNIVS SILANVS
L PONTIVS MELA D MARIVS
NIGER HEREDES C CESTI ET
L CESTIVS QVÆ EX PARTE AD
EVM FRATRIS HEREDITAS
M AGRIPPAE MVNERE PER
VENIT EX EA PECVNIA QVAM
PRO SVIS PARTIBVS RECEPER
EX VENDITIONE ATTALICOR
QVE EIS PER EDICTVM
AEDILIS IN SEPVLCRVM
C CESTI EX TESTAMENTO
EIVS INFERRE NON LICVIT

voluptates ceperat, deducunt, trabuntque via Sacra. Herodianus [1]: *Raptum Palladium Vestales virgines media Sacra via in aulam Imperatoris transtulerunt.* Gradus Palatii memorantur a Suetonio in Nerone: *Proque Palatii gradibus Imperator consalutatus.* Ab eodem in Vitellio: *Statimque pro gradibus Palatii apud frequentes milites.* A Dione in Trajano: *Plotina uxor Palatium ascendens ex gradibus ad Populum conversa.* De AREA [2] ante Palatium, theatri capace, & porticu inibi extructa, Josephus [3]: *Extructa*, inquit, *ante Regiam scena, conveniunt eo spectatum Romanorum nobiles.* Deinde vero: *consedit*, Cajus, *inter amicos in theatro, quod compactile instaurabatur per singulos annos hoc modo. Duas habet Januas, alteram versus subdivalem aream; alteram versus porticum, per quam actores ingrediebantur & egrediebantur.* VESTIBULI Palatini meminit Gellius: *In vestibulo*, inquit, *ædium Palatinarum omnis fere ordinum multitudo opperientes salutationem Cæsaris constiterant.* Ex quo deprehenditur laxitas loci. De eodem Suetonius [4]: *Dicitur etiam vidisse quondam per quietem stateram, in media parte vestibuli Palatinæ domus positam examine æquo.* DE PORTICIBUS Julius Capitolinus in Pertinace: *Ingressique porticus Palatii usque ad locum, qui appellatur Sicilia.* sed apud P. Victorem, impressione Aldi est *Suelia.* fortasse *Subvelia.* Velia enim celsa pars Palatini collis. An porticus *Sicilia* dicitur, sicut de Augusto scribit Suetonius [5]: *Erat illi locus in edito singularis, quem Syracusas & τεχνόφυον vocabat.*

Ibidem COENATIO JOVIS, ut apud Plutarchum Lucullus: *Cœnabimus in Apolline*, id est, *in triclinio & cœnatione Apollinis.* Quibus nempe apposita eorum Deorum præcipua simulacra atque imagines nomen fecerant. Sic in eodem Palatio *Diætæ* MAMMEÆ, id est, cœnationes ab Alexandro Severo nomine matris insignitæ. Lampridius in ejus vita: *In matrem Mammeam unice pius fuit, ita ut Romæ in Palatio faceret diætas nominis* Mammeæ, *quas imperitum vulgus hodie* ad Mammam *vocat.* Ibidem Cœnatio Domitiani MICA nomine, de qua Martialis [6]:

Mica vocor. quid sim, cernis. cœnatio parva.
Ex me Cæsareum prospicis ecce tholum.
Frange thoros; pete vina; rosas cape; tingere nardo.
Ipse jubet mortis te meminisse Deus.

HERMÆUM, aliam Palatii diætam, seu cœnationem Mercurii, vocat Suetonius in Claudio [7]: *In diætam, cui nomen est Hermæum, recesserat.* Ibidem TRICLINIA versatilia, e quibus unguenta & flores effunderentur. Lampridius in Heliogabalo: *Oppressit tricliniis versatilibus parasitos suos violis & floribus sic, ut animam aliqui efflaverint, cum eripi ad summum non possent.* Idem, eodem auctore, *stravit & triclinia de rosa, & lectos, & porticus, & & sic per ea ambulavit, idque omni florum genere, liliis, violis, hyacinthis, & narcissis.* Maximum numerum Aularum, Conclavium, Cubiculorum indicant illa Plinii junioris ad Trajanum: *Nullæ obices, nulli contumeliarum gradus, superatisque jam mille liminibus, ultra semper aliqua dura & obstantia.* DE VIRIDARIO Lampridius: *Montem nivium in viridario domus, æstate fecit* Heliogabalus advectis nivibus. De BALNEIS Palatinis Josephus [8]: *Mox ubi regiam ingressi sunt, deflexit ad infrequentem quandam cryptam ducentem ad balineas.* Has deinde ad mirabilius Domitianus extruxit, ac deinde Heliogabalus. Lampridius in ejus vita: *Lavacrum publicum in ædibus aulicis fecit, simul & palam populo exhibuit.* De PLATEIS marmore stratis [1] idem in eodem: *Stravit & saxis Lacedæmoniis ac porphyreticis plateas in Palatio, quas Antoninianas vocavit, quæ saxa usque ad nostram memoriam manserunt, sed nuper eruta & erecta sunt.* De excelsa *turri* ab Heliogabalo exædificata idem: *Fecerat & altissimam turrem substratis aureis gemmatisque ante se tabulis, ex qua se præcipitaret, dicens etiam mortem suam pretiosam esse debere.* Sed hæc in Palatio, an alibi ponenda est? Probabilius in Palatio, in quo habitans supervenientibus conjuratis se præcipitando eriperet. De ATRIO [2], quod Severus transferre voluit contra Cœlium montem, & templum nunc S. Gregorii, Spartianus in Severo: *Nisi absente eo per præfectum Urbis medium simulacrum ejus esset locatum, aditum Palatinis ædibus, id est, regium atrium ab ea parte facere voluisset.* Non fecit, structo in subjecta valle Septizonio. De Porticu stabuli Vopiscus in Carino: *quos in Palatio circa Porticum stabuli pictos vidimus.* De marmoreis crustis & ornamentis Lampridius in Alexandro: *Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus, hoc est, porphyretico & Lacædemonio primus instituit in Palatio exornatis.* Auctor Panegyrici ad Constantinum: *Ne contemnerent qui viderent deambulare, & tantum in illo Palatio marmoratis parietibus incedere.* De Domus amplitudine, innumerisque conclavibus Plinius in Panegyr. *Nullæ obices, nulli contumeliarum gradus, superatisque jam mille liminibus ultra semper aliqua dura & obstantia.* Videtur & titulus Palatio [3] Nervæ inscriptus, ARX PUBLICARUM ÆDIUM. Idem ibidem: *Magno quidem animo parens tuus hanc ante hos Principes Arcem publicarum ædium nomine inscripserat, frustra tamen, nisi adoptasset, qui habitare ut in publicis posset. Quam bene cum titulo isto moribus tuis convenit? quamquam omnia sic facis, tamquam non alius inscripserit.* Itaque post Domitianum amplioribus semper ornamentis Palatium instructum est. An Trajanus quidquam adjecerit, cum dubitem, affirmare non ausim. Plinius in Panegyrico: *At quam magnificus in publicum es? Hinc porticus, inde delubra occulta celeritate properantur.* Sed aliquis porticus Fori Trajani intelliget.

Sub Commodo, tertio conflagravit [4]. Dion. *Incendium noctu excitatum e quibusdam ædibus ad templum Pacis pervenit: consumptisque tabernis, in quibus merces Aegyptiorum & Arabum erant, conscendit Palatium; ubi adeo multa exusta sunt, & libelli qui ad principatum pertinebant, omnes fere interierunt.* Et paulo post: *Incendium nisi consumptis rebus omnibus, quibus adhæserat, restingui non potuit.* Idem tradit Eusebius in Chronico. Eutropius [5]: *Deinde aliud incendium Romæ exortum est, ædem Vestæ & Palatium plurimamque Urbis partem solo æquavit.* Herodianus item plurima & pulcherrima Urbis absumpta esse testatur. At quis instauravit? Idem Commodus, qui & suum illi nomen, ut plerisque aliis, immo & ipsi Romæ commodavit, quam *Coloniam Commodianam* dixit. Lampridius [6]: *Datus in perpetuum ab exercitu & senatu in Domo Palatina Commodianæ conservandus.* Refecisse etiam multa Severus credendus est, qui teste Spartiano, *Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, instauravit, nunquam prope suo nomine ascripto, servatis ubique titulis conditorum.* Denique ab aliis Augustis sic auctæ sunt ædes Palatinæ, ut totum fere montem insiderent; sic exornatæ, ut terrarum Dominis pares haberentur. Claudianus [7]:

1 Lib. 1. Cap. 8. Cap. 15. 2 Area, Vestibulum, Porticus Palatinæ. 3 Lib. 18. Jud. Antiquit. c. 1. 4 In Vespas. cap. 25. 5 In vita cap. 72. 6 Lib. 1. Ep. 59. 7 Cap. 10. 8 Lib. 19. Jud. antiq. cap. 1.

1 Plateæ Palatii. 2 Atrium. 3 Titulus Palatii. 4 Palatium iterum incensum & refectum. 5 Lib. 10. in Commodo. 6 In Commodo. 7 In Paneg. de 6. Cons. Honor.

Non alium certe decuit rectoribus orbis
Esse larem, nulloque magis se colle potestas
Aestimat, & summi sentit fastigia juris,
Attollens apicem subjectis regia rostris.

Theodorico rege Italiæ jam Palatii fabricæ timebatur. Itaque scribente Cassiodoro ipse testatur [1]: *Quando pulchritudo illa mirabilis, si subinde non reficitur, senectute obrepente vitiatur.* Et refici imperavit. *Hinc est, quod sublimitatem tuam ab illa indictione curam Palatii nostri suscipere debere censemus; ut & antiqua in nitorem pristinum contineas, & nova simili antiquitate producas. Quia sicut decorum corpus uno convenit colore vestiri, ita nitor* B *Palatii similis debet per universa membra diffundi.*

Nunc tanta moles vel suis obruta ruinis est; vel lateritiis parietibus ac porticibus informis, vel transiit in amœnitatem Farnesiorum hortorum.

1 Lib. 7. Var. Ep. 5.

CAP. III.

Alia Palatini Collis Aedificia.

TOT *circum delubra videt, tantisque Deorum*
Cingitur excubiis, &c.

Sic pergit Claudianus. Ubi non modo intelligit Capitolina templa, sed multo æquius Palatina viciniora. Heliogabali, SOLIS, templum [1] juxta Palatium ædificavit Heliogabalus. Lampridius in ejus vita: *Heliogabalum in Palatino monte juxta ædes Imperatorias consecravit, eique templum fecit, studens & Matris typum, & Vestæ ignem, & Palladium, & Ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre templum, & id agens, nequis Romæ deus, nisi Heliogabalus coleretur.* Ibi templum Orci fuerat, ut idem affirmat.

Templum Divorum CÆSARUM [2] Tacitus Imperator fieri jussit, *in quo essent statuæ Principum bonorum, ita ut iisdem natalibus suis, & Parilibus, & Kalendis Januariis, & votis libamina ponerentur.* Ita Vopiscus in ejus vita. At hoc templum est ne in Palatino collocandum, utpote propinquum ædibus Augustorum? Ibi fortasse fuit. Martialis aliquot Palatii ædificia nobis carmine depingit librum alloquens [3]:

Inde sacro veneranda petes Palatia clivo,
Plurima qua summi fulget imago ducis.
Nec te detineat miri radiata Colossi,
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.
Flecte vias hac, qua madidi sunt tecta Lyæi,
Et Cybeles picto stat Corybante tholus.
Protinus a læva clari sub fronte Penates,
Atriaque excelsæ sunt adeunda domus.

Hæc domus Proculi, de quo scribit, erat. Colossus ad radices montis prope Sacram viam, ut dicemus infra. De Lyæi, id est, BACCHI æde [4], ejusque fundatore & forma plura, quæ dicam, non habeo. Ædes Matris Deum seu CYBELES in Palatio fuit, ubi & ædes VICTORIÆ. Livius [5]: *In ædem Victoriæ, quæ est in Palatio, pertulere deam,* Cybelem, *pridie idus Aprilis, isque dies festus fuit. Populus frequens dona Deæ in Palatium tulit.* Hæc fortasse est ædes Victoriæ, de qua Livius [6]: *Posthumius consul ædem Victoriæ, quam ædilis curulis ex mulctatitia pecunia faciendam curaverat, dedicavit.*

1 Solis Templum in Palatino. 2 Templum Cæsarum. 3 Lib. 1. Ep. 71. 4 Ædes Bacchi, Cybeles, Victoriæ. 5 Dec. 3. l. 9. 6 Lib. 10.

A Prope hanc altera fuit ædicula Victoriæ. Livius [1]: *Aediculam VICTORIAE VIRGINIS prope ædem Victoriæ M. Porcius Cato dedicavit biennio postquam vovit.* Juxta quam collocant ædem SOSPITÆ JUNONIS. Porro de templo Cybeles Livius [2]: *Aedem Matris magnæ in Palatio faciendam locaverunt censores.* Structum est templum collata stipe. Ovidius [3]:

Nasica accepit: Templi non perstitit auctor,
Augustus nunc est, ante Metellus erat.
Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait, dandæ mos stipis inde manet.

Tredecim annis, postquam locata erat, dedicavit eam M. Junius Brutus, ludique ob dedicationem ejus facti, quos primos scenicos fuisse Valerius Antias est auctor, Megalesia appellati: Livius [4]. Cicero de Aruspic. respon. *Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum in ipso Matris magnæ conspectu Megalesiis fieri, celebrarique voluerunt.*

Ædes deorum PENATIUM [5] in ea montis parte fuit, quæ respicit ædem SS. Cosmæ & Damiani. Tacitus prope templum Vestæ videtur posuisse,
C cum incendio Neroniano, *Aedes*, inquit [6], *Statoris Jovis vota Romulo, Numæque regia, & delubrum Vestæ cum Penatibus populi Romani exusta.* Livius [7]: *Aedes deorum Penatium in Velia de cœlo tacta erat.* Sed cum esset summa & ima Velia, ædes circa imam erat. Summa enim Velia in summo jugo, ut supra dixi. Penates autem fuere dii, quos credebatur Æneas advexisse Troja. Hector Aeneam alloquens apud Virgilium [8],

Sacra suosque tibi commendat Troja Penates.

D Et postea [9]:


——feror exul in altum,
Cum sociis, natoque, Penatibus, & magnis Diis,

Dionysius sic templum, locique formam describit [10]: *Templum Romæ non procul Foro ostenditur, situm in loco obscuro propter circumjecta ædificia, qui Romanis vulgo* sub olivis *dicitur. In eo positæ sunt Trojanorum Deorum imagines, quas cuivis fas est inspicere, cum inscriptione* Denates, *quæ* Penates *significat. Videntur enim mihi illi prisci ante inventum* p *usurpasse pro eo* d *litteram. Sunt autem ha-*
E *stati duo juvenes habitu sedentium, admodum antiqui operis. Alia quoque in antiquis templis horum Deorum idola conspeximus, & in omnibus duo juvenes militari habitu.* Hæc ille.

CURIA Saliorum in eodem colle, de quibus postea.

Templum FIDEI in Palatio constituit P. Victor: auctor non facile proditur. Quidam vetustissimam templi originem a Trojanis temporibus astruunt. Sed hoc probabiliter templum est, quod fecit Numa. Dionysius [11]: *Primus publicæ templum sacravit Fidei, assignatis ex ærario victimis, quemadmo-*
F *dum Diis cæteris. Recepta enim semel in civitatem firmitudo Fidei apud singulos etiam cives erat valitura plurimum.* Livius [12]: *Soli Fidei solemne instituit. Ad id sacrarium flamines bigis curru arcuato vehi jussit, manuque ad digitos usque involuta rem divinam facere, significantes, Fidem tutandam, sedemque ejus etiam in dextris sacratam esse.* Fuit etiam ædes Fidei in Capitolio. Plinius [13]: *Spectata est in*

1 Dec. 4. l. 5. 2 Eod. libro. 3 4. Fast. 4 Dec. 4. l. 6. 5 Ædes Penatium. 6 Lib. 15. Annal. 7 Dec. 5. l. 5. 8 Lib. 3. Æneid. 9 Lib. 3. Æneid. 10 Lib. 1. antiquit. 11 Dion. lib. 2. 12 Liv. lib. 1. 13 Lib. 35. cap. 10.


Fig. XXXIII
Sepulcrum Metellæ


CARACALLAE Cuius reliquiæ extant in via Appia prope
P.M. TR P. XVI IMP. II.
COS IIII. P P
S C

ede Fidei in Capitolio imago senis. Cicero [1]: *Qui* A *usjurandum violat, is Fidem violat: quam in Capitolio vicinam Jovis Opt. Max. ut in Catonis oratione est, majores nostri esse voluerunt*. Publius Victor eodem loco statuit deæ VIRIPLACÆ ædem. De ea Valerius, seu sacello [2]: *In sacellum deæ Viriplacæ, quod est in Platio veniebant, cum in eo conjuges simultates deponerent*. In eodem *Palatio Febris fanum & aram* Cicero [3] constituit, & Valerius [4], qui ejusdem duo templa aliis in locis dicata commemorat. Ibidem templum JOVI VICTORI collocatur, quod bello Samnitico, in quo P. Decius filius se pro legionibus Romanis devovit, votum est ab ejus col- B lega Q. Fabio. Livius [5]: *Ipse ædem Jovi Victori, spoliaque hostium cum vovisset, ad castra Samnitium perrexit*. Postea dicatum idibus Aprilis canit Ovidius [6]:

Occupat Aprilis idus cognomine Victor
Juppiter; hac illi sunt data templa die.

Hoc templum sponte patefactum prodigio fuit ante mortem Claudii Cæsaris, ut refert Dion [7].

In eodem Palatio PORTICUS Q. Catuli, quam ille post Cimbricam victoriam erigendam curavit in C area eversæ domus Fulvii Flacci, qui cum C. Graccho occisus est. Quam postea prolapsam consules ex senatusconsulto restituendam locarunt. Et quamquam ad tectum pæne perducta, dejecta iterum a Clodio, refecta tamen, & perfecta aliquando est. In proximo DOMUS ejusdem Catuli [8], nec altera longe aberat L. Crassi oratoris. Plinius [9]: *Domus ei Crasso magnifica, sed aliquanto præstantior in eodem Palatio Q. Catuli, qui Cimbros cum C. Mario fudit*. De domo Catilinæ Suetonius: *Docuitque Verrius Flaccus in atrio Catilinæ domus, quæ pars Palatii tunc erat*. id est, domus Augustæ. De domo M. Scauri, qui Syllam vitricum habuit, Asconius [10]: D *Demonstrasse vobis memini me, hanc domum in ea parte fuisse Palatii, quæ, cum ab Sacra via descenderis, & per proximum vicum, qui est a sinistra parte, prodieris, posita est*. De domo Tiberii & Caii Gracchorum Plutarchus [11]: *Reversus primum Cajus ex Palatio demigravit sub Forum, velut locum magis popularem, ubi frequentissimi abjecti & pauperes domicilia habebant*. De Vitruvii Vacci Fundani domo Livius [12]: *Vitruvius Vaccus vir non domi solum, sed etiam Romæ clarus. Aedes fuere in Palatio ejus quæ Vacci prata diruto ædificio, publicatoque solo, appellata*. De eodem Cicero pro domo sua. In eo- E dem colle domus Flaminis Dialis fuit. Dion [13]: *Ignisque ab ea ad Vestæ usque grassatus, ita ut sacra a Vestalibus in Palatium sint translata, & in domo Flaminis Dialis posita*.

In eodem DOMUS CICERONIS [14], quod ipse testatur in Pisonem: *An tu eras Consul, cum in Palatio mea domus ardebat?* &: *Erat non solum domus mea, sed totum Palatium senatu, equitibus Romanis, civitate omni, Italia cuncta refertum*. Pro Sextio: *Domus ardebat in Palatio*. Pro domo sua: *In conspectu præterea totius Urbis domus est mea*. Et de porticu, quam incensa domo inibi erexerat Clodius: *Hanc vero in Palatio atque in pul-* F *cherrimo Urbis loco porticum esse patiemini?* Cum igitur id unum toties, constanterque Tullius prædicet, miror a Fulvio & Marliano [15] collocari ad radices Palatii juxta trmplum Jovis Statoris. Fuit enim in edito & summo colle, *in conspectu totius Urbis, & pulcherrimo ejus loco*; non autem in valle infima, ut videri vix posset. Quod si objiciant Plutarchum scribentem in vita Ciceronis, *habitavit juxta Palatium*. Græce habet περὶ τὸ Παλάτιον. Quæ præpositio cum accusandi casu etiam *in* significat: & verius interpres vertisset *in Palatio*, ut ait Cicero. Iidem non recte emptam volunt de L. Crasso. hic enim orator fuit, qui ante decesserat. Empta autem est de P. Crasso. Salustius in Ciceronem: *Cum in ea domo habitares, homo flagitiosissime, quæ P. Crassi viri consularis fuit*. deinde in domo L. Crassi sex loti arbores fuerunt, *quæ*, teste Plinio [1], *duraverunt ad Neronis principis incendia*, quibus cremavit Urbem annis post CLXXX. *cultu virides juvenesque, ni princeps ille accelerasset etiam arborum mortem*. At domus Ciceronis Clodiano incendio penitus corrupta, omniaque in eo consumpta, & solo æquata sunt, superstructa porticu Libertatis. Porro de ejus emptione ipse scribit ad Sextium [2]: *Scripseras velle te bene evenire, quod de Crasso domum emissem. Emi eam ipsam domum millibus nummum XXXV.* [3] *aliquanto post tuam gratulationem*. Et Gellius [4]: *Cum emere vellet Cicero in Palatio domum, & pecuniam in præsens non haberet, a P. Sylla, qui tum reus erat, mutua H. S. vicies tacite accepit*. Quæ sunt L. millia aureorum. Fuerant ante M. Livii Drusi, qui tribunus, cum de danda Italicis populis civitate leges ferret, occisus est. Vellejus [5]: *Cum ædificaret, Drusus, domum in Palatio in eo loco, ubi est, quæ quondam Ciceronis* (Crassum omisit, qui ante Ciceronem possedit) *mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennæ est; promitteretque ei architectus, ita se eam ædificaturum, ut libera a conspectu, immunis ab omnibus hominibus esset, neque quisquam in eam despicere posset; Tu vero, inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quidquid agam ab omnibus perspici possit*.

Proxime habitabat P. Clodius Ciceronis inimicus. Idem Cicero de Arusp. Respon. *Itaque nequis meorum imprudens introspicere possit tuam domum, ac te sacra illa tua facientem videre, tollam altius tectum, non ut eo te despiciam; sed tu ne aspicias Urbem eam, quam delere voluisti*. De his ædibus Clodii Plinius [6]: *P. Clodius, quem Milo occidit, sestertium centies & quadragies octies* [7] *domo habitaverit: quod equidem non secus ac regum insaniam miror*. Ibidem Q. Fratris domum fuisse ex iis, quæ Cicero scribit ad Atticum, perspicue infertur [8]. Ibidem & M. Antonius habitavit. Dion [9]: *Cumque domus in Palatino monte, quæ prius Antonii, deinde Agrippæ, & Messalæ concessa fuerat, incendio esset absumpta, argento Messalam donavit, Agrippam in suam domum ad se recepit*. At domus Tarquinii Romanorum regis V. prope Jovis Statoris templum, juxta Palatium fuit. Livius [10]: *Ex superiore parte ædium per fenestras in novam viam versas. habitabat enim rex ad Jovis Statoris*. Demum observandum est, ædes civium postea cessisse Palatio Principis, ut totum ferme collem insederit.

1 Lib. 3. de Offic. 2 Val. lib. 2. c. 1. 3 3. de nat. Deor. 1. de Leg. 4 Val. lib. 2. cap. 1. 5 Liv. lib. 10. Dec. 1. 6 Fast. lib. 4. 7 Lib. 60. 8 Domus Catuli, & aliorum. 9 Plin. l. 17. c. 1. 10 Ascon. in Orat. pro Scauro. 11 Plutar. in vita utriusque. 12 Liv. Dec. 1. l. 8. 13 Dion l. 54. 14 Domus Ciceronis in Palatio. 15 Fulv. l. 2. Marl. l. 3. c. 5

1 Plin. lib. 17. cap. 1. 2 Lib. 5. Epist. fam. Ep. 6. 3 LXXXVII. millib. & D. aureor. 4 Gell. lib. 12. cap. 12. 5 Vell. lib. 2. 6 Lib. 36 cap. 15. 7 Trecentis septuaginta millibus aureorum. 8 Lib. 4. Ep. 2. 9 Dion lib. 53. 10 Lib. 1.

CAP. IV.

Romuli & Pacis templa, & Arcus Titi.

SPHÆRICAM ædem, & quadratam adjunctam Sanctorum Cosmæ & Damiani, quadratisque magnis lapidibus olim extructam alii REMO, cujus ædem P. Victor locat prope templum Pacis:

alii ROMULO, seu QUIRINO [1] attribuunt. Hic quidem videtur fuisse ædes Quirini, quam Livius in fine libri decimi prope Forum collocat. *Aedem Quirini, quam in ipsa dimicatione votam apud neminem veterem auctorem invenio, ab Dictatore patre votam filius Consul* Papyrius *dedicavit, exornavitque hostium spoliis: quorum tanta multitudo fuit, ut non templum tantum, Forumque his ornaretur, sed sociis etiam colonisque finitimis ad templorum, locorumque publicorum ornatum dividerentur*. Novissime quidam Castori Pollucique ascripsere runt [2]. Verum, ut antea probavi, ædes Castorum non exiguo intervallo distabat, ad radices Palatii in ipso Foro sita. Cum vero hic duæ fuerint ædes, altera rotunda, altera quadrata; suspicari aliquis posset, utrumque fratrem Romulum ac Remum gemina cultum fuisse. Jam rotunda quasi vestibulum alterius est. Quod sane templum situm in Sacra via, & a Fœlice Papa IV. SS. COSMÆ & DAMIANO fuisse dicatum, cum alii auctores, tum Anastasius in vita ejusdem Fœlicis, & Hermannus Contractus docet in Chronico. Idem ab Urbano VIII. nuper exornatum est, ut alibi referam.

Templum PACIS [3], cujus insignes adhuc extant ruinæ, post multa bella civilia ædificavit, teste Suetonio [4], Vespasianus Augustus, *pulcherrimum operum, quæ unquam*, ut Plinius [5]: ut Herodianus [6], *opus cunctorum tota Urbe maximum atque pulcherrimum*. Idem: *Templorum omnium opulentissimum, egregieque munitum, multoque ornatum auro & argento: quippe universi ferme suas illic divitias quasi in thesaurum congregabant*. Nec pauciora ingesserat Vespasianus. Josephus [7]: *Omnia in illud fanum collecta ac deposita sunt, quorum visendorum studio per totum orbem, qui ante nos fuerunt, vagabantur*. Plinius [8]: *Coronas ex cinnamomo interrasili auro inclusas primus omnium in templis Capitolii atque Pacis dicavit Imperator Vespasianus Augustus*. Idem, *statuam Nili ex basalte ferrei coloris, atque duritiæ*, ibi dicatam scribit [9], *sexdecim liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi incrementi augentis se amnis ejus intelliguntur*. Hoc templum, in quo candelabrum, cæteraque Templi Hierosolymitani vasa, & ornamenta, teste eodem Josepho, reposita sunt, centum circiter post annos, quam fuerat ædificatum, seu fortuito, seu oblato incendio, arsit, Principe Commodo, ut Herodianus [10], & Dion [11] (qui ait, erupisse vicinis ædibus) tradiderunt; cum ædes quoque Vestæ, plurima & pulcherrima ædificia, Urbisque partes conflagrarunt, plurimosque dies pervagatum incendium non prius sedatum est, quam repentinis imbribus extingueretur. Infausto sane prodigio, ut idem ait, quod pace sublata gravissima deinde in orbe Romano bella non sine civium innumerabilium sanguine gesta sunt. Unam hujus templi, quæ superfuerat e marmore, immanem striatamque columnam olim sustinendo fornici impositam Paulus V. Pont. Max. transtulit ad ædem B. Virginis cognomento *Majorem*, & in area ante vestibulum Basilicæ ex ære inauratum simulacrum ejusdem Virginis sustinentem collocavit.

Habuit templum Pacis adjunctam Bibliothecam, cujus meminit Gellius. *Commentarium*, inquit [12], *de Proloquiis Lælii docti hominis, qui magister Varronis fuit, studiose quæsivimus; eumque in Pacis bibliotheca repertum legimus*. Hæc, opinor, cum templo arsit.

ARCUS TITI [13] non longe abest; omnium qui

[1] Templum Romuli. [2] Pagliarius l. 1. in Tacit. [3] Templum Pacis. [4] Suet. in vita c. 9. [5] Plin. l. 26. cap. 15. [6] Her. lib. 2. [7] Joseph. l. 7. cap. 24. [8] Plin lib. 12. c 19. [9] Plin. lib. 36. cap. 7. [10] Lib. 1. [11] Lib. 73. in Comm. [12] Lib. 16. cap. 8. [13] Arcus Titi.

A cum titulo extant, antiquissimus, & quod plerique putant, sic triumphalis, ut triumphantibus Vespasiano ac Tito fuerit erectus. Sed hanc opinionem Arcus infringit Inscriptio. Sic enim habet:

SENATVS.
POPVLVSQVE. ROMANVS.
DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F.
VESPASIANO. AVGVSTO.

B Alterum vero in altera fronte titulum vetustas submovit. Ejus porro Inscriptionis quædam verba paulo fusius explicabo, ut eliciam, Arcum illum non triumphanti, sed mortuo Tito decretum, & dicatum fuisse.

Tria ergo, quæ habet Inscriptio, quod Arcus TITO fuerit erectus, quod ille cum Patre Vespasiano vocetur DIVUS, quod idem dicatur AUGUSTUS, ostendunt, Arcum post ejus obitum fuisse extructum. Confecto quidem bello Judaico, cum ambo, & primus quidem, teste Josepho, Vespasianus curru vectus fuerit in triumpho; mirum est, Arcum Tito filio, non autem patri Vespasiano Augusto dicatum. Nisi forte dicant, Vespasiano alterum dicatum fuisse, cum ejus neque in terræ solo, neque in annalium monumentis ullum extet vestigium. Aut asserant, Arcum hunc utrique in uno triumpho fuisse communem, & Vespasiani titulum in adversa & exesa parte consumptum desiderari. Sed mirum item est, anteriorem potioremque partem, quam primo triumphantes inibant, titulo filii, posteriorem vero patris nomine fuisse inscriptam.

Difficilius solvitur, quod in eo Triumpho Titus fuerit *Augustus*. Non enim *Augusti* nomen [1] ab Octavio Augusto deductum assumebant, nisi Imperatores, quorum esset absoluta potestas in universam rempublicam. Qui vero successores sive cognatione sanguinis, sive adoptione futuri erant, *Cæsares* dicti. *Nam Cæsaris*, inquit Dion [2], *& Augusti vocabula nihil eis quidem ea potentiæ adjiciunt peculiaris; sed alterum successionem stirpis, alterum splendorem dignitatis significat*. Spartianus in Ælio Vero: *Illos vero, qui vel Cæsarum nomine appellati sunt, nec Principes, aut Augusti fuerunt*. Et postea: *Ælius Verus nihil habet in sua vita memorabile, nisi quod tantum Cæsar est appellatus, non testamento, ut antea solebat, neque eo modo, quo Trajanus est adoptatus, sed eo prope genere, quo nostris temporibus a vestra clementia Maximianus atque Constantius Cæsares dicti sunt, quasi quidam Principum filii viri & designati Augustæ majestatis hæredes*. Ante Vespasianum quidem, Tiberius Augusti successor, ut refert Suetonius [3], ne *Augusti quidem nomen*, quamquam hæreditarium, *ullis, nisi ad reges ac dynastas epistolis addidit*. Id ipsum de Tiberio, & aliis quos recenset, adnotavit Julius Bulengerius [4]. *Caligula*, inquit, *Cæsar dictus, non Augustus*, eodem Suetonio teste. Immo, referente Dione, Caligula aliquando, cum populus exclamasset, *Juvenis Auguste, ratus sibi injuriam factam, multos occidit*. Claudius ne Imperator quidem dici voluit, Cæsar dictus est. ut etiam Nero & Galba apud Suetonium. Vitellius *cognomen Germanici delatum ab universis cupide recepit, Augusti distulit, Cæsaris in perpetuum repudiavit*, narrante eodem Suetonio. His addatur Otho, qui eodem auctore [5], non Cæsar, sed *ab infima plebe appellatus Nero, nullum indicium recusantis dedit, primisque epistolis suis Ne-*

[1] Qui Augusti, qui Cæsares vocarentur. [2] Dion l. 53. [3] Suet. in vita Tib. c. 26. [4] Buleng. lib. 1. de Imper. Rom. cap. 17. Suet. in vita Caligul. cap. 22. [5] Suet. cap. 8. Id. in vita Oth. cap. 7.

ronis




TEMPLVM PACIS.
VESTIGIA TEMPLI PACIS.
PAX


Fig. XVIII
Romuli et Remi Templum
ROMVLI ET REMI
TEMPLVM
Prout extabat antiquitas ante
VRBANI VIII
P. M.
Inst


Fig. XXXIV
Pag. 738
SOLIS TEMPLVM AB AVRELIANO FACTVM.
IMP C AVRELIANVS AVG
CLAVD CAESAR AVG
GER P M TR P IMP NERO
TEMPLI SOLIS VESTIGIA

ronis cognomen adjecit. Acceperit ne Vespasianus Augusti cognomentum, idem non memorat, sed credibile est accepisse. Tribunitiam quidem potestatem, & Patris Patriæ appellationem non nisi sero recepit.

At vivente patre Titum Augustum fuisse appellatum nemo persuaserit, nisi verba ex veteri auctore promat. Contra Xiphilinus: *Αὐτοκράτωρ Οὐεσπασιανὸς, καὶ Καίσαρες ὅτε Τίτος, καὶ ὁ Δομιτιανὸς ἀπεδείχθησαν. Imperator Vespasianus, & Cæsares Titus & Domitianus declarati sunt*. De Tito quidem reverso in Urbem Suetonius [1]: *Neque ex eo destitit participem atque etiam tutorem Imperii agere*. Censor idem una cum patre, tribunus, & consul; non tamen Augustus, cum ille viveret. hoc enim solum patri datum. Plinius in Præfatione ad Titum: *Triumphalis & censorius tu, sextumque consul, ac tribunitiæ potestatis particeps: & quod his nobilius fecisti, dum illud patri pariter & equestri ordini præstas, præfectus prætorio ejus, omniaque hæc reipublicæ*. Quæ consentiunt Suetonii loco citato. Quomodo autem Augustus, si prætorii præfectus? Quod si Titus ibi a Plinio appellatur Imperator; sic ille veteri more, ut alii duces, re bene gesta, fuerat proclamatus ab exercitu. Cæterum octuaginta circiter post annos cœpere simul esse duo Augusti. Julius Capitolinus in vita Marci: *Fratrem*, inquit, *sibi participem in Imperio* Marcus *designavit, quem L. Aurelium Verum Commodum appellavit; Cæsaremque atque Augustum dixit, atque ex eo pariter cœperunt rempublicam regere. Tuncque primum Romanum Imperium duos Augustos habere cœpit*. Aliud autem esse participem Imperii, & Augustum, Bassianum, tradit Spartianus in Severo. *Ob hoc etiam*, inquit, *filium ejus Antoninum, qui Cæsar appellatus jam fuerat, annum* XIII. *agentem participem Imperii dixerunt milites. Getam quoque minorem filium Cæsarem dixerunt: eumdem Antoninum, ut plerique in litteras tradunt, appellantes*. Hæc acta in Oriente, nondum absoluto bello Parthico. Postea vero reversus triumphans in Urbem Severus cum bellum intulisset Britanniæ; eodemque auctore, pedibus æger bellum moraretur, idque milites anxie ferrent, ejusque filium *Bassianum qui una erant, Augustum fecissent; tolli se, atque in tribunal ferri jussit. Adesse deinde omnes tribunos, centuriones, duces, & cohortes, quibus auctoribus id acciderat: sisti deinde filium, qui Augusti nomen acceperat. cumque animadverti in omnes auctores facti præter filium juberet, rogareturque omnibus ante tribunal prostratis, caput manu contingens ait: Tandem sentitis caput imperare, non pedes*. Peccarunt igitur in Principem merito irascentem, qui Augustum fecerant [2]: cum tamen ante participem Imperii faciendo, donativum largissimum meruissent. Quare quod Bulengerius scribit, a Severo vivente Caracallam & Getam Augustos appellatos, non legi apud Spartianum [3], sed solum dictos Antoninos. idque solum de Caracalla scripsit Herodianus [4], eum Antoninum vocatum, Marci insuper cognomen ex patris voluntate sumpsisse. Immo ipse Bulengerius, *Primus*, inquit [5], *omnium Valentinianus Valentem & Gratianum Augustos, non Cæsares fecit, præter Marcum, qui Verum socium Imperii adscivit*, ut Ammianus [6]. Lampridius in Diadumeno refert, hunc cum Macrino patre Imperatorem dictum ab exercitu: ejusque epistolæ initium recitat, *Patri Augusto Filius Augustus*. quam videlicet ejus nomine magister Celianus Afer scripserat. At ibidem refert, Herodianum scripsisse, *Diadumenum tantum Cæsarem a militibus appellatum*. Sed non solus Herodianus; Julius quoque Capitolinus id scripsit in Macrino: *Sciendum*, inquit, *præterea, quod Cæsar fuisse dicitur, non Augustus, Diadumenus puer, quem plerique pari fuisse cum patre imperio tradiderunt*. Itaque cum res in incerto sit, tantundem fidei, quantum veritatis, habeat necesse est.

Postea fuere duo simul Augusti [1], aut etiam plures, ut ante Marcus & Verus. Sed ad Vespasiani tempora ea consuetudo referri non potest. Quare Titus vivente patre nec dictus est, nec fuit Augustus.

In eodem titulo Titus cum Vespasiano dicitur DIVUS. Atqui uterque post mortem *Divus* factus est; nempe per apotheosim & consecrationem, quæ mortuis contingebat. Herodianus [2]: *Mos est enim Romanis consecrare Imperatores, qui superstitibus filiis, vel successoribus moriuntur. quique eo sunt honore affecti, relati dicuntur inter Divos*. Quod sane nemini tribuebatur, nisi corpore jam effecto sepultura, perfectisque ceremoniis, & pyra incensa. *Ex illo*, ait Herodianus, *una cum cæteris numinibus Imperator colitur*. Solebant quidem etiam proconsulibus decerni Divum honores, poni aræ, ac templa in Provinciis; adeo superstitio valebat & vanitas. Tito Flaminio, teste Plutarcho [3], Græci sacrificabant inter libandum, & Pæana canebant Diis; *& MARIO*, ut idem ait [4], *populus Romanus in cœna libavit*. Suetonius de Augusto [5]: *Templa, quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen Provincia, nisi communi suo, Romæque nomine recepit. Nam in Urbe quidem pertinacissime abstinuit*. Nummi passim occurrent inscripti, *Romæ & Augusto*. Tiberius apud Tacitum [6], volente Hispania illi ac Liviæ delubrum condere: *Cum Divus*, inquit, *Augustus sibi atque Urbi Romæ templum apud Pergamum sisti non probibuisset*. Idem Tacitus [7]: *Decrevere eidem Tiberio Asiæ urbes templum, matrique ejus, ac senatui. & promissum statuere*. Dion [8]: *Ad statuas etiam Sejani, tanquam Tiberii, solebant* Romani *sacrificare*. Idem: *Edixisset etiam* Tiberius, *ne cui homini sacrificaretur. atqui res sacra Sejano fieri solebat*. Suetonius de Julio Cæsare: *Templa, aras, simulacra juxta Deos, pulvinar, flaminem, lupercos, ac nonnullos honores ad libidinem cepit, ac dedit*. Id ipsum de Augusto Tacitus [9]: *Nibil Deorum bonoribus relictum, cum se templis & effigie Numinum per flamines & sacerdotes coli vellet*. Facta sunt aliis sacra, & oblatæ victimæ ac dona, ut Tiberio & Cajo Gracchis. de quibus Plutarchus [10]: *Loca, in quibus interempti fuerant, consecrantes, primitias ibi omnium, quæ temporum articuli ferunt, libabant. Multi etiam ibi sacra faciebant, & adorabant, eo sicut ad Deorum templa commeantes*. Ut C. Caligulæ, qui, teste Josepho [11], se Deum putabat, & volebat vocari; seque pro deo gerebat non contentus humanis honoribus coli a subditis, Jovemque appellatione fratris salutabat. *Idemque*, referente Suetonio [12], *consistens sæpe inter fratres Deos*, Castorem & Pollucem, *medium se adorandum adeuntibus exhibebat. Templum etiam nomini suo proprium, & sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit: cum cæteræ gentes*, auctore Josepho [13], *eidem sacrificia ultro facerent dicatis aris ac templis*. Ut Neroni, cui eodem Suetonio referente, *incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per vias identidem croco, ingestæque aves, ac lemnisci, & bellaria*. Ut Claudio, cui *templum & aras Britanni posuerunt*. Ut Vespasiano & Adriano, qui sibi templa, Bulengerio

1 Suet. c. 6. in vita. 2 Caracalla non rite factus Augustus vivo Patre. 3 In vita Sev. Antonin. Caracallæ, & Getæ. 4 Herod. lib. 3. 5 Bul. cap. 9. 6 Ammian. lib. 27.

1 Duo simul Augusti post Marcum sero fuerunt. 2 Herod. lib. 4. 3 In ejus vita. 4 Ibid. 5 In vita cap. 52. 6 Lib. 4. Ann. 7 Ibid. 8 Dion. l. 58. 9 Ann. lib. 1. 10 In eorum vita. 11 Lib. 2. de Bell. Jud. cap. 9. & Ant. Jud. Lib. 19. cap. 1. 12 In vita Calig. c. 22. 13 Josep. Jud. Ant. l 18. cap. 18. Euseb. l. 2. Hist. Eccl. c. 5. & 6.

reste [1], erexerunt. Ut Domitiano, de quo Plinius [2]: *Cum saevissimi domini atrocissima effigies tanto victimarum cruore coleretur, quantum ipse humani sanguinis profundebat.*

Quamvis ergo hisce superstitionibus Romani Imperatores colerentur, non tamen assequuti sunt, ut vivi dicerentur Divi. Immo plerique eorum, quos recensui, ne post mortem quidem Divi sunt facti: & quidam vitiis detestabiles in communi odio mortalium omnibus execrationibus & conviciis merito lacerati sunt. Qui vero meritis ac virtute habebantur insignes, ii post mortem ac sepulturam in Divorum numerum relati. Quamvis & improbis interdum id tribuerit vanitas successorum, ut Commodo Severus. Sic enim conciliata populi benevolentia firmabat imperium. Tacitus de Augusto [3]: *Sepultura more perfecta, templum & caelestes religiones decernuntur.* Vellejus [4]: *Sacravit parentem suum Caesar*, Tiberius, *non imperio, sed religione; non appellavit eum, sed fecit Deum.* Julius Capitolinus in Marco: *Denique priusquam funus conderetur, ut plerique dicunt, quod nunquam antea factum fuerat, neque postea, Senatus Populusque non divisis locis, sed in una sede propitium Deum dixit.* Tacitus [5]: *Reperio in commentariis Senatus, Cerialem Anicium consulem designatum pro sententia dixisse, ut templum Divo Neroni*, qui tum vivebat, *quam maturrime publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat tamquam mortale fastigium egresso, & venerationem hominum merito: quod ad omina olim sui exitus verteretur. Nam Deum honor Principi non ante habetur quam agere inter homines desierit.* Symmachus [6]: *Divi recepti caelo Imperatores mortui.* Tertullianus [7]: *Maledictum est, ante ἀποθέωσιν Deum Caesarem nuncupare.* Plinius ad Trajanum [8]: *Quem tu*, Nervam, *lacrymis primum, ita ut filium decuit, mox templis honestasti, non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente fecerunt. Dicavit caelo Tiberius Augustum, sed ut majestatis numen induceret; Claudium Nero, sed ut irrideret; Vespasianum Titus, Domitianus Titum, sed ille, ut Dei filius, hic ut frater videretur.* Ex quo sane constat Vespasianum & Titum non ante obitum, sed a successoribus Divos appellatos & factos. Vespasianus quidem, narrante Suetonio [9], *prima morbi*, quo mortuus est, *accessione*, *Ut*, *inquit*, *puto*, *Deus fio.* Huc pertinet, quod Adrianus adoptato Aelio Vero languido ac perituro, dixit, auctore Spartiano: *Ego mihi Divum adoptavi, non filium.* Quod item Antoninus Caracalla apud eumdem Spartianum [10], occiso fratre Geta, cum vereretur tyrannicam ex parricidio notam, audiretque posse mitigari facinus, si Divum fratrem appellaret, dixisse fertur: *Sit Divus, dum non sit vivus.* Scio Augustum & Domitianum deos, dum viverent appellatos. Propertius de Augusto [11]:

Arma Deus Caesar dites meditatur ad Indos.

Martialis de Domitiano [12]:

Edictum domini deique nostri.

Idemque alii de utroque. Sed Augustum poetarum vanitas, & populorum adulatio; Domitianum ejusdem arrogantia tumorque ita nominavit. Se enim ipse Deum ac Dominum dixit in epistola [13]; quod reliqui deinceps prosequuti sunt. Hic tamen

1 Lib. 1 cap. 4. aut 9. de Imp. Rom. 2 In Paneg. 3 Tac. lib. 1. Annal. 4 Vell. lib. 2. 5 Tacit. lib. 15. Annal. 6 Symb. lib. 4. cap. 5. 7 In Apol. cap. 34. 8 In Paneg. 9 In vita cap. 23. 10 In vita Antonin. Getae. 11 Prop. lib. 3. Eleg. 4. 12 Mart. lib. 5. Epigr. 8. 13 Sueton. in vita c. 13.

A post mortem Divus non fuit. Illa enim veneratio privato studio metuque a populo exhibita est, non publico decreto: nec Divi cognomentum solemni sanctione ac more majorum tribuebat, quod scilicet consecratio post mortem attulit, & decreta cum publicis caeremoniis Apotheosis [1]. Concludam cum Tertulliano [2]: *Qui pater Patriae est, quomodo dominus est? Sed & gratius est nomen pietatis, quam potestatis. Etiam familiae magis patres, quam domini vocantur, tanto abest, ut Imperator Deus debeat dici, quod non potest credi, non modo turpissima, sed & perniciosa adulatione. Desine alium deum credere, atque ita & hunc deum dicere, cui deo*
B *opus est.*

Non desunt Romae eruditi viri veterum numismatum diligentes investigatores, qui putant multos inveniri nummos cusos vivente Augusto cum inscriptione *Divi*. Quos enim, ut ajunt, post ejus obitum successores excudi Augusto curarunt, suam quoque ipsorum imaginem inscriptionemque nummis indiderunt; quae desunt nonnullis Divi Augusti nummis. Ex quo inferunt, *Divi* appellationem Augustum ante mortem consequutum.

Sed verum non est [3], id semper successores fecisse, ut nummis, quos defunctorum honori cude-
C bant, suam effigiem nomenque apponerent. Nam sive ob majorem eorum cultum, sive alias ob causas, ejusmodi nummis suam ipsorum imaginem ac nomen non raro detrahebant. Quod ipsa indicant Augusti effigie signata numismata, ut alia praetereeam. Unum enim altera parte expresso Augusti capite sic inscribitur, *Divus Augustus Pater.* altera vero designatam templi frontem cum inscriptione ostendit, *Providentia S. C.* Quis autem dubitet, quin hoc a Tiberio cusum fuerit, cujus nomen supprimitur? Alterum praeter caput Augusti, & Inscriptionem *Divus Augustus*, aquilam versa facie semipassis alis globo insidentem, aut potius attol-
D lentem, & S. C. ostendit. Id sane post apotheosim se cusum demonstrat, in qua aquila e pyra evolans in altum ferebatur: eademque frequenter in nummis antiquis, ut signum consecrationis visitur. Neque vero ex Senatus consulto dictus unquam, vel tamquam Divus cultus est vivens Augustus, qui, ut supra dicebam, ab hisce honoribus pertinacissime abstinuit. Iidem cultores antiquitatis Tito viventi nummum *Divi* appellatione fuisse cusum volunt. Nam & *Consulatus* in eodem ascribuntur, qui *Divis* post mortem ascribi non solent. Sed neque hoc urget. Nam etiam post mortem [4] in nummis *Divi* & *Augusti* non omnes quidem, at com-
E plures nominantur, cum simul honores divinos atque humanos illis componerent. Sic dicitur *Divus Claudius Aug. Pat. Divus Trajanus Aug. Pat. Diva Faustina Augusta.* Et in arcu Titus *Divus* & *Augustus*, qui ab obitu Augustus non erat. Ibidem curru vectus, & triumphans, & spolia de Judaeis capta visuntur. At sub arcu ejusdem effigies volanti aquilae insidens insculpta est. Quod certum est argumentum consecrationis factae post mortem. Quare honores viventis, vitaque functi in eo monimento sane quam pulcherrimo expressi sunt. Quod autem ajunt, eodem nummo aereo mediaeque ma-
F gnitudinis *Tito Divo Consulatus* ascribi; alii periti veterum nummorum & antiquitatis eum rejiciunt, tanquam suppositum, & a falsariis nuper cusum. quia nec hactenus quisquam in numismatis vidisse dixit, neque in codicibus hac de re impressis legisse simul *Divi* nomen, & *Consulatus*, ac *Tribunitias potestates*.

His conficitur, Divorum cognomenta non convenire Tito ac Vespasiano triumphantibus. Et ar-

1 Divi cognomen ex S. C. non dabatur vivis. 2 Tertull. loc cit. 3 Non semper cusoris nomen est in nummis. 4 In nummis Augusti non sunt dicti Divi ante mortem.



Fig. XXV.
IMP. T. CAES VESP
TITI IMP. THERMAE.
GENIO LAVACRORVM METELI
VESTIGIA THERMARVM


Fig XIX
S E N A T V S
POPVLVSQVE ROMANVS
DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F.
VESPASIANO. AVGVSTO.
ARCVS

A cum illum [1] post obitum utriusque erectum fuisse a Senatu Populoque Romano, vel sub Principe Domitiano, qui Titum Divum fecerat: vel Trajano imperante, quem certe in honorem Titi nonnulla ædificasse constat: & vetus docet Inscriptio, quam celabat epistylium columnarum Basilicæ veteris S. Petri in Vaticano. quem lapidem ex altero ædificio translatum religio Constantini in usum ædis sacræ converterat. Hæc porro Inscriptio, cum vetus Basilica a Paulo V. Pont. Max. ad novæ ædificationem dirueretur, ita se nobis aperuit:

1 Arcus Titi post ejus obitum erectus.

D. TITO
D. VESPASIANI. F. AVGVSTO
IMP. CAESAR. D. NERVAE. F. NERVA. TRAIANVS
GERMANICVS. DACICVS. PONT. MAX. TRIB. POT. COS
PP. FECIT

B Ubi Titus jam mortuus & Divus & Augustus dicitur.

Adde Inscriptionem, qua, vivente adhuc patre, Titum & Domitianum, Cæsares tantum, non Augustos constat fuisse appellatos [1]:

1 Gruterus pag. 244.

T. Cæsari	*Imp. Cæsari*	*Cæsari. Aug. F*
Vespasiano	*Vespasiano. Aug*	*Domitiano*
Pontif. Tr.	*Pont. Max. Tr. Pot*	*Cos. Desig. II*
Pot. II. Imp. III	*IV. Imp. IX. Cos. IV*	*Principi. Juventutis*
Cos. II	*P P*	

C. Papirius. Æquos. 7. Leg. III. Aug. Testamento. Poni. Jussit
Ex. Auri. P. X.

C Nec obstant nummi I. & II. Consulatus Titi, in quibus habetur [1]: VICTORIA AUGUSTI. PAX AUGUSTI. hæc enim, in obsequium patris, sunt potius intelligenda, qui solus erat Augustus; ut ex titulis utriusque patet nummi, absque Augusti nomine, Tito inscriptis.

Atque eadem Pacis Victoriæque monumenta, in Vespasiani quoque nummis, recensentur. Animadvertendum insuper est, in aliis nummis IV. & VI. consulatus ejusdem Titi, per Occonem editis, non integras legi Inscriptiones; ita ut Titum Augustum dictum iisdem consulatibus, possit videri: IMP. T. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. IV. & D VI. supple: IMP. T. CAES. VESP. AVG. F. P. M. TR. P. P. P. COS. IV. hoc est, *Imperator Titus Cæsar Vespasiani Augusti Filius Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate Pater Patriæ Consul Quartum.*

VICTORIAE AVG. SACRVM
PRO REDITV
IMP. CAES. T. FLAVI
VESPASIANI AVG. F
PONT. MAXIM.
TRIB. POT. COS. II. P. P
STATVAM EX AERE
ORDO SPOL. CONLOC [2]

E Alterum vero Divi nomen, non nisi post mortem, consecuti sunt Romani Imperatores, atque inde colligit Donatus arcum, Tito jam vita functo, fuisse erectum annuente Domitiano; ut is non tantum filius, sed etiam Dei frater videretur. Typum vero consecrationis Titi aquilæ insidentis, sub arcus fornice, insculptus exhibet lapis.

Adde apotheoseos sive consecrationis pompam, quæ sub Inscriptione, per totum epistylium orientalis frontis, paucis quidem figuris, victimarios, flamines, arasque designat; lectum item, cum imagine Imperatoris accumbentis. Tabulæ vero utrim- F que, sub fornice, hæ sunt: Titus in triumphali quadriga: a tergo Victoria Idumæam palmam altera gerit manu; alteraque super ejus caput, lauream sustinet. Roma ipsa, hasta galeaque insignis equorum regit habenas. Incedunt Magistratus laureati, ramos ferentes, lictoresque XII. Testimonio scriptorum constat [3], Titum cum patre triumphasse: at solus hic aspicitur in curru, quod arcus erectus fuit, post ejus mortem a S.P.Q.R. In opposita tabula cernitur triumphi pompa, atque inter laureatos arcum ingredientes duo præcipue fercula cum mensa aurea, & septilustre Candelabro.

1 Occo in Tito. 2 Gruterus pag. 103. 3 Plin. in Panegyr.

CAP. V.

Domus Neronis Aurea.

HÆC domus cum domino stetit; bis a Nerone ædificata, bis conflagravit. Semel communi totius Urbis incendio, quod ipse parricida furiarum tædis agitatus excitavit. Iterum ab ejus obitu, cum aliis ædificiis locum dedit. De finibus & situ ædificii ambigi jure potest, quem nos investigamus in præsentia, tum formam ædificii & opes demonstrabimus.

Tres potissimum auctores ad AUREÆ DOMUS terminos [1] investigandos nos quasi manuducere possunt, Tacitus, Suetonius, Martialis. Tacitus [2]: *Non ante*, inquit, *Urbem ingressus est, quam domus ejus, qua Palatium, & Mœcenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret*. Suetonius [3]: *Domum a Palatio Esquilias usque fecit, quam primo Transitoriam, mox incendio absumptam, restitutamque Auream nominavit*. Ex quibus locis patet domum inter Palatium fuisse, & hortos Mœcenatis Esquilinos. At Martialis fines eosdem describendo, ejusdem domus partes designat [4]:

Hic, ubi sydereus propius videt astra Colossus,
Et crescunt media pegmata celsa via;
Invidiosa feri radiabant atria regis,
Unaque jam tota stabat in Urbe domus.
Hic, ubi conspicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.
Hic, ubi miramur velocia munera thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.
Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat.

Ut igitur secernamus certa ab incertis, ubi est amphitheatrum Flavium, nunc Colossæum, *STAGNA Neronis erant* [5], hoc est, ut loquitur Suetonius in ejus vita, *stagnum maris instar circumseptum ædificiis ad Urbium speciem*. Ab amphitheatro orientem versus ascenditur in Esquilias, ubi templum Sancti Petri cognomento ad Vincula, & dextrorsum inter vineta spectantur Titi Cæsaris THERMÆ,

1 Fines domus Neronis. 2 Lib. 15. Annal. 3 In vita Ner. c. 31. & 58. 4 Lib. 1. Epig. 2. de Spectac. 5 Stagnum domus aureæ ubi est Colossæum.

vulgari vocabulo, *Septem Aulæ*. De his Suetonius [1]: *Amphitheatro dedicato thermiſque juxta celeriter extructis*, Titus, *munus edidit apparatiſſimum largiſſimumque*. Hæc etiam pars Urbis ſeptis Neronianæ Domus incluſa eſt. nam teſte Martiale:

Hic ubi miramur velocia munera [2] thermas,
Abſtulerat miſeris tecta ſuperbus ager.

Hic enim erant rura hortenſia, & ſylvæ ſeptis domus incluſæ. Igitur hac ex parte domus cum HORTIS Eſquilinum collem inſederat uſque ad templum S. Martini cognomento *in Montibus*, niſi ampliori adhuc ſpatio producebatur. Et quia, teſte Tacito, *bortos ſuos & domum* Nero *MOECENATIS HORTIS* [3] *continuaverat*, hinc illi ſumebant initium ad orientem extenſi in parte collis, ubi Eſquilinæ Virginis vulgo Majoris, divique Antonii templa: deſinebantque in hortis Perettinis. Porro cum hortos Mœcenatis Nero poſſideret, quod Mœcenas Auguſtum hæredem dixerat, & ab illo ad Cæſares ſucceſſores bona devenerant, eoſdem domui ſuæ Nero adjecit; ut a colle Palatino Palatioque Principum totas ferme Eſquilias occuparent, & non immerito Urbem domum factam dictum ſit [4]. Hæc vero explorata ſunt, & veritati conſentanea. Non ita certo locum deſignare poſſum, ubi vaſtiſſimum atrium & frons ipſa domus Neronis fuerit [5]; tamen, ut arbitror, ſcire cupientibus fiet ſatis. Redeundum ergo eſt ad amphitheatrum, ubi ſtagnum erat. Prope ATRIUM cum porticibus, cœnationibus, & aulis viſebatur. Sed ſtatim ambigitur, an atrium vergeret ad arcum Titi, ibique cum Palatio conjungeretur domus; an vero ultra Conſtantini arcum vallem inter Cœlium & Palatinum occuparet. Blondus & Marlianus hic putant fuiſſe. A quibus ut diſſentiam, aliæ me rationes graviores monent. Nam de atrio, ſeu veſtibulo ſic Suetonius [6]: *Veſtibulum* [7] *ejus fuit, in quo coloſſus CXX. pedum ſtaret ipſius effigie; tanta laxitas, ut porticus milliaras haberet*. At Martialis:

Hic ubi ſydereus propius videt aſtra coloſſus,
Et creſcunt media pegmata celſa via;
Invidioſa feri radiabant atria regis.

Porro utriuſque auctoris locum componendo; Martialis proprie atrium intelligit ſeu veſtibulum domus, non totam domum poetice, ut quidam interpretantur. Veſtibulum autem interdum accipi pro atrio docet Gellius. At Suetonius id intelligit veſtibuli nomine, quod vere germaneque ſignificat. Eſt enim, ut idem Gellius [8], *Veſtibulum non in ipſis ædibus, neque pars ædium, ſed locus ante januam domus vacuus, per quem a via aditus acceſſuſque ad ædes eſt. Qui domos igitur peramplas antiquitus faciebant, locum ante januam relinquebant, qui inter fores domus, & viam medius eſſet. In eo loco qui dominum ejus domus ſalutatum venerant, priuſquam admitterentur, conſiſtebant, & neque in via ſtabant, neque intra ædes erant*. Hæc ille. Veſtibulum quidem, dicet aliquis, ut ex his deducitur, erat tecto coopertum. Quare coloſſum capere non poterat, qui ob excelſam ſublimitatem locum ſub dio apertum exigebat, nempe atrium, ſeu cavædium, e quo ſeſe ſupra tecta extolleret. Verum hic repetendum eſt, quod ſupra dicebam ex Tacito, Palatium Cæſarum fuiſſe domo continuatum. Cum ergo domus Neronis, & Auguſta conjungerentur, veriſimile eſt admirandis columnationibus aliqua ſaltem parte fuiſſe conjunctas, ut ſpatium inter utramque inſtar atrii relinqueretur, in quo ſtaret coloſſus. Ab

1 In vita Titi cap. 7. 2 Celeriter a Tito extructas. 3 Horti Mœcenatis ad templum S. Mariæ Majoris. 4 Amplitudo domus & hortorum Neronis. 5 Ubi eſſet frons & atrium domus. 6 Sueton. in vita cap. 32. 7 Veſtibulum domus & Coloſſus. 8 Gell. lib. 16. cap. 5.

A eo aditum in domum, ideoque veſtibulum, idem tamen dici atrium a Martiale. Quod etiam indicat, ubi ſitum eſſet domus veſtibulum, nempe in Sacra via, & parte clivi Palatini complanati. Idemque collatis explicatiſque Suetonio, Martiale, Gellio, Dione, Spartiano, Prudentio, clare, niſi fallor, deprehendi. In quo neceſſe habeo digredi pauliſper ad coloſſum, ut Aureæ Domus germanam ſedem decernam.

COLOSSUS AUREAE DOMVS

B poſitum, figuram, & magnitudinem conſideranda præbet; cum quibus, quando loco fuerit motus, exponendum.

Poſitus ergo eſt a Nerone, ſtetitque olim coloſſus prope Sacram viam, qua clivo aſcenſus erat in Palatinum collem: & prope Amphitheatrum, ut Coloſſæum ab illo dictum ſit. Stetiſſe ad Sacram viam docet Martialis:

Hic ubi ſidereus propius videt aſtra coloſſus,
Et creſcunt media pegmata celſa via.

Hæc enim via Sacra eſt juxta interpretes, per quam ligneæ compactileſque machinæ immittebantur in C amphitheatrum, cum agerentur ludi. Aut potius machinas & pegmata intelligit onuſta ſpoliis & præda, quæ eadem via in triumphis vehebantur [1]. Dion [2]: *Coloſſus Veſpaſiano Principe Sacra via collocatus*. & idem Martialis [3]:

Inde ſacro veneranda petes Palatia clivo.

At in Palatium aſcendentem quid in Sacra via morari poterat?

Nec te detineat miri radiata coloſſi,
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.

D Nempe tam immanis, ut eſſet altitudine centum viginti pedum [4], (placet enim magis Suetonium audire, quam Plinium [5]) tanta artificii elegantia, quantum oſtendere potuit figurando marmore Zenodorus ævi Neroniani nobiliſſimus ſtatuarius. *Et ſtatua*, inquit Plinius, *indicavit interiſſe fundendi æris ſcientiam; cum & Nero largiri aurum argentumque paratus eſſet, & Zenodorus ſcientia fingendi cælandique nulli veterum poſtponeretur*. E marmore igitur, at radiatus; nam poſtea Martiale Plinioque ſpectante Veſpaſianus detracto Neronis capite radiato Solis caput repoſuit, & Coloſſus dicatur [6]: *Solis* E *venerationi eſt, damnatis ſceleribus illius Principis*: radii *ſeptem* fuere, & ſinguli *longitudine pedum viginti duorum, & ſemis*, ut ait P. Victor in Regione quarta. Nec ſolum a Veſpaſiano Solis face ac radiis illuſtratus, ſed etiam refectus eſt. Suetonius [7]: *Coloſſi*, inquit, *refectorem inſigni congiario, magnaque mercede donavit*. Euſebius in Chronico: *Coloſſus*, inquit, *erectus habens altitudinis pedes* 107. Verum Euſebius ut numerando pedes aberravit, ſic fortaſſe lapſus eſt coloſſum erigendo. Niſi velit, ibi fuiſſe repoſitum, ubi ante fuerat erectus; neque enim loco eſt motus ante Adrianum. Sed cum domus conflagraverit aut everſa fuerit, aliqua ſui par- F te mutilatus, tum ſublato capite refici debuit, aut ſi forte collapſus, quod non ſcripſit Suetonius, erigi. Et vero loco motum non fuiſſe, conſtat ex Martialis ſæpe citato epigrammate:

Hic ubi ſydereus propius videt aſtra coloſſus,
Et creſcunt media pegmata celſa via;
Invidioſa feri radiabant atria regis.

1 Joſeph. loco ſupra citato. 2 Dion. lib 66. ſive in Veſp. Xiph. 3 L. 1. Ep. 71. 4 Paſmar. noſtratium Roman. 160. 5 Lib. 34. c. 7. ubi ſcribit fuiſſe pedum centum decem. 6 Plin. loc. citato. 7 In Veſpaſ. cap. 18.

Significat enim, ut ajebam, coloſſum fuiſſe in veſtibulo domus Neronis, ubi ab eodem collocatus eſt. Et ſcribebat Martialis poſt Veſpaſianum, & ſtatuam refectam. Quod ſi Dion [1] ſcribit, *Veſpaſiano VI. & Tito IV. coſſ. templum Pacis dedicatum eſt, & coloſſus Sacra via collocatus: quem ferunt fuiſſe altum pedes centum. Imago Neronis erat, vel Titi, ut ab aliis traditum eſt*, explicandus eſt, ut Euſebius. Nempe, coloſſum vel in eodem loco ubi ante fuerat, fuiſſe repoſitum, vel ſolum refectum ac reſtitutum. Quod ſi aliud Dioni placet, audiendus non eſt. Tam enim id conſonat veritati, ut alia duo, videlicet coloſſum fuiſſe altum centum pedes; contra effigiem Neronis vel Titi hunc expreſſiſſe, & Suetonium & Plinium.


Annos triginta ſeptem poſt Veſpaſianum regnare cœpit Adrianus, qui coloſſum loco motum alio tranſtulit [2]. Teſtis Spartianus. *Fecit*, inquit, *& ſui nominis pontem & ſepulchrum juxta Tiberim, & ædem Bonæ Deæ. tranſtulit & coloſſum ſtantem atque ſuſpenſum per Decianum architectum de eo loco, in quo nunc templum Urbis eſt, ingenti molimine, ita ut operi etiam elephantes viginti quatuor exhiberet*. Eſt autem advertendum, quod de Adriano ſubdit Spartianus, *& cum hoc ſimulacrum poſt Neronis vultum, cui antea dicatum fuerat, Soli conſecraſſet*, de Commodo idem affirmare Lampridium, & quod ante vidimus, Plinium de Veſpaſiano. *Coloſſi caput dempſit*, ait Lampridius, *quod Neronis eſſet, ac ſuum impoſuit, & titulum more ſolito ſubſcripſit*. Dubium, an idem afferat Xiphilinus in Commodo: *Abſciſſo capite coloſſi, ſui capitis imaginem repoſuit*. Quare aut abſciſſum coloſſo caput tanquam hydræ multiplicatum ſuccreſcebat, aut aliquis horum actorum fabulam comminiſcitur. Equidem, ut Spartiano aſſentior, quo auctore coloſſum ab Adriano translatum accepimus, ſic cenſeo Plinium audiendum, cujus narratione idem coloſſus refectus habetur, & Soli dedicatus. Hic enim quod viderat, ſcripſit: alii quod legerant & audierant, multo poſt tradiderunt ævo Diocletiani. Xiphilinus, ſolis ne, an Neronis caput Commodus abſciderit, ut ſuum reponeret, non refert. Aliis autem aures dare non poſſum, qui ajunt Neronis caput ſæpius ablatum, atque repoſitum. Verum ex his abunde, opinor, confirmatum eſt, coloſſum prope Sacram viam fuiſſe poſitum a Nerone, neque loco motum uſque ad Adrianum, ideoque Aureæ domus frontem ibi ſpectandam.

TEMPLUM ROMÆ.

Id ipſum oſtendit (ad illud enim ſecundo digredior) quod translato coloſſo, in ea ſede, ubi ante ſteterat, ædificavit Adrianus. Ait enim Spartianus: *Tranſtulit*, Adrianus, *coloſſum ſtantem, atque ſuſpenſum de eo loco, in quo nunc templum Urbis eſt*. Fuit enim & Romæ templum, quæ tanquam Dea impie colebatur ab Romanis. Alabandæ pridem in civitate Cariæ, quæ regio eſt minoris Aſiæ, factum fuerat, de quo Livius [3]: *Alabandenſes templum Urbis Romæ ſe feciſſe commemoraverunt* in Senatu, *ludoſque aniverſarios ei Divæ inſtituiſſe* [4]. Ante hos fecerant & Smyrnæi, quos Tacitus [5] in eodem Senatu loquentes inducit, *ſe primos templum Urbis Romæ ſtatuiſſe M. Porcio conſule* [6]. At Romæ fecit Adrianus [7], eique templum VENERIS [8] adjunxit. Dion in Adriano: Αὐτὸς μὲν γὰρ τοῦ τῆς Ἀφροδίτης τοῦ τε Ῥώμης ναοῦ διάγραμμα αὐτῷ πέμψας. quod male vertit Interpres: *Deſcriptionem & formam templi Veneris, quod Romæ fabricaverat, ad eum mi-*

A *ſit*. vertendum enim fuerat: *Ipſe quidem*, Adrianus, *deſcriptionem templi Veneris & Romæ ad eum mittens*, Apollodorum inſignem architectum: *quippe ſignificans*, pergit Dion, *ſine illius opera & miniſterio etiam ingentia ædificia extrui poſſe, quærebat, an ædificium illud recte & commode ſe haberet. Reſcripſit de templo, ſublime illud, & concavum fieri oportere, ut ex loco ſuperiori in Sacram uſque viam inſignior proſpectus eſſet, & magis conſpicuus. Concavum ad excipiendas ludorum machinas, quæ in eo latenter compingi, & item ex occulto in theatrum duci poſſent*. Caſſiodorus in Chronico: *His*, inquit, *Conſulibus* [1] *templum Romæ & Veneris* B *factum eſt, quod nunc Urbis appellatur*. Euſebius in Chronico Veneris tantum appellat: *Templum*, inquit, *Veneris ab Adriano Romæ factum*. P. Victor, *Templum Veneris* in Regione quarta. Notitia Imperii, *Templum Veneris & Romæ*. *Templum Urbis*, Spartianus. Et Ammianus [2]: *Urbis*, inquit, *templum, Forumque Pacis*. Sed quod eſt *Forum Pacis*? An *fanum*, potius legendum? Prudentius [3]:

Lanigeroſque Deum templis aſtare miniſtros,
Ac ſacram reſonare viam mugitibus ante
Delubrum Romæ; colitur nam ſanguine & ipſa
C *More deæ, nomenque loci, ceu numen habetur:*
Atque Urbis Venerîſque pari ſe culmine tollunt
Templa, ſimul geminis adolentur thura deabus.



Claudianus [4]:

D *Eluſæ, dominæ pergunt ad limina Romæ*

Et:

Conveniunt ad tecta deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino.

Ex quibus locis templi ſedes [5], & pulchritudo deprehenditur. Erat enim in colle Palatino, qua devexus eſt in ſacram viam prope arcum Titi. Anaſtaſius alibi collocat. ait enim in Felice IV. *Hic fecit Baſilicam SS. Coſmæ & Damiani in Urbe Roma, in loco, qui appellatur via Sacra, juxta tem-* E *plum Urbis Romæ*. cui quidem aſſentiri non poſſum. Nam ſi ibi fuit Urbis templum, unde transferri eximiæ magnitudinis & politurae Tiburtinos lapides nuper vidimus; in depreſſo & humili loco ſitum, non in edito & monte Palatino fuit. Idem ergo ſit Anaſtaſio juxta templum Urbis, ac non longe a templo Urbis. Ubi autem ædes eſt SS. Coſmæ & Damiani, fuiſſe templum Quirini, vel Romuli ſimul & Remi non improbabilis opinio fert, ut ſupra dictum eſt. Porro frons templi Romæ, [6], ut indicat Dion & Prudentius, Sacram viam & ſuperiori loco ſpectabat; ut area ante templum ex eadem F via cœpiſſe videatur, & deinde ſublata gradibus eminentiorem feciſſe proſpectum templi. Magnificentiam oſtendit Claudianus. Quod enim ædes candida luceret, vim Parii aliorumque marmorum oſtendit, quibus conveſtita commendaretur inter Cæſarum moles. Et Ammianus poſt Capitolium & Pantheon memoratu dignam duxit. Et quia quæ-

1 Dion l. 66. 2 Coloſſus loco motus. 3 Dec. 5. l. 3. 4 Id retulerunt an. Urb. 584. 5 Tac. lib. 4. Annal. 6 Anno Urbis 559. 7 Anno Urbis 887. 8 Templum Veneris & Romæ.

1 Pompejano & Attiliano ſub Adriano. 2 Amm. l. 16. 3 Prud. lib. 1. contra Symm. 4 Lib. 2. in Stilic. 5 Templum Romæ ubi eſſet. 6 Frons templi converſa ad Sacram viam.

rebatur ab Adriano simul Veneris & Romæ, quasi parentis ac sobolis cultus; ideo ædes magnificentior ac pulchrior ab illo est facta [1]. Tectum sane tegulis æreis instructum fuit, quas ad templum S. Petri translatas ab Honorio I. Pontifice, testis est in ejus vita Anastasius. *Cooperuit*, inquit, *Ecclesiam omnem B. Petri ex tegulis æreis, quas levavit de templo quod appellatur Romæ*. Ad Prudentius, dum canit,

Atque Urbis Venerisque pari se culmine tollunt;

videtur templa duo simul juncta constituere. Cur enim ait *pari*, nec potius *uno se culmine tollunt?* An licentia poetica loquutus rei veritatem involvit, historiæ luce evolvendam? An forte significat, ut quemadmodum in templo Capitolino tria sacella sunt posita Jovi, Junoni, Minervæ, ita hoc templum communi ambitu tectoque pares duas ædiculas Veneris ac Romæ comprehenderet? Inter nummos æreos Antonini Pii unus est cum effigie templi pulcherrima, inscriptus: *Æternæ Romæ*. Credibile est, templum ab Adriano patre extructum, ab Antonino in imperium ascito fuisse aliqua parte refectum, aut perfectum. Hæc de Urbis templo.

Jam ut redeam ad domum Neronis; cum colossum Adrianus loco moverit, in quo deinde Urbis ædem ædificavit paulum supra Sacram viam, quam e superiore area despiciebat; colossus autem steterit in vestibulo aditque domus, ibi quoque hanc incœpisse, frontemque explicasse necesse est. ibi juxta Tacitum Palatio jungebatur. Ex quo causa afferri potest, cur TRANSITORIA [2], antequam Aurea, dicta sit a Nerone. Suetonius: *Domum a Palatio Esquilias usque fecit, quam primo Transitoriam; mox incendio absumptam, restitutamque Auream nominavit*. Cum enim ædibus Augustalibus juncta, ad quas e Sacra via ascendebatur, inde domus versus Esquilias laxaretur in planicie, ubi arcus Titi, & S. Mariæ cognomento Novæ templum est, Sacram ipsam viam cum aliis vicis sibi subjectam inclusit, atrioque recepit, sic ut omnes illac transire & libere commeare possent. ATRIUM porro a Palatio Esquilias usque protensum & Suburram, ibi desinebat, qua nunc mollis clivus exurgit versus frontem ædis S. Petri ad Vincula. Hæc atrii longitudo. Nam latitudo spatium a templo Pacis usque ad amphitheatrum, eoque amplius patens complectebatur. STAGNUM [3] autem, quod, referente Martiale, fuerat, ubi postea amphitheatrum, etiam ultra ejus molis terminos orientem versus, extensum, credo, est; ut deinde aliquam ejus partem amphitheatri structura solum occuparit. Quod sufficit explicando Martiali, ampliorque fit & magnificentior atri latitudo. In atrio fuere PORTICUS triplices, & milliariæ. Porticus triplices capiunt triplicem ordinem columnarum, quod rarum & omnino magnificum fuit. Milliariæ [4] vero non tophaceæ, ut imperite quidam apud Beroaldum, sed vel mille passus, vel mille columnas complexæ, ut alii aliter explicant. Meminit Cicero [5] faciendæ porticus mille passuum: *Itaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur*. Ut hanc quoque passuum mensuram in fabricis Romanis admittat Lævinus Torrentius; qui, quod velit eas metiri pedibus, atrium quoque Neronianum redegit ad mille pedes, quamquam non magnopere contra sentientibus repugnaturus. Certe nimium detraxit, qui pro passibus pedes subjecit. passus enim quinque pedes sunt. Nec video, cur Romani, qui decempeda seu decempedali calamo ædificia metiebantur, eadem calamo quinquepedali, qui est passus, metiri non potuerint. Cæterum dicere aliquis posset, porticum utrumque habuisse mille columnas & passus; tanto enim intervallo triplici ordine columnæ potuere disponi, ut mille passuum circuitus undique efficeretur. Julius Capitolinus *Basilicas centenarias* [1] apellavit in Gordiano juniore, centum forte columnis fultas & passibus dimensas. Aliam hujusmodi porticum *milliariensem* memorat Vopiscus in Aureliano. *Milliariensem*, inquit, *denique porticum in hortis Salustii ornavit*. De altitudine ædificii nihil accepimus: sed cum tanta esset longitudo, credibile est optimos architectos Severum & Celerem (sic enim Tacitus nominat) superiores porticus, aulas, conclavia, & cœnationes ita extulisse, ut longitudini ad symmetriam & aspectum responderent.

Quod ad reliquum ornatum spectat; *Cuncta*, inquit Suetonius [2], *auro lita, distincta gemmis unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis, versatilibus, ut flores; fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur. Balineæ marinis & albulis fluentes aquis*. Illæ porro cœnationes & aulæ fuisse videntur prope porticum Liviam, quæ, ut dicebam, ultra templum Pacis & Forum Cæsaris propinqua fuit Esquiliis. Martialis [3];


Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat.

Aut certe domum ipsam Poeta significat extremo ibi angulo conversam. Sed quomodo Livia porticus dicta est Claudia [4]? Quidam duas faciunt: unam ab Augusto extructam, alteram a Claudio. Alii unam, sed binominem, quibus assentior. Eam quidem porticum probabile est arsisse Neroniano incendio, quod & domus Neronis proxima, & reliqua circum ædificia conflagrarint. *Delubra deum*, inquit Tacitus [5], *& porticus amœnitati dicatæ latius procidere*. restitutam deinde ab ipso Claudio Nerone, & priori Liviæ nomini additum Claudiæ. Quare a Martiale Claudia; a Plinio, P. Victore & Ovidio dicta est Livia. Dion [6] aliorum nomini etiam ascribit: *Porticus*, inquit, *Liviæ in honorem C. & L. Cæsarum ædificata, tum dedicata fuit*.

Jam quæ de cœnationibus, conclavibus, parietibus domus Aureæ dicta sunt, quamquam admirationis modum excedunt, tamen, ut refert Tacitus [7], *gemmæ, & aurum haud perinde miraculo fuerunt, solita pridem & luxu vulgata, quam arva & stagna, & in modum solitudinum hinc sylvæ, inde aperta spatia & prospectus*. Et Suetonius: *Rura arvis atque vinetis, & pascuis sylvisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum*. omnia una domo contenta, quæ magnis urbibus contineri vix possunt. Accedunt ornamenta picturæ. Meminit Plinius [8] Amulii, gravis, severi, floridi pictoris, qui ibi tantum fere artem exercuit. *Carcer*, inquit, *ejus artis domus Aurea fuit, & ideo non extant exempla alia magnopere*. Idem de signis [9]: *Ex omnibus*, inquit, *quæ retuli, clarissima quæque in Urbe jam sunt dicata a Vespasiano Principe in templo Pacis, aliisque ejus operibus violentia Neronis in Urbem convecta, & in sellariis domus Aureæ disposita*. Quare *in illa invisa*, ut ait Tacitus [10], *& spoliis civium extructa domo rarus egressus, atque in hortis* Nero morabatur. Eam tamen *cum absolutam dedicaret*, referente Suetonio,

1 Tectum templi Romæ cum tegulis æreis. 2 Domus aurea cur primo Transitoria. 3 Stagnum in domo Neronis. 4 Quæ porticus milliariæ fuerint. 5 Lib. 4. ep. ad Attic. Ep. 15

1 Basilicæ centenariæ. 2 Sueton. loco citato. 3 Epigr. cit. 4 Porticus Livia eadem quæ Claudia. 5 Tacit. lib. 15. Ann. 6 Dion l. 56. 7 Tac. lib. 15. Ann. 8 Plin. lib. 35. c. 10. 9 Plin. lib. 34. cap. 8. 10 Tac. loc. cit.


Fig. XLV.
MAVSOLEVM HADRIANI
HADRIANI
MAVSOLEVM
NVNC
ARX S. ANGELI
MDC XXXIII
ROMA

hactenus comprobavit, *ut se diceret quasi hominem tandem habitare cœpisse*. Pejora Vitellius, qui teste Dione [1], dicebat, *Neronem male habitasse*, *usumque fuisse parvo & humili apparatu*. Atqui splendidior illo esse quis poterat? summam quidem erogatæ pecuniæ computare non possum, quod de ea mirum apud auctores silentium. Suetonius de Octone. *Nec quidquam*, inquit [2], *prius pro potestate subscripsit*, *quam quingenties sextertium ad peragendam Auream domum*; idest, duodecies centena quinquaginta millia aureorum. Hic vero quid illi addere tandem potuit, quam ante, eodem Suetonio auctore, Nero absolutam dedicaverat? Quare ex tantulo Othonis additamento conjici potest, quid Nero insumsperit. *Conferendis pecuniis*, ait Tacitus [3], *pervastata Italia*, *provinciæ eversæ*, *sociique populi*, *& quæ civitatum liberæ vocantur*. *Inque eam prædam etiam Dii cessere spoliatis in Urbe templis*, *egestoque auro*, *quod triumphis*, *quod votis omnis populi Romani ætas prospere*, *aut in metu sacraverat*. *Enimvero per Asiam atque Achajam non dona tantum*, *sed simulacra numinum abripiebantur*. Etsi tantam vim auri, non modo in suæ domus, sed aliorum etiam ædificiorum structuram Nero effudit. Sed quamvis tantus fuerit impendii furor, ac splendor ædificii, tamen Joannes Baptista Villalpandus [4] neque impensis, neque opere domum hanc auream celeberrimo Salomonis templo contendit esse conferendam; quod verissimum reor.

Illud postremo adjiciam, quomodo intelligi queat, *præcipuam cœnationum rotundam* [5] *perpetuo motu circumactam*. Nam quia cœnatio erat, Cæsarem in ea non raro cœnasse credibile est; cum præsertim eboreis ac versatilibus e tabulis superne unguenta, & odores per fistulas effunderentur. At quomodo pavimentum stabile, si omnes circum parietes movebantur? quomodo ad illam patebat ingressus, janius continuo lapsu vel sublatis, vel depressis? quomodo sphæricum hoc cœlum compactum? quibus machinis movebatur? Haud sane dubito, quin alii hæc ingeniosius vel cogitatione comprehendant, vel sermonibus evulgent; ego tamen sic mente complector [6]. Primo concipiendi animo sunt quatuor recti quadratique parietes ad perpendiculum, & normam erecti, quibus cœnatio sphærica suspendebatur. Hæc in medio stabilem ac magnum massæ ferreæ axem habeat, duobus parietibus dextra lævaque affixum in plano æqualiter collocatum, atque immobilem. Jam cum axe valida tigna & asseres committi possunt, arctissima invicem commissura compacti, clavis & cuneis inter se ad sustinendum pavimentum colligati; quod certe immotum nulla lababit ex parte [7]. Globus vero axi ex utraque parte circulis ferreis insertus, nec pavimento adhærens denticulatis rotis ab axe remotissimis facile potuit moveri: extrinsecus januæ prope axem constitutæ sint, ubi minimus est motus: seu potius patentes in rectis parietibus janua globus ibi vacuus, & supra incipiens attingat. Machinæ ad movendum vel ferreæ fuerunt rotæ, deorsum aqua subeunte in gyrum actæ, quibus aliæ longis teretibusque sudibus ferreis illigatæ, sursum dentatis globi circulis immittebantur, ut illum versæ converterent. quo pacto continuus fit, & ordinatus motus; vel certe gravia pondera continuo lapsu descendentia, quod spectamus in horologio, movere cœnationem potuerunt. Sed prior movendi ratio magis probatur. Versatiles hujusmodi aulas fuisse etiam in Palatio Cæsarum supra diximus.

Demum quod mireris in tanta domo, est festinata ruina [1]. Nam tam immensas opes, ut gemmæ aurumque omnibus placent, qua violentæ manus, qua flammæ non totis septem vertentibus annis rapuerunt: ac diruta amphitheatro extruendo, aliisque circum ædificiis locum dedit. Eusebius scribit Romæ Auream domum incendio conflagrasse sexto Trajani anno, ut stetisse triginta sex annos velit. Huic consona scribit Eutropius lib. 10. in vita Trajani: *Romæ*, inquit, *Aurea domus a Nerone totis privatis publicisque rebus impensis condita*, *repentino conflagravit incendio*. Sed certiora & veriora nos cum aliis auctoribus protulimus.

1 Dion l. 75. 2 Sueton. in vita c. 7. 3 Tacit. lib. 15. Annal. 4 Tom. 2. in Ezech. l. 5. cap. 64. 5 Cœnatio rotunda. 6 Quomodo compacta fuerit. 7 Quomodo moveri potuerit.

1 Domus Neronis cito corruit.

CAP. VI.

Aureæ Domui & Amphitheatro propinqua Ædificia.

INTRA ambitum domus aureæ templum Fortunæ [1], quam a *segetibus* SEIAM dixere, fuit. Plinius [2]: *Nerone Principe in Cappadocia repertus est lapis duritie marmoris*, *candidus atque translucens*. Hoc *construxerat ædem Fortunæ Aurea domo complexus*. *Quare etiam foribus clausis interdum claritas ibi diurna erat*, *haud alio quam specularium modo tamquam inclusa luce*, *non transmissa*. Quæ verba indicant cum domo templum periisse.

In Hortis Cœnobii S. Mariæ Novæ duarum simul & conjunctarum, & parium ædium reliquiæ sunt, quas alii *Solis* & *Lunæ*, alii *Concordiæ* & *Æsculapii*, ISIDIS alii ac SERAPIDIS [3] volunt esse. Quæ opinio displicet. Cum enim tertia Urbis regio, in qua modo versamur, ab his nomen conjunctim assumat apud P. Victorem & Sextum Rufum; credibile est, eos conjuncta etiam templa habuisse, quos alibi uno templo cultos simul, supra diximus. Idem ex eo Fulvius [4] autumat, quod præcipit Vitruvius templa Diis sic distribuenda: *Mercurio in Foro*; *Isidi & Serapidi in Emporio*. Varro autem ibi ad Sacram viam Emporium statuit illis verbis: *Hujusce*, *inquam*, *pomarii summa Sacra via*. Confirmat Ovidius [5]:

Rure suburbano poteris tibi dicere missa,
Illa vel in Sacra sint licet empta via.

Et prope aderat Suburra, in qua nasci sibi poma, nempe venalia, canit Martialis [6]. Neque objiciat aliquis templum Isidis dirutum fuisse a Tiberio, statuamque mersam in Tiberim, aliquot sacerdotibus actis in crucem, quod turpe flagitium in ejus templo patrari curassent, ut tradit Josephus [7]. Non enim semel horum templa diruta & restituta sunt, atque in cultu Isidis & Serapidis Romæ variatum est. Dion [8]: *Decretum*, *quod prioris anni exitu de Serapi Isideque factum erat*, *inter prodigia non extremum videtur locum obtinuisse*. *Eorum Divorum fana*, *quæ privatim nonnulli extruxerant* [9]. *Senatus demoliri jussit*, *quod eos non magnopere inter numina numerabat*. *Ubi ea sententia obtinuit*, *ut publice jam coli inciperent*, *extra pomœrium eos Deos collocaverunt*. Quo loco affirmat id Senatus consultum factum anno Urbis DCC. cum Tertullianus [10], ut supra dixi, id factum afferat Pisone & Gabinio Coss. nempe anno Urbis DCXCVI. Idem Dion de Augusto loquens ait [11]: *Ægyptiis Diis sacra fieri intra pomœrium non est passus*. Idem de Agrippa [12]: *Sacra Ægyptia*, *quæ iterum in Urbem jam insinua-*

1 Templum Fortunæ. 2 Lib. 36. c. 22. 3 Templa Isidis, ac Serapidis. 4 Fulv. lib. 5. 5 Ovid. de Arte. 6 Mart. l. 10. Epigr. 93. 7 Joseph. antiq. Judaic. Lib. 18. c. 7. 8 Lib. 50. 9 Templa Isidis diruta, & iterum structa. 10 In Apolog. c. 6. Tertul. 11 lib. 1. cap. 21. 12 Dion l. 53. Dion. l. 54.

bant, repressit, edicto, ne quis in suburbano intra D. passus ageret. At Tertullianus [1]: *His vos restitutis summam majestatem contulistis. Licet Serapidi jam Romano aras restruxeritis.* Quæ verba ostendunt intra Urbem postea receptos. Sic Domitianus, referente Suetonio [2], e Capitolio fugit *mane Isiaci celatus habitu interque sacrificulos vanæ superstitionis.* qui scilicet illic sacra curabant. Othonem autem scripserat [3], *sacra etiam Isidis sæpe in lintea religiosaque veste propalam celebrasse.* Spartianus de Antonino Caracalla: *Sacra Isidis Romam deportavit,*

1 loc. cit. 2 Sueton. in vita Domit. cap. 1. 3 In vita cap. 12.


A *& templa ubique magnifice eidem deæ fecit. In quo quidem mihi mirum videtur, quemadmodum sacra Isidis primum per hunc Romam venisse dicantur, cum Antoninus Commodus ita ea celebraverit.* Quare non mirum, si regioni III. intra Urbem nomen dederunt, cum intra & extra pomœrium colerentur.

Non longe ab his, qua flectebatur ab Appia in Sacram viam inter Palatinum & Cœlium erigitur triumphalis ARCUS Constantini [1] propior tamen Palatio. Positum debellato Maxentio indicat titulus:

1 Arcus Constantini.

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO. MAXIMO
P. F. AVGVSTO. S. P. Q. R
QVOD. INSTINCTV. DIVINITATIS. MENTIS
MAGNITVDINE. CVM. EXERCITV. SVO
TAM. DE. TYRANNO. QVAM. DE. OMNI. EIVS
FACTIONE. VNO. TEMPORE. IVSTIS
REMPVBLICAM. VLTVS. EST. ARMIS
ARCVM. TRIVMPHIS. INSIGNEM. DICAVIT

Sub Arcu medio ex utroque latere cernitur effigies Constantini expressa marmore inter signa & militares cuneos, qua insidentis equo & accedentium hostium catervas incurrentis, qua stantis imperantisque victis gentibus, lauream supra verticem sustinente Victoria, adjectisque titulis: LIBERATORI. VRBIS. FVNDATORI. QVIETIS. Quod autem extrinsecus ab utraque fronte legitur: VOTIS. X. VOTIS. XX. [1] *Vota decennalia*, & *vicennalia* indicantur, ejus saluti imperioque totidem annis a populo nuncupata. Qui mos ab Augusto derivatus ad illam usque vigebat ætatem. Dion [2]: *Cæsar*, inquit, Augustus, *quo longius Romanos a suspicione regiæ potestatis sibi propositæ abduceret, imperium in suos decennale suscepit. Ei cum primum decennium exivisset, aliud quinquennium, atque eo circumacto rursum aliud quinquennium: post decennium, ac eo finito aliud iterum decretum est, ita ut continuatis decenniis per totam vitam summam Imperii obtinuerit. Quam ob causam posteriores quoque Imperatores, etsi non ad certum tempus, sed per omne vitæ spatium iis imperium deferatur, tamen singulis decenniis festum pro ejus renovatione agunt, quod hodie etiam fit.* Frequens in antiquis numismatis mentio Votorum X. XX. XXX. XXXX.



Cæterum Arcum illum triumphalem inæqualis artificii marmoribus compactum multi observant, eximiis quibusdam, aliis vero rudioris sculpturæ operibus. Et præclara quidem ex aliquo Augusti vel Trajani monumento detracta arbitrantur. Verum quoniam hi Arcus triumphaturis festinato erigebantur, & complures sculpendi magistros necesse erat adhibere; non male sentiat, qui putet eadem ætate insignes alios, alios minus laudatos iis lapidibus figurandis suam operam impendisse. affabre namque, ac miro studio quædam sunt, quædam inculto stylo ac ruditer elaborata. Quæ porro sub Arcu medio, ex utroque latere, cernitur, Trajani effigies est, non Constantini expressa; atque hæ duæ cum superioribus tabulis, numismatis, ac simulacris captivorum Dacorum, ex Trajani arcu fuere detractæ, vel ab ejus ædificiis in Foro. Arcus enim

1 Quid essent Vota decennalia. 2 Lib. 53.

B structura est congestitia, ex aliorum ruinis. Tanta quidem fuit temporum infœlicitas, tamque citus ac dirus bonarum artium ictus, ut Roma sculpturæ modo officina, modo penuria artificum, ad unius triumphum exornandum, præclarissima Trajani monumenta demoliri, atque ad interitum perducere sit coacta. Verum ut immortalia optimi Principis atque laudatissima artis exempla memoriæ elucescant brevi describenda proposui. Tabulæ insculptæ duæ utrimque sub fornice medio, simul atque duæ extantes aliæ in summitatibus orientalium atque occidentalium laterum, unam tantum olim conficiebant tabulam, quæ nunc in quatuor partes

C divisa conspicitur. Hinc vectus equo Trajanus hasta fulminat in Dacos, eosdem profligat, calcat: hinc Romani milites hostes insequuntur, fodiunt, sternunt, vinculis irretitos trahunt, avulsaque ipsorum capita ostentant: hinc demum ipsemet Trajanus adstat, militari amictu, ante legionum signa lauream super ejus verticem sustinente Victoria: adstat simul Roma parazonio, galea, hastaque insignis, ad quam respicit, manumque protendit Imperator.

Ab septentrionali vero fronte, aliæ visuntur tabulæ quatuor, in fastigio, circa Inscriptionem:

I. Eminet Trajanus in sella curuli, inter signa: Satrapas ad ejus pedes, juvenem Parthamasirim abs-


D que diademate, & supplicem admovet; atque Imperatorem humiliter precatur, ut Armeniæ regnum Pacoro patri ablatum filio restituat.

II. Sedet publicus parens, cum toga & pallio, circum Senatoribus stantibus supra suggestum; subsistuntque cum liberis viri atque uxores, per universam Italiam puerorum alimentis constitutis, populoque Romano congiariis aucto.


III. Mulier seminuda humi, rotæ currus incumbens, imago viæ est, qua Appiam Benevento Brundusium Trajanus perduxit, cum Arcu triumphali a S. P. Q. R. Beneventi erecto. In numismate vero ipsiusmet Imperatoris, conspicitur mulier cruri ad-

E nitens rotam, atque arundinem tenens, cum litteris, VIA TRAIANA. De qua Dio [1]; & hæc videtur esse viæ simulacrum, per Pontina palustria (quæ arundine designantur) communitæ.

1 Dion ex Theodos.



IV. Ul-


IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO
P. F. AVGVSTO S. P. Q. R.
QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS
MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO
TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS
FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS
REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS
ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT
VOT X
VOT XX
CONSTANTI MAXIMI
PROPE AMPHITHEATRVM

IV. Ultra Euphratem ac Tigrim, ad oceanum A usque propagata ditione, Roma tenet orbem Imperii, quem ipsi adsignat Imperator, superadvolante Victoria, laurigerum sertum hinc, inde utraque extendens manu, comitantibus Pietate atque Salute, cum angue & Amaltheæ cornu.

Subsequuntur totidem numismata quatuor, infra columnarum spacia, cum venationibus & sacrificiis, de quibus Plinius: *Instar refectionis existimat mutationem laboris, lustrare saltus, excutere cubilibus feras, pia mente adire lucos, & occursare numinibus.* I. Venatio Apri. II. Apollini sacrum. III. Imperator inter venatores, atque ejus subjacet pedibus B Leo stratus. IV. Marti sacrum. Sequitur adversa Arcus meridionalis frons, in cujus superioribus tabulis hæc sunt insculpta:

I. Ctesiphonta profectus Trajanus ex suggestu multa præfatus Parthenaspatem regem Parthorum designat. Adstat Parthenaspates, in pellita chlamyde, atque braccatus, ante suggestum sub Imperatore: adstant Romani ac milites prope castra cum signis relatis, ac ferculis victoriarum [1].

II. Ex transfugis unus ad occidendum Trajanum in Mysiam profectus, ante Imperatorem sistitur, C cui Decebali patefacit insidias.

III. Allocutio. Militum Præfectos, Signiferos, more in castris consueto, Trajanus alloquitur [2].

IV. Trajanus Pont. Max. habitu, capite detecto pateram tenens, ante accensum tripodem, celebrat Sueovetaurilia, in victimas cæsurus taurum Jovi, suem Marti, ovem Jano Quirino; quorum auspiciis auctum est imperium. Numismata I. Herculi sacrum. II. Venatores, canis, & equi custodes. III. Dianæ sacrum. IV. Venatio ursi.

1 Dio. 2 Dio ex Xiph.

Hæc triumphalia Trajani sunt ornamenta; quæ inconsulto in Constantini Arcu vides distributa. Cæterum victorias, flumina supra fornices, captivosque ac signiferos in basibus columnarum, cum parvis tabellis, sub numismatis, ad Constantini ætatem atque res gestas pertinent. Dat Constantinus congiarium populo, alloquitur in senatu, aggreditur muros, pugnat, triumphat.

Ad Arcum Constantini sub imo Palatio CVRIAS veteres [3] olim fuisse, probabilis opinio est. Sunt autem docente Varrone, *Curiæ duorum generum. nam & ubi curarent sacerdotes res divinas, ut Curiæ veteres: & ubi senatus humanas, ut Curia Hostilia*. Romulus ergo cum in triginta curias populum discrevisset, quibus postea additæ sunt quinque, & unicuique suos dedisset colendos Deos, etiam *curiones*, id est, curatores sacrorum, & *curias*, ubi tractarentur res sacræ, decrevit; ut in *sua quisque curia*, quod ait Festus, *sacra publica faceret, feriasque observaret*. Hæc sacra *Curionia* dicta, & *Curionium æs*, quod dabatur curioni ob sacerdotium curionatus. Curias autem eo loci fuisse indicat Tacitus [4], conversiones flexumque describens Urbis fundatæ a Romulo. Inchoat enim, ut alias dixi, ad aram Herculis in Foro Boario, prope ædem nunc S. Anastasiæ: tum deducit ad aram Consi, quæ erat in Circo maximo fere contra templum S. Gregorii: *mox*, inquit, *ad Curias veteres*, nempe ad Arcum Constantini [5]; *tum ad sacellum Larium forumque Romanum*, in angulo Hortorum Farnesiorum contra ædem SS. Cosmæ & Damiani. Blondus posuit sub Esquiliis, & prope ædem S. Petri ad Vincula, sed curiarum sedem mutavit.

3 Curiæ veteres. 4 Ann. l. 12. 5 Curiæ veteres ad Arcum Constantini.



Ante Arcum Constantini & Amphitheatrum *METAM sudantem*[1], fontem videlicet eorum, qui ludos frequentabant, extinguendæ siti percommodum, A eminente Jovis simulacro, extante adhuc vestigio constituunt; quam in nummis expressam habemus.

1 Meta sudans.



Templum TELLVRIS[1], cujus Cicero sæpe meminit, inter Esquilias & Palatium, incerta tamen sede collocant. Prope Sacram viam contra Constantini arcum, præterque Colossæum, qua modico clivo versus templum D. Petri ad Vincula ascenditur, fuisse credibile est, in ipsa forte nunc strata via; nam & olim in via erat. P. Victor recenset in Regione quarta Palatii. Servius perobscure loquitur lib. 1. Æneid. *Carinæ*[2], inquit, *sunt ædificia facta in Carinarum modum, quæ erant intra templum Telluris*. Virgilius quidem loquitur de Carinis, qui postea locus in Urbe ab iis ædificiis dictus, & Cœlio junctus ultra Colossæum, versus templum Sancti Clementis, producebatur. Ibi domus Pompeii, de qua postea dicam. Hanc cum possideret Antonius consul, occiso Cæsare senatum vocavit in ædem Telluris, suis ædibus scilicet propinquam.

Verum quid sit apud Servium, *ædificia facta in modum Carinarum esse intra templum Telluris*, non plane intelligo. Hujusmodi enim ædificia Urbi conditæ a Romulo instar suburbii fuerunt in valle media inter Palatium, Cœlium, & Esquilias: & quod eo se pauperes reciperent, rudis & impolitæ structuræ. Hæc ergo, Roma jam Mundi domina magnisque molibus nobilitata, tanto temporum intervallo intra Telluris templum compulsa, & contenta sunt? An[3] ut priscæ paupertatis exemplum extaret, aliquod ejusmodi ædium vestigium in æde Telluris reconditum servabatur? an potius pictura expressum colores spectantibus referebant? Quod sane frequens in templis fuit. Hoc probabilius videtur. Nam ibi & alia picta cernebantur, ut constat ex Varrone. *In ædem Telluris*, inquit[4], *veneram: offendi ibi spectantes in pariete pictam Italiam*. De solo, in quo templum est conditum, dis-

1 Templum Telluris. 2 Carinæ ubi essent.
3 Quomodo Carinæ in Templo Telluris. 4 Var. lib. 1. de re rust.

B sentiunt auctores. *Invenio*, inquit Livius[1], *damnatum Spurium Cassium populi judicio, dirutasque publice ædes. Ea est area ante Telluris ædem*. Damnatus vero est Cassius consul, quod primus legem Agrariam promulgasset, venissetque ea largitione in suspicionem affectati regni. At Cicero, *Sp. Cassii*, inquit, *domus ob eandem causam eversa, atque in eodem loco ædes posita Telluris*. idemque Valerius tradit[2]. Dionysius[3] vero, *Aedes*, inquit, *dirutæ sunt, ubi nunc quoque ante Telluris patet area, in cujus parte postea Deam hanc consecravit populus in via, quæ ad Carinas fert*. Fortasse locus eversæ domus, areæ ante templum, & templi capax fuit. Causam vero extruendi afferunt, quod P. Sempronius Sophus bellum gerens cum Picentibus, teste Floro[4], *tremente inter prælium campo, Tellurem Deam promissa æde placavit*. De eodem terræ motu Orosius[5], & Frontinus[6], qui Tiberium Sempronium Gracchum appellat. Sed mendose legi autumat Sigonius[7]. Ad Telluris, fuit armamentarium, de quo M. Tullius in Orat. de Arusp. Responsis.

D Basilicam CONSTANTINI, & Porticum ABSIDATAM, nempe sinuatam, & una abside vel pluribus terminatam in eadem Regione quarta numerat P. Victor. Locus certo designari non potest. Manutii codex habet *Asidatam*, quod explicari vellem. Dion[8] alterius porticus meminit in hac vicinia prope Forum Romanum constitutæ. *PAULI*, inquit, *PORTICUS incendio absumpta est: ignisque ab ea, ad Vestæ usque grassatus, ita ut sacra a Vestalibus in Palatium sint translata. Hæc postea porticus verbo quidem ab Aemilio, qui ab eo, qui primus hanc fecerat, genus suum trahebat, re autem ab Augusto, & Pauli amicis refecta est*. Forte aliquis pro porticu intelliget basili-

1 Decad 1. lib. 3. 2 Lib. 6. cap. 3. 3 Ant. Ro. lib. 8
4 Lib. 1. c. 19. 5 Lib. 4. c. 4. 6 Front. l. 1. 7 In Fast de Coss. An. 485. 8 Dion. l. 54.

cam Æmilii Pauli, quamvis Græce sit στοὰ ἡ παύλιος.

Castra Misenatium porticui Liviæ idem in Regione tertia subscribit. Hi Classiarii erant, interdum ad Urbem venientes. Augustus enim, referente Suetonio [1], *classem Miseni, & alteram Ravennæ ad tutelam Superi & Inferi maris collocavit*. His classis militibus seu vocatis, seu alia de causa venientibus ad Urbem attributa hospitia. Neque his solum, sed aliis in classe degentibus. De his Suetonius in Galba [2]: *Nam cum classiarios, quos Nero ex remigibus justos milites fecerat, redire ad pristinum statum, Galba cogeret.*

1 In ejus vita cap. 49. 2 Cap. 12.

CAP. VII.

Amphitheatrum Flavium, & alia Amphitheatra.

OFFERT jam se nobis AMPHITHEATRUM FLAVIUM, cujus occasione de aliis amphitheatris, postea de theatris dicendum. Θέατρον Græce spectaculum [1] est, & locus ipse, in quo eduntur spectacula. Hoc ædificium in hemicycli, aut circuli formam extruebatur. Illud cum scena ad ludos dramaticos *theatrum* dictum: hoc duobus quasi theatris compactum ad ludos gladiatorios, *amphitheatrum*. Cassiodorus [2]: *Cum theatrum, quod est hemisphærium, Græce dicatur: amphitheatrum, quasi in unum juncta duo visoria, recte constat esse nominatum*. In utroque dispositi gradus ac sedilia, ut commode civibus liceret ludos intueri. Romæ quidem usque ad Pompejum temporaria fuere theatra & amphitheatra; quod hujusmodi fabricæ putarentur nocere bonis moribus. Livius [3]: *Cum locatum a censoribus theatrum extrueretur, P. Cornelio Nasica auctore, tamquam inutile & nociturum publicis moribus ex Senatus consulto destructum est, populusque aliquandiu stans ludos spectavit*. Appianus [4]: *Theatrum, quod L. Cassius cœperat, ac fere absolverat, consul Scipio evertit*. Vellejus [5]: *Cassius Censor a Lupercali in Palatium versus, theatrum facere instituit, cui in demoliendo eximia civitatis severitas & consul Scipio restitere. Quod ego inter clarissima publicæ voluntatis monumenta numeraverim*. Id actum anno Urbis DXCIX. Tacitus [6]: *Quippe erant, qui Cn. quoque Pompejum incusatum a senioribus ferrent, quod mansuram theatri sedem posuisset. Nam antea subitariis gradibus & scena in tempus structa ludos edi solitos, vel si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse*. Quod confirmat apud Ciceronem de Amicitia Lælius: *Stantes [7] autem plaudebant in re ficta*. Ubi de fabula data a Pacuvio sermo est. Ludi tum ferme fiebant in Foro, cum extructis gradatim ligneis subselliis circumsidebant, aut ex area & porticibus spectabant. Plutarchus in vita Gracchorum: *Ludi gladiatorii in Foro exhibendi erant, & plerique eorum, qui magistratibus fungebantur, cuneos in orbem ad spectandum instruxerant, quos locabant. Eos Cajus imperavit illis, ut tollerent, quo inopes ex cavea spectare gratis valerent. Nemine auscultante, præstolatus noctem, cui spectaculum illucescebat, evertit per opifices, quos habebat penes se conductos, cuneos illos, populoque postridie locum vacuum exhibuit*: Suetonius de Augusto: *Athletas*, inquit, *e-*

1 Quod sit Theatrum. 2 Lib. 5. Variar. ep. 42. 3 Lib. 48 in epitoma. 4 App. lib. 1. 5 Vell. lib. 1. 6 Tacit. lib. 14. Ann. 7 Antiquitus stantes Romani ludos spectabant.

A *didit extructis in Campo Martio sedilibus ligneis*. Quo sane more majorum non modo cum theatra nulla erant, sed etiam postquam e lapide posita sunt, nihilominus lignea locabantur; sive quod certis in locis a theatro vacuis ludi essent edendi, sive quod major eorum, qui edebant, videretur munificentia splendido ludorum & ipsius loci apparatu. De primo genere ludorum Josephus loco supra citato [1]. *Dum ludi*, inquit, *aguntur in Palatio: hi celebrantur in honorem Cæsaris, qui primus dominationem a populo in se transtulit, & extructa ante Regiam scena*. Deinde: *Peracto sacro consedit, Cajus, inter amicos in theatro, quod compactile instau-*
B *rabatur per singulos annos*. Tacitus [2]: *Cœpto apud Fidenam amphitheatro Attilius quidam libertini generis, quo spectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit*. Cujus deinde molis convulsæ ruina *quinquaginta hominum millia, vel debilitata, vel obtrita fuere*. Posteriores ludos dedit Cæsar facta e ligno theatrali mole, ut testatur Dion [3]: deinde Nero in Campo Martio extructo ab se ligneo amphitheatro, ubi jam lapideum erat. Tacitus [4]: *Nisi cum libeat laudandis fundamentis, & trabibus, quis molem amphitheatri apud*
C *Campum Martis Cæsar extruxerat, volumina implere*. Suetonius [5]: *Munere, quod in amphitheatro ligneo in regione Martii Campi intra anni spatium fabricato dedit, neminem occidit*. Hæ moles interdum versatiles erant. Quod de duobus Curionis theatris, & aversis scripsit Plinius [6], quæ postea sedente populo conversa efficerent amphitheatrum. Et quamvis temporaria mora, tamen non solum e ligno, sed e lapide ac marmore, exquisitissimo luxu extruebantur: quod auctor idem tradit de Scauri admirabili theatro, in quo & aliis ædilitatis muneribus Scaurus *opes suas absumpsit, magnumque æs alienum contraxit*, ut ait Asconius. Id eo plerique
D putabant, *a Pompejo consultum*, ut ait Tacitus [7], *parsimoniæ, quod perpetua sedes theatro locata sit potius, quam immenso sumptu singulos per annos consurgeret ac strueretur*.

Primum AMPHITHEATRUM in Urbe stabile ac lapideum posuit STATILIUS TAURUS; alterum VESPASIANUS, cujus pars adhuc extat. Suetonius [8]: *Et multa a multis extructa sunt hortante Augusto: a Cornelio Balbo theatrum, a Statilio Tauro amphitheatrum*. Dion [9]: *Statilius Taurus amphitheatrum in Campo Martio [10] suis sumptibus absolvit, inque ejus dedicatione munus gladiatorium exhibuit*. Idem recenset P. Victor in Regio-
E ne nona Circi Flaminii. Ne cogamur novis Antiquariis assentiri, qui id collocant in ultimis Esquiliis prope templum S. Crucis in Hierusalem. Extat quidem eo loci, stantibus adhuc pilis & parietibus, lateritium amphitheatrum. Sed illud est, quod in Regione quinta Esquilina P. Victor nuncupat *Amphitheatrum* CASTRENSE. Nunc in ipsis mœnibus, aut pro mœnium monimento, quamvis non magno circuitu, est.

Sed ut ad amphitheatrum Statilii redeam, causa ejus ædificandi fuit, quod Augustus principes viros sæpe hortabatur, ut pro facultate quisque monumen-
F tis, vel novis, vel refectis, & excultis Urbem adornarent: & victo cæsoque Antonio, ac subacta Ægypto post Cæsaris reditum, spectacula in Urbe magnificentissima edenda forent. In eo postea, & alii Cæsares ludos dederunt. Suetonius: *Munera*, inquit, *gladiatoria partim in amphitheatro Tauri, partim in Septis, aliquot* Caligula *edidit*. At de eodem

1 Joseph. lib. 19. cap. 1. 2 Tac. lib. 4. Annal. 3 Dion. lib. 43. 4 Tacit. lib. 13. Annal. 5 In vita Ner. cap. 12. 6 Plin. lib. 36. cap. 15. 7 14. Ann. 8 In vita Aug. cap. 29. 9 Lib. 51. 10 Amphith. Tauri in Campo Martio.



Dion.[1]; *Exhibuit autem ſpectacula iſta primum in Septis, effoſſo omni loco & aqua repleto, ut unam navem introducere poſſet. Poſt alibi etiam maxima ædificia demolitus, tabulata fixit, contempto Tauri amphitheatro*. Ibidem; *Sicubi eſſet vehementer*, ſolis ardor, *diribitorio pro theatro uſi ſunt. Diribitorium* autem erat ædificium tecto coopertum, de quo poſtea.

Statilius quidem Taurus homo novus in Urbe fuit, ſed induſtrius ac fortis, eoque maxime poſt Agrippam uſus eſt Auguſtus in adminiſtratione reipublicæ, ut teſtatur Paterculus[2]. Dion de Auguſto[3]: *Dein Urbis & Italiæ gubernatione Tauro injuncta ab Urbe profectus eſt*. Ab eodem miſſus in Africam, provinciam recepit. Contra Dalmatas teſte Dione[4] bellum geſſit. Bello Actiaco contra Antonium, referente Paterculo[5], dux terreſtrium legionum, equitatum Antonii fudit. Domuit Cantabros, Aſtures, Vaccæos in Hiſpania; conſul factus cum Auguſto VIII. conſule, cum quatuor ante annis amphitheatrum dedicaſſet, exhibitoque munere id ei populus indulſiſſet, ut quotannis unum prætorem eligendi poteſtatem haberet. Hæc ex Dione[6]: apud quem legimus, Neronianis facibus arſiſſe montem Palatinum, & Thauri theatrum, & cæteras Urbis duas partes. Sed dubium, an hic pugnet cum Tacito[7], qui hæc ipſa ſpectaverat, ſcripſitque: *Solatium Populo exturbato, & profugo, Campum Martis, ac monumenta Agrippæ: hortos quin etiam ſuos Neronem pateſeciſſe*. Intactus ergo ab igne Campus Martis, in quo Tauri amphitheatrum.

Amphitheatrum FLAVIVM, vulgo COLOSSÆUM, ut pulchrius & amplius, ita potentiori manu extructum eſt. Suetonius; *Fecit*, inquit[8], *amphitheatrum* Veſpaſianus *Urbe media, ut deſtinaſſe compererat Auguſtum*. quod poſtea Titus[9] edito munere apparatiſſimo largiſſimoque *dedicavit*. Hoc enim *dedicare* eſt, aliquid publice ſplendidum ac magnificum primo fabricæ uſu exhibere ex iis, quo-


1 Lib. 59. 2 Vell. lib. 2. 3 Dion l. 54. 4 Dion l. 49. 5 Vell lib. 2. 6 Dion l. 51. & 53. 7 Lib. 15. Annal. 8 In vita Veſp c. 9. 9 Sueton in vita Titi, cap. 7.

A rum gratia perfecta eſt; ut in theatro dramata, paria gladiatorum, ferarumque venationes in amphitheatro, curſus in circo, navales pugnas in Naumachia. Sic Nero dedicaſſe domum dicitur[1], qua variis conviviis, qua publicis ludis, ſparſiſque in populum muneribus.

Jam quia quoſdam dubitatio ſolet inceſſere, quomodo[2] amphitheatrum media Urbe ab Auguſto deſtinatum ædificarit Veſpaſianus, cum adeo diſtet a porta Viminali, Eſquilina, Nævia, minus a Capitolio, ubi illa tempeſtate pomœrium, facilis reſponſio eſt. Locus enim ille in medio ſeptem Urbis collium ſitus eſt, a quibus cingitur in modum coronæ, quamvis alius alio ſit propinquior. Habet Ca-
B pitolium, & partem Quirinalis a ſeptentrionibus; Aventinum & Palatinum ab occaſu; Cœlium & Eſquilini partem a meridie; reliquum Eſquiliarum cum Viminali, & parte Quirinalis ab ortu. Deinde quamvis Urbs pomœrio ſecundum Capitolium & Tiberim terminaretur, tamen extra erat tam publicis, quam privatis ædificiis frequens, ut horum reſpectu, vere in Urbis medio diceretur eſſe. Cæterum ea celſitate & amplitudine factum eſt amphitheatrum, ut dixerit Ammianus[3] *Amphitheatri molem ſolidatam lapidis Tiburtini compage, ad cujus ſummitatem ægre viſio humana conſcendit*. Caſſiodorus in Chronico opus Tito attribuit. *Titus*, inquit, *Amphitheatrum Romæ ædificavit, & in dedicatione ejus quinque millia ferarum occidit*. Et in
C Epiſtolis[4]; *Hoc Titi potentia principalis divitiarum profuſo flumine cogitavit ædificium fieri, unde caput Urbium potuiſſet*. Rectius Aurelius Victor, *Amphitheatri perfecto opere*. Præventus enim morte Veſpaſianus ut dedicare non potuit, ita nec omnino abſolvere; quem videlicet auctorem tam nummi veteres, quam cæteri auctores proclamant. Capiebat autem loca ex P. Victore LXXXVII. millia. Sed quamvis amphitheatri *tanta vis eſſet*, ut ait Aurelius Victor; nihilominus ſæpe vel incendiis, vel tempeſtatibus, aliiſque de cauſis labefactatum, & aliqua parte dirutum refici debuit. Itaque Capito-

1 Sueton. in vita c. 31. 2 Quomodo Coloſſæum in media Urbe. 3 Lib. 16. 4 Lib. 5. Ep. 42.


Fig. XXIII
Pag. 760.
AMPHITHEATRVM
FLAVIVM
VVLGO COLOSSEVM





linus refert, ab Antonino Pio [1] *inſtauratum amphitheatrum*: & Lampridius inter opera Heliogabali [2] memorat *inſtaurationem amphitheatri poſt exuſtionem*. Idemque ſcribit de Alexandro: *Lenonum vectigal*, &c. *ſumptibus publicis ad inſtaurationem Theatri, Circi, Amphitheatri, & Ærarii deputavit*. Quæ ſane de hoc principe amphitheatro accipienda ſunt, uti apud Euſebium in Chronico [3]; Decio Principe *Romæ amphitheatrum incenſum*, & ante, ſub Macrino Circenſibus Vulcanaliorum Romæ *amphitheatrum incenſum*.

Spectatur ejus forma apud Lipſium [4], & Italicos Architectos, qui Romanas fabricas accurate deſcripſerunt. Tota moles [5] conſtructa Tiburtino lapide nixos arcus immanibus pilis, triplicique ordine porticus in circulum erigit. Affixæ pilis columnæ plurium ſegmentorum ſcapo. Doricæ imæ, Jonicæ mediæ, ſummæ Corinthiæ. Tum continuatus paries patentibus identidem feneſtris, interque locatis opere compoſito quadratis columnis diſtinguitur. His epiſtylia, atque e zophoro prominentibus craſſis mutulis, corona circum attollitur. Cujus quia ſupremi lapides æqualibus ſpatiis perforati ſunt, trajectæ quondam, immiſſæque antennæ demittebantur ad inferiores mutulos ſub foraminibus ad lineam e muro proſtantes. Ita ſane firmatis trabibus, iiſdemque ſupra fabricæ coronam elatis, funes ad ſuſtinenda vela, & inumbrandum circumſedentem populum alligabantur. Interior cavea ovata eſt; in quam declives fornices, & impoſiti olim ſedentium gradus, areolis certa per intervalla intercurrentibus ex tertia altioreque porticu deſcendebant. Quamvis omnia jam vetuſtas, vel labefactarit, vel exederit, vel everterit. Inferiores pilæ, & arcus extima facie crebris foraminibus deformati ſunt. Id docti, indoctique in feritatem barbarorum, qui capta in Urbe quod delere non potuerunt, vi ferroque mutilatum fœdarunt. Equidem probabilius ſemper duxi, idque de Bernardino Stephonio, nato illo quidem ad eximiam poeſim, ſed una ſummæ eruditionis & eloquentiæ viro audivi, hoc peractum opera artificum & inſtitorum. Illi enim cum ibi nundinas agere, venumque mercimonia exponere conſueſſent, adactis ſolo furculis, ex adverſo perruptos Amphitheatri lapides fodiebant, ut perticas immitterent ſuſtinendis tabernaculis, merciumque tegminibus, & eadurcis. Eam quippe Urbis partem vicis ſplendidiſque tectis ſpectabilem cives cum ipſo Romano Pontifice in Lateranis ædibus degente incolebant; donec Robertus Guiſcardus, ut Gregorium VII. in Adriani Mole concluſum ab obſidione Henrici III. liberaret, ex conſilio Cincii Romanorum conſulis ignem Urbi injecit, ut ex Leone Oſtienſi refert Card. Baronius [6], & majorem Urbis partim Cœlium inter, & Capitolium ſitam evertit, anno ſalutis MLXXXIV. Quare ſuperfuerunt hæc potius ſigna nundinantis induſtriæ, quam barbariæ ſævientis. Cencius Camerarius, qui floruit anno MCLXXXXII. inter varios opifices refert *Bandonarios Coloſſæi*; ibi ſcilicet exercentes opificium, quos nunc *Banderarios* vocant, & ſerica vela conſuentes.

Illud poſtremo referendum, in medio amphitheatro aram fuiſſe poſitam, in qua Deo ſacrificaretur, in cujus honorem fierent ludi. Joſephus [7]: *Progreſſus*, inquit, *deinde Imperator*, Cajus, *rem divinam facit Auguſto Cæſari, ad cujus tum honorem ludi celebrabantur*. Clarius paulo poſt: *Tandem irrumpentibus militibus clamor toto theatro tollitur, & circumlata cæſorum cum Aſprenate capita & in Ara depoſita*. Ubi quamvis de theatri ara ſer- A mo ſit, par tamen, immo potior amphitheatri ratio eſt, cum munus gladiatorium inſtar ſacrificii eſſet. Julius Capitolinus, *Multi*, inquit [1] *dicunt apud veteres hanc devotionem contra hoſtes factam, ut civium ſanguine litato, ſpecie pugnarum ſe Nemeſis, id eſt, vis quædam Fortunæ ſatiaret*. Ara autem erat Jovis Latiarii, aut Stygii, ut Lipſio placet [2]. Nec ſolum in amphitheatro pugnæ, ſed etiam navalia prælia dabantur. Dion [3]: *Aliquando Nero, belluis interfectis, ac ſubito aqua in theatrum deducta bellum navale confecit. Et aqua ſecundum hæc emiſſa, præbuit certamen gladiatorium. Tandem aqua rurſum introducta, publice ſumptuoſa* B *cœna epulatus eſt*: Idem [4]: *cum Titus*, inquit, *dedicaret, amphitheatro repente aqua impleto in ipſo equos, tauroſque, aliaque manſueta animalia introduxit, quæ facere didicerant ea, quæ in terra conſueverant. Introduxit & homines in navibus*.

Præter hæc tria amphitheatra, unum in Urbe inchoatum, poſtea omiſſum eſt. Suetonius [5]: *Inchoavit*, Cajus Caligula, *amphitheatrum juxta Septa, quod a Claudio omiſſum eſt*. Alterum a Trajano perfectum demolitus eſt Adrianus. Spartianus [6]: *Theatrum, quod ille*, Trajanus, *in Campo Martio poſuerat, contra omnium vota deſtruxit*. *Theatrum* C dixit, pro *amphitheatro*, ut alii frequenter. De eo Pauſanias [7]: *θέατρον μέγα κυκλοτερὲς πανταχόθεν*. *theatrum magnum undique circulare*. Hæc vero in Campo Martio propter loci amplitudinem extra Urbem extruebantur.

1 In ejus vita. 2 Ibid. 3 Anno ſalutis 254. 4 De Amph. c. 12. 5 Deſcriptio Amphitheatri Flavii. 6 Bertold. & Leo Oſtienſis apud Baronium ann. 1084. Platina in Vita Gregorii VII. 7 Ant. Jud. lib. 29. c. 1.

1 In Vita Max. & Balb. 2 De Amph. cap. 4. 3 Dion l. 62. 4 Lib 66. 5 In ejus vita cap. 21. 6 In vita Adriani. 7 Lib. 5.

CAP. VIII.

Theatra.

D

UT duo in Urbe amphitheatra, ſic & tria THEATRA perennarunt. Suetonius [1]: *Ut Stephanionem togatarium per trina theatra virgis cæſum relegaverit*. Seneca [2]: *In qua civitate tribus eodem tempore theatris viæ poſtulantur*. Ea fuere POMPEII, MARCELLI, BALBI. Theatrum Pompeii in Campo Floræ, ubi nunc ædes Ducum Urſinorum, fuit. Marcelli in Foro Montanario, ubi ædes Principum Sabellorum: Balbi incertior ſedes. Omnium primum Pompejanum fuit, de quo poſtremo dicam.

THEATRUM MARCELLI Auguſtus condidit, E ubi ante Julius Cæſar deſtinaverat. Suetonius [3]: *Deſtinabat*, Julius Cæſar, *extruere theatrum ſummæ magnitudinis Capitolino monti accubans*. Dictum eſt autem *Marcelli*, quoniam Auguſtus quædam opera fecit ſub nomine alieno: inter quæ porticum *Octaviæ, theatrumque Marcelli* [4]. Octaviæ porticus, quæ ſoror Auguſti, Marcelli mater fuit, theatro contigua erat. Ipſum porro egregium ſtructura capit, teſte P. Victore, loca XXX. millia & Jani aliud templum. Ejus architectum plerique Vitruvium faciunt. Negat Philander ejus interpres, quod peccaſſe videatur in Doricæ coronæ partibus F concinnandis. Doricam tamen ſymmetriam inde præſertim eliciunt architecti.

Idem Auguſtus cum dedicaret ludis, ut ait Dion, [5] ejus gratia factis, *Trojam inter alios patricios pueros nepos Auguſti Cajus luſit: feræ Africanæ ſexcentæ occiſæ*. Quibus ludis evenit, ut, quod ſcribit Suetonius [6], *laxatis ſellæ curulis compagibus, Auguſtus caderet ſupinus*. Idemque, ut ait Plinius [7],

1 In Auguſt. cap. 45. 2 De Clem. lib. 1. c. 6. 3 In vita cap. 44. 4 Sueton. in Aug. cap. 29. Plutarch. in Marcel. Dion l. 53. Lib. 1. c. 1. 5 Dion l. 54. 6 In vita Aug. c. 43. 7 Lib. 8. c. 18.

Tigrin primus omnium, tum, *Romæ oſtendit in cavea manſuefactam*; juſſitque, teſte Dione [1], *ut ludis Romanis effigies Marcelli aurea, aureaque corona, & ſella curulis in theatrum inferretur, mediaque inter præfectos ludis magiſtratus collocaretur*. Hujus ſcenam Veſpaſianus reſtituit. Suetonius: *Ludis, per quos ſcena Marcelliani theatri reſtituta dedicabatur, vetera quoque acroamata dedicaverat*. Voluit & Alexander Severus, teſte Lampridio, *theatrum Marcelli reficere*, nec tamen feciſſe dicitur. Id tamen facti jam incendii, ruinæque indicium eſt. Obiit Marcellus, referente Dione [2], ante dedicationem theatri. Itaque cum ejus mortem defleret Propertius, de hoc theatro loqui non potuit, cum caneret:

Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro.

Intelligit autem ejus munera ædilitia, cum videlicet non modo theatrum Pompeii (aliud enim ſtabile non erat in Urbe) velis obtexit; ſed, quod ſupra dixi [3], *& ſine ludis velis Forum inumbravit, ut ſalubrius litigantes conſiſterent*. Idemque ſub Caligula factum ſcribit Dion l. 59. Ovidius de theatro Marcelli ſcribit, cum ejus liber juſſus abire Palatio ait [4]:

Altera templa peto, vicino juncta theatro.

Quod templum ſive *Pietatis* eſt, factum *in ejus carceris ſede, ubi nunc Marcelli theatrum eſt*, ut ſcribit Plinius [5], atque adeo fabricato etiam theatro, nec tota carceris occupata ſede, templum conſervari potuit: ſive *Junonis ædes*, quæ Plinio auctore, *in Octaviæ porticu fuit*. Addendum ex Tacito [6], ſtatuam Auguſti a Livia ad theatrum Marcelli poſitam. *Neque enim*, inquit, *multo ante cum haud procul theatro Marcelli effigiem Divo Auguſto Julia dicaret, Tiberii nomen ſuo poſtſcripſerat. Idque ille credebatur, ut inferius majeſtate Principis, gravi & diſſimulata offenſione abdidiſſe.*


THEATRUM BALBI juxta circum Flaminium fuiſſe autumant, & ejus quædam veſtigia apud Cæſarinas ædes extare; nec tamen rationem video, quæ id probet, niſi pro ratione ſit affirmantium auctoritas. L. Cornelius Balbus vir triumphalis magnis in Africa rebus geſtis, *Garamantes*, ut ait Solinus [7], *ſubegit, & primus ex hac victoria triumphavit: primus ſane de externis, utpote qui Gadibus genitus acceſſit ad gloriam nominis triumphalis*. Plinius vero [8]: *Omnia*, Garamantum, *armis Romanis, ſuperata, & a Cornelio Balbo triumphata unius omnium externo curru, & Quiritium jure dotato; quippe Gadibus nato civitas Romana cum Balbo majore patruo data eſt*. Major hic fuit L. Cornelius Balbus Pompeii amicus, & ab illo civitate donatus, cujus crebra mentio in epiſtolis M. Tullii, a quo & luculenta oratione, quæ extat, defenſus eſt. Poſtea civili bello inter Cæſarem & Pompejum, *excedente*, ut ait Paterculus [9], *humanam fidem temeritate ingreſſus caſtra hoſtium, ſæpiuſque cum Lentulo colloquutus conſule, dubitante quanti ſe venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non Hiſpaniæ ſuæ natus, ſed Hiſpanus in triumphum & Pontificatum aſſurgeret, fieretque ex privato conſularis*. Factus eſt conſul cum P. Canidio Craſſo anno Urbis DCCXIII. [10]. in aliorum qui ſe magiſtratu abdicaverunt, locum cum collega ſuffectus. Porro minor Cornelius Balbus ſuaſu, hortatuque Auguſti *theatrum extruxit*, ut Suetonius [11], dedicavitque datis ludis teſte Dione [12], Tiberio primum & Quintilio Varo Coſſ. anno DCCXXXX. quo tempore Tiberis inundavit, ut non niſi navi in theatrum veniri poſſet; reverſuſque eſt Auguſtus e Germania; Tiberius autem conſul in honorem theatri Cornelium Balbum ſententiam primum omnium rogavit in ſenatu. Eodem anno dicatum ab Auguſto Marcelli Theatrum, idem eſt auctor [1].

THEATRUM POMPEII primum omnium dedicatum eſt anno Urbis DCXCIX. Pompejo & Craſſo II. Coſſ. ut eſt apud Dionem [2]. Id Pompejus reverſus bello Mithridatico *expreſſum e Mitylenæo*, ut Plutarchus [3]; grandius *tamen, & pulchrius* faciendum curavit. Quod *etiam nunc inſigne habetur*, ſcribit Dion [4] trecentis fere poſt annis, Alexandro Severo Imperatore. Idemque auctor eſt, id theatrum non a Pompejo extructum eſſe, ſed *Demetrium libertum ejus id ex pecuniis, quas dum miles ſub eo eſſet, paraverat, condidiſſe. Iſque rectiſſime nomen ejus facti ad Pompejum retulit, ne male audiret, quod libertus tantum pecuniæ collegiſſet, unde tantos ſumptus facere poſſet*. Certe quam ſupra dignitatem libertus ille polleret, expoſuit Plutarchus in Catone minore. Qui tamen [5], aliique ſcriptores Pompejo ejuſque ſumptibus theatrum aſcribunt. Tertullianus [6]: *Pompejus*, inquit, *Magnus ſolo theatro ſuo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum extruxiſſet, veritus quandoque memoriæ ſuæ cenſoriam animadverſionem, VENERIS ÆDEM ſuperpoſuit, & ad dedicationem edicto populum vocans non theatrum, ſed Veneris templum nuncupavit, cui ſubjecimus*, inquit, *gradus ſpectaculorum*. Gellius [7] ex Tirone Ciceronis liberto ædem VICTORIÆ, non Veneris theatro attribuit. *Cum Pompejus*, inquit, *ædem Victoriæ dedicaturus foret, cujus gradus vice theatri eſſent*. At Plutarchus [8] VENERIS VICTRICIS appellat: *Viſum eſt*, inquit, *Pompejo in ſomnis theatrum ingreſſo ſibi populum plaudere, templumque ſe Veneris Victricis multis ſpoliis ornare*. Græce ἱερὰ Ἀφροδίτης νικηφόρȣ, *templa Veneris Victricis*. Num unum quaſi bipartitum, an duo conjuncta? videtur hæc ſaltem indicare Suetonius [9]: *Ludos dedicationis Pompejani theatri, quod ambuſtum reſtituerat, e tribunali poſito in orcheſtra commiſit*, Claudius: *Cum prius apud ſuperiores ædes ſupplicaſſet*. Erant enim poſitæ ſupra ſcenam, ut populus conveniens in theatrum videretur in Deæ honorem convenire. Unius ædis meminit Plinius [10]: *Pompeii quoque altero conſulatu, dedicatione templi Veneris Victricis pugnavere in circo viginti*. Loqui enim de æde Veneris in theatro oſtendunt ludi in ejus dedicatione facti. Sufficiebat large hoc theatrum, teſte eodem [11], quadraginta millibus, habebatque exiguo diſſitas intervallo Pompeii PORTICUM, REGIAM ſeu BASILICAM, & CURIAM. Porticus fuit a tergo ſcenæ theatri, cujus curva pars Campum Floræ attingebat, ut adhuc indicat flexura ædium Urſinarum. Quare porticus, quæ fuit ad rectam theatri partem, ubi & ſcena, vicinior quoque Circo Flaminio & Capitolio erat, verſus ædem nunc S. Caroli. Vitruvius [12]: *Poſt ſcenam porticus ſunt conſtituendæ, uti cum imbres repentini ludos interpellaverint, habeat populus quo ſe recipiat ex theatro; choragiaque laxamentum habeant ad chorum parandum, uti ſunt porticus Pompejanæ*. Appianus [13]: *Spectacula tunc quidem in Pompeii theatro agitabantur: Senatus in proximis ædibus convocabatur. Brutus interim in porticu, quæ ante theatrum ſita erat, exigentibus ab*

1 Lib. 53. 2 Dion l. 53. 3 Plin. Lib. 19. c. 1. 4 Triſt. lib. 3. El. 1. 5 Lib. 7. c. 30. 6 Lib. 3. Ann. 7 Cap. 31. Ann. Urb. 734. 8 Lib. 5. c. 5. 9 Vell. lib. 2. 10 Sigonius in Faſtis. 11 Aug. c. 29. 12 Lib. 54.

1 Eod. libro. 2 Lib. 39. 3 In vita Pompeii. 4 Loc. cit. 5 In Pomp. 6 In lib. de Spect. 7 Lib. 10. cap. 1. 8 In vita Pomp. 9 In Claudio cap. 21. 10 Lib. 8. cap. -. 11 Lib. 36. cap. 15. 12 Lib. 5. cap. 9. 13 Lib. 2. de Bell. civil.

Tol. 763. Fig XXIV.







A *eo veluti Prætor jus administrabat*. Hæc porticus ab antiquis magnopere commendata, a nobis alibi describetur. Curia etiam, quæ Pompeii dicta est, proxima theatro fuit. Dion [1]: *Habituros se auxilium gladiatorum, quos multos in Pompeii theatro, a quo non procul Curia aberat, tanquam ad spectaculum exhibendum adornaverant*. Hæc occiso in ea Cæsare occlusa est. Ibidem Basilica ejusdem. Suetonius [2]: *Pompeii quoque statuam contra theatri ejus Regiam marmoreo Jano supposuit translatam e Curia, in qua C. Cæsar fuerat occisus*. Alia, egregiaque fuere ejus theatri ornamenta. Plinius [3]: *Pompejus*, inquit, *magnus in ornamentis theatri mirabiles fama posuit effigies, ob id diligentius magnorum artificum ingeniis elaboratas*. Tacitus [4]: *Lepida theatrum cum claris fœminis ingressa, lamentatione flebili majores suos ciens, ipsumque Pompejum, cujus ea monimenta & adstantes imagines visebantur*. Inter cæteras fuere GENTIUM effigies. Suetonius [5]: *Modo a simulacris gentium ad Pompeii theatrum dedicatarum circuiri, arcerique progressu*. Plinius [6]: *Idem*, Varro, *& a Coponio XIV. nationes quæ sunt circa Pompeii theatrum, factas, auctor est*. Ibidem Tiberii arcus. Suetonius [7]: *Tiberio marmoreum arcum juxta Pompeii theatrum, decretum quidem olim a Senatu, verum omissum*, Claudius, *peregit*. Ibidem COLOSSUS JOVIS. Plinius: *Moles excogitatas videmus statuarum, quas* Colossos *vocant, turribus pares. Talis in Campo Martio Jupiter a Claudio Cæsare dicatus, qui vocatur* Pompejanus *a vicinitate theatri*. In eodem inaurato ludos dedit Nero. Plinius [8]. *Nero Pompeii theatrum operuit auro in unum diem, quod Tiridati regi Armeniæ ostenderat. Et quota pars ea apparatus fuit Aureæ domus ambientis Urbem? Totum*, inquit Dion [9], *theatrum intus cum scena inauravit*, Nero, *auro etiam ornatis quæ intromittebantur, extensis supra velis, quæ stellis aureis distinguebantur*. *Quare ille ludorum dies* aureus *nominatus est*. Quibus sane ludis *Regem juxta se latere dextero collocavit, & Imperator consalutatus*, Nero, *laurea in Capitolium lata*, ut ait Suetonius [10].

Cæterum theatrum sæpe ignium, aut temporum injuria detrimenta cepit: sæpe etiam refectum est. Primum sub Tiberio, cum referente Tacito [11], *igne fortuito exustum Tiberius extructurum pollicitus est, eo quod nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen nomine Pompeii*. Seneca [12]: *Decernebatur illi* (Sejano) *statua in Pompeii theatro ponenda, quod exustum Cæsar reficiebat*. Sed non absolvit. Suetonius [13]: *Augusti templum, restitutionemque Pompejani theatri imperfectam post tot annos reliquit*. B Caligula perfecit, ut idem auctor est [14]. Mox iterum ambustum Claudius restituit. *Ludos*, refert Suetonius [15], *dedicationis Pompejani theatri, quod ambustum restituerat e tribunali posito in orchestra commisit*. Dion [16]: *Memoriam theatri Pompeii scenæ addita inscriptione [17] nominis Tiberii, qui eam incendio haustam refecerat, ac suum non instaurationis, sed dedicationis causa nomen adjecit*. Qui tamen, nisi velit theatrum a Claudio instauratum, corrigendus est. Scena rursus arsit sub Tito. Dion [18]: *Multa Romæ conflagraverunt, theatrum Balbi, scena Pompeii*. Titus instauravit, *Urbis incendio*, ut ait C Suetonius [19], *nihil, nisi sibi publice periisse testatus, cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis destinavit, præposuitque quamplures ex equestri ordine, quo quæque maturius peragerentur*. Post hæc arsit sub Philippo ludis secularibus millesimo Urbis anno. Eusebius in Chronico [20]: *Theatrum Pompeii incensum, & Hecatonstylon*. Ex eo Pomponius Lætus: *Quæ omnia in Circo maximo exhibita, & scenicos ludos in Pompeii theatro tribus diebus, totidemque noctibus, mirum dictu, pervigil populus spectavit, funalibus atque lychnis tenebras vincentibus: & cum multitudo solemnibus ludis intenta esset, incendium aut ex luminaribus, aut ex ignibus*

1 Lib. 44. 2 In Aug. cap. 31. 3 Lib. 7. c. 3. 4 Lib. 3. Ann. 5 In Nerone c. 26. 6 Lib 36. c. 5. 7 In Claudio cap. 11. 8 Lib. 33. cap. 3. 9 Lib. 63. sive ex ipso Xiphilinus.

10 In vita Ner. c. 13. 11 Lib. 3. Ann. 12 De Conf. ad Marciam c. 23. 13 In Tiberio c. 47. 14 In vita Cal. c. 21. 15 In vita Clau. c. 21. 16 Lib. 60. 17 De ejus inscr. Gell. l. 10. c. 1. 18 Lib. 66. 19 In Tito cap. 5. 20 Anno salut. 249. de Imp. Philippi.



coalitum in Curia divagatum est. Theatrum Pompeii arsit, & ei propinquum Hecatonstylon, centum columnarum in Campo Martio opus. Centenariam Porticum *appellabant*. Quis deinde instauraverit, incertum. Sed nisi ipse Philippus, vel Gallienum, vel Aurelianum instaurasse, qui & alia moliti sunt, probabile est. Incertum item, an de scena hujus theatri loquatur Vopiscus in Carino: *Pegma praeterea exhibuit, cujus flammis scena conflagravit, quam Diocletianus postea magnificentiorem reddidit.* Refecit postremo Theodoricus Rex, cum jam vel novis incendiis, vel vetustate collaberetur. Scribens enim ad Symmachum ait [1]: *Et ideo theatri fabricam magna se mole solventem consilio vestro credimus esse roborandam. Quid non solvas, o senectus, quae tam robusta quassasti? Montes facilius cedere putarentur, quam soliditas illa quateretur, quando & moles ipsa sic tota de cautibus fuit, ut praeter artem additam, & ipsa quoque naturalis esse crederetur.* Et deinde: *Unde non immerito creditur Pompejus hinc potius Magnus fuisse vocitatus. Et ideo sive masculis pilis contineri, sive talis fabrica refectionis studio potuerit renovari, expensas vobis de nostro cubiculo curavimus destinare, ut & vobis acquiratur tam boni operis fama, & nostris temporibus videatur antiquitas decentius innovata.*

Theatro Pompeii ejus DOMUS [2] tamquam appendix subjicienda est. nam & hanc illum fecisse notavit Plutarchus [3]. *Prope theatrum*, inquit Marlianus [4], *atrium sive curiam & domum, & ante ipsam, porticum Pompejus habuisse dicitur*, sequutus Fulvium, qui, *Habebat*, inquit [5], *olim theatrum ipsum, longas appendices, ubi ejus domus, & curia, & porticus.* A quibus & alii acceperunt. Verum hi auctores, si id affirmant, Pompejum aedificationi theatri, domus suae, quam auxit ornavitque, aedificationem subjecisse, nihil a veritate alienum dicunt: si vero domum Pompeii theatro proximam volunt, cum veritate pugnant. Plutarchus quidem, quo maxime nituntur, haec habet: *Atque Pompejus ipse usque ad tertium triumphum mediocriter & simpliciter habitavit.* ὕστερον δὲ Ῥωμαίοις τοῦτο δὴ τὸ καλὸν καὶ περιβόητον ἀναστήσας θέατρον, ὥσπερ ἐφολκιόν τι παρετεκτίνατο λαμπροτέραν οἰκίαν ἐκείνης. Quod interpres sic vertit: *Post populo Romano eximium illud, & celebratum theatrum extruxit, & juxta velut appendicem aedificavit domum priore splendidiorem.* Sed vox *juxta* omnino redundat, abhorrentemque a Plutarchi mente sensum efficit. quam tamen Interpres eruit a verbo παρετεκτίνατο, quasi παρατεκταίνομαι significet solum *juxta* & *prope aedificare*; cum & idem quod simplex τεκταίνομαι sit. Dicendum ergo [6]: *Post autem cum Romanis splendidum illud & celebre theatrum erexisset, veluti appendicem quamdam aedificavit domum priore splendidiorem.* Itaque appendix in aedificationem, non in locum cadit. Pompejus enim post theatrum [7] aedificavit domum, sed non theatro proximam; verum illam eamdem, quam ante habebat, amplificavit. Erat autem illi domus in Carinis paulum ultra amphitheatrum in quarta Regione, ut ait P. Victor, & sequentia Plutarchi verba demonstrant. Cum enim dixisset, *Pompejus splendidiorem domum aedificavit*, subdit, *sed ne hanc quidem invidiosam: ut ille, qui dominus ejus post Pompejum fuit, eam ingressus obstupesceret, & quaereret, ubi nam Pompejus Magnus coenasset.* Hic sane fuit Antonius, qui eodem Plutarcho [8], & Cicerone referente [9], domum Pompeii a Caesare sub hasta venditam emit. Atque haec ubi fuerit, refert Appianus [10]: *Decretum*, inquit, *perlectum est, Antonium sequenti die in Telluris templo haud longe ab ipsius domo, Senatum habiturum.* Supra vero probatum est, Telluris aedem contra arcum Constantini prope Carinas fuisse. Idem habetur ex Suetonio in Tiberio [1]: *Statim e Carinis ac Pompejana domo Esquilias in Hortos Maecenatianos transmigravit.* Idem perspicue demonstrat Sexti Pompeii scitissima vox, qui Pompeii Magni filius inita pace cum Octavio Caesare & Antonio, *haud absurde*, quod scribit Vellejus [2], *cum in navi Caesarem & Antonium coena exciperet, dixit, in CARINIS suis se coenam dare, referens hoc dictum ad loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio possidebatur.* & Dion. [3]: *Carinae*, inquit, *loci nomen est Romae, quo in loco Pompejus Magnus aedem habuerat, quam tum temporis Antonius possidebat. Porro autem navis aliqua pars* carina *dicitur, & ambiguitate ludens Sextus, convivium ajebat se ipsis in Carinis suis praebere.* Quod si dicant hanc Pompeii domum, & alteram ad theatrum venisse in manus Antonii, nihil plane dicunt. Illam enim Antonius incolebat, quam, teste Plutarcho, splendidiorem a Pompejo factam coemerat, eamque primum ingressus, quaesivit, ubi nam coenasset Pompejus Magnus; eamdemque fuisse in Carinis, auctores citati demonstrant. Quare miror Causabonum eo Suetonii loco [4] *Pompeii statuam contra theatri ejus Regiam marmoreo Jano supposuit, Regiam* interpretari Pompeii domum theatro additam, & in eam rem Vellejum adducere, cujus verba sunt [5]: *perfectis muneribus theatri, & aliorum operum, quae ei circumdedit.* Nam *regia basilica* est Romanis judicum & negotiatorum aedificium. Quae interpretatio placet Beroaldo. Nec alia opera, praeter hanc, curiam & porticum theatro circumdata Vellejus vel dixit, vel dicere potuit, cum domum Pompeii constituat in Carinis. Neque dicas ἐφόλκιον [6] significare *lembum ac tenue navigium*, quod majorem navim prope adhaerens consequi solet; ideo & domum majori theatri fabricae adjunctam. Esto enim, vox illa Graece cymbam onerariae additam significet; eo tamen loco rectius appendicem & additamentum notat. quod utique non eodem loco, ut dixi, sed alibi factum est. Caeterum hanc domum ROSTRIS [7] navium, sed marmoreis, ut opinor, in memoriam devictorum piratarum ornatam multo post Gordianorum familia, tum Caesares possederunt. Testis Julius Capitolinus in Gordiano Majore. *Ipse*, inquit, *Cos. ditissimus ac potentissimus Romae Pompejanam domum possidens, in provinciis tantum terrarum habuit, quantum nemo privatus.* Et paulo post: *Extat sylva ejus memorabilis, quae picta est in domo rostrata Cn. Pompeii, quae ipsius, & patris ejus, & proavi fuit, quam Philippi temporibus vester fiscus invasit.*

In hac forte domo fuit insignis BIBLIOTHECA Gordiani Junioris primi [8], de qua Julius Capitolinus: *Serenus Sammonicus libros patris sui, qui censebantur ad LX. & duo millia Gordiano Minori moriens reliquit; quod eum ad coelum tulit. Siquidem tantae bibliothecae copia & splendore donatus in famam hominum litteratorum decore pervenit.*

Prope hanc in iisdem Carinis DOMUS Balbini Caesaris fuit, qui, caeso in Africa Gordiano, cum Maximo imperii collega suffectus est a Senatu. Idem Capitolinus [9]: *Domus*, inquit, *Balbini etiam nunc Romae ostenditur in Carinis magna & potens, & ab ejus familia huc usque possessa.*

1 Cassiod. lib. 5. Var cap. 51. & ult. 2 Domus Pompeii 3 In vita Pompeii. 4 lib. 6. c. 5. 5 Lib. 4. 6 Pompejus post Theatrum, Domum aedificat 7 Ubi domum Pompejus aedificavit. 8 Plutarch. in Ant. 9 Cic. 2. Phil. 10 Lib 2. de Bell. civil

1 Cap. 15. 2 Lib. 2. 3 Lib. 48. 4 In vita Aug. c. 31. 5 Lib. 2. 6 Supra Plutarchus. 7 Domus Pompeii Rostrata. 8 Bibliotheca Gordiana. 9 In vita Maximi & Balbini.

CAP.

CAP. IX.

Mons Esquilinus, ejusque ambitus, & adjacentes Viæ.

PARS Esquiliarum imminet Carinis meridiem versus, ubi thermarum Titi vestigia sunt. In hunc ergo montem ambitu cæteris ampliorem brevi ascensu subeundum est. ESQUILIAS [1], ut docet Varro, *alii scripserunt ab excubiis Regis dictas: alii ab eo, quod excultæ a rege Tullio sunt. Huic origini magis concinunt luci vicini*. Videtur Ovidius priorem complecti [2]:

Adde quod excubias ubi Rex Romanus agebat,
Qui nunc Esquilius nomina collis habet.

Excubias item Cato in originibus amplectitur a Tullio Rege institutas, sed a Lucumone Hetrusco Romulo traditas. Subdit Varro: *Esquiliæ duo montes habiti* [3]. Eorum nomina Cispius & Oppius fuere. Festus ex Varrone: *Oppius*, inquit, *appellatus est ab Opita Oppio Tusculano, qui cum præsidio Tusculanorum missus ad Romam tuendam, dum Tullus Hostilius Vejos oppugnaret, consederat in Carinis, & ibi castra habuerat. Similiter Cispius a Lævo Cispio Anagnino, qui ejusdem rei causa eam partem Esquiliarum, quæ jacet ad Vicum patritium versus, in qua regione est ædes Mephitis, tuitus est*. Ex quo apparet, Oppium verticem Esquiliarum illum esse, in quo templum Sancti Petri ad Vincula. alterum clivo Suburrano discretum Cispium dici, ubi templum Sanctæ Mariæ cognomento Majoris. Porro hi sunt fines Esquilini montis [4]. Ab Amphitheatro secundum Carinas orientem versus valle profunda primum, deinde modica dividitur a Cœlio, complexus & aliud exigui collis veluti additamentum, qui templo Sanctæ Crucis cognomento in Hierusalem nobilitatus est. Quamquam hic æque ad Cœlium atque Esquilinum, in finibus utriusque situs, putatur pertinere. Inde perpetuo tractu mœnibus cingitur, & ultra portam Sancti Laurentii, qua patet in planiciem, propter aggerem olim Tarquinii conversus ad septemtriones jungitur Viminali: mox ab eodem secernitur tenui vallicula in ipsis hortis Perettinis, quæ profundior in Vico olim patricio & Suburra, mox redit ad amphitheatrum.

Jam in ascensu Esquiliarum occurrunt CYPRIUS, & SCELERATUS Vicus [5]. Ille a Cypro dictus; quod teste Varrone, *ibi Sabini cives additi consederunt, qui a bono omine id appellarunt. Nam* Cyprum *Sabine bonum. Prope hunc Vicus Sceleratus dictus a Tullia Tarquinii Superbi uxore, quod ibi cum jaceret pater occisus, supra eum ut mitteret carpentum mulio, jussit*. Livius. *Cum se domum Tullia reciperet, pervenissetque ad summum Cyprium Vicum, ubi Dianium nuper fuit, flectente carpentum dextra in Virbium clivum, ut in Collem Esquiliarum eveheretur; restitit pavidus is, qui jumenta agebat, jacentemque dominæ Servium trucidatum ostendit. Fœdum inhumanumque inde traditur scelus, monumentoque locus est. Sceleratum Vicum vocant, quo amens agitantibus furiis sororis ac viri Tullia per patris corpus carpentum egisse fertur*. Livius [6] quidem subobscure Vicum eumdem Cyprium & Sceleratum videtur facere. Aperte unum clamat Dionysius. *Is*, inquit [7], *Vicus Cyprius tum dictus, ex eo diro casu Sceleratus est vocatus mutato nomine*. Varro utrumque sejungit. quem placet sequi. Nam & Livius, si in hanc sententiam perducimus, fortasse non repugnat. Porro DOMUS SERVII regis erat in Esquiliis. Livius [1]: *Deinceps*, Servius Tullius, *auget Esquilias, ibique ipse, ut loco dignitas fieret, habitat*. Habitavit autem supra clivum Virbium, ut ait Solinus [2], junctum Scelerato Vico. quamquam alii *Urbicum* habent. Sed Livio Virbius dicitur. Tullia ergo rediens e Foro in domum patris, primum venit in Sacram viam: ab hac in Cyprium Vicum Sacræ viæ adjunctum, contra Arcum Constantini. in illo enim consederunt Sabini, cum Romulus & Tatius in Sacra via fœdus fecissent. Cum ad caput Cyprii Vici venisset, alter occurrebat vicus, cui postea Scelerato nomen. unde & clivi incipiebat ascensus in Esquilias, ubi & patrem trucidatum offendit. Ex quibus tria deprehenduntur. Vicum Cyprium e Sacra via in ipsa planicie Suburram versus fuisse protensum; Vicum autem Sceleratum secundum radices Esquiliarum. Virbium clivum, aut eumdem esse, quo nunc ascenditur ad Divi Petri ad Vincula, aut exiguo intervallo ab eo distantem. Cum autem domus Servii Regis [3] supra clivum esset, infertur etiam non procul ab eodem templo Petri sitam, ubi nunc Minimorum Cœnobitarum domus & horti sunt. Hæc paulo accuratius evolvi, ut de Marliano [4] aliisque auctoribus judicium feratur, qui eam Servii domum in altero Esquiliarum vertice imminentem Vico Patricio prope S. Mariæ Majoris ædem constituunt. Esto enim, quod inculcat, in eum vicum compegerit patricios Servius rex, ut siquid novi molirentur, e superiori loco opprimi possent; nunquid tamen ibi rex habitavit, qui supra Virbium clivum, quod fatentur, domum habuit? Quod si clivus ille tanto spatio sejunctus erat, tam Domus ab hoc vertice distabat, quam illi distant a veritate.

Veteris item facti monimentum prope Vicum Cyprium erat, Sororium tigillum; lignum nempe transversum & viæ imminens, positum olim in expiationem Horatii, ejus, qui occisis Curiatiis reversus victor sororem quoque necavit. Dionysius [5]: *Est autem*, inquit, *in angiportu, qui a Carinis ducit ad Vicum Cyprium*, via nunc secundum amphitheatrum & Esquilias, *ubi & aræ manent tunc positæ, & lignum super eas transversum, infixum duobus inter se adversis parietibus, quod capiti exeuntium imminet*. Livius [6]: *Transmisso per viam tigillo, capite adoperto velut sub jugum misit juvenem. Id hodie publice quoque semper refectum manet; Sororium Tigillum vocant*. Ad eumdem Cyprium Vicum locus ad Busta Gallica, quod *Roma recuperata, Gallorum ossa, qui possederunt Urbem, ibi coacervata ac condita*, ut ait Varro. Ajunt ibi nunc positam ædem Sancti Andreæ cognomento *in Portogallo*, corrupta nempe appellatione *ad Busta Gallica*.

1 Esquiliarum nomen. 2 Ovid. 3. Fast. 3 Esquilinus Collis bivertex. 4 Fines Esquilini Collis. 5 Vicus Cyprius, & Sceleratus. 6 Lib. 1. 7 Lib. 4. ant.

1 Lib. 1. 2 Cap. 2. 3 Domus Servii Regis ubi esset. 4 Marl. l. 3. cap. 24. & l. 5. c. 18. 5 Dion lib. 3. ant. Rom. 6 Liv. lib. 1.

CAP. X.

Ædificia Esquiliarum.

CONTRA amphitheatrum THERMAE TITI sunt, ut supra dicebam, in ipso colle sitæ, quarum supersunt reliquiæ, non longe a templo S. Petri ad Vincula. Suetonius [1]: *Amphitheatro dedicato, thermisque juxta celeriter extructis munus edidit apparatissimum*. In vineis loci statuam Laocoontis [2] laudatam a Plinio [3] conservatamque in hortis Vaticani Pontificiis inventam viderunt tem-

1 Sueton. in vita Titi cap. 7. 2 Statua Laocoontis ubi inventa. 3 Plin. l. 36. cap. 5.

pora vix inchoata prioris ſeculi. Plinius eam ſtatuit in *Titi Imperatoris domo*. Itaque præter thermas hæc quoque hanc partem Eſquiliarum inſederat. Poſt hæc Titi balnea, TRAJANI THERMAS [1] ſtatuit P. Victor, tamquam non longe diſtantes a Titianis. Sitas volunt prope templum S. Martini cognomento *in Montibus*: & illi multo viciniores, quam templo S. Petri ad Vincula, ubi fuerat domus Servii Tullii regis. De his etiam infra: quarum veſtigia, cum pro novis fabricis repurgaretur locus, ſuperioribus annis deprehenſa ſunt. Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Symmachi: *Intra civitatem*, inquit, *Romanam, baſilicam Sanctorum Sylveſtri & Martini a fundamentis conſtruxit*, Symmachus, *juxta thermas Trajanas*. De Trajanis thermis ſcripſit Pauſanias [2], appellatque λουτρὰ ἐπώνυμα αὐτοῦ, *thermas ipſi cognomines*. *Operibus præterea*, inquit, *quam plurimis Urbem exornavit, quorum cæteris magnificentia præſtant thermæ, quæ ab ipſo nomen acceperunt*. Marlianus [3] eo loci THERMAS ADRIANI [4] collocat. Atqui hæ ſi fuerunt, in regione nona Circi Flaminii locatæ ſunt: ibique numerantur a P. Victore. Niſi forte Adrianus thermas Trajani patris exornavit, additiſque ſignis & picturis, paratuque pulchriore inſtruxit. Euſebius in Chronico Forum Trajani, thermas Trajanas & Titianas, & Pantheon haud vere aſcribit Domitiano. Nec tamen vacat ſuſpicione, Domitianum & Titi thermas & Pantheon vel inſtauraſſe, vel additis ornamentis excoluiſſe. THERMÆ PHILIPPI [5] Titianis a P. Victore ſubſcriptæ, iiſque proximæ in editiore ſolo fuiſſe dicuntur. Nec quidquam præterea de his accepimus.

Jam plures fuere LUCI [6] in Eſquiliis, partim in colle, partim ad radices. Varro: *Lucus Fagutalis, & lucus Mephitis, & lucus Junonis Lucinæ: quorum anguſti fines. Item lucus Larum, & Querquetulanum ſacellum*. Lucus FAGUTALIS, id eſt, *fagis conſitus* fuiſſe fertur, qua parte Eſquilinus ſpectat extremum Viminalem, imminetque Suburræ, olim *Oppius* dictus. Varro: *Oppius mons princeps lucum Eſquilinum, lucum Fagutalem habet*. Dicatus erat Jovi. Plinius [7]: *Sylvarum certe*, Roma, *diſtinguebatur inſignibus. Fagutali Jovi etiam nunc, ubi lucus Fageus fuit*. Feſtus: *Fagutal ſacellum Jovis, in quo fuit Fagus arbor, quæ Jovi ſacra habebatur*. Varro: *Fagutal a fago, inde etiam quod ibi ſacellum Jovis Fagutalis*. At prope Vicum patricium ad radices Eſquiliarum fuit lucus MEPHITIS. Feſtus: *Qui*, inquit, *ejuſdem rei cauſa eam partem Eſquiliarum, quæ jacet ad Vicum patricium verſus, in qua regione eſt ædes Mephitis, tutatus eſt*. Lucus autem ædi adſitus venerationi erat. Porro Mephitis Dea [8] fuit graviſſimi odoris, ut eſt apud Servium. Ideoque quidam, *Mephitin*, inquit, *Junonem volunt, quam aerem eſſe conſtat. novimus autem putorem non niſi ex corruptione aeris naſci*. Colebatur hæc tamquam Dea, ut Febris, ut alia, quæ nocumentum afferunt, ne afferrent. Et tetri quidem odoris, afflatuſque peſtilentis cauſa erat in propinquo; nempe Campus Eſquilinus, commune plebis ſepulchrum, & Puticolæ, quo innumerabilis fere populi cadavera projiciebantur. In ipſo autem Vico templum DIANÆ erat, quo viri non intrabant, ut ait Plutarchus [9]. Lucus JUNONIS LUCINÆ ſub eodem colle fuit in ipſo clivo, cui imminet Majoris Virginis Auguſtæ ſedes. quem ſane multo magis præcipitem, quam oppleta, & in oculis noſtris finitimo Viminali exæquata prope valle, videamus, vidit antiquitas. De eo Luco Ovidius [10].

Monte ſub Eſquilio multis inciduus annis
Junonis magnæ nomine lucus erat.
Huc ubi venerunt pariter nuptæque, virique,
Suppliciter poſito procubuere genu.
Cum ſubito motæ tremuere cacumina ſylvæ;
Eſt Dea per lucos mira locuta ſuos.

Et paulo poſt:

Gratia Lucinæ dedit hæc tibi nomina lucus,
Aut quia principium tu, Dea, lucis habes.

Plinius priori etymo a *luco* Lucinam derivat: *Eſſe*, inquit [1], *vetuſtiorem non eſt dubium, cum ab eo luco Lucina nominetur*. At *Junonis Lucinæ* templum [2] putatur fuiſſe, ubi B. Virginis Majoris baſilica colitur, in tantam religionem converſa ſuperſtitione. Alter hic Eſquiliarum vertex Ciſpius, ut dixi, dicebatur. Varro: *Ciſpius mons ſepticepſos apud ædem Junonis Lucinæ*. Lucum [3] vero LARUM, & Querquetulanum Sacellum arbitror ad Cœlium & Palatinum pertinere, quamvis Varro videatur ponere in Eſquiliis. Nam cum dixiſſet de luco Fagutali, Mephitis, & Lucinæ, ſubdit: *quorum anguſti fines, non mirum. Jam diu enim late avaritia eſt. Item lucus Larum & Querquetulanum ſacellum*. Nempe lucus Larum, & Sacellum in colle Cœlio quercubus cinctum eaſdem, propter avaritiam ad ſe cuncta trahentem, anguſtias habent. Varro: *Et unde aſcendebant ad imam Novam viam Lucus eſt & Sacellum Larum*.


Jam VICUS PATRICIUS [4] inter Eſquilias & Viminalem, ubi nunc ædes Sancti Laurentii in Fonte, D. Pudentianæ, & ima pars hortorum Perettinorum, quod ibi, ut dixi, juſſu Servii regis patritii habitarent, ne quidpiam in humili molirentur. conjungitur Suburræ, & clivo Suburrano. Martialis [5]:

Eſquiliis domus eſt, domus eſt tibi colle Dianæ,
Et tua Patricius culmina vicus habet.

SUBURRA [6] celebris in Urbe locus: unde olim Regio SUBURRANA certis jam finibus terminanda eſt. Tres ergo Romani colles, Eſquilinus, Viminalis, Quirinalis cum prope Forum Romanum deſinant, vallem inter ſe relinquunt, quæ eſt Suburræ attribuenda. Hæc primo quidem plana, poſtea acclivis in Eſquilinum aſſurgit. Ut autem certius ejus conſtent fines [7], repetendum eſt, CARINAS, qui olim locus veluti ſuburbium, ut dixi, Urbis fuit, ex eo appellatum, quia domos inverſas quaſi *navium carinas* haberet, incœpiſſe ab Urbis muro, quem poſuerat Romulus ad Curias veteres, juxta arcum Conſtantini, inter Palatium & Cœlium. Porro hinc Carinæ (quamquam alii aliter ſtatuant) ſecundum Eſquilias & Cœlium, ultra Amphitheatrum protendebantur. Propterea Varro: *Cum Cœlio*, inquit, *conjunctæ Carinæ*. At contra arcum Conſtantini, ſub initium Hortorum Cardinalis Pii, fuit Pagus Succuſanus, inde dictus, ut ait Varro, *quod ſuccurrit Carinis*. Huic Pago finitima erat Suburra. Immo & ab illo nomen accepit. *Ego*, inquit Varro, *a Pago potius Succuſano dictam puto Succuſam*. Quæ poſtea mutatis litteris Suburra hinc producta vallem, quæ extremos angulos Quirinalis, Viminalis, & Eſquilii Collis interjacet, complectebatur [8]. Idem auctor aliunde nomen derivans ait, *Suburra, quod ſub Muro terreo Carinarum*. Et paulo poſt: *Suburra, Junius ſcribit, ab eo quod fuerit ſub antiqua Urbe, cui teſtimonio poteſt eſſe, quod ſubeſt ei loco, qui Terreus murus voca-*

1 Thermæ Trajani. 2 Pauſan. libro 5. 3 Marl. libro 5. capit. 11. 4 Thermæ Adriani. 5 Thermæ Philippi. 6 Luci in Eſquiliis. 7 Lib. 16. cap. 10. 8 Mephitis quæ, & cur a priſcis culta. 7. Æneid. 9 In quæſt. Rom. q. 3. 10 Ovid 2. Faſt.

1 Plin. lib. 17. cap. 44. 2 Junonis Lucinæ Templum. 3 Lucus Larum, & Sacellum Querquetulanum. 4 Vicus Patricius. 5 Libro 7. epiſt. 72. 6 Suburra. 7 Carinæ, & earum fines. 8 Suburræ fines.



THERMAE NERONIANAE
EXANDRINAE
IMP. NERO CAESAR AVGVSTVS
VESTIGIA
THERMARVM NERONIS
IN AEDIBVS MEDICAEIS

tur. Hic murus, quod Carinas attingeret, a Varrone *Carinarum* dictus, ad antiquam etiam Urbem pertinebat, quam scilicet Romulus & Tatius ampliarunt. Tunc enim recepta intra pomœrium Sacra via, toto spatio templi Pacis & Faustinæ murus Capitolium versus ferebatur. Itaque Suburra quæ suberat Terreo muro, hinc incipiens, per vallem primum, deinde per clivum extendebatur, quo nunc ascenditur ad ædem S. Luciæ in Silice; cum Carinæ ex altera parte, minore spatio, ambituque producerentur. Sic Martialis fauces, id est, initium Suburræ constituit ad Argiletum & forum Cæsaris, ut dixi lib. 2. cap. ultimo. Quare Marlianus [1]: *Suburra, quæ inter Esquilias & Viminalem jacet, principium habuit a Foro Romano sive a Foro Nervæ, finem vero ad clivum Suburanum*. Et prima editione [2]: *Viminalis collis ab occasu partem Quirinalis oppositam habet: & valli interjacenti planæ Suburræ fuit nomen*. Hac de causa templum S. Agathæ [3], quod in fine Quirinalis, versus hanc vallem est situm, a S. Gregorio (ne aliquis dubitando ingenium ostentet) & nostro ævo, jure ponitur in Suburra. Nam ille sic scribit [4]: *Arianorum Ecclesia, in regione Urbis illa, quæ Suburra dicitur, cum clausa usque ante biennium remansisset, placuit ut in Fide Catholica dedicari debuisset; quod factum est*. Idem alibi [5]: *Quia ergo Ecclesia S. Agathæ sita in Suburra, quæ spelunca fuit aliquando pravitatis hæreticæ, ad Catholicæ Fidei culturam Deo propitiante reducta est*. Suburram autem *regionem*, id est, Urbis partem appellavit; nisi forte ejus ætate pro regione habebatur. Certe antiquitus habita est, cum teste Varrone, in quatuor regiones Urbs distributa, Suburranam, Esquilinam, Collinam, Palatinam. Suburrana Cœlium montem, Carinas cum capite Sacræ viæ, & Suburram continebat. Quare Suburra, quæ nomen dabat antiquæ regioni, præcipua & ampla pars illius erat, descriptis terminis patens.

Jam ut ædificia attingam, *CÆSAR habitavit primo in Suburra modicis ædibus*, referente Suetonio [6]. Ibidem canente Martiale STELLA CONSUL ædes habuit [7]:

Vel si malueris prima gradiere Suburra;
Atria sunt illic Consulis alta mei.

Eodemque libro *clamosam* nuncupat, *ferventem* Juvenalis, propter populi frequentiam, quod ibi rebus venum expositis mercatus esset. Idem libro septimo cum alia enumerasset, subdit:

Quid villicus Umber, aut colonus,
Aut Tusci tibi, Tusculive mittunt,
Aut rus marmore tertio notatum,
Id tota mihi nascitur Suburra.

Et alibi [8]:

Hæc igitur, media quæ sunt mihi nata Suburræ,

1 Marl. l. 4. cap. 20. 2 Lib. 5. c. 18. 3 Templum S Agathæ in Suburra. 4 Dial. lib. 3. cap. 30. 5 Lib. 3. Epist. epist. 19. 6 Sueton. in vita Cæs. cap. 46. 7 Lib. 12. Ep. 3. 8 Lib. 10. Ep. 92.

Mittimus autumni cerea poma mei.

Eadem infamis meretriciis nundinis, nec aliæ Horatio *Suburranæ canes*, quam *lupæ*.

Subibat deinde Suburranus CLIVUS. Hic est, quo ad templa Sanctarum Virginum Luciæ & Praxedis hodie ascenditur. Martialis de antiquo clivo [1]:

Illic Orphea protinus videbis
Altum vincere tramitem Suburræ,
Udi vertice lubricum theatri.

At quod THEATRUM prope Suburram? Fulvius [2]: *Circi*, inquit, *forma, ac sedilium vestigia adhuc apparent inter Viminalem & Esquilias juxta Suburram, ubi nunc ædes S. Laurentii in Fontana, & S. Euphemiæ*. Negat Marlianus [3], quod Circensis moles Vicum patricium, aut magnam Suburræ partem clausisset: Verum ibi si aliqua fuit pro ludis fabrica, non alia profecto fuit, quam theatralis, ut habetur ex Martiale, nisi per cathachresim *theatrum* pro *circo* posuit. Sed fortasse non theatrum ad ludos ibi describitur, sed fons aliquis in summo clivo Suburrano structus ad formam theatri, nempe testudinatus, & fornice cameraque suspensus juxta Plinii domum, quo librum Poeta mittit, aut etiam in ipsa domo. In quo sane recurvo & humidæ rotunditatis fonte, assiduo aquarum lapsu stillicidioque lubrica Orphei statua feras avesque cantu perducere videbatur. Tria quidem stabilia theatra in Urbe fuisse novimus. Quartum hoc statuere in terræ pondus non ausim, nisi alius clariorque antiqui auctoris proferatur locus, aut pro theatro circus fuisse demonstretur. Porro illos versus in epistola ad Priscum Plinius adducens suæmet DOMUS ipse meminit positæ in Esquiliis. *Alloquitur*, inquit [4], *Musam: mandat, ut domum meam in Esquiliis quærat, adeatque reverenter*. Erat igitur in Collis vertice supra ædem S. Luciæ cognomento *in Silice*, quam Ecclesiastici scriptores, & antiquarii *in Orphea* nuncupant, deducto fortasse nomine a veteri simulacro. Habent etiam *Orthea*, & id templum nominant *in Septisolio*, a vicino scilicet SEPTIZONIO quod multo ante Severianum structum est. Sic in vita Gregorii IX. legimus [5]: *Pontifex creatus prope Septizonium in Diaconia Sanctæ Luciæ in Septisolio*. alias *Orthea*, & *in silice*, ut dicitur in vita Honorii III. Hujus Septizonii meminit Suetonius in Tito: *Natus est prope Septizonium sordidis ædibus*. Quas fortasse postea in domum & suas Augustas ædes mutavit, haud longe adjunctis thermis. Jam Plinianæ domui minorum alteram *Pedonis* poetæ nobilis, an causidici subjicit Martialis:

Illic parva domus tui Pedonis
Cælata est Aquilæ minore penna.

A clivo Suburrano recta eunti occurrit ARCUS GALLIENI [6] e Tiburtino lapide, cujus hæc Inscriptio est:

1 Lib. 10. Ep. 19. 2 Fulv. lib. 4. 3 Lib. 5. c. 13. 4 Lib. 3. epist. ultima. 5 Apud Ciaconium. cap. 2. 6 Arcus Gallieni.


GALLIENO. CLEMENTISSIMO. PRINCIPI
CVIVS. INVICTA. VIRTVS
SOLA. PIETATE. SVPERATA. EST
ET. SALONINAE. SANCTISSIMAE. AVG.
M. AVRELIVS. VICTOR
DEDICATISSIMVS
NVMINI. MAJESTATIQVE. EORVM.

In eodem Colle domum & hortos Gallieni fuisse, probabilis conjectura est, ut dicam postea. Ibidem S. Viti ædes, quam in MACELLO nuncupant. P. Victor: *Macellum Liviani*, seu *Livianum in Esquiliis*: in Regione II. Cœlii Montis *Macellum magnum* constituit. De Macello alii recte scripserunt [1]; tamen hic prætereundum non est. *Est enim*

1 Fulv. lib. 1. Marl. lib. 5. c. 14.

Macellum, ut ait Varro, *ubi olerum copia*. Sed paulo post non de his tantum, sed aliis, quæ vitæ usui sunt, loquitur. *Hæc*, inquit, *omnia postquam contracta in unum locum, quæ ad victum pertinebant, & ædificatus locus, appellatum Macellum* [1], *ut quidam scribunt, quod ibi fuerit hortus: alii quod ibi domus ejus fuerit, cui cognomen Marcellus, quæ ibi publice diruta, a qua ædificatum hoc, quod vocatur ab eo Macellus*. Hoc postremum sensit Festus. At Plutarchus [2] tantum carnibus publice vendendis macellum parat. *Ferunt*, inquit, *Romæ latronem truculentum fuisse, nomine Macellum, qui multis deverberatis vix tandem captus, supplicioque affectus; ut ex pecunia ejus locus carnibus publice vendendis ædificatus fuerit, nomen ab ipso habens*. Sed in Macello præter carnes, cætera obsonia vendebantur. Plautus in Aulularia [3]:

Venio ad Macellum, rogito pisces, indicant
Caros, agninam caram, bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia:



Varro aliud Macellum prope Sacram viam constituit. *Exædificatus*, inquit, *Vicus & inter Sacram viam & Macellum editus*. Hoc forsitan *ad Corneta* dictum *a Cornis, quæ abscissæ loco reliquerunt nomen*. Idem enim ante scripserat: *ubi variæ res venduntur*, dicitur, *ad Corneta*. Et supra in Sacra via & propinqua Suburra emi venalia diximus.

Ab æde S. Viti parum distant veteris ædificii parietinæ, [4] *Castellum Aquæ*, ut quidam ajunt: ut alii, *tropæa Marii* de Cimbris a Cæsare restituta, ideoque locum *Cimbrum* dici autumant. Equidem ut ibi fuisse tropæa Marii nullo modo dicerem, ita fuisse castellum Aquæ tuto affirmarem. Nam, ut constat ex Frontino [5], aqua tam Claudia, quam Martia post hortos Pallantianos, qui fuerunt in Esquiliis, effundebatur. Duo quidem illa tropæa insculpta e marmore, quæ visuntur in Capitolio, ex hoc loco transtulit Populus Romanus: cur tamen potius Marii, quam alterius fuisse dicantur, non video, præsertim in Urbe olim ejusmodi ornamentis refertissima. Moles vero ipsa indicat aquæ receptaculum, unde in fistulas divideretur: ab illo videlicet, qui extruxit aut instauravit, tropæis ornatum. Quod quidem Aquæ castellum, quia plerique eruditorum Martiæ attribuunt, & inscriptio basis Capitolinæ docet, repugnandum non judico. Porro ut quidam putant ab iis monimentis Marii nomen loco relictum est. Marlianus [6], quod ante Fulvius [7] dixerat: *Hinc ea tota Esquiliarum pars, quæ est plana, & Esquilias inter, & Cœlium montem basilicamque Lateranensem vergit, hodie dicitur* Merulana, *pro* Mariana. Atqui aliunde nomen Merulanæ fuisse desumptum, conjicitur ex lib.2. Epistolarum S. Gregorii [8]. *Quia igitur*, inquit, *Ecclesiam positam juxta domum Merulanam, regione tertia, quam superstitio diu Ariana detinuit, in honorem S. Severini cupimus consecrare*. Hic locus a templo S. Matthæi contra Cœlium fere planus excurrit, olim *Tabernola* dictus, cujus meminit Varro: *Dexterior via in Tabernola est*.

Cum Trajanus ampliori opere Martiam reddidisset aquam, atque in suas induxisset proximas thermas; non potest ambigi, quin tropæa illa ejusdem Trajani sint, ad castelli ornamentum. Argumento quoque sunt pellitæ Dacorum chlamydes & arma, egregiumque sculpturæ opus, quale prorsus in Trajani Columna. A monumentis vero Aquæ Martiæ, *Martianam* potius, quam *Marianam* Regionem dictam crederem.

1 Macellum unde dictum. 2 In quæst. Rom. q.54. 3 Act. 2. Sc. 5. 4 Castellum Aquæ. 5 Front. l.1. de Aquæduct. 6 Lib.5. c.15. 2. edit. 7 Fulv. lib.2. 8 Epist.58.

Cæterum ab eo aquæ Castello ad ædem vetustam S. Bibianæ, nova via nuper patefacta est. Nec longe ab eo Templo, locus olim in Urbe celebris cognomento *Ad Ursum Pileatum*, quod ab Ursi pileum habentis sive marmore, sive coloribus expressa effigie suscepit. Ibi Palatium Licinianum [1], Licinii Imperatoris, ut ajunt: an potius Licinii Suræ, qui, ut Dion [2] testatur, Trajani familiaris, & opulentissimus gymnasium populo Romano suis sumptibus ædificavit.

Sed non placet, lævorsum ubi ædes S. Eusebii, quod placuit Marliano [3], fuisse domum Gordianorum, & frustra adducitur Julii Capitolini mutilatus locus. Ille enim sic habet [4]: *Domus Gordianorum etiam nunc extat, quam iste Gordianus pulcherrime exornavit*. Hanc ante dixerat [5] fuisse Cn. Pompeii, nempe in Carinis, & Philippo Principe ad Fiscum Cæsareum devenisse. At quæ sequuntur, villam, non domum in Urbe describunt. *Et Villa*, inquit, *eorum via Prænestina, ducentas columnas uno peristylo habens, quarum L. Christeæ, Claudianæ L. Siennitides L. Numidicæ pari mensura sunt. In qua Basilicæ centenariæ tres. Cætera huic operi convenientia, & thermæ, quales præter Urbem, ut tunc, nusquam in Orbe terrarum*. quæ postrema verba villam semovent Urbe. De aliis Esquilinis fabricis, nempe hortis, & basilica Lucii & Caii, aquæductibus, hortis Mœcenatis alibi dicam. Hi sane Mœcenatiani contigui hortis Domus Neronianæ, & in potestate Principum magnam Collis partem occuparunt.

Prope Mœcenatis hortos VIRGILII DOMUM fuisse testatur Ælius Donatus in ejus vita. *Habuit*, inquit, *domum Romæ in Esquiliis, juxta hortos* Mœcenatianos. In iisdem Esquiliis Propertius ac Persius Poetæ habitarunt. Æliorum quoque domus ibi constituitur ab iis, qui Marii tropæa inibi recognoscunt. Demum Campus Esquilinus ab Urbe divisus pro sepulchris peramplus in plano colle fuit. Livius [6]: *Consules Numidas transire Esquilias jusserunt: nullos aptiores inter convalles, tectaque hortorum, & sepulchra, & cavas undique vias ad pugnandum futuros rati*. Sed auctis mœnibus, campus ultra submotus est, versus templum S. Laurentii extra muros.

1 Palatium Licinianum. 2 Dion in vita Traiani. 3 Marl l.5. c.15. 4 In vita Gordiani Junioris. 5 In Gord. Majore. 6 Liv. dec 3. lib 6.

CAP. XI.

Collis Viminalis.

COLLIS Viminalis a Jove Vimineo olim dictus est. Varro: *Tertiæ regionis colles ab quinque Deorum fanis appellati. E queis nobiles duo Colles, Viminalis a Jove Vimineo, quod ibi Aræ sunt ejus, aut quod ibi vimina nata fuerunt*. Plinius [1]: *Colle, in quem vimina petebantur*. Situs Collis [2] oblongus & angustus est. Exurgit e valle, in qua templum colitur Virginis cognomento *a Montibus* secundum viam, quæ inde ad Palatium Quirinale Pontificis recta deducit. Dextrorsum Suburram & clivum Suburranum, Vicum Patricium & Esquilias habet: lævorsum illi adjacet vallis olim Quiri-

1 Plin. l.16. cap.10. 2 Situs Viminalis Collis.

A ni in clivo, nunc S. Vitalis templo insignior: quæ deinde paulum edita inter hortos, & vineta ad thermas usque Diocletianas fere perducitur. Ipse autem Viminalis molli clivo ascendens usque ad ædem S. Laurentii cognomento *in Palisperna*, inde perpetuo jugo porrectus viam intersecat ab alta olim semita, nunc *quatuor fontium*, tendentem ad Liberianam ædem Magnæ Virginis. tum exæquatus, complanatusque ad Thermas Diocletianas [1], inde ad mœnia decurrens indiscretis finibus, Esquiliis dextrorsum, sinistrorsum Quirinali commiscetur. Habet ergo a septemtrione Quirinalem: ab ortu muros Urbis: a meridie Esquilias: ab occasu Suburram, & vallem, quæ Esquilias, Viminalem, & Quirinalem interjacet. B Porro hic collis antiqui nominis jacturam fecit, nec vulgare alterum quasi naufragus apprehendit. Ideo & vulgo vix notus, præterquam ad ædem S. Laurentii *in Palisperna* mutuatus ab illa cognomen.

Causa vero, cur hi tres Colles [2] Viminalis, Esquilinus, Quirinalis circa thermas Diocletianas usque ad muros Urbis indiscriminatim jungantur, Tarquinii vetus est Agger, ut primo libro dictum est. Naturalis enim locorum situs, eos colles tenui valle discretos depressis in planiciem verticibus pæne exæquarat: atque Urbem hac ex parte intutam, & hostium incursibus obnoxiam fecerat. C Itaque septem stadia, nempe passus octingentos septuaginta quinque munitione producta, & ad mœnium altitudinem edita, interiora trium Collium latissime Romani complanarunt, ut indeprensis terminis jungerentur. Quamvis autem tanta non esset ejus munitionis latitudo, quanta thermas & mœnia interjacet, *cum*, referente Dionysio [3], *lata esset quinquaginta pedes*; tamen ut commodus ad eam esset accessus, omnia circum complanari, tresque montium vertices quamquam modicis vallibus discretos omnino exæquari placuit. D Proprie autem munitio erat ad mœnia, ubi deficientibus collibus, ingesta humo locus est oppletus: terreusque Agger, quem perductus murus sustinebat, ejus altitudini fere æquatus. Hæc de situ Collis.

Quod ad ædificia pertinet, lavacrum AGRIPPINÆ, ac thermas OLYMPIADIS [4] in Viminali P. Victor, & alii deinceps statuerunt. Sed lavacrum balnea sunt, ne quispiam fortasse fontem designet. Lampridius in Commodo: *Opera ejus*, inquit, *præter lavacrum, quod Cleander nomine ipsius fecerat, nulla extant*. Ubi de balneis loquitur. Porro hæc balnea Agrippinæ matris Neronis sub templo B. E Martyris Laurentii, qua collis declivis est in vallem Quirinalem, fuisse, cum defossi lapides, tum antiquariorum probat auctoritas. Thermas autem Olympiadis in ipso templo ac cœnobio Monialium statuunt acta ejusdem Martyris. Siquidem in iis legimus Beatissimum Juvenem Christi causa crematum, assatumque ad lentum ignem crate ferrea in thermis Olympiadis expirasse. Ad quem locum victoris laurea consecratum substructo subterraneo templi sacello habetur populi Romani religiosa celebritas. Quæ autem fuerit hæc Olympias, ab aliis libenter audiam. F At NOVATUS balneas Novatianas inter templa B. Laurentii & Pudentianæ Virginis, ejusdem germanus simul cum Timotheo fratre fecisse fertur, ut a scriptoribus Ecclesiasticis non modo Novatianæ, sed & Timothinæ nuncupentur. Anastasius in vita S. Pii I. Papæ: *Rogatu*, inquit, *B. Praxedis dedicavit ecclesiam thermas Novati in Vico Patricio in honorem sororis suæ S. Pudentianæ*. Fuit etiam Novatus, ad quem scripsit Seneca de Ira: ejusque frater fuisse creditur. nec puto ejus nomen quis traduxerit ad thermas. Sed præter clariores Cæsarum thermas, plurimas privatorum civium, aut ad quæstum paratas, quæ populum quotidie lavantem exciperent, certum est fuisse. P. enim Victor, ut etiam notavit Philander [1], supra octingentas agnovit. At Plinius [2]: *Adjicit* Agrippa *gratuita præbita balinea CLXX. quæ nunc Romæ ad infinitum auxere numerum*.

Censentur in hoc eodem Colle a P. Victore, & ab Antiquariis DOMUS Aquilii Jure Consulti, Q. Catuli, & M. Crassi. Sed cur M. Crassi? Nam Plinius [3], quem supra citavi, scripsit: *Crassus Orator* (& loquitur de L. Crasso) *fuit in primis nominis Romani. Domus ei magnifica; sed aliquanto præstantior in eodem Palatio Q. Catuli, qui Cimbros cum C. Mario fudit. Multo vero pulcherrima consensu omnium, ætate ea in Colle Viminali C. Aquilii Equitis Romani, clarioris illa etiam quam Juris Civilis scientia*. Hæc sola igitur in Viminali: aliæ duæ in Palatino, in quo, Regione decima numerat etiam P. Victor domum Q. Catuli. At de M. Crasso, qui occisus est a Parthis (si de hoc sermo est) scribit Plutarchus: nihil ipse ædificavit, nisi propriam domum. Sed ubi fuerit, non tradit.

Eodem P. Victore & Sexto Rufo referentibus, Regio quinta Esquilina, in qua Collis Viminalis, habuit, incertum qua sede, NYMPHÆUM Alexandri Imperatoris. Gulielmus Philander [4] docet Nymphæa ædificia fuisse, in que *gratiæ, & voluptatis causa aqua deducebatur. Zonaras tamen*, inquit, *in Leonis Primi vita putat esse Palatia publica* [5], *in quibus qui angustius habitarent, nuptias celebrarent, a nympharum statuis dicta*. Id etiam scripsit Jurisconsultus ad leg. V. Cod. Justin. *de Aquæduct.* Nempe, *nymphæa patuisse nuptias celebrantibus & ædes non habentibus*. At Interpres in Julium Capitolinum, ubi de Gordiano Juniore scribit, *Opera Gordiani nulla extant, præter quædam nymphæa & balnea*, ait, *errare, qui vel domos nuptiales vel balneas intelligent Nymphæorum nomine*. Subditque, Nymphæa esse *salientes* [6], *vel manu structos fontes aquam in publico ejaculantes, distinctos a lacubus, quibus aqua accipitur, non salit*. Anastasius hac significatione videtur usurpasse in vita Hilari Papæ. *Nymphæum*, inquit, *& triporticum fecit ante oratorium Sanctæ Crucis, ubi sunt columnæ miræ magnitudinis, quæ dicuntur hecaton pente*. Hoc enim loco *nymphæum* aliud non est nisi fons in media illa porticu centum quinque columnarum, de quo fonte plura idem subjicit, neque alium puto describit. Idem in Vita Silverii PP. ait: *Intra civitatem autem grandis fames erat, ita ut aqua venundaretur pretio, nisi nympharum remedium subvenisset*. ubi *nymphas* pro fontibus videtur usurpasse. Nec tamen displicet opinio Zonaræ, & Jurisconsulti. Cur enim nymphæa inter pulchra ædificia [7] laudantur magno sumptu Cæsarum facta, si tantum in usum exilientis aquæ facta sunt? Probabile est etiam nympharum statuis [8], & quod ajebat Philander, nymphæa aquarum copia, quibus Nymphæa delectari credebantur, abundasse, ad loci pulchritudinem. Ideo aliis *lymphæa* sunt, & *balnea mulierum*: Præter hæc Alexandri & Gordiani, Jovis a P. Vict. Marci Nymphæum, ab Ammiano [9] refertur; cujus sedes non ignoratur inter Cœlium & Palatinum, ubi erat Severi Septizonium. *Ad Septizonium*, inquit, *operis ambitiosi nymphæum Marcus condidit*. Cætera hujus Collis ædificia, præter Thermas Diocletianas, de quibus postea, ignorantur. Nam qui Decii Augustales ædes ibi componunt, nescio an voluntate magis quam ratione id faciant. Ultra thermas Dio-

1 Thermæ Diocletianæ in Viminali. 2 Tres colles simul juncti. 3 Plin. lib. 3. c. 5. Dionys. lib. 9. Str. lib. 5. 4 Thermæ Agrippinæ, & Olympiadis.

1 In Vitruv. lib. 5. c. 10. 2 Plin. l. 36. c. 15. 3 lib. 17. c. 1. 4 Loc. cit. 5 Nymphæa fuerunt Palatia. 6 Seu fontes, ut aliis placet. 7 Nymphæa pulchra ædificia. 8 Nympharum statuis & fontibus ornata. 9 Ammian. lib. 15.

cletianas Campus Viminalis latissime producitur, & Castrorum sedes, de quibus alibi est dictum.

CAP. XII.

Mons Cœlius.

PLURIMUM longitudinis, latitudinis haud sane multum, habet Mons CŒLIUS, & per se magnus adhuc minore altero, quem CŒLIOLUM dixerunt, augetur. Cujus hi sunt fines [1]. Ab Esquiliis interjacente sejunctus valle, ubi Amphitheatrum, Carinæ, & Regio olim Tabernolæ, supra ædem S. Clementis, præcelso primum jugo ad ædem quatuor Coronatorum: tum molli clivo prope Basilicam Lateranensem, orientem versus usque ad mœnia procurrit. Flexis porro mœnibus ad templum S. Crucis (hic enim colliculus in fine Esquilini & Cœlii utriusque, ut dicebam, putatur appendix) largoque intervallo quasi in rectum productis, clauditur a meridie. Hinc secretus modica planicie a Cœliolo, eoque auctus, extenditur ad vallem occasum versus, in qua Thermæ Antoninianæ, & Piscina olim publica, via Latina, & Appia. Ea valle dividitur ab Aventino. Hinc rursus contra Palatinum convertitur, a quo item valle discretus redit ad Amphitheatrum.


Quod spectat ad nomen [2], *Cœlius, a Cœlio Vibenna Tusco duce nobili est dictus, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum regem*, ut ait Varro. At Tacitus hoc refert ad posteriora tempora: ut tunc diceretur Querquetulanus a quercubus consitis. *Haud fuerit*, inquit [3], *absurdum tradere montem eum*, Cœlium, *antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis sylvæ frequens fœcundusque erat: mox Cœlium appellitatum a Cœlio Vibenna, qui dux gentis Hetruscæ, cum auxilium appellatum ductavisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit; nam scriptores in eo dissentiunt*. Idem eodem loco scribit, actum in Senatu, *ut mons Cœlius deinceps Augustus appellaretur, quando deusto monte, & cunctis circumflagrantibus sola Tiberii effigies sita in domo Junii senatoris inviolata mansisset*. Cum etiam Cæsar *obviam iverat tribuendo pecunias ex modo detrimenti*. An vero *Augusti* nomine mons cœperit appellari, non constat. Constat certe appellationem non mansisse. Dictus postea LATERANUS, a Lateranorum nobilissimorum civium [1], quorum aliquot consules recensentur in fastis, magnificentissimis ÆDIBUS: quæ, ubi Basilica Lateranensis, & Palatium Pontificium est, fuere: atque *egregiæ* dicuntur a Juvenale, obsessæque a Nerone propter cædem Plautii Laterani consulis designati. S. Hieronymus in epitaphio Fabiolæ: *In Basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio*. Aurelius Victor [2]: *Lateranum, Cilonem, Anulinum, Bassum, cæterosque alios ditavit*, Severus, *ædibus quoque memoratu dignis; quarum præcipuas videmus, Parthorum quæ dicuntur, ac Laterani*. Eadem Eutropius [3]. Domum Lateranorum successu temporis possedit Constantinus: idemque B. Sylvestro habitandam dedit: aut Miltiadi, qui B. Sylvestrum præcesserat, ut putat Cardin. Baronius. Nicephorus [4]: *Quod sane Palatium* Lateranense *ipse quoque* Constantinus *ingentibus impensis magnifice construxit, & Christo sacravit*. Nam & Basilicam Lateranensem in eo extruxit, & Pontifici Christi Vicario donavit. Deinceps vero in eo Romani Pontifices habitarunt, donec commigrarunt in Vaticanum, amplissimis ædibus inibi ædificatis.

Ejusdem domus Lateranorum meminit Julius Capitolinus in Marco Antonino. *Natus est*, inquit, *Marcus Romæ in Monte Cœlio, in hortis; educatus est in eo loco, in quo natus est, & in domo avi sui Veri juxta ædes Laterani*. Jam pauca sunt quæ de Cœlio ejusque ædificiis dici possunt.

In eo prima DOMUS crustata marmore sub Cæsare dictatore fuit. Plinius [5]: *Primum Romæ parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ in Cœlio Monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram Formiis natum equitem Romanum, præfectum Fabrorum C. Cæsaris in Gallia*. Præterea domus TETRICORUM, qui inter XXX. Tyrannos sub Gallieno XXII. & XXIII. numerantur, posteaque ducti sunt in triumphum ab Aureliano. Trebellius in Tetrico juniore: *Domus*, inquit, *Tetricorum hodieque extat in Monte Cœlio inter duos lucos contra Itium Metellinum pulcherrima, in qua Aurelianus pictus est, utrique prætextam tribuens, & senatoriam dignitatem accipiens. Quam cum dedicasset, Aurelianum ipsum dicuntur duo Tetrici adhibuisse convivio*. Domus Claudii, sive INSULÆ non bona fide venditæ meminit Cicero [6]:

1 Fines, & situs Cœlii montis. 2 Unde sit dictus Cœlius. 3 Tacit. l. 4. Annal.

1 Laterani cives dant nomen Laterano. 2 In Severo. 3 Eutropius lib. 10. 4 Niceph. l. 7. c. 49. 5 Lib. 36. cap. 6. 6 Cic. lib. 3. de Offic.



CVRIA HOSTILIA, IN MONTE COELIO

Fig. XXVIII

THERMAE NOVATIANAE.





Thermarum Novatii Reliquiae.





THERMARVM OLYMPIADVM RELIQVIAE

Cum in Arce augurium augures acturi essent, jussissentque Titum Claudium Centimalum qui ædes in Cœlio monte habebat, demoliri eas, quarum altitudo officeret auspiciis, Claudius proscripsit, Insulam vendidit. Ex quo intelligitur, domum in parte Cœlii fuisse, quæ procurrit versus Palatium Capitolio propinquior; & magna altitudine sublatam, quæ captantibus auguria e Capitolii arce editissima officeret. Quod indicat sublimitatem tectorum Romanorum.

Campus in eodem MARTIALIS nomine ad ludos & equiria, id est, cursus equestres, qui pridie idus Martias ibi fiebant in honorem Martis, si forte Tiberis plana Urbis inundasset. Ovidius [1]:

Altera gramineo spectabis equiria Campo;
Quem Tiberi curvis in latus urget aquis.
Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda;
Cœlius accipiet pulverulentus equos.

Id rarum, cur raro inundet Tiberis, præsertim adulto jam Martio. Etsi campus decursionis gratia vacuus ab ædificiis, in dorso montis non longe a Basilica Lateranensi esse debuit. Porro clivus, quo secundum ædem Sanctorum Joannis & Pauli ascenditur, VICUS SCAURI olim dictus, dextrorsum habuit paternas ædes B. Gregorii, & in Cœnobium, ac S. Andreæ templum a sanctissimo illo Pontifice conversas.

Verum ad ædem beatorum Joannis & Pauli, Tullii Hostilii DOMUS [2] tertii Romanorum Regis, & CURIA de ejusdem nomine HOSTILIA fuit. Hic enim rex diruta Alba Romam Albanos traduxit. *Cœlius*, inquit Livius [3], *additur Urbi Mons, & quo frequentius habitaretur, eam sedem Tullus Regiæ capit, ibique deinde habitavit. Templum ordini a se aucto* [4] *Curiam fecit, quæ Hostilia usque ad patrum nostrorum ætatem appellata est*.

Ferunt Albanos habitasse, ubi templum Virginis cognomento *in Dominica*. Alii contra [5], ibi collocant CASTRA PEREGRINA, id est, domicilia & hospitia peregrinorum ab Augusto, ut ajunt, instituta: quibus lapides ibidem inventi suffragantur, cum primi auctores hæc eadem castra ponant in montis crepidine, ubi ædes sanctorum Quatuor Coronatorum; quæ sedes quidem aptior videtur, ac tutior. de quibus Castris Sextus Rufus & P. Victor in II. Regione Urbis. Ammianus [6]: *Missus exinde Romam*, Rex Chodomarius Germanorum, *in Castris Peregrinis, quæ in monte sunt Cœlio, morbo veterni consumptus est*. Porro cum Albanis novis civibus traditus fuerit mons Cœlius ad habitandum, eorumque principes dicantur a Livio Tullii, Servilii, Quintii, Geganii, Curiatii, Clœlii: probabilissimum est, nobiles horum familias domos in eodem colle deinceps habuisse.

Quod autem a P. Victore dicuntur in Cœlio fuisse MANSIONES ALBANÆ [7], suspicor non tam id referri ad veteres illos Albanos, quam alios milites, quibus Cæsarum principatu, cum in Albano castra & familiæ essent, necesseque haberent sæpe, accitu Imperatorum, aliisque de causis Romam ventitare, mansiones quoque in eadem, domosque paratas habere debuerunt. Meminit illorum Herodianus [8], *Visum est*, inquit, *militibus iis, quorum ad Urbem Romam sub monte Albano castra erant, atque in his liberi eorum conjugesque relictæ, neci dedere Maximinum*. Julius Capitolinus in vita Maximini: *Timentes milites, quorum affectus in Albano monte erant. affectus* autem sunt fortunæ, conjuges, liberi. Refert etiam Appianus [9], Antonio post mortem Cæsaris turbante rempublicam, ibidem stationes militum fuisse. *Ad portam*, inquit, *recta properavit* Antonius, *& inde porro Albam, verbis ut putabat milites reducturus ad officium; sed cum peteretur telis e mœnibus, retrocessit*: duæ enim legiones ab illo ad Octavium Cæsarem defecerant. Qui, ut idem auctor paulo post, *omnibus Albam convenire jussis, rem significavit senatui*. Dion [1] sive Xiphilinus in Heliogabalo: *Quasi milites quosdam ex iis coegisset, qui stipendia faciebant in Albano* [2]. Spartian. in Anton. Carac. *Pars militum apud Albam, Getam occisum acerrime accepit, clausisque portis diu Imperator non admissus, nisi delinitis animis, non solum querelis de Geta & criminationibus editis, sed enormitate stipendii militibus, ut solet, placatis, atque inde Romam rediit*. Extat adhuc, ut ajunt, apud recentem Albam veterum forma castrorum quadratis muris, quæ adhuc stativa militum indicet.

Jam, ubi ædes S. Stephani cognomento *rotunda*, statuunt Cæsaris CLAUDII TEMPLUM [3], de quo Suetonius in Vespasiano: *Fecit templum D. Claudii in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum*. Fuisse eo loci docet Frontinus scribens, *arcus Neronianos*, qui adhuc visuntur, *desiisse ad templum D. Claudii*. Porro B. Protomartyris templum ipsum Claudii fuisse probabilius est quam Fauni Capripedis, ut multi, quod scripsit Ugonius, affirmant, nemo probat. Id vero Simplicius I. Pontifex consecravit. De eo Anastasius: *Dedicavit Basilicam S. Stephani in Cœlio monte*.

In eodem Deæ CARNÆ ædes condita a Bruto primo consule, quæ credebatur conservare humana viscera, & præesse cardinibus, ut ait Ovidius [4]:

Prima dies tibi, Carna, datur, dea cardinis hæc est;
Numine clausa aperit, claudit aperta suo.

Pluribusque fabulam prosequitur, quomodo puerorum viscera defendat a strigibus. Ibidem ARMAMENTARIUM. De eo, aliisque Herodianus [5]: *Quippe jussis effringi publicis armamentariis, in quibus pompæ magis instrumenta, quam belli asservabantur*. Ædes insignes VECTILIANÆ in eodem censentur, ubi occisus est Commodus. Quæ *Vestiliani* dicuntur a Cassiodoro [6]. De iis Lampridius in Commodo [7]: *Ipse ad Cœlium montem in Vectilianas ædes migravit, negans se in Palatio posse dormire*. In eodem DOMUS Philippi ponitur a P. Victore, qui videlicet post Gordianum imperavit. In infimo clivo ejusdem Cœlii MINERVÆ cognomento captæ delubrum, fortasse non longe ab æde B. Gregorii: ubi quinquatria fiebant XIX. die Martii. Ovidius [8]:

Una dies media est & fiunt sacra Minervæ;
Nomina quæ a junctis quinque diebus habent.
Cœlius ex alto, qua mons descendit in æquum;
Hic ubi non plana est, sed prope plana via.
Parva licet videas captæ delubra Minervæ,
Quæ dea natali cœpit habere suo.

De primo quinquatruum, quo propterea sacra fiebant sine gladiatoribus, ut idem paulo ante cecinerat.

CŒLIOLI, qui Cœlio additus modice acclivis pertingit ad viam Latinam, meminit Varro: eoque traductos ait *principes de Cœlianis, qui a suspicione liberi erant*. M. Tullius [9]: *L. Pisonem quis nescit his ipsis temporibus maximum, & sanctissimum Dianæ sacellum in Cæliculo sustulisse?* Hoc, non ut Marliano placet [10], ubi ædicula Sancti Joannis co-

1 3. Fast. 2 Domus & Curia Hostilii Regis 3 Liv. lib. 1. 4 Id est, Senatui, adlectis Patribus, qui dicti *minorum gentium*. 5 Onuphrius in Urbe. 6 Amm. lib. 16. 7 Mansiones Militum Albanæ. 8 Lib. 8. 9 Appian. de Bello civil. lib. 3.

1 Dion l. 97. Militum. 2 Castra in Albano. 3 Templum Claudii Cæsaris. 4 6. Fast. 5 Libro 7. 6 In Chronico. 7 Jul. Capitol. in Pertinace. 8 Ovid. 3. Fast. 9 De Arusp. respons. 10 Lib. 4. c. 18.

gnomento *ante portam Latinam*, statuendum est. [A] hanc enim in via ipsa Latina positam videmus, cum sacellum DIANÆ maximum in ipso tumulo, qui viæ imminet, Cicero posuerit. An ibi L. Cornificius aliquid struxerit, qui sub Augusto ædem Dianæ [1] ædificavit, incertum est. De utroque Cœlio Martialis [2]:

Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Cœlius & minor fatigant.

1 Sueton. in Aug. c. 29. 2 Lib. 12. Epig. 19.

[B]

CAP. XIII.

Mons Aventinus.

PERAMPLUS latissime patet, longior tamen, quam latior AVENTINUS [1]. Cujus hi sunt fines. A Tiberi, quo interjecta angusta via ferme alluitur, secundum Velabrum, Circi olim Maximi sedem, & Appiam viam, ad portam usque Capenam excurrit. Ab ea conversus, semperque pomœrio terminatus, secundum Urbis mœnia pertinet ad portam Hostiensem, nunc S. Pauli. Inde inter [C] septemtrionem & occasum e lata planicie exurgit, ubi Testaceus mons. Tum redit ad Tiberim. Eundem angusta valle divisum via intersecat, quæ a porta Hostiensi recta tendit ad Amphitheatrum. Inde biceps Aventinus [2], duosque vertices vetustis Sanctorum templis nobiles late extollit. Vinetis & hortis hoc ævo consitus. olim nemorosus, plurimisque lucis inumbratus. Ovidius [3]:

Cacus Aventinæ timor atque infamia sylvæ.

Et alibi. Dionysius [4]: *Sylvis obsitus varii generis, præcipue lauro, unde LAURETUM pars ejus dicitur.* [D] Plinius [5]: *LORETUM in Aventino vocatur, ubi sylva lauri fuit.* P. Victor: *Vicum Loreti minoris: alterum Loreti majoris, ubi erat Vertumnus.* Ea de causa, quod extra pomœrium usque ad Claudium Cæsarem, & antiquitus infrequens ædibus civium esset, illo secedenti velut in campos plebi capacem sedem præbuit. Nomen autem sortitum ferunt *ab avibus, quod eo se ab Tiberi ferrent aves; alii a rege Aventino Albano, quod ibi sit sepultus; alii ab adventu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianæ templum sit constitutum; ego maxime puto ab advectu. nam olim paludibus mons erat ab reliquis disclusus.* Hæc Varro. Idem MURCUS dictus, [E] a *Murciæ deæ sacello*, ut ait Festus. Hoc Myrteæ Veneris fuit in valle Circi Maximi. Sed & locus in summo Aventino REMURIA, eodem auctore, *dicitur ubi Remus de Urbe condenda fuerat auspicatus.*

Porro illud celebre DIANÆ templum impellente Servio Tullio rege populi Latini cum populo Romano fecere: *Quemadmodum*, ut ait Livius [6], *inclytum Dianæ Ephesiæ fanum communiter a civitatibus Asiæ factum fama ferebat.* Addit Dionysius [7], a Servio fœderis leges conscriptas civitatibus, ritusque celebrandi festi, ejusque participes civitates in area, columnæ incisas ad suam usque ætatem permansisse. [F] Affixa erant huic templo, quod solum Dianæ agnoscit in Aventino Plutarchus [8], boum cornua; cum reliquis Dianæ fanis, ut idem ait, cervorum cornua Romani affigerent. Causa fuit, quam ipse, & Livius [9] narrant, quod bovem ingenti specie ac magnitudine, quæ populo, cujus civis eam Dianæ immolasset, portendere credebatur imperium. Romanus decepto, missoque ad Tiberim viro Sabino, ut se flumine persunderet, bovem mactavit. *Fixa*, inquit Livius, *per multas ætates cornua in vestibulo templi Dianæ monimentum ei fuere miraculo.* Sed & alia, præter ea mactatæ bovis, adjecta cornua indicat Plutarchi locus. Neque hujus templi sedes [1], ubi nunc S. Sabinæ colitur, statuenda est, ut quibusdam placet. sic enim legimus apud Martialem [2]:

Quique videt propius magni certamina Circi,
Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.

Palphurius enim Sura nobilis orator e domo propinqua Dianæ templo in Circum maximum despiciebat. Circus autem sub altero Aventini latere, quo ad ortum spectat & Palatium, jacebat; cum ædes B. Sabinæ martyris imminens Tiberi cum suo Collis jugo septemtrionem prospiciat. Itaque Dianæ templum potius statuendum est in summo clivo sinistrorsum, versus ædem B. Priscæ. Hæc enim est aptior sedes, facilemque prospectum habet in Palatinum, Capitolium, Cœlium, aliaque veteris Urbis loca celeberrima. Ab ejus fani nobilitate Aventinus *Dianæ collis* dictus est. Martialis [3]:

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ:

Idem:

Aut Collem dominæ teris Dianæ.

Hic Dianam adversus Annibalem consedisse cecinit Silius [4]:

At qua vicinis tollit se collibus altæ
Molis Aventinus, viden, ut Latonia virgo
Accensas quatiat Phlegetontis gurgite tædas?

Eo confugit C. Gracchus [5] vim fugiens Opimii consulis, indeque trans Tiberim elapsus est, quod frustra adducit Marlianus, ut templum ad D. Sabinæ statuat; nam eodem modo elabi potuit ex eo, quem designavi, loco. Appianus [6] id quasi propugnaculum Gracchanos occupasse memorat, ut ostendatur firmitas & magnitudo ædificii. *Cum his*, inquit, *qui eos circumsteterant, Dianæ templum invadentes per vim retinere conabantur.* In eodem Colle aliud templum eadem Diana diverso habuit nomine. LUNÆ enim templum dictum est. De eo P. Victor. Colebatur in fine Martii mensis. Ovidius [7]:

Luna regit menses; hujus quoque tempora mensis
Finit Aventino Luna colenda jugo.

Hæc fortasse illa est ædes, quam ornavit L. Mummius. Vitruvius [8]: *Auctorem habemus L. Mummium, qui diruto theatro Corinthiorum ejus ænea Romam deportavit, ea de manubiis ad ædem Lunæ dedicavit.*

Ibidem JUNONIS REGINAE fanum celebre, quod captis Veiis, & asportato Junonis simulacro ex præda Vejentana Camillus condidit. Livius [9]: *Integramque in Aventinum, æternam sedem suam, quo vota Romani dictatoris voverant, perlatam.* Ubi templum ei postea idem, qui voverat Camillus, dedicavit. De alio signo idem [10]. *Signum æneum matronæ Junoni in Aventino ædificaverunt.* Idem alibi [11]: *Tacta de cœlo ædes in Aventino Junonis Reginæ.* Et paulo post: *per Boarium Forum in Clivum publicum, atque ædem Junonis Reginæ perventum.*

1 Situs & fines Aventini Collis. 2 Aventinus biceps & nemorosus. 3 1. Fast. 4 Dionys. lib. 3. 5 Plin. l. 15. c. 30. 6 Liv. lib. 1. 7 Dionys. l. 4. antiq. 8 In q. Rom. quæst. 4. 9 Liv. lib. 1.

1 Dianæ templum ubi esset. 2 Lib. 6. Epig. 64. 3 Lib. 7. Epig. 72. 4 Sil. lib. 13. 5 Plutarc. in vita Gracc. 6 Lib. 2. de Bell. civ. 7 Lib. 3. Fast. 8 Vitruvius lib. 5. c. 5. 9 Liv. dec. 1. lib. 5. 10 Dec. 3. l. 2. 11 Dec. 3. l. 7.

Clivo publico ascendebatur in Aventinum e valle Circi, ut hodie ad latus ædis S. Anastasiæ videmus. Prope summum clivum dextrorsum sita ædes S. Sabinæ. Itaque hic potius Junonis Reginæ [1], non



autem commune illud Dianæ templum collocandum est. Videmus in veterum Augustarum numismatis frequentem Junonis Reginæ effigiem.

Templi Minervæ in eodem colle incerta sedes. Celebrabatur a populo die decima septima Junii. Ita Ovidius [2]:

Jam sex, & totidem luces de mense supersunt;
Huic unum numero tu tamen adde diem
Sol abit e geminis, & cancri signa rubescunt;
Cœpit Aventina Pallas in arce coli.

In eodem summo Colle, quæ pars REMURIA dicta est, ædes BONÆ DEÆ condita, quæcunque illa fuerit; cui tantum fœminæ sacra faciebant. Ovidius [3]:

Interea diva canenda Bona est.
Est moles nativa loco; res nomina fecit.
Appellant saxum; pars bona montis ea est.
Huic Remus institerat frustra, quo tempore fratri
Regna Palatinæ prima dedistis aves.
Templa patres illic oculos exosa viriles
Leniter acclivi constituere jugo.

Claudia Virgo Vestalis dedicavit. postea vero,

Livia restituit, ne non imitata maritum
Esset, & ex omni parte sequuta virum.

Interpretes Ovidii molem illam seu locum natura editum, qui *saxum* dicebatur, captatis Remi auspiciis insignem, Tiberi imminentem faciunt [4]: & Antiquarii antiquam ædem, ubi templum S. Mariæ cognomento *Aventinæ* colitur, ibi constituunt. Videant tamen oportet, an leniter acclivum dici possit jugum; edita tamen pars Aventini, ubi ædes Magnæ Virginis; quod de sede templi Bonæ Deæ dictum est. Spartianus de Adriano: *Fecit & Ædem Bonæ Deæ*. An hoc ipsum, an alibi positum, non constat.

In ea quidem parte, quæ vergit ad Tiberim CACI olim spelunca [5] fluvio imminebat; moles enim saxea teste Virgilio,

Speluncæ dorso insurgens ——

1 Ubi templum Junonis Reginæ. 2 Lib. 6. Fast. 3 Lib 5. Fast. 4 Remuria, & ædes Bonæ Deæ ubi essent. 5 Caci spelunca.

—— lævum incumbebat ad amnem.

Propterea Herculis Victoris templum in eadem crepidine collocant, ubi Cacum latronem magna incolarum lætitia occiderat. Ubi & scalæ GEMONIÆ declives in Tiberim apponuntur [1]; quo trahebantur abjiciebanturque supplicio damnati. Harum crebra mentio apud auctores. P. Victor in XIII. Regione Aventini posuit. *Dicti Gemonii gradus, quod locus esset gemitus & calamitatum. Nam quod aliqui augurantur de Gemonio auctore, vel qui primus sit exturbatus, parum comperi. Gradus vel Scalæ dicebantur, quod surrectus foret locus, & gradibus quibusdam conscenderetur*. Cœlius Rhodiginus [2]. Quasi in summum scalarum damnati abjicerentur. Mihi verisimilius est in aliis etiam gradibus fuisse depositos, ideoque paulo latioribus. Quod indicant numerosæ sub aliquot Principibus cædes. Dion [3]: *Hoc modo multi viri morte affecti, multæ mulieres aliæ in carcere, aliæ ad tribunal protractæ captivarum instar, & earum quoque in Gemonias projecta corpora*. At Dion ipse Gemoniarum sedem incertam facit. Nam de Sejano sic ait [4]: *Cumque in Capitolio sacrificasset, ac inde in Forum descenderet, servi ejus stipatores, cum propter turbam eum sequi non possent, in viam, quæ ad carcerem ducit, diverterunt ac per Scalas Gemonias lapsi deciderunt*. Hæ igitur non in præcipiti clivo Aventini ad Tiberim, sed in crepidine Capitolii, aut prope carcerem fuerunt. Neque dicas in codice Græco *Gemonias* non legi, qui habet: καὶ κατὰ τῶν ἀναβασμῶν, καθ᾽ ὧν οἱ δικαιούμενοι ἐρρίπτοντο, κατιόντες ὤλισθον, καὶ κατέπεσον. *Et per gradus, in quos damnati projiciebantur, descendentes lapsi sunt, & deciderunt*. Quid enim aliud hi gradus, nisi Gemoniæ sunt? De quibus eodem modo ipse auctor alibi loquitur. Paulo ante de Sabino: σῶμα αὐτοῦ κατὰ τῶν ἀναβασμῶν ἐρρίφη. Et postea de Sejano: κατά τε τῶν ἀναβασμῶν ἐρρίφη. *in gradus abjectus est*. quos duos in Gemonias abjectos fuisse constat ex Plinio, Tacito, Suetonio [5]. Equidem quid Dion loco illo sibi velit, nisi Gemonias velit Capitolio adhærentes, non intelligo. Contra tamen P. Victor, & alii, præter eos, quos dixi, Antiquarii, & Alexander [6] sentiunt. Qui utrumque tueri velit, auctores habet, quibus id tueatur.

Jam P. Victor HERCULIS & SILVANI [7] communem facit ædem in Aventino. Aliamque Silvano propriam attribuit, & fontem. Hæc forte ædes in altero montis vertice, ubi templum S. Balbinæ, dicata est, in quo effossus est lapis Principe olim Trajano positus, inventusque a pastinatoribus in vinea [8] ad thermas Antoninianas. Porro ejus Tabulæ marmoreæ tres in partes diffractæ pars media cum litteris tituli periit, cujus verba diverso charactere notata supplevimus. Sic autem se habet integra inscriptio. Sic legitur, *Concameratione, & Vipstiano*.

1 Fulv. lib. 2. Marl. lib. 4. cap. 4. 2 Cœl. Rhodig. lib. 10. cap. 5. 3 Dion. l 59. 4 Dion l. 58. 5 Plin. l. 8. c. 40. Tac. Ann. lib. 5. Sueton. in vita Tib. cap. 61. 6 Alex. ab Alex lib. 3. Gen. dier. cap. 5. 7 Ædes Herculis & Silvani. 8 Vinea Coll. Romani.

Numini domus Augustæ & Sancti Silvani salutaris sacrum
Imp. Cæs. Nervæ Trajani optimi Princ. Germ. Da*cici imagines argenteas*
Parastaticas cum suis ornamentis, & regulis, & basibus, *& concameratione ferrea*
C. Julius Nymphius dec. annalis sua pecunia ponendas curavit *donumque dedit*
In Templo S. Silvani salutaris quod est in hortis Aventinis, & *prædio suo dedicavitque*
Idibus Januaris L. Vipstano Messala, Q. Pedone *Coss.*

Sancti autem cognomentum Silvano attributum veteres lapides apud Gruterum, & alii demonstrant.

Porro ELICII JOVIS Ara [1] ad radices Aventini non longe a Tiberi fortasse fuit; ubi fons in antro, & circumposita sylva. Fons EGERIÆ Nymphæ credebatur esse; cum qua sermones nocturnos, ut rudi ac bellico populo religionem injicere, simulavit Numa. De eo fonte Ovidius [1]:

Defluit incerto lapidosus murmure rivus;

1 Ara Jovis Elicii.

1 3. Fast.

Sæpe, ſed exiguis hauſtibus inde bibi.
Egeria eſt, quæ præbet aquas, Dea grata Camœnis,
Illa Numæ conjux, conſiliumque fuit.

Tum de ſylva & fonte ſimul canit;

Lucus Aventino ſuberat niger ilicis umbra,
Quo poſſis viſo dicere, numen ineſt.
In medio gramen, muſcoque adoperta virenti
Manabat ſaxo vena perennis aquæ.

Deinde vero:

Eliciunt cœlo te, Juppiter, unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.
Conſtat Aventinæ tremuiſſe cacumina ſylvæ,
Terraque ſubſedit pondere preſſa Jovis.

Vicinior Tiberi locus HILERNA nomine, item cum luco. Ovidius [1]:

Adjacet antiquus Tiberino lucus Hilernæ:
Pontifices illuc nunc quoque dona ferunt.

In eodem Aventino privata DOMUS Vitellii Cæſaris, ſive ejus uxoris fuit, cum ejus frater prope Forum habitaret. Tacitus [2]: *Cur enim e roſtris, fratris domum imminentem Foro, & irritandis hominum oculis, quam Aventinum, & penates uxoris petiſſet?*

Ibidem TEMPLUM, & ATRIUM LIBERTATIS P. Victor conſtituit. De Templo Livius [3]: *Digna res viſa, ut ſimulacrum celebrati ejus diei, quo contra Hannonem Annibalis ducem pugnavit ad Beneventum, Gracchus, poſtquam Romam rediit, pingi juberet in æde Libertatis, quam Pater ejus in Aventino ex multaticia pecunia faciendam curavit, dedicavitque.* Atrium ajunt ab Ælio Peto & Cornelio Cethego Cenſoribus refectum, & ampliatum. De eo Livius [4]: *Cuſtodiebantur obſides Tarentini in Atrio Libertatis minore cura.* Idem TABULARII Atrio adjuncti alibi meminit [5]: *Cenſores extemplo in Atrium Libertatis aſcenderunt, & ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario, & dimiſſis ſervis publicis, negarunt ſe prius quicquam publici negotii geſturos, quam judicium populi de ſe factum eſſet.* De eodem [6]: *Atrium Libertatis, & Villa publica ab eiſdem cenſoribus refecta amplificataque.* Tacitus [7]: *Præceptum, ut Germanicos milites e Libertatis Atrio accerſerent.* Cæterum præter hoc in Aventino, aliud alibi ATRIUM LIBER-

1 Ovid. 6. Faſt. 2 Tac lib. 3. Hiſtor. 3 Dec. 3. l. 4. 4 Dec. 3. l. 5. 5 Dec. 5. l. 3. 6 Dec. 4. l. 4. 7 Tac. lib. 1. Hiſt.

A TATIS ponit locus Marci Tullii [1], niſi corruptus eſt: *Paulus, inquit, in medio Foro Baſilicam jam pæne texuit iiſdem antiquis columnis. illam autem, quam locavit, facit magnificentiſſimam. Quid quæris? nihil gratius illo monimento, nihil glorioſius. itaque Cæſaris amici (me dico & Oppium) diſrumparis licet, monimentum illud, quod tu tollere laudibus ſolebas, ut Forum laxaremus, & uſque ad Atrium Libertatis explicaremus, contempſimus ſexcenties ſextertium. cum privatis non poterat tranſigi minore pecunia.* Video cum magnis viris locum eſſe ſuſpectum. Sed ſive Tullius loquatur de Foro Cæſaris explicando uſque ad Atrium Libertatis, ut placet

B Manutio, mihique magis probatur: ſive diſpuncta voce *Forum*, ut placet Lambino (nam & alii aliter legunt) loquatur de Pauli Baſilica pertingente ad Atrium Libertatis; utrumque ædificium longe diſtabat ab Aventino. Pauli enim Baſilica, ut alibi diximus, in Foro Romano prope templum Fauſtinæ: paulo remotius Forum Cæſaris a tergo templi Pacis fuit. Itaque hoc Libertatis Atrium, non longe a clivo mittente in Eſquilias prope Turrim Comitum fuiſſe crediderim. Addam hoc loco de Baſilica Pauli, quod ſupra omiſi, a Lepido ejuſdem gentis ornatam fuiſſe ſub Tiberio. Tacitus [2]: *Le-*

C *pidus a Senatu petivit, ut baſilicam Pauli, Æmilia monimenta, propria pecunia firmaret ornaretque.* Et paulo poſt: *Lepidus quamquam pecuniæ modicus avitum decus recoluit.*

Demum quoniam in eodem Aventino ponitur *ARMILUSTRIUM* [3]: *Armiluſtrium*, ait Varro, *ab eo quod in Armiluſtro armati ſacra faciunt. niſi locus potius dictus ab his; ſed quod de his prius, id ab ludendo, aut luſtro eſt, quod circumibant ludentes ancilibus armati.* Quod ergo Salii, qui galeam, clypeum, & enſem ferebant, illud in ſacris circumirent, non quod ibi recenſerentur arma & milites, ut placuit Volaterrano, dictum eſt *Armiluſtrium*. Poſitum hoc erat in ipſo Colle. Nam Plu-

D tarchus de Romulo ſic ſcribit: *Corpus Tatii magno honore Romam delatum tumulavit in Aventino ad Armiluſtrium.* Cenſum autem militum, aliaque bellica munia Campus Martius ſibi ab initio vendicavit.

Subjecta eſt ab utroque latere Colli Aventino planicies amplior illa, quæ ſiniſtrorſum alluitur Tiberi, ubi in ipſis mœnibus PYRAMIS ſepulchralis C. Cæſtii. Hæc ex quadratis conſtat marmoribus, decreſcente paulatim, & in acumen deſinente ſtructura. C. Cæſtio condita eſt, ex eorum collegio, qui quod epulare ſacrificium in ludis facerent, Epulones dicti. Duplex in ea titulus. Altera, quæ occidentem ſpectat, ſic inſcripta bipedalibus litteris:

1 Lib. 4. Ep. ad Attic. Ep. 15 2 Tac. lib. 3. Annal. 3 Armiluſtrium.

C. CESTIVS. L. F. POB. EPVLO. PR. TR. PL
VII. VIR. EPVLONVM

Altera vero parte, qua orientem ſpectat, ſic, ſed multo minoribus litteris:

OPVS. ABSOLVTVM. EX. TESTAMENTO. DIEBVS. CCCXXX
ARBITRATV
PONTI. P. F. CLAMELÆ. HEREDIS. ET. PONTHI. L

Non longe viſitur TESTACEUS mons [1]. Hunc vero colliculum e valle undique exurgentem teſtarum vaſorumque fragmentis extitiſſe ajunt. Mirum, unde tanta copia figlinorum operum: nec ſatis cauſæ affertur, cur in eum locum comportata, & in cumulum coacervata fuerint. Fictilium quidem ibi reliquiæ congeſtæ conſpiciuntur; ſed cur in collem creverint alii probabiliter, ſi licet, exponant. Nam de eo perpetuum apud antiquos ſilentium. Quidam Romæ opinantur factum e fragmen-

1 Mons Teſtaceus.

E tis urnarum, quæ olim fiebant ad excipiendos cineres crematorum corporum, & magna copia diverſaque figura quotidie non ſolum e vineis, ſed tota Romana planicie effodiuntur. Sed an vere in unum coacervatæ locum, cur, quandoque fuerint, dicere non poſſunt.

Jam vero prope fluvium olim SALINÆ, ſalis conditoria. Ibidem NAVALIA. Livius [1]: *Porticum extra portam Trigeminam, & aliam poſt Navalia.* Erant enim conjuncta loca. E regione Na-

1 Dec. 4. lib. 10.

valium trans Tiberim. PRATA QUINTIA, a Quintio Cincinnato dicta. Livius [1]: *L. Quintius trans Tiberim contra eum ipsum locum, ubi nunc Navalia sunt, quatuor jugerum colebat agrum, quæ prata Quintia vocantur*. Itaque vetera Navalia, Dionysio auctore, prope pontem Sublicium statuenda sunt. Prata autem Quintia, non ea dicenda, quæ hodie vulgari appellatione PRATA jacent inter Molem Adriani & Pontem Milvium, tantoque intervallo a ponte olim Sublicio & Navalibus distant. Nuncupat hæc Procopius NERONIANA prata [2]: Quintia certe non sunt. Neque enim Navalia fuerunt in campo Martio, qui campis illis est objectus, etsi non omnibus, & ultra, ad pontem usque Milvium protensis. Quo modo enim, si ibi fuissent, intersepto pontibus fluvio, onerariæ magnæque naves præaltis malis, velisque diffusæ eo deduci potuissent? Livius [3]: *Senatus sacrificari jussit. Naves, quæ in Tiberi paratæ instructæque stabant, ut si Rex posset resistere, in Macedoniam mitterentur, subduci, & in Navalibus collocari*. Plutarchus [4] de Catone minore, qui e Cypro rediens classi adversum Tiberim erat invectus: *Insolens, inquit, visum, quod ad consules & prætores effusos obviam non descenderit, neque cursum inbibuerit; sed incitata hexeri [5] Regia ripam prætervectus*, οὐκ ἀνῆκε πρότερον, ἢ καθορμίσαι τὸν στόλον εἰς τὸ νεώριον. Erat ergo ad Aventinum, & prima Urbis mœnia Navale, quo commodus esset trajectus a mari; ut hodieque Tiberinus ille tractus navibus opportunam stationem præbet. Porro ager ille quatuor jugerum, seu prata Quintia, ubi horti sunt ad ædem D. Francisci, trans Tiberim fuere. Neque negotium facessit Plinius scribens [6]: *Cincinnato aranti quatuor sua jugera in Vaticano*. Ut enim Vaticani montes a ponte Milvio ad Janiculum pertinent, ita & campi. Qui enim trans Tiberim intra illos montes jacent, Vaticani sunt.

Navali additum erat EMPORIUM [7] pro rebus venalibus, quæ in Urbem importabantur. Livius [8]: *Censores extra portam Trigeminam Emporium lapide straverunt, stipitibusque sepserunt, & porticum Æmiliam reficiendam curarunt, gradibusque ascensum ab Tiberi in Emporium fecerunt, & extra eamdem portam in Aventinum porticum silice straverunt*. Et [9]: *Censor faciendum curavit Forum & Porticum extra portam Trigeminam, & aliam post Navalia, & ad fanum Herculis*. Alibi autem diximus, hanc portam fuisse, ubi nunc templum S. Mariæ cognomento *in Cosmedin*, prope quam erat ædes Herculis. Quare hujusmodi fuit locorum & ædificiorum [10] situs. A fano Herculis ad portam Trigeminam Porticus fuit. Extra portam alia Porticus, donec angustiæ inter Aventinum & Tiberim laxantur in planiciem. Ibi Forum. Post hoc Navalia; ubi alia Porticus. Navalibus adjunctum Emporium. Extra eandem portam alia Porticus. Livius [11]: *Aediles porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecerunt*. Hanc dextrorsum versus Tiberim fuisse reor, antequam fluvio objectus Aventinus tenue spatium interjectum relinquat. Aemilia autem porticus hic sita, & refecta a censoribus, diversa est ab illa, quam supra prope Forum statuimus.

Plura & celebriora ædificia dexterum Aventini latus in subjecta valle despexit. Ibi enim porta Capena non minus Appiæ viæ, cui imminebat, celebritate, quam se ipsa celebris, quippe quæ primæ Urbis regioni nomen dederit. Extra hanc portam nobile fuit templum Martis. De eo Livius [12]: *Eo anno ÆDES MARTIS Gallico bello vota de-*

1 Dec. 1. l. 3. 2 Prata Neroniana. 3 Liv. Dec. 5. lib. 5. 4 Plutar. in ejus vita. 5 Navi sex remorum. 6 Plin l. 18. cap. 3. 7 Emporium. 8 Dec. 5. l. 5. 9 Dec. 4 lib. 10. 10 Ædificia ad Aventinum. 11 Dec. 4. l. 5. 12 Liv. Dec. 1. Lib. 6.

dicata est a Tito Quintio duumviro sacris faciendis: Idem: *Semitamque saxo quadrato a porta Capena ad templum Martis straverunt*. Idem: *Viam silice sternendam a porta Capena ad Martis ædem locaverunt*. Ovidius [1]:

> *Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extra*
> *Appositum tectæ porta Capena viæ.*

Tectam viam appellat, cui esset imposita porticus. Fuerunt enim crebri fornices extra Romanas portas. Interpres, *Ab Oppido*, inquit, *tecto denominata, quæ in Flaminiam quoque ducebat*. Nec est audiendus. Utraque enim via quid magis dissitum? Cum Appia extra Capenam, quæ etiam ibi *tecta* ob porticum impositum dicebatur, in Campanos: Flaminia ad Gallos mitteret. Neque Martialis hanc, ut idem autumat, illo versu intelligere potuit:

> *Lingonus a recta [2], Flaminiaque recens.*

Tres enim viæ præcipue fuerunt in Campo Martio: *Fornicata* prior colli Hortulorum: *Media*, quæ etiam *Flaminia*: *Recta* prior Tiberi, quæ minorem in Campum e Martio mittebat. Seneca [3]: *Inter Tiberim & viam Rectam descendit ad inferos*. Hanc Martialis, non *tectam* inculcat. Quod si *tectam* legas, *fornicatam* intelliges. Sed ut redeam ad Martis templum, prope portam id fuit. Monet Servius [4]: *In Urbe duo Martis templa sunt: unum Quirini intra Urbem, quasi Custodis & tranquilli: aliud in Appia via extra Urbem prope portam, quasi Bellatoris vel Gradivi*. Nam, ut alias dixi ex Vitruvio, Martis, Bellonæ, Vulcani, & alia hujusmodi Deorum templa extra Urbem prisci amandarunt, sero intra eamdem recepta. Quod autem ajunt [5] hoc templum in ædilitate a Sylla consecratum *positumque super centum columnas*; vellem cum auctore dictum clarius explicassent. Quid enim est, *poni supra centum columnas*, quæ solent non templum, sed tectum sustinere? Legi equidem apud Lampridium de Alexandro Severo: *Basilicam Alexandrinam instituerat inter Campum Martium & septa Agrippiana in latitudinem pedum centum, in longitudinem pedum mille, ita ut tota columnis penderet; quam efficere non potuit morte præventus*. An simile opus intelligant, & pares illi extruendo ædili Syllæ opes attribuant, ipsi exponant. Illud exploratius, insignem pompam ab eo templo ad Castoris in Forum quotannis fuisse deductam Idibus Quintilibus. Dionysius [6]: *Per tribus & centurias, inquit, distincti, qui equos habent ex publico, ordine in equis vehuntur omnes, quasi e pugna redeant, coronati fronde oleagina, & togis palmatis amicti, quas vocant trabeas, initio pompæ facto ab æde Martis, quæ extra Urbem sita est, & pertranseuntes cum cæteras Urbis partes, tum Forum, ædemque Castrorum, nonnumquam quinque virorum millia, gerentes quidquid donorum militarium acceperunt a ducibus. egregium sane spectaculum dignumque Imperii magnitudine*. Id institutum a Q. Fabio censore, qui primus Maximi cognomen accepit. Livius [7]: *Ab eodem institutum dicitur, ut equites idibus Quintilibus transveherentur*. Alterius spectaculi meminit Dion, scribens: *Equestria certamina, quæ Kalendis Augusti exhibentur, instituta sunt propterea, quod ea die Martis ædes consecrata est*. Sed loquitur de æde Martis in Foro Augusti. Idem alterum templum Martis statuit in Cam-

1 Fast. lib. 6. 2 Sic legendum non *tecta*. 3 In ludo de morte Claudii, 4 In lib. 1. Æneid. 5 Fulv. lib. 1. Interpres Ovid. loc. citato. 6 Lib. 6. Rom. Ant. 7 Dec. 1. l. 9.


pro Martio: *Templum*, inquit [1], *Martis in Campo Martio fulmine ictum erat*.

Extra eamdem portam MANALIS LAPIS, de quo Festus; *Manalem Lapidem vocabant petram quandam, quæ erat extra portam Capenam juxta ædem Martis, quam cum propter nimiam siccitatem in Urbem protraherent, insequebatur pluvia statim, eumque quod aqua manaret*, Manalem Lapidem *dixere*. Ibidem crebri, uberes, & madidæ Capenæ fontes; & TEMPESTATIS ædes, quam Metellus, tempestatem Sardoo mari passus, vovit posuitque, an Claudius, ut alii, vanissimo numini vaniora capita. Ovidius [2];

Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur,
Cum pæne est Corsis obruta classis aquis.

Plura intra portam fuere templa. Cicero ad Atticum [3]: *Cum venissem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant, a qua plausu maximo cum esset mihi gratulatio significata*. Inter hæc templa numerantur ædes *Minervæ*, *Spei*, *Isidis*, *Fortunæ*, *Camœnarum*. Hanc Fulvius Nobilior exstruxit ad eamdem portam, & luco instruxit: cum antea lucum alterum perenni amœnum fonte Camœnis Numa dicaverit, & in eo Fidei sacrarium constituerit, ut refert Livius [4]. Ædis Camœnarum meminit Plinius [5]: *Notatum ab auctoribus, & L. Actium poetam in Camœnarum æde maxima forma statuam sibi posuisse, cum brevis admodum fuisset*. De ea Martialis [6];

Et cum currere debeas Bovillas,
Iter jungere quæris ad Camœnas,




Bovillæ enim in via Appia. Ibidem templum HONORIS & VIRTUTIS. Hoc voverat bello Gallico Marcellus, sed duo fecit. Causam affert Livius: *Marcellum aliæ atque aliæ objectæ animo religiones tenebant. In quibus quod, cum bello Gallico ad Clastidium, oppidum Ligurum, ædem Honori & Virtuti vovisset, dedicatio ejus a Pontificibus impediebatur, quod negabant unam cellam amplius quam uni Deo recte dedicari, quia si de cœlo tacta, aut prodigii aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret; quod utri Deo divina res fieret, sciri non posset. Neque enim duobus, nisi certis Deis rite una hostia fieri. Ita addita Virtutis ædes approperato opere*. Et alibi [7]: *Ædem Virtutis eo anno ad portam Capenam M. Marcellus dedicavit, septimo decimo anno postquam a patre ejus primo consulatu vota in Gallia ad Clastidium fuerat*. Restituit has ædes Vespasianus auctore Plinio [8]: *Fuere*, inquit, *in auctoritate Cornelius Pinus & Actius Priscus, qui Honoris & Virtutis ædes Imperatori Vespasiano Augusto restituenti pinxerunt*. Tres ARCUS triumphales a P. Victore in Regione viæ Capenæ collocantur; *Arcus D. VERI Parthici*, *Arcus D. TRAJANI*, *Arcus DRUSI*. De hoc Suetonius [1]: *Druso Senatus marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit*. Decrevit & Germanico Drusi filio. Tacitus [2]: *Arcus addidit Romæ, & apud ripam Rheni, & in monte Syriæ Amano*. Ædes item Honoris & Virtutis a Mario positæ memorantur, de loco non constat.


1 Dion l. 59. 2 6. Fast. 3 Lib. 4. Ep. 1. 4 Dec. 1. l. 1. 5 Plin. l. 34. c. 5. 6 Lib. 2. Epig 6. 7 Lib. 9. ejusd. Dec. 8 Plin. lib. 35. c. 10.

In eadem via, alia tamen Regione, eaque duodecima Piscinam publicam locant, ad templum nunc Sancti Sixti. Hæc quamvis dederit nomen regioni, non tamen mansit, servato duntaxat loci nomine. Festus: *Piscinæ publicæ hodieque nomen manet, ipsa non extat; ad quam & natatum, & exercitationis alioqui causa veniebat populus*. Cicero [3]: *Romæ, & maxime Appia ad Martis, mira proluvies. Crassipedis ambulatio ablata: horti, tabernæ plurimæ; magna vis aquæ usque ad Piscinam publicam*. Ammianus: *Obeliscus per Ostiensem portam, Piscinamque publicam Circo illatus est maximo*.


Sed qua via Appia flexus est ad arcum Constantini inter Cœlium & Palatinum, occurrebat olim contra templum Sancti Gregorii Septizonium Septimii Severi, sepulchrum illi positum, & posteris Antoninis. de eo Spartianus: *Auream urnulam tantum fuisse dicunt Severi reliquias continentem, Antoninorum sepulchro illatam. Cum Septizonium faceret, nihil aliud cogitavit, quam ut ex Africa venientibus suum opus occurreret, &, nisi absente eo per præfectum Urbis medium simulacrum ejus esset locatum, aditum Palatinis ædibus, id est, Regium atrium ab ea parte facere voluisse perhibetur*. Et ante scripserat: *Opera publica præcipue ejus extant Septizonium, & thermæ Severianæ*. Idem in Antonino Geta: *Illatus est majorum sepulchro, hoc est, Severi, quod est in Appia via euntibus ad portam dexteram specie Septizonii extructum, quod sibi ille vivus ornaverat*. Erat porro Septizonium permagna moles, quæ septem veluti zonis & præcinctionibus ambiretur. Zonæ autem sunt columnarum ordines, quæ quo altiores, eo minores essent. Et alia fuisse in Urbe hujusmodi ædificia supra diximus; natumque Titum Cæsarem prope Septizonium. unde cognomentum templo Sanctæ Luciæ *ad Septisolia*. Septizonii autem Severiani tres tantum supererant ordines columnarum ævo Marliani: nam hodie nihil apparet. *Et tanta*, inquit, *est trium horum altitudo, ut majorem habuisse non fiat verisimile*. Idem sentit Philander [4]: *Ultra quartam*, inquit, *columnationem sursum versus non puto antiquos esse progressos. Neque Septizonium via Appia inter Palatinum & Cœlium montes a Severo Imperatore extructum a septeno columnarum ordine vocatum est. Arguunt, qui supersunt, tres altitudine spectabiles; arguunt interioris ædificii ex quadrato lapide intersepta quædam & veluti solaria, ut loquuntur, sive tabulata, unde a nonnullis* Septisolium *nominatur. Quod cæteri parum viderunt, qui alios quatuor columnarum ordines superimpositos fuisse existimarunt. Nec credibilis reliqua altitudo fastigium ad cacumen æstimantibus*. Hæc ille. Verum hos auctores primo aliorum vulnerat auctoritas, quibus septenus ille ordo asseritur. Deinde quia Septizonium sepulchrum erat, in medio, nempe summo loco, statuam Severi positam sustinens, ut ex Spartiano dictum est, tuto inferri potest, instar Mausolei, atque ejus tabernaculi pyræve forma extructum, quam in consecratione Divorum cremabant in Campo. Illa autem ultra quartum suggestum & gradum attollebat alios in-

1 In Claud cap. 1. 2 Tac. lib. 2. Ann. 3 Lib. 3. Ep ad Q. frat. epist. 7. 4 In Comm. Vitr. lib. 5. cap. 9.


TEMPLVM D. CLAVDII IN MONTECOELIO.
CLAVDIVS CAESAR AVG P M TR P IMP PP
Monumenta Templi D. CLAVDII Nunc S STEPHANI


Fol. 791.
Fig. XXXI
SEPTIZONIVM.
SEPTIMII SEVERI SEPVLCRVM.





CIRCVS MAXIMVS





ſerioribus contractiores, donec ad extremum perveniretur; ut conſtat ex Herodiano, qui hujus rei luculentus auctor comparat turribus gradatim decreſcentibus, quæ in portu nocte prælucentes *Phari* dicuntur. Idem plurima ex antiquis numiſmata demonſtrant, quamquam non omnes gradus brevi ſchemate comprehenderint. Illa ergo Severi ſtatua in medio ſummoque & perexiguo ſuggeſtu locabatur. Quod ſane imago Septizonii ab iis propoſita non repræſentat, neque deſinit in turritum atque extenuatum cacumen. Quare ultra tertiam columnationem ad ſeptimam, diminuto ordine, & coarctata turris altitudine erectum Septizonium libens affirmo. Porro ſchema, quod figurant, non mutilatum ſolum, ſed dimidiatum eſt; quod tamen additis ordinibus perfici poteſt. Eadem recta via & fine Piſcinæ publicæ occurrebat Circus Maximus, de quo nunc, aliiſque circis dicendum eſt.

CAP. XIV.

De Circis.

CIRCUS a *circuitu* nomen accepit, *quod circum ſpectaculis ædificatis ibi ludi fiunt, & quod ibi circum metas fertur pompa, & equi currunt*, ut ait Varro. Ideo & ἱππόδρομος, *hippodromus* Græce dictus, equis in illo curſu agitatis. ςάδιον etiam, *ſtadium*, Latine *curriculum*, ad ejus ſimilitudinem, quod Piſis in Græcia Hercules eodem decurſo conſtituiſſe dicitur, quamquam ſtadium Romæ aliud præter Circum, ædificium fuit. Suetonius [1]: *Athletæ ſtadio ad tempus extructo in regione Martii Campi certaverunt per triduum*. Idem in Domitiano [2]: *Extruxit Flaviæ templum gentis, & ſtadium, & odeum, & naumachiam*. Quoniam autem varii in honorem Deorum ludi decreti Romæ ſunt, multi etiam Circi variis in locis poſiti. Decem numerantur. Nunc de eo, qui antiquitate & magnitudine præcellens, *maximus* appellatus eſt.

Dictus eſt CIRCUS MAXIMUS [3], vel quod *magni ludi*, qui & *Romani*, ſolemniter ibi celebrarentur: *Magnique appellati*, ut ait Aſconius, *quod magnis impenſis dati ſunt*: vel quod Conſo, id eſt, Neptuno & Diis magnis, id eſt, Laribus Urbis Romæ: vel, ut ex Cicerone & Livio diſcitur, quod Jovi, Junoni, Minervæ in eo fierent: quodque omnium Circorum eſſet Maximus & ampliſſimus. Deſignatus eſt hic primum Circus Tarquinio Priſco quinto Romanorum rege, inter Aventinum [4] & Palatium, in Valle Murtia a myrteto & Veneris Murtiæ ſeu Myrteæ ſacello, ut ſupra diximus. Livius [5]: *Tunc primum Circo, qui nunc* Maximus *dicitur, deſignatus locus eſt. Loca diviſa patribus equitibuſque, ubi ſpectacula ſibi quiſque facerent, Fori appellati. ſpectavere furcis duodenos ab terra ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes*. Quod opus referente Dionyſio [6], procedente tempore annumerandum erat inter totius Urbis pulcherrima. *Longitudo ejus*, idem inquit, *eſt trium ſtadiorum cum dimidio; latitudo quatuor jugerum*. Plinius [7]: *Circum*, inquit, *Maximum a Cæſare Dictatore extructum longitudine ſtadiorum trium, latitudine unius, ſed cum ædificiis jugerum quaternum, ad ſedem CCLX. millium*. At P. Victor in Regione ſecunda ait: *Circus Maximus, qui capit loca CCCLXXXV. millia*. Certe Trajanus V. millia locorum adjecit.

Tria autem ſtadia Plinius poſuit (dimidium reliquit) id eſt, paſſus trecentos ſeptuaginta quinque.

1 In Cæſare cap. 39 2 cap. 5. 3 Circo maximo unde nomen. 4 Ubi eſſet Circus Maximus. 5 Liv. dec. 1. lib. 1. 6 Dion lib. 3. Ant. Rom. 7 Lib. 36. cap. 15.

A Nam ut idem Plinius [1]: *ſtadium centum viginti quinque noſtros efficit paſſus*. hoc eſt, pedes ſexcentos viginti quinque, cum pedes quinque paſſum efficiant. Tria igitur ſtadia ſunt paſſus CCCLXXV. pedes MDCCCLXXV. Romani noſtrates palmi MMD. jugerum autem eodem auctore pedes continet ducentos quadraginta, id eſt, noſtrates palmos trecentos viginti. Quatuor ergo jugera pedes efficiunt DCCCCLX. recentes autem Romanos palmos MCCLXXX. Hoc latitudinis ſpatio includuntur ædificia, quæ Circi caveam cingebant. *A duobus*, ait Dionyſius, *majoribus lateribus, & uno minore*, ſummo videlicet Circo, ubi non erant carce-
B res, *extructæ ſunt triporticus. Imæ habent lapidea paulum ſcandentia, ſicut in theatris, ſedilia. Super duplici contignatione ſunt lignea. Duas majores porticus tertia minor conjungit tranverſim, lunata ſpecie appoſita*. hæc eſt, quæ ſummum Circum theatri ſpecie concludebat. *Externe ambit Circum ſimplex contecta porticus, habens officinas, & ſuperne cellas, per quas ſpectatores intrant & aſcendant per officinas ſingulas, ut nulla confuſio oriatur*. Verum in ima parte minus alterum latus, eodem Dionyſio auctore, *ſubdivale* erat, habens fornicatos carceres, unde equi emitterentur. *Carceres dicti*, ait
C Varro [2], *quod coercentur equi, ne inde exeant, antequam magiſtratus ſignum miſit*. Hi & oppidum olim dicti ſunt, quod, ut idem ait, *a muri parte pinnis turribuſque carceres olim fuerunt*. His arcuatis fornicatiſque duodecim oſtia inerant, quæ omnia ſimul una machinatione aperiebantur, uno videlicet tranſverſo ligno & obice clauſa; qui tollebatur, cum dato ſigno mittebantur equi. Longitudo Circi diſtinguebatur interſtructa ſpina, cujus extrema metas, ubi flectebantur currus; media obeliſcos, & alia continebant [3].

Sed nequaquam in hanc amplitudinem, partiumque numerum, & ornatum extructus eſt a Tarqui-
D nio, ſucceſſu temporis auctus & ornatus. Livius [4]: *L. Stertinius de manubiis fornicem in Maximo Circo fecit, & ſigna aurata impoſuit*. Idem [5]: *Ludis Romanis MALUS in Circo inſtabilis in ſignum Pollentiæ* [6] (dea hæc erat Potentiæ) *procidit, atque id dejecit. Ea religione moti Patres, & diem unum adjiciendum ludorum celebritati cenſuerunt, & ſigna duo pro uno reponenda, & novum auratum faciendum*. Loco ejus mali poſtea poſitus eſt primo unus, tum duplex OBELISCUS. Idem [7]: *Tempeſtas*, inquit, *SIGNA in Circo Maximo cum COLUMNIS, quibus ſuperſtabant, evertit*. Idem [8]: *Cenſores, Carceres in Circo, & Ova ad notas curriculis numeran-*
E *das & * dam & metas trans * & caveas ferreas, pe * intromitterentur, faciendas locarunt*. Ova [9] Caſtori & Polluci conſecrata erant; nam eos ovo prognatos ex fabulis arbitrabantur: eaque prope metas poſita ſunt, quod illis currentium ſpatia notarentur. Caſſiodorus: *Metarum circuitus ovorum erectionibus exprimitur*. Porro ſeptena ſpatia, & circuitus curruum fiebant in Circo. Quamquam in ludis ſecularibus Domitianus, *quo facilius ſeptem miſſus peragerentur, ſingulos a ſeptenis ſpatiis ad quina revocavit*. METÆ [10] rotundæ ac turbinatæ fuerunt & in formam coni & cupreſſi. Ovidius [11]: *Metaſque imitata cupreſſus*.
F Hæ primæ & ultimæ in pariete intermedio, qui arenam dividebat, SPINA appellatus. Primæ ad CARCERES, unde equi & currus emittebantur, in Circo Maximo dictæ *Murciæ*, ubi & Conſi ARA [12] fuit, ſed defoſſa, ejuſque ædicula ſubterranea. Tertullianus [13]: *Ara Conſo in Circo adfoſſa*


1 Lib. 2. cap. 23. 2 Lib. 4. de ling. Lat. 3 Dion. loc. cit. Caſſiodor. lib. 3. var. ep. 5. 4 Dec. 4. l. 3. 5 Dec. 4. l. 9. 6 Pollentia Dea. 7 Dec. 4. l. 10. 8 Dec. 5. l. 2. * mutilato loco. 9 Ova in Circo. 10 Metæ turbinatæ. 11 Metam. l. 10. 12 Ara & Delphines in Circo. 13 Lib. de Spect.

est ad primas metas sub terra. Hæc ara in Circo Maximo alias operta ludis Circensibus aperitur, ait Plutarchus. *Consus* autem consilii Deus sive Neptunus equestris fuit, ut idem in Romulo. Inde ludi *Consualia* dicti. Et DELPHINES columnis superpositi sunt in spina Circi, tanquam Neptuno debiti. Hos posuit seu potius restitutos reposuit Agrippa in ædilitate sua. Dion [1]: *In Circo cum videret errare homines propter multitudinem metarum, delphinas & ovata opera posuit, quibus cursuum circuitiones & conversiones ostenduntur*. In eodem EURIPUM [2] fecit Cæsar, qua porticus, & sedilia in margine caveæ desinebant, ut aquas reciperet, decempedali profunditate simul & latitudine, auctore Dionysio [3]. Suetonius [4]: *Circensibus spatio Circi ab utraque parte producto & in gyrum Euripo addito*. Porro in Euripo non modo navales factæ pugnæ, sed etiam cæsæ aquatiles animantes, crocodili, & aliæ. Et Heliogabalus vino implevit. Lampridius: *Fertur in Euripis vino plenis navales Circenses exhibuisse*. Scribunt, eumdem columnas [5] addidisse auro insignes, & pavimenta scobe auri & argenti stravisse. Etsi nihil tale apud Lampridium legerim, quod inter Circi maximi ornamenta referendum videatur. Jam Circo a Cæsare ædificato deerat Obeliscus dicatus Soli. Hunc Augustus Ægypto advehendum curavit. Ammianus [6]: *Augustus*, inquit, *Obeliscos duos ab Hieropolitana civitate transtulit Ægyptia. Quorum unus in Circo Maximo, alter in Campo locatus est Martio*. Plinius [7]: *Is*, inquit, *Obeliscus quem D. Augustus in Circo magno statuit, excisus est a Rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti quinque pedum & dodrantis præter basim ejusdem lapidis*. Alter illo major [8], in eodem Circo positus est a Constantio Augusto. Ex Aegypto enim item advectus *per Ostiensem portam*, ut ait Ammianus, *piscinamque publicam, Circo illatus est maximo*. Hic est ille OBELISCUS, quem prolapsione fractum Sixtus V. Pont. Max. reficiendum, & ante Basilicam Lateranensem statuendum curavit. Alterum vero, quem erexerat Augustus, in aditu portæ Flaminiæ idem Pontifex collocavit. Post Augustum Claudius, auctore Suetonio [1], Circo maximo marmoreis carceribus [2], auratisque metis, quæ utraque & tophina & lignea ante fuerant, exculto, propria Senatoribus constituit loca promiscue spectare solitis.

1 Dion l. 49. 2 Euripus ad navales pugnas. 3 Loc cit. 4 In vita Cæs. c. 39. 5 Columnæ. 6 Lib 17. 7 Lib. 35. cap. 9. 8 duo in Circo Maximo.

Arsit Circus Neronis incendio. Immo incendii initium, auctore Tacito [3], *in ea parte Circi ortum, quæ Palatino Cœlioque montibus contigua est. Ibi* summa pars Circi, & in hemicyclum flexa. *Ubi per Tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, simul cœptus ignis & statim validus ac vento citus longitudinem Circi corripuit*. Quem deinde ante Trajanum nemo restituit, quamquam magnorum operum molitores fuerint Vespasianus, Titus, & Domitianus. Suetonius e lapidibus Naumachiæ instauratum affirmat: *Fecit & Naumachiam*, Domitianus, *e cujus postea lapide maximus Circus deustis utrinque lateribus extructus est*. Plinius in Trajano [4]: *Hinc immensum latus Circi templorum pulchritudinem provocat. Digna populo victore gentium sedes, nec minus ipsa visenda, quam quæ ex illa spectabuntur, cui locorum quinque millia adjecisti*. Dion in Trajano: *Circum collapsum ampliorem atque elegantiorem restituit, quod ideo se fecisse inscripsit, ut populum Romanum capere posset*. Post Trajanum STATUAS illustrium virorum in Circo positas a Severo testatur Xiphilinus. Sed ante, illum iterum collapsum refecerat fortasse Antoninus Pius. De ejus ruina Julius in vita: *Adversa ejus temporibus hæc provenerunt, fames, de qua diximus, Circi ruina*. Alia de Circo narrantur. Stratum *minio* a Cajo [5]: ab eodem & Nerone au-

1 In vita Claudii cap. 21. 2 Marmorei carceres & metæ auratæ. 3 Lib. 15. 4 In Panegyrico. 5 Sueton. in Calig. c. 18. Plin. lib. 33. cap. 5.



rigaturo, *chrysocolla*: alias sterni solitum *ramentis lapidis candidi*. In eodem aliquando Neronem cœnasse. Denique pompa, quæ ante ludos exhibebatur, nihil solemnius aut spectabilius fuisse; quæ describitur a Dionysio lib. 7.

Quædam præterea juxta Circum templa [1] fuere. Tacitus [2]: *Deum ædes vetustate aut igni abolitas, cœptasque ab Augusto Tiberius dedicavit, LIBERO, LIBERAEQUE, ET CERERI juxta Circum maximum, quas Aulus Posthumius dictator voverat: eodemque in loco ædem FLORAE ab Lucio & Marco Publiciis ædilibus constitutam*. Templi Solis idem Tacitus [3] *Propriusque*, inquit, *honos Soli, cui est vetus ædes apud Circum*. Ædis CERERIS meminit Livius [4] *Forum ex æde Lunæ, quæ in Aventino est, coorta tempestas raptam tulit, & in posticis partibus Cereris templi affixit*. Idem [5]: *Ex mulctaticia pecuariorum pecunia pateræ aureæ ad Cereris positæ*. Et [6]; *Ædes Cereris de cœlo tacta*. De eadem Vitruvius [7]: *Tuscanico more, uti est ad Circum Maximum Cereris, & Herculis Pompejani, item Capitolii*. Præter Murtiæ Veneris, aliud ejusdem templum ibi positum est. Livius [8]: *Q. Fabius Gurges ex matronarum mulctaticio ære VENERIS ædem, quæ prope Circum est, faciendam curavit*. Idem [9]: *Viam e Foro boario ad Veneris faciendam locaverunt*. De templo MERCURII scripsit P. Victor, quod illud fortassis est, de quo Livius [10]: *Aedes Mercurii dedicata est Idibus Maiis*. Quam paulo post ad consulum ignominiam jussu populi dedicatam scribit a M. Lectorio primi pili centurione. De eadem Ovidius, & ejusdem Mercurii fonte ad portam Capenam, quo expiationis gratia venirent mercatores [11]:

Templa tibi posuere Patres spectantia Circum
Idibus, ex illo est hæc tibi festa dies.
Est aqua Mercurii portæ vicina Capenæ,
Si juvat expertis credere, Numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator, &c.

Circo maximo proximus antiquitate usuque CIRCUS FLAMINIUS [1] fuit, de cujus auctore situque dictum est alibi. Nunc de templis, quæ in eo fuerunt. P. Victor in Regione nona, *Aedes*, inquit, *HERCULI magno custodi Circi Flaminii*. Id Sylla condidit ob Sibyllæ oraculum. Ovidius [2]:

Altera pars Circi custode sub Hercule tuta est;
Quod deus Euboico carmine munus habet.
Muneris est tempus, qui nonas Lucifer ante est;
Si titulos quæris, Sylla probabit opus:

Loquutus ante fuerat de summo Circo:

Prospicit a tergo summum brevis area Circum.

Hæc pars, ut alias dixi, desinebat ad templum nunc S. Angeli in Foro Piscario. Itaque altera pars, ubi templum Custodis Herculis, erat ad Carceres, nunc Fornacem calcis, & templum S Nicolai. In eodem Circo ARA NEPTUNI, cui fabuloso equorum inventori non deerat honor in Circo equis currentibus. Livius [3]: *Ara Neptuni multo sudore manasse in Circo Flaminio dicebatur cum æde ejusdem*. De hac Plinius [4]: *In maxima dignatione Cn. Domitii delubro in Circo Flaminio Neptunus ipse, & Thetis, & Achilles*. Marlianus [5] ex vetusto lapide, ubi legitur: *Abascantio Aug. lib. æditio ædis Neptuni, quæ est in Circo Flaminio*, jure conjicit ædem illi dicatam. In eodem VULCANI ædem statuit P. Victor, in qua referunt, canes fuisse pro æditituis, & tantum sacrilegis allatrasse [6]. Item JUNONIS REGINÆ & DIANÆ templa. De his Livius: *Alter ex censoribus M. Æmilius petiit ab Senatu, ut sibi dedicationis templorum Reginæ Junonis & Dianæ, quæ bello Ligustino ante annos octo vovisset, pecunia ad ludos decerneretur. Viginti millia æris decreverunt. Dedicavit eas ædes, utramque in Circo Flaminio, ludosque scenicos triduum post dedicationem templi Junonis, biduum post Dianæ, & singulos dies fecit in Circo*. Quidam porticum ante templum S. Angeli in Foro Piscario Junonis fuisse autumant, a Severo olim refectam, ut declarat Inscriptio:

1 Templa in Circo maximo. 2 Tac. l. 2. Annal. 3 Tac. lib. 15. Annal. 4 Dec. 4. lib. 10. 5 Liv. lib. 10. 6 Liv. dec. 3. lib. 8. 7 Vitr. lib. 3. c. 3. 8 Liv. Dec. 1. lib. 10. 9 Dec. 3. l. 9. 10 Liv. lib. 2. 11 Lib. 5. Fast.

1 Circus Flaminius & ejus templa. 2 Fast. 6. 3 Dec. 3. l. 8. 4 Lib. 36. c. 5. 5 Lib. 5. c. 10. post edit. 6 Fulv. lib. 4. Marl. ibid.

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS
PIVS. PERTINAX. AVG.
ARABIC. ADIABENIC. PARTHIC. MAXIMVS
TRIB. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. P. P. ET

IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS
PIVS. FELIX. AVG.
TRIB. POTEST. VI. COS. PROCOS
INCENDIO. CORRVPTAM. RESTITVERVNT

De æde CASTORIS Vitruvius [1]: *Item generibus aliis constituuntur ædes, ut est Castoris in Circo Flaminio*. Ibidem templum Bruti Callaici, quod in Regione nona numerat P. Victor. De eo Plinius [2]: *MARS etiam nunc sedens COLOSSEUS ejusdem, Scopæ, in templo Bruti Callaici apud Circum eumdem*. *Hoc templum jure sibi vendicavit Mars tanto Colosso ibi simulatus*. At mendum sequentibus Plinii verbis subesse suspicor, *ad Lavicanam portam eunti*. Quid enim hic cum porta Lavicana tanto intervallo sejuncta? In eodem circo templum HERCULIS MUSARUM. De eo Suetonius [3]: *Multaque a multis extructa sunt, sicut a Martio Philippo ædes Herculis Musarum*. Vitricus hic erat Augusti, habens in Matrimonio Acciam ejus matrem. Neque fecit, sed olim factam ædem restituit. Ita intelligendus Ovidius [1]:

Dicite, Pierides, quis vos adduxeris [2] illuc?
Cui dedit invictas victa noverca manus?
Sic ego. sic Clio: Clari monimenta Philippi
Aspicis: &c.

Constat autem Fulvium Nobiliorem fecisse, *qui cum Aetolis Ennio comite bellavit*, ut ait Tullius, *nec dubitavit Martis manubias Musis consecrare* [3].

1 Lib. 4. cap. 7. 2 Plin. l. 36. cap. 5. 3 Sueton. in Oct. cap. 29.

1 Fast. 6. 2 In ædem Herculis. 3 Pro Arch. Poeta.



Hic ex urbe Ambracia, teste Plinio [1], Musarum signa Romam deportavit, & in Herculis æde ab se structa posuit, ut ait Eumenius [2]: *Aedem*, inquit, *Herculis Musarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit, non id modo sequutus, quod ipse litteris & summa Poetæ amicitia duceretur; sed quod in Græcia cum esset Imperator, acceperat Herculem Musagetem esse, id est, comitem ducemque Musarum. Idemque primus signa novem, hoc est, omnium Camœnarum ex Ambraciensi oppido translata sub tutela fortissimi Numinis consecravit; quia mutuis operis & præmiis juvari ornarique deberent, Musarum quies defensione Herculis, virtus Herculis voce Musarum*. Plutarchus quærens [3], cur communis fuit ara Herculis & Musarum, respondet: *An quia Evandrum litteras docuit Hercules? ut Juba narrat*. Sed potior Eumenii causa est. Lævinus Torrentius ex veteri nummo promit imaginem Herculis Musarum, nempe spolium leonis & lyram ferentis. quo videtur respexisse Ovidius ultimo carmine [4]:

Annuit Alcides, increpuitque lyra.


Hæc templa vel intra Circi Flaminii ambitum posita, vel illi adjuncta, certo tamen Circi loco, ut fecimus de Syllano Herculis, designare non possumus. Vendebantur, an etiam fiebant in Circo Flaminio vitrei, sed viles calices. Martialis [5]:

Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus,
Accipe de Circo pocula Flaminio.

Circus AGONALIS, sive Agonis [6], vulgo *Navonius* creditur vel extructus, vel instauratus ab Alexandro Imperatore. P. Victor in Regione nona statuit *Circum Alexandri & thermas Alexandrinas*. & Sextus Rufus in eadem: *Domus*, inquit, *& Circus Alexandri Pii Imperatoris*. Thermarum extant vestigia prope templum S. Ludovici nationis Gallicæ.

1 Lib. 35. cap. 10. 2 In Or. pro rep. Schol. 3 In q. Rom. q. 59. 4 Fast. 6. 5 Lib 12. Ep. 75. 6 Circus Agonalis.

A



Quare & Circo proximæ, ut domus ejusdem Cæsaris. Eumdem Circum exprimunt nummi Alexandri. Sed cur *Agonalis* est dictus, & locus ipse *Agon*? Ἀγών quidem ludum & certamen significat Græcis. Latini autem *Agonium ob hoc ludum dixere*, ait Festus, *quia locus, in quo ludi primo facti sunt, fuerit sine angulo, cujus festa Agonalia* [1] *dicebantur*. Atque hæc potissimum e multis causa probatur Ovidio, cur festa *Agonalia* quinto Idus Januarii eo nomine appellata fuerint. Nam sive diceretur a ministro, qui cæsurus hostiam, *ageret ne*, rogabat: sive quod pecudes *agantur*, non veniant, ideoque hostiam antiqui *agoniam* vocabant: vel *agonalia*, quasi *agnalia*: vel a pecudum metu, nam ἀγωνιάω idem quod *metuo* & *periclitor*, subdit [2]:

B

Fas etiam, fieri solitis ætate priorum
Nomina de ludis Græca tulisse diem.
Et prius antiquus dicebat agonia sermo,
Veraque judicio est ultima causa meo.

C

At Varro: *Dies Agonales, per quos rex sacrorum in Regia arietem immolat, dicti ab Agone, eo quod interrogatur Princeps civitatis, & Princeps gregis immolatur*. Demum Festus: *Agonium putabant Deum* [3] *præsidentem rebus agendis: Agonalia ejus festivitatem*. Huic Deo factos fuisse ludos in Circo Agonali putat Fulvius [4]. Verum non hæc tantum spectacula illi tribuenda. Sed forte antequam extrueretur Circus, Jano Agonio deo agonalia ibi herbido in loco fa-

1 Unde Agonalia dicta sunt. 2 Fast. 1. 3 Agonius Deus quis. 4 Fulv. lib. 4.

cta, ex instituto Numæ; ideoque Circus deinde A ædificatus, aliis celebratus ludis *Agonalis* dictus. Quam ob causam putaverim Circum magnifice potius instauratum, quam ab Alexandro.

Quartus CIRCUS extra portam Næviam [1] fuisse nonnullis adhuc vestigiis deprehenditur. Fulvius juxta viam Labicanam, & formas Aquæ Claudiæ a tergo Cœnobii S. Crucis testatur extare veteres parietinas, & in medio jacere duas in partes confractum obeliscum. Hujus Circi conditorem quidam faciunt Aurelianum Imperatorem. Apud veteres auctores de eo nihil invenimus.

Quintus, & stantibus muris CIRCUS Lateritius via Appia non longe ab æde S. Sebastiani hodieque visitur, quem Antiquarii ascribunt Antonino Caracallæ, quod in ejus numismatis ea figura expressus. Spectatur eo in loco ingentis magnitudinis jacens obeliscus, spina in medio secundum Circi longitudinem producta, & metarum signa, & post caveam acclivis parietum structura pro spectatorum sedilibus.

Quatuor Circi supersunt [1]: FLORÆ inter Quirinalem & Pincium, de quo dixi: NERONIS in Vaticano ad S. Petri: ADRIANI in hortis post molem ipsius: & qui in HORTIS SALUSTIANIS ad portam Collinam aliquot sui vestigia reliquit. de quibus suis locis dicendum est. Illud postremo observandum, ludos etiam in Circis ad tempus extructis, ut in theatris & amphitheatris, fieri solitos. Suetonius in Caligula [2]: *Aurigabat extructo plurifariam Circo.*

1 Circus extra portam Næviam.

1 Alii quatuor Circi. 2 Suet. in vita cap. 54.



CAP. XV.

Mons Quirinalis.

QUIRINALIS incipiens [1] a Turri Comitum prope forum Nervæ oblongo dorso ad portam usque Viminalem & Collinam excurrit. Sed ad portam Collinam subsidente introrsus terra, veluti quodam cubiti flexu curvatur, & quo magis porta recedit, latiorem infra se vallem relinquit, quæ duobus Circis olim sedem percommodam præbuit. Alter, Collinæ propinquior nobiliorque, in Hortis Salustianis fuit: alter a porta remotior Floræ dicatus, rudi & impolita structura, cujus C superioribus annis vestigia extabant ad *caput domorum*; sic enim vulgari vocabulo nuncupant. Hos circos duo colles hinc inde claudebant, qui circis dilapsis nunc vallem claudunt. Alter ad Urbis mœnia complanato procurrit solo, ubi horti Ludovisiani sunt, & declivis idem, ab illis se demittit in vallem. Alter ab eo, quem dixi Salariæ flexu, recta quasi crepidine tendit ad hortos Barberinos, B dein Pontificios, tum Columnenses, ac Cœnobium Theatinorum. Ambigitur inter Antiquarios, an [1] alter vertex ad hortos Ludovisianos sit pars Quirinalis, an Pincii Collis & Hortulorum. Qui partem Quirinalis esse volunt, observant, hunc collem ad Salariam inflexum nunquam intermitti, sed ad portam Collatinam seu Pincianam altiore Pincio terminari, bicipitem duntaxat & biverticem. Equidem potius dixerim Quirinalem citra portam Collinam sive Salariam versus hortos Ludovisianos extendi, quamvis antiquitus Romana mœnia non excederent crepidinem montis, in qua ædes Principum Barberinorum, tum Sanctæ Susannæ, ac templum Virginis a Victoria, tum horti valli imminentes. Quod spectat ad situm montis, habet Quirinalis ab ortu æstivo mœnia & portam Viminalem, nunc Piam: a meridie Esquilias & collem Viminalem, cui ad thermas Diocletianas indiscretis finibus conjungitur: ab occasu Nervæ forum: a septentrione plana Urbis & Pincium Collem.

Nomen QUIRINALIS [2] sibi adscivit, vel a *Curibus* seu *Quiritibus*, qui Urbem Tatio duce ob-

1 Situs & fines Quirinalis.

1 Quirinalis an bivertex. 2 Nomen Quirinalis.

ſidentes ibi caſtra poſuerunt, quod placet Varroni: ſive a *Quirino*, id eſt, Romulo, cujus in eo colle nobile fanum extructum erat, quod Plutarcho [1] & Ovidio placet [2];

Templa Deo fiunt, Collis quoque dictus ab illo eſt,
Et referunt certi ſacra paterna dies.

Quamquam & Mars aut Marti alius ſimilis Quirinus Romanis fuerit, ut refert Dionyſius. *Hunc*, inquit [3], *ſicut hos ſequuti Romani Quirinum nominant, nondum ſatis certi, Mars ne is, an quis alius honore Marti ſimilis.*

Dictus eſt etiam COLLINVS, AGONALIS, *ſive* AGONVS, *&* SALVTARIS. Dionyſius [4] *Collinum* nuncupat, & per antonomaſiam Livius [5]. *Collem in æde*, inquit, *Primigeniæ Fortunæ, quæ in colle eſt*. Id fortaſſe non modo propter præruptam productamque altitudinem, qua Campo Martio imminebat; ſed etiam quia plura in Quirinali fuere olim juga, ut patet ex Varrone, a quo etiam *ſexticeps* appellatur. Sed & alii Romani colles bicipites aut tricipites fuere: quod exæquatis ſuperciliis alicubi non apparet. *Agonalis* idem, *quia Agones dicebant montes*, ait Feſtus: *Agonia ſacrificia, quæ fiebant in monte. hinc Romæ mons Quirinalis Agonus, & Collina porta Agonenſis, quæ & Salutaris a Salutis vicino templo, & Quirinalis quod ea iretur in Collem*, ut idem ait, *Quirinalem: ſive quod proxime eam eſſet Quirini ſacellum*. Hoc intelligit Martialis, cui extra mœnia propinquum templo QVIRINI ſuburbanum erat [6]:

Hic mihi quando dies meus eſt, jactamur in alto
Urbis, & in ſterili vita labore perit.
Dura ſuburbani dum jugera paſcimus agri,
Vicinoſque tibi, ſancte Quirine, lares.
Sed non ſolus amat, &c.

Numam Dionyſius hujus templi conditorem facit. *Romulum*, inquit, *ut auguſtiorem homine templo honoravit, & ſacrificio quod alternis annis in Quirinali colle inſtauratur*. Verum præter hanc ædem Quirini ad portam, aliud QVIRINI templum [7] nobile fuit, imminens valli, in qua nunc templum S. Vitalis, quæ ideo *Vallis Quirinalis*, & *Quirini* olim dicta. Cauſa ædificandi fuit, quod Julius Proculus ſenator ex iis, qui cum Romulo ex Alba venerant, poſt mortem Romuli juravit in concione, viſum ab ſe humana ſpecie auguſtiorem. Dionyſius, Livius, Plutarchus & Ovidius [8], illi in hiſtoria, hic poetica, æque mendaces, tamquam rem veram tradiderunt. Ovidius;

Pulcher & humano major, trabeaque decorus
Romulus in media viſus adeſſe via.
Et dixiſſe ſimul: Prohibe lugere Quirites,
Ne violent lacrimis numina noſtra ſuis.
Templa ferant, placentque novum pia turba Quirinum.

Et ibi fortaſſe locus ædificando templo delectus eſt [9], ubi viſum ab ſe Proculus narravit, ſive illud ſpectrum dæmonis illudentis, ſive deliramentum mentientis fuit. *Ædes illi in colle conſecrata*, inquit Plutarchus, *quem ab illo nominant Quirinalem*. Dubium, an de hac, an de priore loquatur. Livius [10] L. Papyrium Coſ. L. Papirii Curſoris filium ædem Quirino dedicaſſe ſcribit: *Aedem Quirini ab dictatore patre votam filius conſul dedicavit, exornavitque hoſtium ſpoliis*, Samnitium, quos vicerat. Condita eſt hæc ædes anno Urbis CCCCLX. Horologium ſolarium ibi erat: cujus, ac templi meminit Plinius [1]: *Princeps*, inquit, *Romanis ſolarium horologium ſtatuiſſe ante duodecim annos, quam cum Pyrrho bellatum eſt, ad ædem Quirini, L. Papyrius Curſor, cum eamdem dedicaret, a patre ſuo votam, a Fabio Veſtali proditur*. Addita eſt inſignis PORTICVS, quo homines vel otiandi, vel negotiandi cauſa convenirent. De otio Martialis [2];

Vicini pete porticum Quirini
Turbam non habet otioſorem
Pompejus, vel Agenoris puella.

De negotio Juvenalis [3];

—— officium cras,
Primo ſole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ cauſa officii? quid quæris? nubit amicus,
Nec multos adhibet. &c.

De duabus ante ædem myrtis. [4] *Inter antiquiſſima delubra habetur Quirini, hoc eſt, ipſius Romuli. In eo ſacræ fuere myrti duæ ante ædem ipſam per longum tempus, altera* patricia *appellata, altera* plebeja. *Patricia multis annis prævaluit, flacceſcente plebeja, exuberans ac læta, quamdiu ſenatus quoque floruit, illa vigens, plebeja retorrida ac ſqualida. Quæ poſtea quam evaluit flacceſcente patricia, Marſico bello languida auctoritas patrum facta eſt, ac paulatim in ſterilitatem emarcuit majeſtas*. Fulvius [5], Quirini templum ſemper fuiſſe clauſum ſcribit, quod aperiri non liceret, ut perinde arcanum foret, an Romulus humo tectus, an inter deos relatus fuiſſet. Alterius templi QVIRINO dicati meminit Dion: *Ante*, inquit, *ſuum obitum Auguſtus templum Quirini de novo ædificatum dedicavit, ideo commemorandum duxi, quod id templum cum ſex ac ſeptuaginta columnis decoraſſet, totidemque omnino annos ipſe vixiſſet, occaſionem nonnullis dedit ea res, ut dicerent, non forte fortuna, ſed conſulto ipſum hoc columnarum numero uſum fuiſſe.*

Jam aſcendendo in Collem, ſuperioribus annis cernebantur ingentes reliquiæ thermarum Conſtantini [6], quæ dirutæ nullum jam ſui veſtigium relinquunt: Nam partim in amplas ædes Cardinalis Bentivolii mutatæ ſunt, partim in ejuſdem hortos ſubſederunt. In ipſo vero Collis clivo prope ædes Comitum, ubi Cœnobium Monialium, BALNEA PAVLI [7] conſtituunt. At cujus Pauli? vel ejus Æmilii Pauli, qui baſilicam in foro condidit: vel alterius, a quo, teſte Dione [8], Roma porticu inſignita eſt. *Porticum*, inquit, *quæ Pauli dicitur, Æmilius Lepidus Paulus propriis impenſis perfecit, & in conſulatu ſuo dedicavit*. de qua ſupra. Sed qui viderit curvatis in hemicyclum & lateritiis pilis arcuatum ædificium, deinde continuatis parietibus erectum, de balneis ambiget: ut jure dubitandum cenſet, qui vicinam domum nobili muſeo inſtruxit ſtudioſus in primis rei antiquariæ Franciſcus Gualdus Ariminenſis eques Sancti Stephani. In Hortis Columnenſibus marmorei ædificii pars exurgebat vulgo MÆSA, jam diruta. Blondus *turrim Mœcenatis* falſo nuncupat. Ubi enim hic Eſquiliæ, & Neronianis tædis ardens in conſpectu Roma? Alii partem templi Solis pronunciant, quod ab Aureliano, auctore Flavio Vopiſco [9], extructum eſt ad eam formam, quam viderat in oriente; quod veſtibus & opibus in triumpho vectis inſtruxit. Quid

1 Plut. in vita Romuli. 2 Ovid. Faſt. lib. 2. 3 Dion. lib. 2. Antiquit. 4 Ibid. 5 Liv. Dec. 5. lib. 2. 6 Lib. 10. Epig 58. 7 Templum Quirini. 8 Liv. lib. 1. Dionyſ. l. 2. Antiq. Plutarch. Ovid locis cit. 9 Cauſa ædificandæ ædis Quirini. 10 Liv. Dec. 1. lib. 10.

1 Plin lib. 7. cap. ult. 2 Mart. l. 11. Epigr. 1. 3 Juv. Sat. 2. 4 Plin. lib. 15. cap. 29. 5 Fulv. lib. 2. 6 Thermæ Conſtantini. 7 Balnea Pauli. 8 Dion l. 49. 9 In ejus vita.

ſi ædificium illud partem SENACVLI ſeu CVRIÆ fuiſſe dicerem, quam Heliogabalus in Quirinali mulieribus [1] extruxit ad conventus habendos, quibus avia ipſius Mæſa nomine & mater Soæmis præſiderent? Quod duplici conjectura elicitur. Alteram præbet nomen. Mæſa enim dicebatur, ut avia Heliogabali. Alteram ipſius ædificii forma. Serlius enim Architectus ſic eam nobis lineavit, ut domicilii plane figuram deſcripſerit frequentibus ſcalis (quod poſtulabat ædificii ſitus in clivo) aulis, periſtylis, ac porticibus. Lampridius [2]: *Fecit & in colle Quirinali Senaculum, id eſt, mulierum Senatum, in quo ante fuerat conventus matronalis ſolemnibus dumtaxat diebus*. Palladius autem nobilis item Architectus præter alias ædificii partes in templi quoque formam deſcripſit ampliſſimi, magniſque columnationibus inſignis. Quare eodem fortaſſe in loco fuit etiam SOLIS TEMPLVM: cujus quæ particula ſupererat, magnis lapidibus compactus paries nuperrime dirutus eſt, & ingentes columnarum ſpiræ ſub terra inventæ. Curia autem Heliogabali non ſine cultu Solis & ipſa probabiliter extructa fuit: cujus ille ſemivir ſacerdos erat. At templum ab Aureliano factum, niſi eodem in loco ponatur [3], ſtatuet aliquis, ubi ædes ſunt Pontificiæ, ut ibi quoque Sol gentium Pontifex Maximus ſedem multo juſtius haberet. De eo templo Euſebius & Caſſiodorus in Chronicis: *Aurelianus*, inquiunt, *templum Soli ædificat, & Romam firmioribus muris vallat*. Vopiſcus [4]: *Templum Solis magnificentiſſimum conſtituit*. Et antea: *Romæ Soli templum poſuit majore honorificentia conſecratum, quod orientis victor hoſtili præda ditavit ornavitque*. Idem: *Tunc illæ veſtes, quas in templo Solis videmus, conſertæ gemmis: tum Perſici dracones, & tiaræ: tum genus purpuræ, quod poſtea nec ulla gens detulit, nec Romanus orbis vidit*. Adjunctæ ſunt templo ingentes porticus [5]. Idem: *In porticibus templi Solis fiſcalia vina ponuntur; non gratuita populo eroganda, ſed pretio*. Magna ergo porticuum laxitas, quæ tantam vini vim caperet. Superſtitioſiſſimus quidem Aurelianus in cultu Solis fuit, quod cum ejus mater Solis ſacerdos imperaturum filium aliquando prædixiſſet, illi acceptum imperium impie referebat. Illum ut cultum oſtenderet, coram Valeriano Auguſto, qui illum in conſpectu exercitus militaribus coronis muneribuſque donaverat, & conſulem renunciarat: *Dii faciant*, inquit *Aurelianus*, *& deus Sol certus, ut & Senatus de me ſic judicet*. Idem ad ſuum Præfectum ita ſcripſit: *Templum ſane Solis quod apud Palmyram milites diripuerunt, ad eam formam volo, quæ fuit, reddi. habes trecentas auri libras, habes argenti mille octingenta pondo, habes gemmas regias. Ex his omnibus fac coboneſtari templum: mihi, & Diis immortalibus gratiſſimum feceris. Ego ad Senatum ſcribam, ut mittat Pontificem, qui dedicet templum*. Denique ſuis nummis inſcripſit, *Soli Invicto*, ut notat Fulvius [6].


Idem docet, EQVOS MARMOREOS contra Palatium Pontificis collocatos advexiſſe in Urbem Tiridatem Armeniorum regem. Atqui legitur apud Sex. Rufum & P. Victorem equos Tiridatis fuiſſe æneos. Hi vero ſunt marmorei. Quare alius tranſtulit e Græcia. illi ænei jam ſublati ac deleti ſunt. Honuphrius de monte Quirinali ſcribens ſic ait: *Nunc dicitur Mons Caballus* [7] *a duabus ſtatuis marmoreis Alexandri Magni regis Macedonum Bucephalum domantis, quas Alexandria Conſtantinus Imperator Romam tranſtulit, atque in medio thermarum a ſe in Quirinali extructarum collocavit. Quarum altera Phidiæ, altera Praxitelis manu ſunt, ut ti-*

1 Senaculum Mulierum. 2 In Heliog. 3 Ubi eſſet templum Solis. 4 In ejus vita. 5 Porticus templi Solis. 6 Fulv. lib. 2. 7 Mons Quirinalis unde Caballus.

A *tulus indicat*. Idemque leges in adnotationibus ad Marlianum. Sed quod affirmant de Phidia, expreſſum ab illo fuiſſe Alexandrum Bucephali domitorem, pernegandum jure eſt. De Praxitele ambigi poteſt, ſed de hoc etiam negandum. Nam Plinius ait [1]: *Floruit Phidias Olympiade LXXXIII. circiter trecenteſimo noſtræ Urbis anno*. Quem Euſebius in Chronico tradit floruiſſe Olympiade LXXXV. Alexander autem, eodem Euſebio referente, natus eſt Olympiade CVI. octuaginta quatuor poſt annos: juxta Plinium nonaginta duos. Idem patet ex Plutarcho [2], qui ait Periclem ædificando uſum præſertim fuiſſe opera Phidiæ tamquam architecti, & magiſtri. Pericles autem obiit Olympiade LXXXVII. B ut ait Euſebius, ſeptuageſimo ſexto ante natum Alexandrum. Non igitur Phidias Alexandri res geſtas exprimere potuit. Jam Praxiteles, referente eodem Plinio [3], floruit Olympiade CIV. octo annos ante natum Alexandrum. Is vero, ut colligitur ex Plutarcho aliiſque, ſaltem quindecim annorum erat, cum Bucephalum domuit. Anni ergo viginti tres additi homini præſtanti jam & claro in arte, eum in ætate jam affecta conſtituunt. Neque vero cauſæ quidquam in promptu erat, cur domito ſtatim equo, Alexandro nondum regi, & vivente patre, C coloſſeæ ſtatuæ ponerentur, præſertim ab opifice, qui alibi artem exercebat. Quid? ſi Plinius cum florere Praxitelem dixit, non ejus media vitæ ſpatia, ſed poſtrema ſignavit? Eodem certe loco ſcripſit: *Centeſima quarta decima*, Olympiade, *Lyſippus fuit, & cum eo Alexander Magnus*. Qua videlicet Alexander obiit [4]. Sic etiam Olympias CIV. i ultima Praxiteli fuit, conficitur, Praxitelem ante ortum Alexandri mortuum fuiſſe. Harum igitur ſtatuarum ſculptores Phidias & Praxiteles fuere, ſed Alexandrum non figurarunt. Eos autem auctores fuiſſe conſtat ex titulis, qui erant inſcripti antiquitus unica in baſi ante thermas Conſtantini. D Deinde ex eo loco translatæ ſunt a Sixto V. Pont. Max. ad aream contra Pontificii Palatii veſtibulum, ſua utrique ſubjecta baſi, priſciſque titulis reſtitutis, *Opus Phidiæ*, *Opus Praxitelis*. Porro quando, aut unde hæ ſtatuæ [5] advectæ fuerint in Urbem, ante Conſtantinum, an illo jubente, dici probabiliter non poteſt. Credibile eſt tamen ejus ætate, ut novis operibus Urbem excoleret, & ſuas thermas ornaret.

Juvenum hæc equos frenantium coloſſea ſigna, Caſtoris certe ac Pollucis ſunt, pro typo æternitatis poſita, ut videre eſt, in antiquis nummis, & præcipue Maxentii, quem exhibemus.

E



Fabulantur immortalem Pollucem Caſtori mortali fratri dimidium ſuæ immortalitatis impertitum: unde F alternis diebus immortales ſinguli vivere dicuntur. Falſo ergo Alexandro Bucephali domitori aſcribunt; adeoque de ſculptorum ætatibus non eſt differendum. Quod porro affirmant alterum a Phidia ſignum, alterum a Praxitele expreſſum, veriſimile non eſt; centum enim circiter annis, inter ſe artifices diſtant. utraque vero ſigna ex eadem offi-

1 Plin. lib. 34. cap. 8 2 In vita Periclis. 3 Loc. cit. 4 Quando mortuus Alexander. 5 Equi marmorei unde translati.

cina prodiisse sculpturæ periti observant; nec debuerat Castor Olympiade LXXXIII. a Phidia effingi, & Pollux a Praxitele Olympiade CIV. Non immerito tamen præstantissima opera, quæ miraculo habentur, eximiis sculptoribus adjudicata fuere, Constantini sæculo: tituli namque in veteri basi, OPUS PHIDIÆ, OPUS PRAXITELIS, recentiores sunt, ac Latino, non Græco idiomate inscripti, ut erat in more positum sculptoribus Græcis, per omnia, quæ adhuc erant, simulachra.

Quod vero Marlianus DOMUM ATTICI [1] constituit in ea parte Quirinalis, quæ templo S. Vitalis incumbit, minus exploratum existimo. Nam Cornelius Nepos in ejus vita, *Domum*, inquit, *habuit in Colle Quirinali Pamphilianam ab avunculo hæreditate relictam, cujus amœnitas non ædificio, sed sylva constabat*. P. Victor numerat inter Quirini templum & Malum Punicum, qui locus fuit non longe ab æde nunc S. Susannæ. Itaque cum esset amœna domus, & cincta nemore, remotiorem a Foro & Urbis frequentia probabile est, prope quatuor nunc fontes sitam fuisse.

In eodem Colle DOMUM NUMÆ fuisse testis est Plutarchus [2]. Nam cum Regiam haberet prope ædem Vestæ, *Alteram*, inquit, *habuit domum in Colle Quirinali, cujus adhuc locum ostendunt*. Crediderim, hanc prope eosdem quatuor fontes fuisse, proximam Capitolio veteri, quod idem dedicavit. Sicut enim Rex ille, ut rebus suis religionem obtenderet, ædificato Vestæ templo domum illi, quæ *Regia* vulgo dicta est, attexuit: ita probabile est, alteram in Quirinali prope delubrum a se conditum ædificasse. Nec tamen alias Dionysio [3] subscribere volui scribenti: *Numa Quirinalem Collem complexus est ampliatis mœnibus*. In eadem parte Collis templum fuit CLATRÆ, clatrorum & cancellorum Deæ, & APOLLINIS; ubi, ut ait Fulvius [4], Quirinalis imminet regioni ac fontibus Trivii. Quia vero, ut ante dicebam, aliquot jugis collibusque constabat Quirinalis; hac olim vallicula subsidebat, qua quatuor fontium vicus e monte Pincio deducit in Esquilias.

Inde modicum supercilium, insigne CAPITOLIO VETERI. *Erant*, teste Valerio [5], *veteris Capitolii humilia tecta*, sive ædes a Numa rege, ut creditur, erecta Jovi, Junoni, Minervæ. Nam Eusebius & Cassiodorus in Chronicis scribunt *Capitolium* [6] *quoque a fundamentis ædificavit*. Atqui in Tarpejo monte alii reges condiderunt. Hoc igitur Numa construxit, quod deinde a Tarpejo, & minus antiquo Capitolio, propter eosdem præsides deos accepto nomine, majorem adhuc ex conditoris memoria religionem recondidit. Varro [7]: *Capitolium*, inquit, *vetus, quod ibi sacellum Jovis, Junonis, Minervæ, & id antiquius, quam ædis, quæ in Capitolio facta*. Hoc sane templum in ea parte Quirinalis novi Antiquarii omnes, & ratio manifesta collocat. Celebrata est enim olim ea vicinia quibusdam locis & ædificiis, quæ nemo eruditus separare audeat. Nam & DOMUS MARTIALIS [8], & PILA TIBURTINA, & CIRCUS FLORÆ, & VETUS CAPITOLIUM ibi fuisse leguntur, quæ a me simul explicanda sunt. Varro: *Clivus proximus ad Florales usus versus Capitolium vetus*. De domo sua Martialis sic ait [9]:

Nam Tiburtinæ sum proximus accola pilæ,
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.

1 Domus Attici. 2 Plutarch. in vita Numæ. 3 Dionys. lib. 2. Ant. Rom. 4 Lib. 2. 5 Valer. l. 4. cap. 4. 6 Capitolium Vetus. 7 Lib. 4. de ling. Lat. 8 Domus Martialis, & alia ædificia. 9 Lib. 5. Ep. 23.

A Et alibi [1]:

Bis vicine Nepos; nam tu quoque proxima Floræ
Incolis, & veteres tu quoque Ficelias.

Et [2]:

At mea Vipsanas spectant cœnacula lauros,
Factus in hac ego sum jam regione senex.

Pila ergo Tiburtina [3], vel a lapide Tiburtino, quo constabat, vel a Tiburtinis ibi poma mercesque vendentibus dicta est. In Urbe enim pilæ, co- B lumnæque passim erectæ visebantur, quibus vendibilia mercimonia appendi, venumque exponi solebant. Negat Horatius libros suos, ut aliorum Poetarum, ituros ad pilam, a bibliopolis & librariis pretio distrahendos:

Nulla taberna meos habeat nec pila libellos.

Et in Arte poetica:

—— mediocribus esse Poetis,
Non Dii, non homines, non concessere columnæ.

C Deque his a Domitiano sublatis ad decorem Urbis, Martialis [4]:

Nulla catenatis pila est præcincta lacœnis.

Jam *Tiburtina pila* loco nomen fecit, cui proxima domus Martialis. Et *Ficeliæ*, in quibus vicinus poetæ habitabat Nepos, a *ficu* vel sculpta, vel sata, vel picta, nuncupatæ; ut propinquum *Malum punicum* ab ejusmodi arbore: sicut & *pyrus* a *pyro*, quo nomine domum suam quoque designat Martialis [5]:

D *Longum est, si velit ad Pyrum venire;*
Et scalis habito tribus, sed altis.

E suo idem cœnaculo prospiciebat lauretum VIPSANIÆ PORTICUS, quæ adjuncta erat Septis propinquis fonti aquæ Virginis, nunc Trivii, ut postea dicam.

Cæterum Tiburtinæ pilæ, in regione septima Viæ latæ, finitimus erat CIRCUS FLORÆ [6] in regione sexta Altæ semitæ. Erat hic Circus in valle media inter Quirinalem & Pincium, ejusque caveam & vestigia sedilium subjecta ædibus Barberinis vidimus aliquot annis ante, quam ea vallis novis ædificiis impleretur. Immo veteres substructionum E reliquiæ, quibus fulta ejus Palatii moles septentrionem versus frontem erigit, cryptoporticus, murique arcuati erant, aut ego fallor, ad gradus exterioresque circi porticus sustinendas. In circo templum ejusdem Floræ, quam ideo *rusticam* Martialis nuncupat, vel quia præerat floribus & florentibus frumentis, quæ opera rusticorum succrescunt: vel quia, idque magis placet, circus rudi structura constabat. Domus porro Martialis in eadem vicinia, quam hodie vulgus nuncupat *ad Caput Domorum*.

At Capitolium vetus [7], quod e Floræ circo spe- F ctabatur, in Colle erat, ubi Barberinarum ædium horti, & floreum Capitolium est. Argumento sit aliud ejusdem Poetæ epigramma in hominem pluribus locis habitantem [8]:

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ,
Et tua Patricius culmina vicus habet:
Hinc viduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ:
Inde novum, veterem prospicis inde Jovem.

1 Lib. 6. Ep. 27. 2 Lib. 1. Ep. 109. 3 Pila Tiburtina ubi esset. 4 Lib. 7. Ep 6. 5 Lib. 1. Ep. 118. 6 Circus Floræ ubi esset. 7 Ubi esset Capitolium Vetus. 8 Lib. 7. Ep. 72.

Lipsius[1]: *Cerni ab eo*, inquit, *utrumque Capitolium vult: Vetus e Colle Aventino, sive Dianæ: Novum ex Exquiliis & Vico Patricio. Etsi fortasse novum Jovem Domitianum suum vocat, ejusque Palatium intellegit*. Magni viri interpretatio & ingeniosa clausula. Verum aliter interpretabitur, qui situs locorum oculis subjecerit. Nam ex Aventino nullus est, interjecto monte Capitolino, prospectus in eam Quirinalis partem Capitolio Veteri dedicatam, longeque dissitam: facilis vero & propinquus ab Esquiliis. Contra, novum Capitolium, & Juppiter Tarpejus in conspectu erat Aventini, Velabri solum valle interposita. Quare ille Maximus, in quem scribit Martialis, ex domo Aventina novum Capitolium: ab Esquilina Numæ sacella prospectabat. Hæc etsi humilia & angusta, nihilominus videbantur ab Esquiliis, aut etiam e culmine domus in Vico Patricio Esquiliis subjecto sitæ; ideoque necesse est in summo Quirinali fuisse, in hortis, ut dixi, prope Altam semitam, nunc *Piam* cognomento. Illud addam pro interpretatione ejus epigrammatis: mihi non videri, oportere versus posteriores referri ad priores, ita ut ille dives solum ex Aventino, Esquiliis, & Vico Patricio prospiceret templa Cybeles, Vestæ, & utrumque Capitolium: sed significari, Maximum, præter domos positas in Aventino, Esquiliis, & Vico Patricio, qui est in radicibus Viminalis, quartam habuisse in Palatino, unde templum Cybeles: quintam prope forum Romanum, unde templum Vestæ: sextam in Capitolio, aut illi adjunctam, unde Jovis Capitolini templum: septimam demum in Quirinali & regione Altæ Semitæ, unde vetus Capitolium spectaret. Si enim illi tres tantum priores domus fuissent, nescio an ex iis templum Vestæ videre potuerit in ima valle & foro situm, tot circum extantibus præaltis ædificiis. Deinde qui tribus tantum in locis habitasset, quomodo in clausula epigrammatis ubique habitare diceretur? quæ tanta in eo requirendo difficultas?

Dic ubi conveniam, dic qua te parte requiram?
Quisquis ubique habitat, Maxime, nusquam habitat.

Recte autem ubique, & tota in Urbe dicitur habitare, qui præter Cœlium omnes cum forensi valle Romanos Colles sui domibus insederat.

Jam VICUS MAMURII[2], ubi statua ejus plumbea fuit ad ædem S. Susannæ. Constat ex Actis ejus sanctæ Virginis apud Cardinalem Baronium, in quibus hæc habentur, ut alias diximus: *Erat conjuncta Caii domus cum ædibus sanctæ Susannæ, & Gabinii patris ejus. Facta sunt hæc in sexta Regione apud Vicum Mamurii ante forum Salustii*. Et supra ex iisdem Actis dixerat, domum Gabinii fuisse ad arcus portæ Salariæ juxta ædes Salustii. Tum subdit: *Perseverat hactenus nobilis memoria S. Susannæ eodem in loco*.

Prope Vicum Mamurii fuit & MALUM PUNICUM[3], vicus scilicet, in quo natus est Domitianus, *regione Urbis sexta, DOMO, quam postea in TEMPLUM FLAVIAE GENTIS convertit*, ut ait Suetonius. Is locus citra ædem S. Susannæ, aut in Septis Monialium, aut in Hortis Barberinis erat. P. Victor: *Malum Punicum ad quod Domitianus dedicavit templum Flaviæ gentis, & erat domus ejus*. Hoc templum inter pulcherrima Urbis opera censebatur. Constat ex Martiale pluribus in locis[4]:

Hæc, quæ tota patet, tegiturque & marmore & auro,
Infantis domini conscia terra fuit.

1 Lib. 3. de Admir. c. 5. 2 Vicus Mamurii. 3 Malum Punicum. 4 Lib. 9. Ep. 21.

Hic steterat veneranda domus, quæ præstitit orbi,
Quod Rhodos, astrifero quod pia Creta polo.

Et[1]:

Juppiter Idæi risit mendacia busti,
Dum videt Augusti Flavia templa poli.
Gnossia vos, inquit, nobis monimenta dedistis,
Cernite quam plus sit Cæsaris esse patrem.

Ubi Vespasianum præcipuo honore memoriaque cultum apparet, cum quo Titus, & Julia Titi filia, sed præterea gentis Flaviæ unum veluti Numen colebatur. De eodem[2]:

Addita quid Latio Flavia templa polo?

Et[3]:

Manebit altum Flaviæ decus gentis
Cum sole, & astris, cumque luce Romana;
Invicta quidquid condidit manus, cœlum est.

Jam in eodem colle constat ÆDEM FIDII[4] fuisse. Cujus fabulam habes apud Dionysium lib. 2. Hunc seu Fidei præsidem, sive Herculem Jovis filium, *Sanctum*, & *Sangum*, & *Sabum* dixere, unde Sabinis est nomen, quem illi cum Tatio venientes ad Urbem asportarunt. Ovidius[5]:

Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali constituere jugo.

Dedicatis eidem Nonis Junii. Idem eodem loco:

Quærebam nonas Sancto, Fidione referrem,
An tibi, Semo pater, tunc mihi Sanctus ait:
Cuicumque ex istis dederis, ego munus habebo,
Nomina terna fero: sic voluere Cures.

Quare postea Numam ab Sabinis profectum, cum vetus Capitolium, sibique domum erigeret, putaverim, locum Sabo haud longe distantem delegisse. Erat autem ædes Sangi propinqua templo Quirini, quod ad portam statuimus. Colligitur ex Livio[6]: *Bona*, inquit, *Semoni Sango censuerunt consecranda: quodque æris ex eo redactum est, ex eo ænei orbes facti positi in sacello Sangi versus ædem Quirini*. Porro in ea *Sangi æde lanam cum colo & fuso Tanaquilis, quæ eadem Caja Cæcilia vocata est, durasse, prodente se auctor est Varro, factamque ab ea togam regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Servius Tullius fuerat usus. Inde ortum, ut nubentes Virgines comitaretur colus compta, & fusus cum stamine*, Plinius[7].

Eodem in loco fuit & SALIORUM SACRARIUM. Atqui sciendum est duplicis generis fuisse Salios Martis sacerdotes, alios PALATINOS, alios COLLINOS. Ita Dionysius[8] Palatini, ὧν τῷ Παλατίῳ κεῖται τὰ ἱερά. vertit Interpres: *Qui sacra in Palatio celebrant*. an rectius: *Quorum in Palatio res sacræ reponuntur?* ut eorum ancilia significentur. Hos, qui duodecim erant, Numa instituit. Ἀγωναλεῖς καὶ Κολλῖνοι, ὧν τὸ ἱεροφυλάκιόν ἐστιν ἐπὶ τῷ Κολλίνῳ λόφῳ. *Agonales & Collini, quorum sacrarium est in Collino, seu Quirinali colle*. Hos successor Numæ Tullius Hostilius instituit bello Fidenatium, vel Sabino, ut Livius[9] & Dionysius[10] tradunt: *Vovit etiam Rex in pugna, se Saliorum numerum duplicaturum*. Hi Martiales item Sacerdotes fuere, non Pavorii, aut Pallorii, ut quidam opi-

1 Eod. lib. Ep. 35. 2 Eod. lib. Ep. 3. 3 Eod. lib. Ep. 2. 4 Ædes Fidii. 5 Fast. 6. 6 Liv. Dec. 1. lib. 8. 7 Plin. lib. 8. cap. 48. 8 Dionys. lib. 2. 9 Dec. 1. l. 1. 10 Antiquit. lib. 2. & 3.

nantur, quod in Livii & Dionysii citatis locis animadvertere poterant. Porro sacra scuta, quæ ANCILIA & *arma cœlestia* dicebantur, cum tripudiis solemnique cantu saltuque ferentes postea unde acceperant, reponebant in Sacrario Martis, ut loquitur Servius. Quidam in templo Martis recondita fuisse docent. Verum quod nam fuerit in Urbe templum Martis, in Palatio præsertim ab antiquissima ætate Numæ, ignoro. Nisi templum latiori significatione quodcunque inaugurato conditum velint. Quod autem Camillus apud Livium in concione dixit, *Quid de ancilibus vestris, Mars Gradive, tuque Quirine*, id nemo, arbitror, refert ad templa Martis & Quirini, in quibus conderentur ancilia; sed potius ad eos tamquam anciliorum præsides, & *quorum sub tutela erant Salii, & sub Jovis*, ut ait Servius. Hæc igitur non templo credita sunt, sed ἱεροφυλακίῳ, seu *sacrario* Martis. Est autem Sacrarium, ut leges monent [1], *locus, in quo sacra reponuntur, quod etiam in ædificio privato esse potest*. Rursus [2]: *sacræ res sunt, quæ publice consecratæ sunt. Siquis ergo privatim sibi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum*. Hæc ibi. Cum ergo ancilia sacra essent, locum in quo recondebantur, Sacrarium fecere. Saliis autem tam Palatinis, quam Collinis sua fuere ancilia & sacraria. Palatinis antiquioribus a Numa institutis sacrarium fuit in Palatio, ut ex allatis supra Dionysii verbis licet conjicere. Illo rege Quirinalis extra Urbem fuit, centum circiter post annos intra mœnia receptus a Servio, quæ sub Numa solum Palatium & Capitolium cinxere. Neque dixerim prudentissimum Regem, arma cœlestia, quibus fore prædicaverat, ut Urbs perpetuo defenderetur ac staret, credidisse immunito colli, hostiumque direptionibus exposito. Onuphrius designavit in Palatio curiam Saliorum & sacrarium. Mihi probabile est eamdem curiam fuisse sacrarium. At Saliis Collinis in Quirinali sacrarium fuit, & ancilia Hostilii jussu fabricata. In antiquis marmoribus hæc scuta cum Saliis insculpta sunt, figurata etiam in nummis, non solum undique incisa, ut docet Plutarchus in Numa, & ovi instar incurva, sed geminis cum lunulis introrsus in duplici latere conformata. Priora illa Numæ videntur fuisse: aliqua e posterioribus fortasse Hostilio placuerunt.

Cur autem sacrarium Martis pro ancilibus Saliorum Collinorum in hac parte Quirinalis statuendum sit, hæc potissimum causa se offert. Numa de cœlo, ut vulgarat, delapsum, an clam fabricatum ancile, quo stare jactabat salutem Urbis, ne quisquam auferret, multa ejusmodi scuta a Mamurio insigni illius ætatis fabro facienda curavit. Hujus Mamurii, qui identidem a Saliis inter canendum vocabatur, vicus cum statua plumbea fuit ad ædem S. Susannæ, ut ejus Virginis Acta demonstrant. Hostilius autem cum Salios & ancilia duplicaret, Sacrarium [3] statuisse prope Mamurium credendus est. sic enim & venerationem suis quærebat ancilibus, quasi ab eodem artifice elaboratis; nec, quamvis extra Urbem poneret, Urbi, si aliquando auferrentur, periculum creabat, cum ibi non esset Numæ scutum cœleste: & Mamurius non incongrue ancilia, eorumque Sacrarium spectabat e propinquo. Erat etiam prope Capitolium vetus a Numa factum, qui & Ancilia prior fecerat. Scribit Servius [4], eum qui susciperet curam belli gerendi, sacrarium Martis ingressum Ancilla commovere solitum, tum hastam ipsius, & dixisse: *Mars vigila*. Quod Lipsius [5] a Turnebo relatum non probat. In antiquiore ne sacrario id fieret, an in utroque non constat: probabile est in utroque.

1 ff. de rer. divis. tit. 8. l. *sacr.* 2 Eod. tit. l. *in tantum.* 3 Sacrarium Saliorum prope vicum Mamurii. 4 7. & 8. Æneid. 5 Antiq. lection. l. 5. cap. 16.

In eodem Quirinali suisque fanis olim Fortuna culta est. Plura autem dicuntur fuisse templa FORTVNÆ in regione sexta Altæ semitæ, quæ fere spatium occupat Quirinalis, *Primigeniæ*, *Publicæ*, REDVCIS. De Primigenia Livius [1]: *Ædem*, inquit, *Fortunæ Primigeniæ in Colle Quirinali dedicavit Q. Martius Hala triumvir ad id ipsum creatus. Voverat eam decem annis ante Punico bello P. Sempronius Sophus, locaverat idem Censor*. De voto idem [2]: *Consul principio ædem Fortunæ Primigeniæ vovit, si eo die hostes fudisset*. Idem alibi tradit [3]: *In æde Primigeniæ Fortunæ, quæ in Colle, duo diversa prodigia contigisse, palmam in area enatam, & sanguine interdiu pluisse*. De Fortuna Publica Ovidius [4].



Qui dicet, Quondam sacrata est colle Quirini
Hac Fortuna die Publica, verus erit.

Et [5]:

Nec te prætereo populi Fortuna potentis,
Publica cui templum luce sequente datum est.

Hoc secundum Fortunæ Publicæ templum ubi nam esset mihi non liquet. Primum, ut dixi, erat in Colle Quirinali. Ovidii Interpres eamdem facit Publicam & Primigeniam. Nec placet. Magnæ enim religioni Romanis erat, quo sub nomine Diis templa nuncuparentur, neque licebat alterum pro altero supponere. *Publica* quidem dicta est propter assertam *publicam libertatem* pulsis regibus. Etsi aliis de causis dici publica potuit, sicuti non unum ejus templum fuit. Primigenia vero, cui ante Servius rex ædem dicaverat in Capitolio, dicta est, vel quod ille rex ad Fortunam prima initia, & originem sui regni: vel quod Roma Imperii sui principia ad eam referenda censuerit [6]. Ædem Fortunæ Reducis statuit Sex. Rufus in regione sexta Altæ semitæ, quæ tamen, ut postea dicam, altera est ab illa, quam causa reditus Domitiani posuit populus Romanus. Dion de Augusto [7]: *Ob reditum Fortunæ Reduci aram consecrari, diemque sui reditus inter ferias referri, & Augustalia dici passus est*. Nondum fortasse templum erat.

In eodem Colle fuit templum SALUTIS, quod erat prope muros Urbis. Porta enim Collina dicta est in Urbe *Salutaris, quod esset ad ædem Salutis*, ut ait Festus. *Locavit ædificandam* Junius Bubulcus censor, quam teste Livio [8], *Consul bello Samnitium voverat*. Et alibi [9]: *Ædem Salutis, quam consul voverat, censor locaverat, dictator dedicavit*. Extremo Martii illi sacrificabant, & aliis diis. Ovidius [10]:

Janus adorandus, cumque hoc Concordia mitis,
Et Romana Salus, araque Pacis erit.

1 Liv. Dec. 4. l. 4. 2 Dec. 3. l. 9. 3 Dec. 5. l. 5. 4 Lib. 4. Fast 5 Lib. 5. Fast. 6 Plutarch. de For. Rom. Idem in q. Rom. q. 16. 7 Dion l. 54. 8 Dec. 1. l. 9. 9 Dec. 1. l. 10. 10 3. Fast.




Fig XXXV.

Ædem Salutis Fabium, qui ex eo dictus est Pictor, pinxisse testatur Plinius [1], principatu Claudii exustam: Pacuvium vero poetam ædem Herculis in Foro Boario. At extra portam templum ERYCINÆ VENERIS celebratum est. P. Victor in Regione quinta: *Templum Veneris Erycinæ ad portam Collinam*. Livius [2]: *Ludi apollinares Circo inundato extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris parati sunt*. Ovidius [3];

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet, a Siculo nomina colle tenet.

Nempe ab Eryce Siciliæ colle, a quo, translato inde monitu Sibyllini carminis signo, dicta est Venus Erycina. Erat adjuncta insignis porticus. Strabo [4]: *Est & Romæ ante portam Collinam deæ hujus ædificium, quod Veneris Erycinæ templum dictitant; cui cum æde sacra insignis adjacet porticus*. Appianus [5]: *Collinæ portæ jam propinquus*, Sylla, *ad ædem Veneris castra posuit*. Extra eamdem portam TEMPLUM HONORIS. de quo M. Tullius: *Nostis extra portam Collinam ædem Honoris, & aram in eo loco fuisse memoriæ proditum est. Ad eam cum lamina esset inventa, & in ea scriptum*, Domina Honoris, *ea causa fuit ædis hujus dedicandæ Sed cum multa in eo loco sepulchra fuissent, exarata sunt. statuit enim collegium, locum publicum non potuisse privata religione obligari*. Eodem in loco TEMPLUM HERCULIS. Livius [6]: *Ipse*, Annibal, *ad portam Collinam, usque ad Herculis templum est progressus, atque unde proxime poterat, mœnia situmque Urbis obequitans contemplabatur*. Et: *Intra muros solus hostium emisit hastam*, ut ait Plinius [7].

Prope eamdem portam extra muros SCELERATUS CAMPUS, ubi incestæ Vestales vivæ sepeliebantur. Id argumenti satis est, ne quisquam jure ponat intra mœnia. si enim intra Urbem neminem licebat sepelire, quanto minus scelerata capita. Livius [8]: *Minucia Vestalis, facto judicio, viva sub terram ad portam Collinam, extra viam stratam defossa, scelerato Campo. credo ab incesto id eo loco nomen factum*.

1 Lib. 35. c. 4. 2 Dec. 3. lib. 10. 3 Fast. 4. 4 Strabo libro 6. 5 App. lib. 1. de Bell. civ. 6 Dec. 3. l. 6. 7 Lib. 34. cap. 6. 8 Dec. 1. l. 8.

CAP. XVI.

Ædificia Campi Martii & Flaminii.

E COLLIBUS ad æqua Urbis descendendum est: & primum in Campum Martium. De finibus, amœnitate, & viriditate Campi Martii diximus [1]. Nunc ejus edificia in conspectum damus, quæ aliquam ejus partem cæteroqui herbidi & graminei occuparunt.

STATUÆ [2] primo se offerunt virorum illustrium ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Campum collatæ. Et quamvis a Caligula dejectæ, mox tamen *restitutæ, etsi non salvis titulis*, ut ait Suetonius [3]. Has statuas in crepidine viarum, ego putaverim, interjectis forte arbusculis collocatas. Tres autem viæ, quod antea dicebam, uti hac tempestate, secundum ejus longitudinem fuerunt in Campo. Via FORNICATA, FLAMINIA, RECTA.

De via Fornicata, id est, tecta *fornicibus* & porticu Livius [4]: *Et in via Fornicata, quæ ad Campum erat, aliquot homines de cælo tacti, exanimatique fuerunt*. Ad fontem hodie Trivii colitur tem-

1 Lib. 1 c. 8. 2 Statuæ in Campo Martio. 3 In Calig. cap. 34. 4 Liv. Dec. 3. lib. 2.

A plum S. Mariæ cognomento *in Fornica*, deducto fortassis a prisca via Fornicata. ibi enim erat propior collibus. Via Flaminia propior Tiberi, medio fere Campo strata. Tacitus de exercitu Flaviano, qui pontem Milvium superaverat. *Pars*, inquit [1], *ut astiterat, Flaminia via*. Suetonius de Mausoleo Augusti [2]: *Id opus inter Flaminiam viam, ripamque Tiberis*. Fuit & viæ Flaminiæ superstructa porticus, de qua Julius Capitolinus in Gallieno: *Porticum*, inquit, *Flaminiam, usque ad pontem Milvium ipse paraverat ducere, ita ut tetrastice fieret, ut autem alii dicunt, pentastice, ita ut primus ordo pilas haberet, & ante se columnas cum statuis, se-*
B *cundus, & tertius, & deinceps ὡς τεσσάρων columnas*. Via Recta propior Tiberi strata est, in quem desinebat, priusquam ad Mausoleum Augusti perveniretur. Seneca [3]: *Inter Tiberim, & viam Rectam descendit ad inferos*.

Ipsum porro MAUSOLEUM [4], mirum quam umbrarum opacitatem ac pulchritudinem extremo Campo afferret? Suetonius [5]: *Id opus inter Flaminiam viam, ripamque Tiberis sexto suo Consulatu extruxerat: circumjectasque sylvas & ambulationes in usum populi tunc jam publicarat*. Strabo [6]: *Quorum*, sepulchrorum, *omnium præclarissimum est*
C *Mausoleum: agger ad amnem supra sublimem albi lapidis fornicem congestus, & ad verticem usque semper virentibus arboribus coopertus. In fastigio statua Augusti Cæsaris. Sub aggere loculi ejus, cognatorum, ac familiarium. A tergo lucus magnus ambulationes habens admirabiles. In medio autem campo busti ejus ambitus ex albo saxo in orbem cinctus ferrea sepe, intus αἰγείροις, populis consitus*. Hujus molis (*Augustam* nunc appellant) vestigia adhuc extant intra materiarii mercimonii officinam ad ædem S. Rocchi, & Ripam, ut vocant, minorem Tiberis. Meminit illius Tacitus [7]: *Dies, quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus,*
D *modo ploratibus inquies, plena Urbis itinera, conlucentes per Campum Martis faces*. Habuit hæc moles in parte anteriori duos OBELISCOS, quorum unum ad ædem Liberianam Maximæ Virginis, in Esquiliis positum videmus. Pars autem anterior Mausolei illa fuit, quæ spectabat Urbem. Itaque cum sylvæ & opacæ ambulationes essent a tergo molis [8], versus portam nunc Flaminiam, secundum ripam Tiberis producebantur. Mausolei autem forma est notissima. Hæc enim suggestum & tabernaculum quasi per gradus decrescens, quod in apotheosi pro rogo Cæsarum incendebant, imitabatur.
E Quia vero locus, ubi crematus fuerat Augustus, albo distinctus saxo, ferreisque cancellis, & umbrosa arborum corona cinctus in medio erat campo, ibi quoque exusta deinceps fuisse cadavera Augustorum, vel cadaverum effigies credibile est. Herodianus: *Lectum extra Urbem perferunt in Martium campum, ubi, qua latissime campus patet, suggestus consurgit*.

In eodem Campo fuere SEPTA [9]. Hic locus est, quod populus conveniebat ad ferenda suffragia in comitiis, qui primo ligneis cancellis, postea marmoreis septus est. Ideoque propter similitudinem caularum gregis, OVILE dictum. Nam vocatus
F ad comitia populus, & distributus in tribus, vel centurias, manebat in Campo. postea ut quæque centuria latura erat suffragium, introvocabatur in Septa per angustum pontem: neque tunc aliis licebat esse in Septis. Quamobrem Marius in petitione præturæ ambitus suspicionem dedit, quia ejus servus intra Septa, vel Ovile est deprehensus. Li-

1 Hist. lib 3. 2 In Aug. cap. 100. 3 In ludo de morte Claudii. 4 Mausoleum Augusti. 5 Loc. cit. 6 Strabo l. 5. 7 Tac. lib. 3. Ann. 8 Sylvæ Mausolei versus portam Flaminiam. 9 Septa ubi essent.

vius [1]: *Citatis centuriæ senioribus, datum secretum in Ovili cum his colloquendi tempus*. Lucanus [2]:

Concidit, & miseræ maculavit ovilia Romæ.


Juvenalis [3]:

Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.

Septa voluit Cæsar primum extruere curante Marco Tullio, ut alibi ex Cicerone [4] dictum est: *In campo Martio Septa tribuniciis*, Manucio *tributis*, *comitiis marmorea sumus, & tecta facturi, eaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum efficiatur*. Sed opus variis de caussis, & postremo, exortu belli civilis omissum est. Ea deinde Lepidus ædificavit, perfecit ornavitque Agrippa. Dion [5]: *Augusto VIII. Statilio Tauro Consulibus, Agrippa, quia nullam viam sternendam susceperat, Septa dedicavit. Septa locus est in campo Martio. Eum ad habenda tributa comitia Lepidus undequaque porticibus circumductis ædificaverat, tabulis lapideis, & picturis a se exornatum: Agrippa Septa Julia ab Augusto cognominavit*. Plinius [6]: *Fuit memoria nostra & in porticibus Septorum a M. Agrippa relicta trabs æque miraculi causa, quæ Diribitorio superfuerat, viginti pedibus brevior*, priore CXX. pedum, *sesquipedali crassitudine*. Quoniam autem hæ porticus amplissimæ fuere, spectacula ibi ab Augustis non raro data, ut de Augusto, & Cajo memoriæ proditum est. Et quotidiana ibi mercium præsertim pretiosarum venditio, ut colligitur ex Martiale:

In Septis Mamurra diu multumque vagatus,
Hic ubi Roma suas aurea vexat opes.

Jam ubi Septa collocanda sunt? Communi opinione collocantur inter Forum Columnæ, fontemque Trevensis Aquæ: sive inter viam olim Fornicatam, atque Flaminiam. Erigitur Colliculus prope Flaminiam, & Forum Columnæ vulgari appellatione *Citorius*. hunc a citandis centuriis ac tribubus in comitiis dictum autumant.



Septis proxima fuit VILLA PUBLICA [7], publica scilicet extra Urbem domus pro legatis hostium, quos intra mœnia admitti nolebant. Livius [8]: *Macedones deducti extra Urbem in Villam Publicam, ibique iis locus & lautia præbita*. Cicero [9] cum de Septis ædificandis dixisset, subdit: *Simul adjungetur huic operi Villa etiam Publica*. P. Victor in regione nona: *Villa Publica, ubi primum populi census est actus in campo Martio*. Valerius Maximus [10]: *Quatuor legiones contrariæ partis fidem suam sequutas in Villa Publica, quæ in Martio Campo erat*, Sylla, *obtruncari jussit*. At Livius de eadem [11]: *Octo millia deditorum in via publica trucidavit*. Florus [12]: *Quatuor millia deditorum inermium civium in via publica interfici jussit*. Plutarchus [13]: *Superstites ad sex millia in Circo Maximo*. perperam hoc Interpres. Græce enim, παρὰ τὸν ἱππόδρομον, *juxta Circum*. *Maximum* de suo adjecit. Flaminium autem Plutarchus intelligit, qui tunc erat extra Urbem; prope quem in æde Bellonæ Sylla senatum item extra Urbem vocaverat. Seneca [1]: *Septem millia civium Romanorum contrucidari jussit. Et cum in vicino ad ædem Bellonæ sedens exaudisset*, Sylla, *conclamationem*. Adjicit Plutarchus, cædem fuisse factam ἐν χωρίῳ μικρῷ, *in loco parvo & angusto*. Non igitur in via publica, sed in villa domoque publica, quæ prope circum Flaminium erat. Ex quo corrigendi Livii & Flori codices. Quia autem circi Flaminii fines alibi investigati sunt, existimo Villam publicam eo loco sitam, qui a Foro Columnæ, cui olim vicina Septa, versus Pantheon, haud longe abesset. Quod si Lucanus militum illam cædem deploravit in Septis potius editam, quam in Villa publica illis verbis [2]:

Tunc flos Hesperiæ, Latii jam sola juventus
Concidit, & miseræ maculavit ovilia Romæ.

Id cecinit, vel propter locorum propinquitatem, ut unus pro altero supponeretur, vel per catachresim *Ovilis* nomine abusus, ut a Septis ad Villam domumque Publicam traduceret. nam & poetis inusitatum non est, usurpare *Septa domorum*. vel quia etiam in Septis milites tendebant, & pars cædis ibi peracta est.

In eodem Campo DIRIBITORIUM [3] fuisse certum est: *Domum omnium earum, quæ unquam uno culmine fuissent, maximam*, ut Dion [4] loquitur, *(nunc omni ejus tecto diruto, quia rursus committi inter se non potuit, aperto fastigio conspicitur) Agrippa imperfectum reliquerat. Tunc vero ad finem perductum erat opus*. Et ante scripserat: *Campum autem Agrippæ porticu excepta, ac Diribitorium ipse Augustus dedicavit*. Plinius [5]: *Trabs æque miraculi causa, quæ Diribitorio superfuerat*. In eo censebantur milites, & illis solvebantur stipendia. inde exortum nomen; *diribere* enim distribuere est. Ludi interdum propter loci laxitatem in eo facti. Dion: *Tunc primum Senatoribus pulvinaria subdita, usufque pileorum Thessalicorum concessus in theatris, ne solis ardore laborarent; qui sicubi esset vehementior, diribitorio foris & tabulatis instructo usi sunt*.

FORUM, in quo Antonini COLUMNA COCHLIS [6] erecta est, instar Fori Trajani ornatum fuit porticibus, quæ immanibus columnis nitebantur. cochlidem in medio decrevit erexitque Antonino Pio Senatus post ejus mortem. Extat nummus cum columna, inscriptus, DIVO PIO. P. Victor: *Templum D. Antonini cum cochlide columna, quæ est alta pedes CLXXV. habet intus gradus CCVI. & fenestellas LVI.* Quam sane ruinosam, & incendiis ac vetustate undique exesam Sixtus V. Pont. Max. refectis sigillis & basi, atque in summo ex ære inaurata D. Pauli statua posita, restituendam curavit. Sed quia templum P. Victor statuit prope columnam, erat hoc in fine olim ejus Fori, ubi grandes adhuc marmoreæ columnæ visuntur cum epistylio, in platea Petræ, ut dicunt. Quod alii basilicam, alii porticum malunt dicere. Rectius dixeris templum, ut ostendunt solidi parietes, parsque fornicis, quæ in ædes Romani Seminarii obversa est. Apud Cencium Camerarium sic legimus: *Templum D. Antonini juxta S. Salvatorem ante S. Mariam in Aquiro*. Præter hoc, aliud ejusdem cum uxore Faustina commune templum adhuc cernimus in Foro nunc Boario. Ceterum Marco Antonini successori decreta fuisse paria honoris monimenta no-

1 Dec. 3. l. 16. 2 Liv. lib. 2. 3 Juv. Sat. 6. 4 Ad Attic L. 4. Ep. 5. 5 Dion l. 53. 6 Plin. l. 16. cap. 40. 7 Villa Publica. 8 Dec. 4. l. 3. 9 Loc. citat. ad Attic. 10 Val. lib. 9. cap. 2. 11 In epitome lib. 88. 12 Lib. 3. in Bel. Mar. 13 in Sylla.

1 Lib. 1. de Clementia cap. 12. 2 Luc. lib. 2. 3 Diribitorium. 4 Dion l. 55. 5 Plin. l. 16. cap. 40. 6 Columna Antonini.

tant



COLVMNA M. ANTONINI in via FLAMINIA.


ARCVS
DOMITIANI
POSTEA DICTVS
DI PORTOGALLO.

tant ſcriptores. Aurelius Victor: *Ejus morte nuncio Romam pervecto, omnes pari ſenſu præſumpſerunt Marcum cœlo receptum eſſe. ob cujus honorem templa, columnæ, multaque alia decreta ſunt.* Et: *Qui ſejuncti in aliis patres, ac vulgus, ſoli omnia decrevere, templa, columnas, ſacerdotes.* De templo Julius Capitolinus: *Templum ei conſtructum, dati ſacerdotes Antoniniani & ſodales, & flamines, & omnia, quæ de ſacratis decrevit antiquitas.* In ipſa vero Pii columna inſculptæ imagines, Marcomannici belli, quod Marcus geſſit, acta repræſentant. Argumento eſt inter cætera Jovis Pluvii fulminantis imago; quam ideo in columna figurarunt, quod obſeſſum exercitum legio Chriſtianorum, quæ poſtea *Fulminatrix* eſt dicta [1], precibus impetrata, immiſſaque in hoſtem divinitus tempeſtate liberaverit. Hoc quidem Ethnici inanibus adſcripſerunt. Julius Capitolinus [2]: *Fulmen de cœlo precibus ſuis contra hoſtium machinamentum Marcus extorſit, ſuis pluvia impetrata, cum ſiti laborarent.* Atqui non ille impius vexatorque Chriſtianæ Fidei, ſed piorum militum ſanctæ preces a Deo impetrarunt, quod fuſe Baronius expoſuit. [3] Cum autem nondum peracto bello in Germania Marcus, auctore Herodiano & Julio Capitolino, deceſſerit, infertur, columnam, quamquam Pio dicatam, a Commodo Principe poſt mortem patris factam eſſe.

Templum ſancti Laurentii *in Lucina* ipſo nomine indicat ejuſdem LUCINÆ templum cum luco. Ibi & TERENTUS, locus ejus nominis, quod ibi curvatus Tiberis ſiniſteriorem ripam *attereret:* ſive quod ara Ditis patris ſub *terra* ibi occultaretur, ad quam fiebant ſacrificia anno, ludiſque ſecularibus. Ovidius [4]:

Fluminis illa latus, cui ſunt vada juncta Terenti,
Aſpicit, & ſparſas per loca ſola caſas.

Martial. [5]

Hic colat ingenti redeuntia ſecula luſtro,
Et quæ Romuleus ſacra Terentus habet.

In eodem campo HOROLOGIUM [6] olim fuit ſtrato lapide æreiſque regulis deſcriptum ad deprehendendas ſolis umbras, & dierum noctiumque magnitudines. Huic pro gnomone OBELISCUS ingens fuit advectus ab Ægypto, pila aurata apici ſuperpoſita. Hunc Plinius [7] ait fuiſſe pedum CXVI. qui modo multas in partes confractus, ac terra obrutus jacet ad radices Montis Citorii verſus Tiberim, ſub privatis civium domibus [8]. Fulvius in baſi hanc legiſſe inſcriptionem teſtatur:

IMP. CAESAR. DIVI. FIL. AVG
PONTIFEX. MAXIMVS
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV
AEGYPTO. IN POTESTATEM
POPVLI
ROMANI. REDACT.
SOLI. DONVM. DEDIT.

ARCVM [9], quem in via Flaminia vulgari appellatione *Portugalliæ* nominant, Domitiano paſſim attribuunt. At omnia ejus monimenta decreto Senatus diruta fuerunt. Suetonius: *Senatus imagines ejus coram detrahi, & ibidem ſolo affigi juſſit, noviſſime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decrevit.* Dion [10]: *Fuere quoque,* inquit, *arcus triumphales, quos ei plurimos fecerant, diſturbati.* Idemque dixerat de ſtatuis ejus aureis & argenteis. Perlevis etiam eſt ejus rei conjectura: *Argumento,* inquit, Fulvius *ſumpto ex verbis Suetonii, qui ſcribit Domitianum ſomniaſſe ſe a Minerva deſtitutum, & illam excedere Sacrario, ut ſimulacra ejus rei ibi marmorea extant.* Atqui ſomnium illud paulo ante Domitiani mortem contigit: nec quiſquam perſuadeat, illum in arcu inſigni victoriis & tropæis referri ſibi voluiſſe infauſta prodigia. Deinde non eſt, cur velint, hunc illum eſſe arcum, de quo Martialis: [1]

Stat ſacer edomitis gentibus Arcus ovans.

Cum ille multo ante in reditu e Germania, & triumpho Domitiani fuerit erectus. Quo tempore nondum quidquam ſomniaverat Domitianus; ut nemo per ſomnium videret, quod in ejus arcu triumphali nunquam fuerat inſculptum. Eſt in noſtra bibliotheca Collegii Romani codex manuſcriptus, in eam ex bibliotheca Mureti translatus, Joannis Marchanovæ ad Malateſtam Principem Cæſareum [2], in quo docet, ARCUM illum eſſe DRUSI [3] Germanici privigni Auguſti. Hic auctor, nonnulla de antiquitatibus Urbis rudi ſtylo eſt complexus, multoque copioſius inſcriptiones, quæ non modo in Urbe, ſed etiam extra ſunt. Suam illam tueri ſententiam poteſt, quod Druſum, teſte Suetonio [4], in Germania bellum gerentem ſpecies barbaræ mulieris humana amplior victorem tendere ultra ſermone Latino prohibuit. Id vero virtutis victoriæque monimentum in arcu poſt ejus mortem erecto, inſculptum eſt; non illud infauſtum ſomnium Domitiani. Quod ſi, eodem Suetonio auctore [5], Senatus inter alia plura, Druſo marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit: eumque P. Victor numerat in Regione prima portæ Capenæ, ex quo infertur, hunc in via Flaminia Druſi arcum non eſſe dicendum; reſpondere poteſt, huc eſſe arcum, quem Claudius Druſi filius poſt Cajum Imperator patris memoriæ poſuit, non quem Senatus ſtatim vita functo decrevit. Illum autem in numiſmatis Claudii expreſſum videmus formæ ejus, qui mutilus ſupereſt, reſpondentem.

Structus eſt autem in campo, quia & in campo Martio Druſus ſepultus eſt. At nummi veteres arcum Domitiani huic ſimilem referunt. Reſpondebit iterum, alium quempiam referri ex iis, qui poſt ejus mortem dejecti ſunt; non hunc, qui, quoniam non eſt dejectus, Domitiani non eſt. Cæterum arcus ille triumphalis Domitiani [6] certam, puto, ſedem non habet. Fuiſſe verſus portam triumphalem colligi forſan poteſt ex epigrammate Martialis [7]. nam ubi reducem & triumphaturum Domitianum Senatus Populuſque ſalutaverat (ait poſtea:)

Stat ſacer edomitis gentibus Arcus ovans.
Hic gemini currus numerant elephanta frequenter:
Sufficit immenſis aureus ipſe jugis.
Hæc eſt digna tuis, Germanice, porta triumphis,
Hos aditus Urbem Martis habere decet.

Quamvis enim hæc poſtrema verba de arcu ipſo Interpretes exponant, indicant tamen portam Urbis propinquam; neque enim arcu poſito in media Urbe recte videretur dici,

Hos aditus Urbem Martis habere decet.

Sed illo ad portam ſtructo, & porta & aditus Urbis illuſtratur. Præterea credibile eſt, ſalutantem plaudentemque Senatum obviam factum Domitiano triumphaturo non longe a porta, ut aliquot ante annis

1 Legio Chriſtianorum Fulminatrix. 2 In vita Marci. 3 Tom. 2. An. An. ſal. 176. 4 Faſt. 1. 5 Lib. 4. Ep. 1. 6 Horologium in Campo Martio. 7 Plin. l. 36. cap. 4. & 10. 8 De eo Ful. lib. 4. Marl lib. 5. cap. 6. & prioris ed. lib. 6. c. 16. 9 Arcus in via Flaminia. 10 Lib. 68. ſive Xiphilin. in Nerva.

1 Martial. lib. 8. Epigr. 65. 2 An. 1465. 3 Arcus Druſi. 4 In Claudio Cæſ. cap. 1. 5 Eodem capite. 6 Arcus Domitiani ubi eſſet. 7 Epigr. 65. lib. 8.

Vespaliano & Tito, quod de his affirmat Josephus, & alibi est dictum.

Validissimis perstringit Donatus rationibus, hunc in via Flaminia arcum Domitiani non esse: Druso tamen Germanico, Augusti privigno, fuisse erectum ab Imperatore Claudio, Drusi filio non assentior. Argumento sunt figuræ insculptæ protensa barba, quem morem certum est emanasse ab Hadriano, qui (teste Dione) barbam nutrire primus Romanorum Imperatorum cœpit. Ignotam vero antiquitatis latebram aperit, in arcus fronte, marmor insculptum, quod ut oculis perlegi, rarum quiddam mihi intelligere contigit, nondum ab aliis animadversum. Præfert marmor Junioris Faustinæ Marci uxoris imaginem, atque apotheoseos monumentum: ipsa quippe in cælum asportatur a Diana Lucifera alata, utraque manu facem gerente; estque ejus caput velatum, ut moris fuit Imperatricibus jam Divis, quemadmodum videmus in ejus consecrationis nummo a nobis deprompto & rarissimo, quem in suo adservat thesauro Illustriss. D. Camillus Maximus Patriarcha Hierosolymitanus. Flammans quoque pyra visitur in marmore, insidensque figura palliata, & seminudus huic procumbens Genius. Hinc error patet Fulvii asserentis expressum esse Domitiani somnium a Minerva destituti, aliorumque opinantium monumentum esse victoriæ Drusi, de quibus satis Donatus: mulier enim illa, nec Minerva est, nec specie barbara, sed Faustina jam Diva, quæ sic ad astra fertur a Diana. In altero item marmore expressus est Imperator stans (opinor) Marcus, quamvis exesa nimis imago sit vetustate, atque e sugge- A stu alloquitur populum, adstante palliato puero, qui sive alimenta, sive tutelam Italiæ designat, ut in nummis. Hic ergo arcus D. Marco & D. Faustinæ extructus fuit a Commodo ipsorum filio ad Antonini forum; ubi ille, & columnam patris rebus gestis in Marcomannico bello, dicaverat insignem. Hic opportunus erit recensendi locus cum anno MDCXLI. ab Illustrissimo atque Excellentissimo Carboniani Principe, ex præclarissima Columnensium familia, instaurarentur ædes in platea quæ vulgo *Sciarræ* nuncupatur, non longe ab hoc arcu in Flaminia, inter jacendum forte fundamenta, quædam in ruderibus lateritia lapideaque vestigia eruta fuisse: B unde Leonardo Augustino Eminentissimi ac Reverendissimi Principis Francisci Barberini Cardinalis Antiquario, aliquas inibi præclaras subesse antiquitatis reliquias, non temere arbitrante, ad XXIII. palmos, in eadem Flaminia, terra circum egesta, antiquum pavimentum taxillatum detectum est, effossumque ingens marmoris frustum, cum triumphalibus titulis Imperatoris Claudii. Effossæ insuper ex Africano marmore striatæ, sed dirutæ columnæ, simulque captivi truncus, quæ omnia arcum Imperatoris Claudii fuisse abunde testantur. Sed ut nihil remaneret dubii, aureus quoque nummus ipsius C Claudii est adinventus, qui exhibet ab uno latere Imperatoris caput cum litteris, TI. CLAVD. CÆSAR AVG. P.M. TR. P. VIII. IMP. XVI. ab altero vero arcum ipsum, cum equestri Claudii statua inter tropæa & litteris DE BRITANNIS. Inscriptionis porro fragmentum sic genuinæ restituimus antiquitati:

TI. CLAVDIO. DRVSI. F. CAESARI
AVGVSTO. GERMANICO
PONTIFICI. MAXIMO. TRIB. POT. IX.
COS. V. IMPERATORI. XVI. P.P.
SENATVS POPVLVSQVE. ROMANVS. QVOD
REGES. BRITANNIAE. PERDVELES. SINE
VLLA. IACTVRA. CELERITER. CAEPERIT
GENTESQVE. EXTREMARVM. ORCHADVM
PRIMVS. INDICIO. FACTO. R. IMPERIO. ADIECERIT

Fragmentum ipsum ad Barberinas ædes in Quirinali asportatum adservatur cum eodem Claudii nummo, in antiquitatum larario: Britanni vero captivi exesus truncus, extat in ædibus supra laudati Illustrissimi D. Camilli Maximi prope locum ejusdem Claudii arcus, in Flaminia.


In eodem loco TEMPLVM FORTVNÆ REDVCIS[1] extructum est. Quanta pulchritudine idem epigrammate declarat:

Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia late
Templa nitent, fœlix area nuper erat.
Hic stetit arctoi formosus pulvere belli
Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar.
Hic lauro redimita comas, & candida cultu
Roma salutavit voce manuque ducem.

Claudian.[2]

Aurea Fortunæ Reduci si templa priores
Ob reditum vovere Ducum: non dignius unquam
Hæc Dea pro meritis amplas sibi posceret ædes.

Frequens in numismatis Cæsarum imago Fortunæ Reducis.




D Templum vero, etsi ubi fuerit, affirmari certo non queat, aliqua tamen ejus vestigia præbet Martialis in epigrammate, & quæ de proximo arcu diximus, confirmant. Fuit enim extructum, ubi erat area, id est, solum vacans, & antea carens structura; quod præsertim in Campum Martium quadrat. Deinde ibi a senatu & populo laureato salutatus est triumphum initurus Domitianus, quod videlicet Principi non longe a porta triumphali solemniter præstari solebat. Templum igitur vel in finibus Campi Martii, aut in altero Campo Urbi propin- E quiore (neque enim inclusus adhuc intra mœnia fuerat) statuendum videtur. Quod si apud Sextum Rufum in Regione sexta Altæ semitæ legimus, *Templum Fortunæ Reducis*, primo id apud P. Victorem non habemus; deinde putandum est, in Urbe plura ejus fuisse templa, idque posteriori tempore ædificatum. Errant autem, qui constituto arcui Domitiani in via Flaminia, ibi & templum Flaviæ gentis constituunt, cum, ut diximus, ad Malum Punicum fuerit in Quirinali, ubi natus Domitianus, & postea humatus est.

F Ejusdem Domitiani, nec auctori futuram superstitem NAUMACHIAM, quod erat ædificium pro navalibus pugnis, collocant in Campo Martio ad Cœnobium Monialium Sancti Sylvestri. Suetonius[1]: *Fecit & stadium, & odeum, & naumachiam: e cujus postea lapide Maximus Circus deustis utrinque lateribus extructus est.* De hac, an potius de naumachia Augusti in Transtiberina Regione, loquutus est Statius[2]:

1 Templum Fortunæ Reducis. 2 De VI. Consul. Honorii.

1 In vita cap. 5. 2 Lib. 4. sylv. ad Marc.



EX CLAVIS TRABALIBVS PORTICVS AGRIPPÆ.

Reliqua, templi portæ apposito titulo declarantur:

VRBANVS. VIII. PONT. MAX.
VETVSTAS. AHENEI. LACVNARIS
RELIQVIAS
IN. VATICANAS. COLVMNAS. ET
BELLICA. TORMENTA. CONFLAVIT
VT DECORA. INVTILIA
ET. IPSI. PROPE. FAMÆ. IGNOTA
FIERENT
IN. VATICANO. TEMPLO
APOSTOLICI. SEPVLCHRI. ORNAMENTA
IN. HADRIANA. ARCE
INSTRVMENTA. PVBLICÆ. SECVRITATIS
ANNO. DOMINI. MDCXXXII. PONTIF. IX.

In fronte sequentes duo leguntur Tituli. Prior literis pedalibus:

M. AGRIPPA. L. F. COS. TERTIVM. FECIT.

Alter paulo inferius, literis digitalibus:

IMP. CAES. SEPTIMIVS. SEVERVS PIVS. PERTINAX. ARABIC. ADIABENIC. PARTHIC. MAX. PONT. MAX. TRIB. POT. IX. COS. III. P. P. PROCOS. ET IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. TRIB. POTEST. V. COS. PROCOS. PANTHEVM. VETVSTATE. CORRVPTVM. CVM. OMNI. CVLTV. RESTITVERVNT.

Refecit idem tectum [1], crassisque trabibus compegit. In angulo porticus columnæ capitulum, quod vetustas exederat, restituit, imposito cum parte fastigii marmoreo epistylio. Geminas turres ad statos æreis campanis sonitus edendos super tecti culmen erexit, atque extimum vetusto templo decorem adjecit. Hæc in altero portæ titulo sic leguntur.

1 Tectum Panthei refectum.

PANTHEON.
ÆDIFICIVM. TOTO. TERRARVM. ORBE
CELEBERRIMVM
AB. AGRIPPA. AVGVSTI. GENERO
IMPIE. IOVI. CETERISQ. MENDACIBVS. DIIS
A. BONIFACIO IIII. PONTIFICE
DEIPARÆ. ET. SS. CHRISTI MARTYRIBVS. PIE
DICATVM
VRBANVS VIII. PONT. MAX.
BINIS. AD. CAMPANI. ÆRIS. VSVM
TVRRIBVS EXORNAVIT
ET. NOVA. CONTIGNATIONE MVNIVIT
ANNO. DOMINI. MDCXXXII. PONT. IX.

Ædem Boni Eventus [1] de qua P. Victor, in regione nona a tergo Panthei statuunt, ubi veteres e rubro laterculo parietes cernuntur. Simulacrum Boni eventus ita conformarunt, quod scribit Plinius [2]; *Dextera pateram, sinistra spicam, ac papaver tenens*. Cæterum non clare constat, an hæc templa, ut alia privata, ac publica, essent in campo Flaminio, an Martio, an in finibus utriusque: sicut aliqua ex his, quæ referentur ædificia.

1 Ædes Boni Eventus. 2 Lib. 34. c. 8.

CAP. XVII.

Utriusque Campi aliæ porticus.

PLURIMÆ, ut ex Strabone dictum est, fuere porticus in minore campo, quædam etiam in campo Martio. Hic autem sermo non est de iis, quæ pro vestibulo & pronao templum extruebantur [1]. De porticu Septorum jam diximus. Erat illi adjuncta PORTICUS NEPTUNI. Nec longe aberat Porticus EUROPÆ. Prope Pompeii theatrum clarissima ejusdem porticus. Sed de his præstat audire Martialem [1] de Selio scribentem, qui variis in locis aucupabatur cœnam:

Currit ad Europen, &, te, Pauline, tuosque
Laudat Achilleos, sed sine fine pedes.
Si nihil Europe fecit, tum Septa petuntur,
Si quid Phyllirides præstet & Æsonides.
Hinc quoque deceptus Memphitica templa frequentat,
Assidet & cathedris, mœsta juvenca, tuis.
Inde petit centum pendentia tecta columnis,
Illinc Pompeii dona nemusque duplex.

Ibat igitur Selius ad Europam, seu PORTICUM EUROPÆ [2], in qua si neminem cœnæ datorem invenisset, pergebat ad Septa, Septorum videlicet porticum, porticui Europæ propinquam. Quare non longe aberat a fonte Aquæ Virginis, nunc Trivii. Martialis [3]:

Sed curris niveas tantum prope Virginis undas,
Aut ubi Sidonio taurus amore calet.

Juppiter enim in taurum conversus, uti pictura referebat, videbatur ibi Europam ferre. ex quo dicta est porticus Europæ. indicant illa verba Martialis:

1 Porticus ad amœnitatem.

1 Lib. 2. Epigr. 14. 2 Porticus Europæ. 3 Lib. 7. Ep. 31.

Fig. XXXIX. Fol. 823.

Porta Ramen
Substructio Capitolii
Pars Collis Quirinalis
Templa et Porticus in campo Flaminio
Templum Iani
Porta triumphalis
Theatrum Marcelli
Circus
Templa Circi
Porticus Constantini
Theatrum Balbi
Porticus Corinthia sive Octavia
Porticus Pompeii
Circus ab Equiria
Porticus Neptuni
Thermæ Adriani
Villa Publica
Templum Minervæ
Thermæ Agrippæ
Iuppiter
Pompeianus
Theatrum Pompeii
Fons aquæ Virginis
Aque ductus ad Templum Matidiæ
Templu Matidiæ
Ædes Iuturnæ
Amphitheatrum Statilij Tauri
Pantheon
Thermæ Alexandri
Sepulchra
Basilica Antonini
Templum Martis
Columna cum Antonini
Septa
Circus Agonis
Via triumphalis
Via recta
Terentus
Arcus Drusi
Via Flaminia
Via Fornicata
Porticus Europæ
Mausoleum Augusti
Tiberis Fluvius
Mausoleu Adriani
Circus Adriani
Diribitorium
Statuæ ab Augusto translatæ
Collis Hortorum
TARQVINIVS SVPERBVS. REG. VII

TARQVINIVS SVPERB

Quod Spatium tectis nova Roma frequentibus (urget)
Martius antiquo tempore Campus erat.

PERVETVSTI CAMPI MARTII MONIMENTVM.

Currit ad Europen, & te, Pauline, tuosque
Laudat Achilleos, sed sine fine pedes.

In campo enim, ut dixi, cursu, equo, armis, palæstra juvenes exercebantur. Ejus auctorem [1] Augustum quidam referunt, ab eoque lithostroto, aliisque ornamentis instructam docent ex Vellejo Paterculo. Sed ego nihil horum apud Vellejum legi; tamen vel ad Augustum auctorem referenda est, vel fortasse ad sororem Agrippæ Polam. De qua Dion: *Porticus in campo, quam ejus soror Pola, quæ etiam cursus ordinavit, parabat, absoluta nondum erat.* Nisi hæc propria illius ab omnibus aliis secernenda est. Fuit Europæ porticus amœnissima, septa undique virente buxo. Martialis [2]:

Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit,
Siquis ibi serum carpat amicus iter.

Et celebratam fuisse frequentia inambulantium civium idem ostendit [3]:

Turbam non habet otiosiorem
Pompejus, vel Agenoris puella.

Et alibi [4]:


In delicatæ sole rursus Europæ
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet, ambulatve liber acribus curis?

Ex quo conjicitur, hanc porticum ad occidentem solem spectasse. Et quia inter eam, & fontem Aquæ Virginis intercedebat Septorum porticus, credibile est hanc fuisse sub ipso Monte Pincio, nunc Trinitatis. hæc enim pars Urbis vergit ad occasum.

Septis propinquior fuit alia porticus nomine ARGONAVTARVM [5]. Hanc, propter propinquitatem, videtur Martialis Septis ipsis includere [6].

Si nihil Europæ fecit, tum Septa petuntur;
Si quid Phyllirides præstet & Æsonides.

Chiron & Jason: ille filius Phylliræ, hic Æsonis. Argonautæ pictura referebantur in porticu, ex qua desumptum nomen. Dion [7]: *Agrippa*, inquit, *eodem tempore propriis sumptibus Urbem exornavit, & porticum Neptuni propter victorias navales extruxit, & Argonautarum pictura decoravit.* Habuit porticus adjunctum NEPTVNI TEMPLVM, quem summopere propter bellum mari feliciter gestum colebat Agrippa, & suis nummis cusis ex S. C. Neptunum apposuit.



Merito autem Neptuni ædes cum Argonautarum porticu jungebatur. hi enim primo maria, quibus ille præsidet, transmiserunt. Ad amœnitatem porticus adsitum est illi lauretum. Hinc opacæ, amœnæ, jucundæque in ea civium inambulationes, Martialis [8]:

An spatia carpit lentus Argonautarum?

Et alibi [9]:

Turbam non habet otiosiorem
Pompejus, vel Agenoris puella,
Vel primæ dominus levis Carinæ.

Eas lauros spectasse e sua domo testatur Martialis [1]:

At mea Vipsanas spectant cœnacula lauros.

Vipsanæ enim *laurus*, ut & *Vipsania porticus* a Vipsanio, postea Marco Agrippa conditore. Tacitus [2]: *Missus & Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus Vipsania in porticu tendentes.* Martialis [3]:

Qua vicina fluit Vipsanis porta columnis,
Et madet assiduo lubricus imbre lapis.

Quibus versibus puto indicari vicinum fontem Aquæ Virginis, quæ e ductu arcuato, tum patenti tanquam porta e marmore structa effundebatur. Nam Interpretes aut mira, aut nihil dicunt; ut aliquis nescio quo saltu refugiat ad portam Capenam, duobus circiter milliaribus distantem. Assiduus quidem imber, & sereno cœlo fieri non poterat, nisi ex aqua ductili: hæc autem cum pleno e fontis ore non tota efflueret, etiam ex alto siphonibus divisa, defluebat, depluebatque multiplici stillicidio. Quod cum hiberno frigore congelasset, pendens stiria decidit,

In jugulum pueri, qui proxima templa subibat [4]:

An ædem Neptuni intelligit, aquarum præsidis, ideoque propinquam fontis aquis pluvialibus? Hæc a me probabiliter prolata sunt: cæterum constantius refragari audeo auctoribus, qui ajunt lauretum, quo ex cœnaculo domus spectabat Martialis, non porticui Vipsaniæ Argonautarum, sed Panthei Agrippæ adsitam fuisse. Domus enim Martialis Hortorum inter Collem & Quirinalem posita (qui locus, ut dixi, *ad caput domorum* dicitur) prospectum habuit in vicinam porticum Argonautarum, ad fontem Aquæ Virginis, & porticus lauretum: in porticum autem Panthei non item, tanto intervallo sejunctam, & interpositis ædificiis ab aspectu submotam. Neque ibi fuisse lauros quisquam veterum scripsit. Quæ situm domus Martialis, uti supra diximus [5], confirmant.

Templum ISIDIS percelebre propinquum porticui Vipsaniæ fuit. Et Juvenalis [6] prope Septa constituit, ut alibi diximus:

——— ——— ——— *In æde*
Isidis, antiquo quæ proxima surgit Ovili.

Ab hoc templo ad HECATONSTYLON, ut Selius ille, transimus, quæ porticus, ut nomen sonat, *centum columnarum* erat.

Inde petit centum pendentia tecta columnis [7].

Hæc est POMPEIA PORTICVS [8] magnis antiquorum laudibus celebrata; atque ut buxo porticus Europæ, lauro Vipsania, vite Livia, ut supra diximus, hæc platanis cingebatur. Propertius [9]:

Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis
Porticus aulæis nobilis Attalicis.
Et creber pariter platanis surgentibus ordo,
Flumina sopito quæque Marone cadunt.

At Mart. [10].

Proxima centenis ostenditur Ursa columnis;
Exornant fictæ qua platanona feræ.

1 Quis auctor porticus. 2 Citat. Epig. lib. 3. 3 Lib. 11. Ep. 1. 4 Lib. 3. Ep 20. 5 Porticus Argonautarum. 6 Ep. cit. lib. 2. 7 Lib. 53. 8 Lib. 3. Ep. 20. 9 Lib. 11. Ep. 1.

1 Lib. 1. Ep. 109. 2 Tac. lib. 1. Histor. 3 Lib. 4. Ep. 16. 4 Mart. eod. Epig. 5 Cap. 15. 6 Juv. Sat. 6. 7 Ep cit. lib. 2. 8 Porticus Pompeii. 9 Prop. lib. 2. Eleg. 32. 10 Lib. 3 Ep 19

Et vero platanus procera arbor, & foliis, ramiſque diffuſa opacare poterat non modo ſpatia porticuum, ſed ipſarum etiam præcelſas columnas, ut loquitur Propertius. Centenaria igitur porticus eſt Pompejana. Idque confirmat propinquitas theatri Pompejani. Quare cum arſiſſet theatrum ſub Philippo, porticus quoque igne correpta & conſumpta eſt. Euſebius in Chronico: *Theatrum Pompeii incenſum, & Hecatonſtylon*. Scio, quid alii ſcripſerint de Hecatonſtylo; ſed ille perſuadeat, qui ſolidius probat. Cæterum propter platanetum mira in porticu opacitas & inumbratio, tum civium inibi ſpatiantium multitudo. Ovidius [1]:

Tu modo Pompeja lentus ſpatiare ſub umbra,
Cum ſol Herculei terga leonis adit.

Et alibi:

At licet & prodeſt Pompejas ire per umbras,
Virginis æthereis cum caput ardet equis.

Martial. [2]

Sic veterem ingrati Pompeii quærimus umbram.

Propert.

Tu neque Pompeja ſpatiabere cultus in umbra.

Augebat in æſtate frigus & loci pulchritudinem fontis ſtructura & aquarum copia, de qua Propertius:

Flumina ſopito quæque Marone cadunt.
Et leviter lymphis tota crepitantibus Urbe,
Cum ſubito Triton ore recondit aquam.

Opinor, inquit Turnebus [3], *in Aquæductu, qua ſaliebat aqua, fuiſſe ſtatuam Maronis, ſive ille Poeta fuerit, ſive* [4] *Maro Homericus, eo habitu poſitam, ut ſuſurro ejus aquæ ſopitus videretur. Credibilius omnino tamen eſt, in Aquæductu ſtatuam fuiſſe priſci illius Maronis optimi vinitoris, comitis expeditionum Oſiridis: quem ætate provectum, ut Diodorus ſcribit, in Thracia reliquerit, Maroneæque conditorem monumenta antiqua produnt: atque argumentum non inelegans inſcitumque fuerit, vitigeni potus optimum cultorem, pæneque inventorem pro vino hominibus aquas miniſtraſſe. Cum autem quadam in Urbis parte Triton magnam aquæ copiam ore profundens epiſtomiis verſis aquam recondiderat, & fundere deſtiterat; illa mutato flexoque curſu magno impetu crepitans ad porticum Pompeii tendebat per tubos, qua ſopiti erat ſtatua Maronis, & tanta cadebat mole, ut cum leviter in reliqua Urbe aqua ſuſurraret, illic flumen videretur juſtum eſſe.* Hæc Turnebus. Et quia hæc opera perfecta ſunt a Pompejo, Virgilii Maronis ſtatua [5] in fonte eſſe non potuit, ſed Maro alteruter e ſequentibus: uterque enim cum vinum præbuerit, ſignificabat recentem aquam veteri vino ſalubritate jucundoque hauſtu præferendam. De Tritone, etſi non diſplicet expoſitio, contraria tamen interpretatione dicerem, cum non alibi, ſed in ipſo fonte Pompejæ porticus fuiſſe, magnam vim aquæ, fluminis inſtar effundentem: quæ recondita, & intercepta, ad alios in Urbe ſalientes fontes occultas per fiſtulas commearet. Decorem addebant in luco [6] poſita ferarum marmorea ſimulacra, de quibus Martialis citato epigrammate [7]. Parietes porticus ornabantur picturis [8], & auro intextis periſtromatis.

1 Lib. 1. de Arte. 2 Lib. 5 Ep. 10. 3 Tur. lib. 7. cap. 26 4 Qui dedit vinum Ulyſſi. 5 Statuæ ibidem. 6 Lucus cum ſimulacris ferarum. 7 L. 3. Ep. 19. 8 Picturæ in eadem porticu, & aulæa.

A Tabulam Antiphili, quæ Cadmum & Europam referret, in Pompeja porticu ſtatuit Plinius [1]. Idem [2]: *Polignoti*, inquit, *eſt tabula in porticu Pompeii, in qua dubitatur, aſcendentem cum clypeo pinxerit, an deſcendentem.* Idem [3]: *Pauſias autem fecit & grandes tabulas, ſicut ſpectatam in Pompeii porticibus boum immolationem.* Idem: *Alexander quoque in Pompeii porticibus præcellens, & Calipſo ſedens* Niceæ Athenienſis. De veſtibus aureis Propertius:

Porticus aulæis nobilis Attalicis.

B Ipſa denique, ut a vicina mole Pompejani theatri ornabatur, ita viciſſim illi, ante frontem ſtructa, ornamento erat. Appianus [4]: *Brutus*, inquit, *ſummo mane in porticu, quæ ante theatrum ſita erat, exigentibus ab eo veluti Prætorius adminiſtrabat.* Quæ hactenus dicta ſunt de Hecatonſtylo Pompeii, infringi videntur auctoritate Martialis, qui cum dixiſſet de Selio,

Inde petit centum pendentia tecta columnis,

ſubdit:

C *Illinc Pompeii dona, nemuſque duplex.*

Sejungit igitur a priore fabricas Pompeii. Sed hoc quemadmodum non removit a noſtra ſententia claros Interpres, ita nobis negotium non faceſſit; loquitur enim ibi Martialis de aliis Pompeii fabricis, nempe baſilica ejuſdem & theatro. Nemore autem duplici, duplices ejus hortos ſignificari, de quibus alibi, non dubitem, quod Lævino Torrentio item placet.

PORTICUS PHILIPPI Circo Flaminio, & Capitolio propinquior fuit. Martius enim Philippus D Auguſti vitricus, ut ſupra dixi, ædem Herculis Muſarum inſtauravit, & prope ingentem nobilemque porticum extruxit, non illam quidem tamquam templi pronaum, ſed civium commoditati, decorique Urbis erectam. Sextus Victor Philippi porticum poſuit in Regione IX. ut porticum Corinthiam Cn. Octavii. Quod certo argumento eſt Philippi porticum a templo Herculis fuiſſe omnino ſejunctam, contra quam aliqui ſentiant. Si enim templi pronaum eſſet, non cenſeretur tanquam ædificium a templo ſecretum, & proprio Philippi nomine, ut videre eſt in cæteris templis, quæ ſcilicet nulla mentione facta porticus, ſolum ipſa nume- E rantur. Martialis [5]:

Vites cenſeo porticum Philippi,
Si te viderit Hercules, periſti.

Quo innuit ſtatuam Herculis in porticu collocatam. Hæc fortaſſe eſt illa porticus, quam eo loci ſitam lineavit Sebaſtianus Serlius [6]; productæque perampla ſpatio a foro nunc Judæorum uſque ad novam ædem S. Caroli ichnographiam & orthographiam deſcripſit. Vulgus enim locum illum *Caccabarium* nuncupat, ut videatur ab Hercule Muſarum, qui F prope aderat, deduci poſſe. Plinius [7] *Liberum Patrem Alexandrum puerum, Hippolytum tauro emiſſo expaveſcentem, pictos ab Antiphilo fuiſſe in Philippi porticu* ſcribit. Idem: *Pinxit Theodorus bellum Iliacum pluribus tabulis, quod eſt Romæ in Philippi porticibus.* Idem: *Zeuxidis manu Romæ Helena eſt in Philippi porticibus.* De porticu Cn. Octavii Corinthia diximus [8]. Hæc cum multo amœniſ-

1 Plin. lib. 35. cap. 10. 2 Lib. 35. c. 9. 3 Lib. 35. c. 11. 4 Lib. 2. de bell. civil. 5 Lib. 5. Ep. 50. 6 Lib. 3. qui eſt de Roman. antiquit. 7 Plin. lib. 35. cap. 10. 8 Supra l. 1 cap. 21.

A fima dicatur a Vellejo, quem tamen locum adsitum haberet, non legi.

PORTICUS OCTAVIA [1] theatro Marcelli adjuncta est non minus molitione, quam ornamentis insignis, non longe aberat a Campo Flaminio. Ab hac ædem Magnæ Virginis cognomento *in Porticu* dictam autumant; ibi certe olim erat. Fuere autem ibi ante Augustum, (hic enim nomine Octaviæ sororis porticum condidit, ut Suetonius [2] refert) aliæ nobiles porticus, quas Q. Metellus, qui Pseudophilippum & Achæos superavit, extruxerat. Vellejus [3]: *Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus sine in-* B *scriptione positis* [4], *quæ nunc Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat: quique hanc turmam statuarum equestrium, quæ frontem ædium spectant, hodieque maximum ornamentum ejus loci, ex Macedonia detulit. Cujus turmæ hanc causam referunt, Magnum Alexandrum impetrasse a Lysippo singulari talium auctore operum, ut eorum equitum, qui ex ipsius turma apud Granicum flumen ceciderant, expressa similitudine figurarum, faceret statuas, & ipsius quoque iis interponeret.* Plinius [5]: *Lysippus Alexandrum, amicorumque ejus imagines summa omnium similitudine expressit: Has Metellus Macedonia subacta transtulit Romam.* Continebant hæ C porticus alia ædificia [6], templa *Junonis* & *Apollinis*, *Curiam*, *Scholas*, *Bibliothecam*. Plinius: *Nec Sauron atque Batrachum obliterari convenit, qui fecere templa Octaviæ porticibus inclusa, natione & ipsi Lacones. Quidam & opibus præpotentes fuisse eos putant, ac sua impensa construxisse, inscriptionem sperantes. qua negata, hoc tamen alio loco & modo usurpasse. Sunt certe etiamnum in columnarum spiris insculpta nominum eorum argumenta, rana atque lacerta.* Marmorea ornamenta Octaviæ porticus expressit Ovidius his versibus [7]:

D

Aut ubi muneribus nati sua munera mater
Addidit, externo marmore dives opus.

Erat enim prope theatrum Marcelli filii Octaviæ. Plinius [8]: *Corneliæ Gracchorum matri, quæ fuit Africani prioris filia, sedens statua posita est soleisque sine amento insignis in Metelli publica porticu, quæ statua nunc est in Octaviæ operibus.* Idem [9]: *Veneremque Phidiæ esse Romæ in Octaviæ porticibus.* Idem: *Intra Octaviæ porticus, in Junonis æde Esculapius ac Diana.* Idem: *Cupido objectus a Cicerone Verri ille, propter quem Thespiæ visebantur, nunc in Octaviæ scholis positus.* Idem: *In Curia* E *Octaviæ quæritur de Cupidine fulmen tenente, cujus munus sit.* Idem ibidem: *Ad Octaviæ vero porticum Apollo Philisci Rhodii in delubro suo. Item Latona, & Diana, & Musæ novem, & alter Apollo nudus. Eum qui citharam in eodem templo tenet, Timarchides fecit. Intra Octaviæ vero porticus in æde Junonis ipsam deam Dionysius & Polycles, aliam Venerem eodem loco Philiscus. Cætera signa Praxiteles. Item Polycles & Dionysius Timarchidis filii Jovem, qui est in proxima æde, fecerunt. Pana & Olympum luctantes eodem loco Heliodorus, quod est alterum in terris symplegma nobile, Venerem lavantem sese, Dædalum stantem Po-* F *lycharmus.*

Non minoris pretii picturæ fuerunt. Plinius [10]: *Antiphilus Hesionam nobilem pinxit, & Alexandrum ac Philippum cum Minerva, qui sunt in schola in Octaviæ porticibus.* Et: *Nobilissimas autem, quæ sunt in porticibus, & Octaviæ operibus.*

1 Porticus Octavia. 2 Sueton. in vita Aug. cap. 29. 3 Hist. lib. 1. 4 Junonis fortasse & Apollinis. 5 Plin. l. 34. cap. 8. 6 Alia ædificia in porticibus Octaviæ. 7 Lib. 1. de art. am. 8 Plin. lib. 34. cap. 6. 9 Lib. 36. cap. 5. 10 Plin. l. 35. cap. 10. & 11.

Bibliothecæ inter cæteros meminit Plutarchus [1]: *In Marcelli honorem & memoriam mater Octavia bibliothecam dedicavit, Cæsar theatrum quod nomine Marcelli inscripsit.* Dion autem [2]: *Arserunt*, inquit, *sub Tito Octaviana ædificia, una cum libris.* Quæ postea, cum aliis, quæ arserant, restituenda idem Imperator, eodem, ac Suetonio teste, curavit.

Aliæ porticus numerantur, quarum incerta sedes. Minucia [3]. de ea Vellejus [4]: *Per eadem tempora clarus ejus Minucii, qui porticus, quæ hodieque celebres sunt, molitus est, ex Scordiscis triumphus fuit.*

PORTICUS, quæ SEVERI [5] dicebatur, ubi fuerit, incertum est. De ea Spartianus [6]: *Extat sane Romæ Severi porticus, gesta ejus exprimens, a filio, quantum plurimi docent, structa.* Idem [7]: *Reliquit & porticum patris nomine, quæ gesta illius contineret, & triumphos, & bella.*

De porticu inchoata GORDIANI [8] Julius Capitolinus [9]: *Instituerat porticum in Campo Martio sub Colle, pedum mille, ita ut ab altera parte, qua mille pedum porticus fieret; atque inter eas pariter, & spatium pedum quingentorum, cujus spatii hinc atque inde viridaria essent lauro, myrto, & buxo frequentata: medium vero lithostrotum, brevibus columnis altrinsecus positis, & sigillis per pedes mille, quod esset deambulatorium; ita ut in capite basilica esset pedum quingentorum.* Hæc ille. Præterea numerantur porticus Trajani in Campo Martio, Constantini in regione Viæ latæ, & aliæ, de quibus P. Victor, & Sextus Rufus.

1 Plutar. in vita Marcelli. 2 Dion lib. 66. 3 Porticus Minutia. 4 Vell. lib 2. 5 Porticus Severi 6 In Severo. 7 In Antonino Caracalla. 8 Porticus Gordiani. 9 In Gord. Juniore.

CAP. XVIII.

Aqua Virgo, & aliæ Aquæ, & Aquæductus.

PROPE porticum Septorum & Argonautarum fons Aquæ Virginis fuit. Veteres quidem Romani, auctore Frontino, per annos CCCXLI, contenti fuere usu aquarum, quas aut ex Tiberi, aut e puteis, aut e fontibus hauriebant. Postea subterraneis cuniculis, aut opere arcuato magnam vim aquarum induxere, non ad fontes modo & publicos lacus, sed etiam ad usum balnearum & navalium ludorum. Influebant autem fere in Urbem juxta portam Næviam, Viminalem, Latinam, Janiculensem. Quanta vero esset horum operum & molium magnitudo, ostendit Dionysius [1]: *Mihi sane*, inquit, *magnificentissima videntur, ex quibus maxime apparet amplitudo Romani Imperii, aquæductus, viæ stratæ, cloacæ.* Eadem tria miratur Strabo [2]. Cassiodorus [3]: *In formis autem Romanis utrumque præcipuum est, ut fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis. Quod enim illuc flumina quasi constructis montibus perducuntur, naturales credas alveos, soliditates saxorum; quando tantus impetus fluminis tot seculis firmiter potuit sustineri.* Aquæductuum quidem admirabilitatem augebat numerus, quod plurimi: longitudo, quod quidam sexaginta amplius passuum millia producerentur: laxitas, cum flumina (quod passim auctores) reciperent ac redderent: substructio sub terra, magnis effossis montibus: supra terram, in imis vallibus arcuationes immanibus pilis fultæ elatæque, ut alicubi altissime CIX. pedes, auctore Frontino, nempe nostrates palmos CXLV. & trientem sublevarentur. Superfunt adhuc ingentia arcuatorum operum vestigia tum extra Urbem, tum intra mœ-

1 Dionys. lib. 3. 2 Strabo l. 5. 3 Cass. lib. 7. var. Ep. 6.

nia, Claudiæ per dorsum Cœlii montis a Nerone in Palatium derivatæ, & Martiæ. Vere de his graviterque Plinius: *Nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum*.

At magnitudinem operum sequebatur difficultas conservandi. *Nam aut vetustate*, ait Frontinus [1], *corrumpuntur, aut impotentia possessorum, aut vi tempestatum, aut culpa malefacti operis, quod sæpius accidit in recentibus. Minus injuriæ subjacent subterranea, nec gelicidiis, nec caloribus exposita. Pilæ quoque ipsæ topho extructæ sub tam magno onere labuntur*. Quæ hodie supersunt coctili latere extrinsecus munitas cernimus. Idem ait, *proximos ductus, id est, qui a sexto milliario lapide quadrato consistunt, maxime custodiendos, quoniam & amplissimi operis sunt, & plures aquas singuli sustinent*. Tutela ductuum antiquitus penes censores & ædiles erat. Primus M. Agrippa post ædilitatem, quam gessit consularis, operum suorum & munerum veluti perpetuus curator fuit. Inde instituti curatores aquarum [2]: & illis duæ ad instaurandum datæ familiæ, altera publica, quam Agrippa: altera Cæsaris, quam Claudius constituerat. Hæc erat hominum CCCCLX. illa CCXL. His ex fisco, atque ærario commoda dabantur, divisis in villicos, castellarios, curatores, silicarios, tectores, aliosque opifices, & missis quo vocabat necessitas. *Ministeria ita instituimus*, ait Frontinus, *ut pridie, quid esset factura utraque familia, dictaremus, & quid quaque die egisset, actis comprehenderetur*. Cura illa vetus admonet, quid recens ætas ejusmodi operibus tribuere debeat. Plura [3] Cassiodorus, [4] Marlianus, [5] Blondus, [6] Lipsius legenti proment.

Duo nuperrima præterire non possum. Unum est, in subterraneo ductu Aquæ Claudiæ novas lapidum fodinas fuisse repertas. Intermisso enim aquarum cursu sub altissimis montibus Æquicolarum; sed nihilominus bibulæ terræ, quæ fornicis camera sustinetur, collecto superne humore in specus desudante, eoque arenæ admisto, locique opacati frigoribus concreto, novus lapis alabastrites ingenti massa formatus est, qui longitudinem formarum cum temporis diuturnitate compleverit. Institutis lapidicinis egeri jam, vectusque in Urbem, ac perpolitus collucere in aris cœpit. quamquam lapidarii advertunt, scabrum lapidem levissimam polituram non admittere, eam tamen, quæ Romanis in templis tanto marmorum splendore fulgentibus, laudetur.

Alterum, sub Collegii nostri Romani solo veterem arcuatum Aquæductum [7] ruinis obrutum sepultumque, nuper fuisse inventum, cum frontis templi Ignatiani fundamenta egererentur in finibus Campi olim Flaminii & Martii; sed multo cultiorem pulchrioremque, quam cæteri ex coctili latere conspiciantur. Exteriori enim facie tabulis marmoreis vestiebantur pilæ, antis ad latera Corinthiarum columnarum extantibus: sed paulum reductis, itemque crustatis marmore parastatis. Exinde epistylia, zophori, & coronæ marmoreæ, structumque supra parietem marmora contegebant, & columnis e marmore striatis statuæ, ut reor, fuerant impositæ. Interiori parte, easdem pilas Tiburtini lapidis structura solidabat, prostantibus antis opere Dorico, & epistylium coronamque sustinentibus. Supra, opus lateritium, qua condebatur Aquæductus altus circiter sex, tres palmos latus. Arcus inter pilas marmorato obducti, & certis subinde spatiis quædam ampliora, minoribus intersticta intercolumnia. Secundum eos arcus, cum inventas cloacas fossores repurgarent, partem ingentis fistulæ plumbeæ [8] non longe a Pantheo

[1] Front. l. 2. [2] Curatores Aquarum. [3] l. 7. Ep. 6. [4] Lib. 4. c. 10. 2. edit. [5] Lib. 2. [6] Lib. 3. c. 11. magn. Rom. [7] Vetus Aquæductus. [8] Plumbeus canalis.

A Agrippæ repererunt, eratque fusilibus litteris in ea inscriptum, TEMPLO MATIDIÆ. P. Victor in Regione nona habet, *Basilica Macidii*, & Onuphrius [1] idem repetens, addit, alias *Matidii*, alias *Matidiæ*. Sed *Matidiæ* legendum est. Vel enim basilica idem est cum templo nempe inaugurato condita: vel quod verius reor, & basilica Matidiæ nomine condita, & templum illi dicatum fuit, postquam ab Adriano adscripta est inter Divias. Erat enim Matidia Marcianæ Trajani sororis filia, Juliæ Sabinæ, quæ nupsit Adriano, soror, cujus meminit Spartianus in Adriano: *Trajani*, inquit, *reliquias*

B *Attianus, Plotina, & Matidia referebant*. Extant, & numismata cusa Matidiæ nomine. In argenteo legimus *Matidia Augusta D. Marcianæ F.*



Porro templum Matidiæ non longe a Pantheo in

C regione nona fuisse necesse est, illo enim mittebat Aquæductus.

In ejusdem templi fundamentis, quæ secundum latus templi ducebantur, non exiguæ balnearum privatarum reliquiæ inventæ sunt. Convexæ ibi fornaculæ, unde per fictiles canaliculos invicem consertos igneus vapor in varia etiam diversæ contignationis hypocausta expirabat. modicæ ibidem cellulæ, ad staturam hominis paulo amplius dimensæ: crustis tectæ marmoreis maculosis, & Pariis: vermiculata ibidem, tessellisque versicoloribus in folia floresque picturata pavimenta. qualia vidimus etiam in Aventino, & memorantur a Plinio [2]: *Li-*

D *thostrota cœptavere jam sub Sylla parvulis certe crustis, extatque hodie quod in Fortunæ delubro Præneste fecit*. Fistulæ quoque ibi plumbeæ in coni figuram fusæ. in quarum una, fusili item opere legebatur inscriptio: NARCISSI AVG. LIB. AB EPISTVL. Nempe hic habitaverat Narcissus ille Claudii Cæsaris libertus, de quo Suetonius [3]: *Sed ante omnes suspexit* Claudius *Narcissum ab epistolis, & Pallantem a rationibus*. Plinius inter ditissimos numerat [4]: *Multos postea cognovimus servitute liberatos opulentiores Crasso, pariterque tres Claudii principatu, Pallantem, Callistum, & Narcissum*.


E Juvenalis [5]:

Nec divitiæ Narcissi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia: cujus
Paruit imperiis, uxorem occidere jussus.

Suetonius [6]: *Querente Claudio de fisci exiguitate non absurde est dictum: abundaturum, si a duobus libertis in consortium reciperetur*. Dion: *Narcissus hominum ea tempestate potentissimus, & qui amplius quater millies sestertium possederit*: id est, plusquam centies centena millia, sive decem milliones aureorum. Idem consulenti Claudio nuptias Agrippinæ

F neptis palam dissuaserat, eidem infensus, & cum Augusta postea jurgatus. Quare irata fœmina, cum primum licuit per imperium filii Neronis, hominem sustulit. Tacitus [7]: *Nec minus præparato Narcissus Claudii libertus, de cujus jurgiis adversus Agrippinam retuli, aspera custodia, & necessitate extrema ad mortem agitur, invito principe, cujus abditis adhuc vitiis per avaritiam & prodigentiam mire congruebat*.

[1] In regionibus Urbis. [2] Lib. 36. cap. 25. [3] In vita Claudii cap. 28. [4] Lib. 33. cap. 10. [5] Juv. Sat. 5. [6] Sueton. in Claud. cap. 28. [7] Tac. l. 13. Annal.



Quoniam autem canalis ille plumbeus in latere finisteriore templi repertus est, in dextero immanis alia e plumbo fistula [1] est inventa, quinquaginta palmos sub terra defossa, lato hiantique, qualis majorum bombardarum extrinsecus solet esse, tubo, nec omni ex parte tereti ac rotundo, sed paulum acuminato, ut latius, qua fluebat in imo aqua, spatium esset. Hujus fistulæ quia longissime excurrebat, inventus non est exitus: & quia nullius auctoris nomine notabatur, earundem Narcissi balnearum fortasse fuit; aquarum videlicet omnium receptaculum, quæ e superioribus tubis confluentes, humiliori latiorique alveo ducebantur ad Tiberim.

Alia quoque fistula hac posteriore minor, illa Narcissi latior, est refossa in ipsis fabricæ Collegii fundamentis, cum hac Inscriptione:

IMP. CAES. HADRIANI. ANTONINI. AVG. PII
SVB. CVR. PORCI. POTITI. PROC. ANN. SYMPO. F.

Hæc omnia in ære incidenda curavimus. Sed quoniam altior arcus fultus majoribus columnis minores hinc inde arcus distinguebat (incertum quam ob causam, & an certa per intervalla alios æquales haberet) ibi aqua ductu inferiore fluens paulum ascendebat: vel si eodem procedebat æquilibrio, arcui majori aliquid aliud molitores substruxerant, ut fornicem aquæ inter parietes sustineret. Utrumque in postica parte ædificii punctis notatum est.

Jam quæ spectant ad corrivatas aquas, AQUAM VIRGINEM, (de hac enim dicere cœperam,) Agrippa deduxit. *Virgo ideo appellata*, ait Frontinus, *quod quærentibus aquam militibus puella virguncula quasdam venas monstravit, quas secuti qui foderant, ingentem aquæ modum invenerunt. Ædicula fonti apposita hanc Virginem pictura ostendit.* Plinius aliam causam refert. *Idem* [2], inquit *Agrippa & Virginem adduxit ab octavi lapidis diverticulo XI. millia passuum Prænestina via. Juxta est Herculaneus rivus, quem refugiens, Virginis nomen obtinuit.* Aliam Cassiodorus libro 7. Epist. 6. *Currit aqua Virgo sub delectatione purissima: quæ ideo sic appellata creditur, quod nullis sordibus polluatur.* Dion [1]: *Aquam, quæ Virgo vocabatur, propriis sumptibus Agrippa adduxit, Augustamque nominavit. quod ita gratum fuit Augusto, ut inopia aliquando vini existente, cum quiritaretur populus, satis provisum diceret esse ab Agrippa, nequis eorum siti periret.* Frontinus [2] post tertium consulatum Agrippæ id factum scribit C. Sentio Sp. Lucretio coss. anno Urbis DCCXXXV. cum quo consentit Dion [3]. Plinius [4]: *Agrippa*, inquit, *in ædilitate sua* (& fuisse ædilem post consulatum idem eodem capite testatur) *adjecta Virgine aqua, cæteris corrivatis atque emendatis, lacus DCC. fecit, præterea salientes CV. castella CXXX. complura etiam cultu magnifica. Operibus iis signa CCC. ærea, aut marmorea imposuit, columnas ex marmore CCCC. eaque omnia annuo spatio.* Numerum fontium innumerabilem, quos alii faciendos curarunt, quisque potest conjicere. *Pars unius Juliæ*, inquit Frontinus, [5], *castellis CCLII. montis Esquilini usibus effunditur.* Porro fons aquæ Virginis, eodem fere, ubi nunc est, loco fuit, juxta Septa, sive eorum porticus, non longe a colle Hortorum adjuncta æde Juturnæ. Ovidius:

Te quoque lux eadem, Turni soror, æde recepit,
Hic ubi virginea campus obitur aqua.

Arcus Virginis, ait Frontinus, *initium habent sub Hortis Lucullianis*, (hi erant in colle Hortorum,) *finiuntur in Campo Martio secundum frontem Septorum.* Ibi vero emergebant aquæ, ubi desinebant arcus. Hos arcus disturbavit C. Cæsar, quia nimirum amphitheatrum juxta Septa inchoaverat, Claudius restituit.

Deinde aliquot seculis interceptam & dilapsam Nicolaus V. tum Sixtus IV. deinde Pius IV. acquisitis etiam novis fontibus restituerunt. Tactu præstitisse olim Virginem, haustu Martiam tradit Pli-

1 Fistulæ plumbeæ Aquæductuum. 2 Plin. lib. 32. cap 3.

1 Lib. 54. 2 Front. l. 1. 3 Dion l. 54. 4 Plin. l. 36. c. 15. 5 Front. l. 1.

nius [1]. Nunc Virgo, *Trevia* nomine, Martia pridem intercepta, tactu pariter haustuque præcellit, non solum publicis, sed privatis etiam civium usibus totam per Urbem distributa.

JULIAM [2] idem Agrippa deduxit. Sed XIII. annis ante Virginem anno Urbis DCCXXI. ad milliarium ab Urbe XII. via Latina: acquisitæque ab inventore nomen *Juliæ* est datum. Hæc ductu quindecim millium passuum prope portam Næviam parte sui effundebatur. Frontinus [3]: *Prius tamen pars Juliæ ad Spem Veterem* (hujus ædes ad eam portam fuit) *excepta castellis CCLII. montis usibus effunditur*. altera pars effundebatur in Viminalem. Dion [4]. *Eodem*, inquit, *tempore* (sub triumviratu) *aquæ, quas Julias nominarunt, in urbem canalibus ductæ sunt*.

Huic *TEPULA ab eodem Agrippa mixta est*, ut ait Frontinus [5]; quæ ante ex agro Tusculano collecta, & in Urbem perducta fuerat. Aliam exclusit, quæ dicebatur *Crabra*, *seu quia usum improbaverat, seu quia Tusculanis possessoribus relinquendam credebat*, ut idem Frontinus. In Viminalem Tepula exibat cum Julia, quamquam paulo inferiore libra. Censores autem Cn. Servilius Cæpio, L. Cassius Longinus, qui eam in Urbem perduxerant, in Capitolium ante adducendam curaverunt. *Eodem anno Agrippa ductus Appiæ, Anienis, Martiæ pæne dilapsos restituit, & singulari cura cum compluribus salientibus aquis instruxit Urbem*: Frontinus [6]: Ejusdem *Appiæ*, ut ait Plinius [7], *Anienis, Tepulæ ductus reficere Q. Marcius jussus a Senatu, novam a nomine suo appellatam cuniculis per montes actis intra præturæ suæ tempus adduxit*.

Hæc est Aqua MARTIA [8], eodem auctore [9], *inter reliqua deum munere Urbi tributa clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma, præconio Urbis, stagnino colore præviridi, splendore & rigore gratissima*. quod postremum illi attribuit Frontinus. Statius [10]:

—— Marsasque nives & frigora ducens
Martia.

Et alibi eodem libro:

Teque per obliquum penitus quæ laberis amnem
Martia, & audaci transcurris flumina plumbo.

Nam & flumina aquæductus trajiciebant, teste Frontino. Hæc ad milliarium XXXIII. concepta in Pelignis nomine quondam *Aufeja*, ductu passuum LX. millium DCCX. & semis corrivata est. *Transit*, inquit Plinius, *Marsos & Fucinum lacum Romam non dubie petens. Mox specu mersa in Tiburtina se aperit IX. m. p. fornicibus structis perducta*. paulo aliter Frontinus: *Opere*, inquit, *supra terram passuum* VII. *millium CCCCXLIII.* Neque ille Anci Marcii mentionem fecit, qui teste Plinio, primus eam auspicatus est in Urbem ducere. quod tamen vix persuaserit, cum eo Rege longe a ditione Romanorum tam ipsa, quam regio, in qua oriebatur [11], Romanis esset ignota.



Emergebat autem cum Julia & Tepula ad Viminalem portam, quæ nunc, ut alias dixi, clausa est. Et parte sui post Hortos Pallantianos in Esquiliis, teste Frontino, mixta rivo Herculano dejiciebat se per Cœlium. Perducta est etiam in Capitolium & Aventinum, sed postquam in Cœlium & Aventinum deducta est a Nerone Claudia, exclusa ab his & Martia & Julia est. *Quo fiebat*, inquit Frontinus [1], *ut quoties defectio aliqua intervenisset Aquæ Claudiæ, celeberrimi colles sitirent*. Quare Trajanus ampliore opere his collibus Martiam reddidit, & suas in thermas induxit. Ideo & *Trajanam* appellatam non dubitant Fulvius & Marlianus. Eodem Frontino auctore, *omni parte Urbis lacus tam novi, quam veteres plerique binos salientes diversarum aquarum acceperunt; ut si casus alterutram impedisset, altera sufficiente non destitueretur usus*. Ex quo apparet tam Cæsarum & curatorum providentia, quam geminatis ubique fontibus aquarum ubertas. Denique cum aliæ aliis usibus assignarentur, *Martia tota potui* [2], ut idem ait, *propter salubritatem serviebat*. Ejus ductus cum Augustus, sive Agrippa ejus nomine, & Titus refecissent (Dion [3] enim Agrippam; inscriptio portæ Esquilinæ Augustum pronunciat) M. Antoninus iterum restituit, & novum illi fontem *Antoninianum* nomine adjecit. Aliam aquam ejusdem bonitatis ante adjecerat Augustus, quæ ab inventore *Augusta* dicta est.

CLAUDIA [4] bonitate MARTIÆ proxima, & illa altior, a Cajo Caligula inchoatis binis ductibus, a Claudio perfectis per millia passuum XLVI. auctore Frontino, subterraneo & arcuato opere cum Aniene Novo perducta est. *A lapide*, inquit Plinius, *quadragesimo* (XXXVIII. juxta Frontinum) *ad eam excelsitatem, ut in omnes Urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes*. Suetonius [5]: *Claudiæ aquæ gelidos & uberes fontes eorum alteri Cæruleo, alteri Curtio & Albudino nomen est: simulque rivum Anienis novo lapideo opere in Urbem perduxit, divisitque in plurimos & ornatissimos lacus*. Ductus Anienis efficiebat passuum LVIII. millia DCC. opere omnium altissimo, qua arcuatum attollebatur. Hic Romæ cum Claudia mixtus eam frequenter abactis secum ripis limo turbidus vitiabat: nec minus cæteras, in quarum specus, quod altissime flueret, ab aquariis inducebatur, donec Nerva Principe tam Anio, quam reliquæ inter se discretæ fluxerunt.

Dictus hic ANIO NOVUS ad VETERIS [6] discrimen, quem M. Curius, L. Papyrius Cursor censores in Urbem deducendum curarunt, Ann. Urb. CCCCLXXXIC. Effluebat ANIO VETUS in Salinas, qui locus erat ad portam Trigeminam, alia sui parte intra portam Esquilinam per altiores Urbis tractus distribuebatur. Postea vero, quod turbulentus & minus salubris esset, in hortorum rigationem atque in ipsius Urbis sordidiora ministeria destinatus est. Hi duo rivi Anienis ex Aniene flumine in Urbem corrivati. Sed vetus humilior, quia propius Urbem, supra Tibur XX. milliario concipiebatur. At Claudia [7], quæ post Anienem, secundum tenebat altitudinis locum, post hortos Pallantianos (hi erant ad S. Eusebium in colle Esquilino) finitis arcubus, cum Aniene novo fistulis per Urbem distribuebatur. Sed ante partem sui ad portam nunc Majorem transferebat in Cœlium. Nero enim extructis arcubus deduci voluit in Palatium. *Ii directi*, inquit Frontinus [8], *per Cœlium montem juxta templum D. Claudii terminantur*. Et: *Nero Imperator Claudiam opere arcuato assumpsit, exceptam usque ad templum D. Claudii perduxit, ut inde*

1 Plin. lib.31. cap.3. 2 Aqua Julia. 3 Front. libro 1. 4 Dion l.48. 5 Lib. 1. 6 Ibidem. 7 Plin. l.36. cap.15. 8 Aqua Martia. 9 Plin. l.31. cap.3. 10 Sylvar. libro 1. 11 Martia unde deducta quo effunderetur

1 Front. lib. 2. 2 Martia serviebat potui. 3 Libro 49. 4 Aqua Claudia. 5 In vita Claudii cap.20. 6 Anio novus & vetus. 7 Ubi Claudia effunderetur. 8 Front. l.1. Idem lib.2.



Porta Nevia Major Cognomento in Formis Aquae Claudiae

distribueretur. Erant ibi castella, per quæ partim A lævorsum in Aventinum, partim in Palatinum dextrorsum distribuebatur. Porro Arcuum Neronianorum magna pars [1] adhuc visitur, longo tractu intersecantium Cœlium montem. Incipientes enim ab ea, quam dixi, porta, secundum hortos Card. Friderici Cornelii per dorsum Cœlii procurrunt ad basilicam Lateranensem: inde ad ædem S. Stephani cognomento *rotundam*, ubi dicitur olim fuisse templum Claudii. *Hic modum*, aquæ, *quem acceperunt*, ait Frontinus, *aut circa ipsum montem Cœlium*, *aut in Palatium*, *Aventinumque*, *& in Transtyberinam regionem demittunt*. Quare arcus, qui inde conversi ad templum SS. Joannis & Pauli descendunt in B vallem inter Cœlium & Palatinum sitam, in quem postremo aquam deferebant, Neronianorum nomen non habuerunt, vel antiquiores illo, vel recentiores. Arcus autem Neronianos L. Septimius Severus & Antoninus filius reficiendos curarunt, quod notat vetus lapis, ut ait Marlianus, repertus ad portam Næviam; cum ante aquæductus omnes Vespasianus ac Titus reddita aqua restituissent. De Claudia in Aventinum perducta scripsit etiam Cassiodorus lib.7. ep.6. *Claudiam per tantam fastigii molem sic ad Aventini caput esse perductam*, *ut cum ibi ex alto lapsu ceciderit*, *cacumen illud quasi imam vallem irrigare videatur*. C

ALSIETINAM providit Augustus, ideo & *Augusta* dicta est. Hæc *omnibus humilior erat*, ut ait Frontinus, parum salubris, naumachiæ, quam Augustus trans Tiberim fecit, hortis subjacentibus, & usibus privatorum inserviens.

HERCULANEUS RIVUS [2] supra Anienem novum conceptus ei postea jungebatur, gratiam splendoris amittens, cum esset natura purissimus. In Urbe etiam Martiæ adjunctus Cœlium irrigabat [3].

APPIA [4] a nobis ultimo dicitur, quæ primo est ab Appio Claudio, cui postea *Cæco* cognomen fuit, deducta, M. Valerio Maximo, P. Decio Murena D coss. anno Urbis CCCCXLII. Cassiodorus: *His consulibus per Appium Claudium censorem via facta*, *&*

1 Arcus Neroniani ad excipiendam aquam Claudiam. 2 Herculaneus rivus. 3 Front. l.1. 4 Aqua Appia.

aqua inducta est, *quæ ipsius nomine nuncupatur*. Inter milliarium VI. & VIII. concepta, passuum amplius undecim millibus derivata effundebatur prope portam Capenam & Trigeminam, ad Salinas, fluens usque ad Campum Martium. Hæc post Alsietinam maxime humilis, & subterraneo labens rivo, quod, teste Frontino, *humiliore directura antiquiores perducerent*, *nondum explorata arte librandi*, *vel quia sponte aquas celarent*, *ne hostis interciperet*. Sed tamen illis magnæ fuit laudi cœpisse, quod deinde tantam aquarum copiam, & commoda in civitatem invexit.

Hæ porro aquæ, quæ variis temporibus fluxerunt Romanam in Urbem, sunt [1]: Appia; Anio Vetus, & Novus; Martia, cui addita est Augusta ab Augusto usque ad caput Martiæ deducta, & fons Antoninianus; Alsietina; Tepula, cui postea mixta est Julia; Crabra, quæ primum pro voluntate aquariorum, deinde tota jussu Imperatoris exclusa est; Aqua Virgo; Claudia, quæ triplex, Albudina, Curtia, & Cærulea; demum Herculanea, sive Herculaneus rivus, una cum Claudia fluens. Aliæ multæ numerantur. Sed quis post M. Aurelium Imperatorem deduxerit, plane non liquet. Varii quidem Cæsares ductus vetustate collabentes usque ad Theodoricum Regem instaurarunt [2], & aquas dilapsas vel interceptas restituerunt: in colles, quos antea non irrigabant, deduxerunt, & ad suas thermas, balnea, nymphæa, prætoria; unde illis novum nomen quæsitum est. Ut aquæ Trajanæ, quæ, ut ajebam, Martia erat. Quid? si idem accidit Anieni Novo? Nam Trajanus, ne ille flueret lutulentus ac turbidus, excipi ex lacu jussit, ubi aqua purissima erat, non ex flumine: *Cæsarem*, inquit Frontinus, *Nervam Trajanum præscribente titulo*. Sed tamen cum aquis, quas enumeravi, aliæ ab aliis, & post Frontinum perductæ adjiciantur, prætereundæ non sunt: etsi quædam non fontes, sed nomina multiplicant. *Sabatina*, *quæ in lacu Sabate*, ut ait Festus, excipiebatur. *Alexandrina*, de qua Lampridius: *Thermas sui nominis fecit*, Alexander,

1 Numerus Aquarum Romanarum. 2 Aquæductus instaurati.

juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ nunc Alexandrina dicitur. nisi hæc, ut Trajana, vetus erat. *Septimiana;* nisi hæc quoque ex antiquis fuit. *Severiana;* sed cur hæc Septimiana non est? *Ciminia:* quam Sabatinam dicit Onuphrius. *Annia, Algentiana:* mihi sane ignotæ. *Cærulea, Albudina;* male additæ. nam sunt partes Claudiæ. *Damnata:* hæc, reor; *Crabra* est, quam exclusit emisitque Agrippa. *Aurelia, Antoniniana,* sed ad quem Cæsarem referendæ? nam plures Aurelii Antonini [1]. Quorum unus ductus Martiæ instauravit, & aquam dilabentem reduxit, ut in arcu portæ nunc S. Laurentii legitur:

1 Nomina non semper aquas multiplicant.

IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONIVS. PIVS. FELIX. AVG. PARTH. MAXIM.
BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS.
AQVAM. MARCIAM. VARIIS. KASIBVS. IMPEDITAM. PVRGATO. FONTE. EXCISIS. ET. PERFORATIS
MONTIBVS. RESTITVTA. FORMA. ADQVISITO. ETIAM. FONTE. NOVO. ANTONINIANO
IN. SACRAM. VRBEM. SVAM. PERDVCENDAM. CVRAVIT.

Ab hoc Cæsare Aureliam fortasse adjecto ad Martiam nomine, & Antoninianam cum illa permixtam habemus. Quis autem e Marcis Aureliis Antoninis, præter Caracallam, Parthicum se & Britannicum Max. dixisset?

Jam aquæductus, teste Frontino, prope Urbem, nempe a *sexto milliario plures aquas singuli sustinebant;* Romæ autem fuisse quatuordecim testatur Procopius [1]. *Romæ,* inquit, *aquæductus decem & quatuor numero sunt, cocto ex lapide per priscos homines ædificati, ea latitudine ac simul profunditate, ut equester vir aliquis ipso cum equo per eos superne evadere liberius queat.* Ideoque Belisarius, ne per eos Gothi transirent, ædificio complexus munivit ac sepsit. Quo tempore cum iidem Gothi in Urbis obsidione aquas omnes sustulissent, quæ præter reliqua commoda versatiles molas ad conterenda frumenta volvebant; moles frumentarias, quas hodieque in medio Tiberi ædificari videmus, excogitavit Belisarius [2]. Hæ multiplici laxoque ferreo vinculo ripis alligantur: tum ligneis machinis, quæ denticulatis rotis committuntur, expansas tabulas flumini objicientibus, & undarum verticoso impetu circumactis, insertos supra immanis ponderis molares lapides celerrime versant. Cæterum paulo ante Gothicum bellum Theodoricus Rex Italiæ curaverat ductus reficiendos. Jubet enim apud Cassiodorum: *Si quid autem conficiente senio fuerit demolitum, pervigili celeritate reparetur; ut & constructio fabricæ illibata permaneat, & aquæ distributio nulla se custodum venalitate subducat.* Tanta vero non modo publice, sed etiam privatim per Urbem vis aquæ distributa erat, ut vix animo queat comprehendi. Strabo [3]: *Flumina per Urbem, & cloacas videri fluere, atque unamquamque domum propemodum habere fistulas & canales, quibus aquam inducat.* Frontinus [4]: *Irriguos agros, tabernas, cœnacula, & conceptelas, denique omnes perpetuis salientibus instructas invenimus.* Plinius [5]: *Si quis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis suburbanis, villis spatioque advenientes, extructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.* Frontinus [6]: *Sentit hanc curam regina & domina Orbis in dies, quæ terrarum dea consistit, cui par nihil & nihil secundum: & magis sentiet salubritas ejusdem æternæ Urbis, aucto castellorum, operum, munerum, & lacuum numero, nec minus ad privatos commodum, quod ex incremento beneficiorum ejus diffunditur.* Quorum similia usurpare hac tempestate possumus influentibus in Urbem uberrima copia aquis, Virgine, Fœlice, Paulina, & in omnes Urbis angulos distributis. Sed ex his sola Virgo potui idonea. Et forte accidet aliquando, ut etiam Martia, illa aquarum Regina, dominæ Urbi restituatur.

1 Romæ XIV. aquæductus. 2 Molæ ad conterenda frumenta inventæ. 3 Strabo l. 5. 4 Front. l. 2. 5 Plin. l. 36 cap. 15. 6 Front. l. 2.


CAP. XIX.

Thermæ.

THERMÆ Agrippæ, & nonnullorum Cæsarum, Martio minorique campo assignantur. De iis, aliisque nunc institutus sermo est. Porro THERMÆ [1] calida dicuntur loca, in quibus non solum aqua, sed etiam vapore halituque corpora incalescunt. θερμὴ enim calor est. Livius cum saltum Thermopylarum in Græcia inter duo altissima juga describeret [2]: *Ideo,* inquit, *pylæ, & ab aliis, quia calidæ aquæ in ipsis faucibus sunt, Thermopylæ locus appellatus: nobilis Lacedæmoniorum adversus Persas morte magis memorabili, quam pugna.* THERMÆ igitur Romanis BALNEA [3] fuere calidarum aquarum, unde ædificiis adhæsit nomen, quamquam in iis etiam frigida perfunderentur. Admiranda autem est earum amplitudo & numerus, nam de luxu alibi est dictum. De amplitudine Ammianus: *Lavacra* enim dixit *in modum provinciarum extructa;* &, quæ supersunt ex Antoninianis ac Diocletianis, reliquiæ abunde confirmant, quæque ab his vestigia Romani Architecti linearunt. At numerus fere sine numero [4]. Supra octingentas P. Victor agnovit. Plinius [5]: *Quæ nunc Romæ ad infinitum auxere numerum.* Quotidie enim lavabant ante cœnam hora, ut ait Martialis [6], octava; quæ undevigesimæ Italicæ æstate, hyeme vigesimæ primæ circiter respondet. Nam Romani horas inæquales duodecim de die numerarunt. Itaque præter lavacra Principum, quæ gratuita populo præbebant, & alia quæ conducebantur, suas quisque balineas domi fere habebat, præsertim nobiles cives ad privatos usus. De modo ædificandi Vitruvius [7], & apud illum Interpretes. Hic de thermis Principum sermo est.

Fuere in Campo aut finibus campi utriusque, THERMÆ AGRIPPÆ [8], quas excitavit Agrippa prope Pantheon. Dion [9]: *Agrippa Vaporarium Laconicum fecit. Laconicum autem vocatur id genus balnei, quoniam hic tum nudari corpora, tum inungi oleo præcipue videbantur.* Idem: *Moriens Agrippa populo hortos, & balneum a se denominatum legavit, ut gratis lavarentur.* ad earum ornatum pertinent statuæ ibi ab Agrippa positæ. *Inter quas distringentem se a Lysippo factum ante thermas dicavit mire gratum Tiberio Principi. Qui non quivit temperare sibi in eo, quamquam imperiosus sui, inter initia principatus: transtulitque in cubiculum ibi signo substituto, eumque clamoribus populi reposcentis reposuit;* ut Plinius [10]. Et picturæ, de quibus idem: *In thermarum quoque calidissima parte marmoribus incluserat Agrippa parvas tabellas paulo ante, cum reficerentur, sublatas.* Idem [11]: *Agrippa in thermis, quas Romæ fecit, figlinum opus encausto pinxit, in reliquis albaria adornavit non dubie vitreas facturus cameras, si prius inventum id fuisset, aut*

1 Thermæ quid sint. 2 Dec 4. l. 6. 3 Thermæ Romanis *Balnea.* 4 Et fere innumera. 5 Lib. 4. Ep 8. 6 Lib. 4. Ep. 8. 7 Vitruv. lib. 5. cap. 10. 8 Thermæ Agrippæ. 9 Dion l. 53. 10 Lib. 35. c. 4. 11 Lib. 36 c. 25



Thermae M. Agrippae



VESTIGIA THERMARVM AGRIPPAE.

a parietibus scenæ, ut diximus, Scauri, pervenisset A
in cameras. Ambigi potest, an ad easdem thermas & Pantheon Campus Agrippæ fuerit, an potius ad porticum Vipsaniam, & Aquæ Virginis fontem. *Campum autem Agrippæ, porticu excepta, ac diribitorium ipse Augustus dedicavit, sive publici juris fecit*. Hæc porro sunt Agrippæ monimenta, quæ memorat Tacitus [1]: *Sed solatium populo exturbato, & profugo Campum Martis, ac monumenta Agrippæ; Hortos quin etiam suos*, Nero, *patefecit*.

Idem NERO suas etiam in Campo THERMAS [2] extruxit, eximii operis. Testatur Martialis [3]: B

—— quid Nerone pejus?
Quid thermis melius Neronianis?

De iis & Statius laudans balneum Etrusci [4]:

—— fas sit componere magnis
Parva, Neronea nec qui modo lotus in unda
Hic iterum sudare neget &c.

Hæ nono imperii anno ædificatæ a Nerone sunt, ut ait Eusebius in Chronico, *quas Neronianas appella-* C
vit. Sed *thermæ NERONIANAE*, ut ait P. Victor, *postea ALEXANDRINAE dictæ*. Et Cassiod. in Chronico: *Thermæ a Nerone ædificatæ, quas Neronianas appellavit; cujus odio, mutato vocabulo, nunc Alexandrinæ* [5] *nominantur*. At Eusebius in eodem Chronico refert, *novas ab Alexandro excitatas anno ejus Imperii quinto*. Et Lampridius [6]: *Opera*, inquit, *veterum Principum instauravit, ipse nova multa instituit. In his thermas nominis sui juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ Alexandrina* [7] *nunc dicitur. Nemus thermis suis de privatis ædibus suis, quas emerat,*
diruptis ædificiis fecit. Dicendus est ergo Alexander D
veterum operum instaurator restituisse atque ornasse Neronis thermas, & novas ipse ædificasse. Aliquis etiam timide dixerit, quod hæ illis essent proximæ, fortasse utrasque dictas esse Alexandrinas. Semper enim in novos Principes prona adulatio est. Cum præsertim ille Neronianis circumcirca lucos & sylvas addiderit: neque his tantum, sed etiam aliis lumina adjecerit, ut de nocte etiam usui essent. Quod notat idem Lampridius: *Artium vectigal pulcherrimum instituit. Ex eoque jussit thermas, & quas ipse fundaverat & superiores, populi usibus exhiberi: sylvas etiam in thermis publicis deputavit* [8]. *Addidit*
& oleum luminibus thermarum, cum antea non ante E
auroram paterent, & ante solis occasum clauderentur. Sed postea Tacitus Cæsar, auctore Vopisco, *denuo thermas omnes ante lucernam claudi jussit, ne quid per noctem seditionis oriretur*. Apparent harum vestigia [9] prope templum S. Ludovici nationis Gallicæ in ædibus Mediceis ad Circum ejusdem Alexandri, hodie *Navonium*. Neronianæ in propinquo fuisse dicuntur.

Thermarum ADRIANI [10] meminit P. Victor & Sextus Rufus in regione nona. alius veterum, quem ego viderim, non meminit. Spartianus ita scribit de Adriano: *Romæ instauravit lavacrum Agrippæ,*
eaque omnia propriis & veterum nominibus consecra- F
vit. His verbis adduci quispiam potest, ut putet, thermas Agrippæ [11] Adriani fuisse nuncupatas, & utrumque nomen sortitas, quare alias Adriani thermas in Campo non esse vestigandas. Sed tamen auctoribus Sexto Rufo & P. Victore propriæ Adriani thermæ in Campo statuendæ sunt. Eas autem prope forum Antonini, nunc Columnæ, fuisse haud absimile veri est. Idem Adrianus lavalacra pro sexibus separavit: vetuitque, ne mulieres cum viris lavarent, ut [1] Spartianus, & [2] Dion testantur, quod postea iterum sanxit Alexander, referente Lampridio.

Ponuntur & THERMAE DOMITIANI [3] prope ejus Naumachiam in Campo ad Cœnobium Monialium Sancti Sylvestri, de qua supra. Eusebius perobscure de his [4]: *Sub Domitiano multa opera Romæ facta, in quibus thermæ Trajani & Titianæ*. Idemque Cassiodorus [5]: *Sub Domitiano insignissima Romæ facta sunt opera, forum Trajani, thermæ Trajanæ & Titianæ*. Plutarchus [6] balneum quidem factum a Domitiano tradit, sed in Palatio, ut alias dixi, *si in Domitiani domo videant porticum, vel basilicam, vel balneum, vel pellicum diætam*. Verum Ecclesiasticæ Historiæ [7] de S. Sylvestro tradunt, *eum Ecclesiam fecisse, & constituisse titulum juxta thermas Domitianas, quæ cognominantur Trajanæ*. Rursus: *Concilium celebrasse intra thermas Domitianas*. Titulus autem ille Equitii dictus est, quo ædes S. Martini in Montibus hodieque insignitur, certisque vestigiis S. Pontificis memoriam designat, & id templum conditum juxta thermas Trajanas, supra retuli ex Anastasio. In hac dubitatione ponendum est, Domitianum etsi balneum fecerit in Palatio, eo tamen loco Esquiliarum thermas non fecisse [8]. nihil enim de his legimus apud Ethnicos scriptores. Quod si dicas: Thermas Domitianus fecit, nec perfecit, perfectas postea a Trajano: ideoque nomen utriusque adeptæ non memorantur a Suetonio; contra est, quia etiam opera imperfecta Domitiano Suetonius ascripsit, ut forum Nervæ, quod forum Trajani dixit Cassiodorus. Cur igitur non idem scripsit de thermis, si illum noverat earum conditorem? Deinde si inchoatas perfecisset Trajanus, Domitiani nomen, ut forum Nervæ, penitus amisissent. Sed cum Domitianus thermas non fecerit, thermæ tamen Titi ejus fratris in eo tractu vel auctæ a Domitiano & ornatæ, vel propter incendium, quod sub Tito Romæ ingens fuit, non improbabiliter refectæ sunt. Quamobrem dictæ etiam Domitianæ. *Plurima*, inquit Suetonius, *& amplissima opera incendio absumpta restituit: sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria*. Jam thermis a Trajano factis Titi Cæsaris thermæ [9] proximæ erant & prope contiguæ. Quæ cum Domitianæ dicerentur, multos post annos ætate scriptorum vitæ S. Sylvestri, credibile est, propter ædificiorum propinquitatem, promiscue a vulgo fuisse usurpata nomina: & quia unum quodammodo esse videbantur, Trajanas Domitianas, Domitianas Trajanas esse dictas. Quod si non placet solutio, dicent alii meliora, quæ placeant. Nec sane ab his dicuntur, qui vel Domitianum fecisse thermas, nullo veteri auctore affirmant; vel contra [10] eosdem negant Trajanum struxisse.

Thermas PHILIPPI [11] cum Titianis Trajanisque in tertia regione, & parte Esquilini collis inter se propinquas jam statuimus. Alii balnea Trajani statuunt in Aventino, Adriani vero in Esquiliis. Sed eruditiores cum P. Victore PRIVATA Trajani BALNEA in Aventino collocant, fortasse extructa ante adeptum imperium. Adriani vero verius ponuntur in Campo, ut diximus. Aurelius Victor in epitome: *Trajanus*, inquit, *ob honorem Suræ, cujus studio imperium arripuerat, la-*

1 Tac. libro 15. Annal. 2 Thermæ Neronis. 3 Lib. 7. Epist. 33. 4 Stat. libro 1. Sylvar. 5 Thermæ Alexandrinæ. 6 In vita Alexandri. 7 Aqua Alexandrina. 8 Luci circum Thermas. 9 Ubi essent Thermæ Alexandri & Neronis. 10 Thermæ Adriani. 11 Thermæ Agrippæ an Adriani nuncupatæ.

1 In vita Adriani. 2 Dion l. 69. 3 Thermæ Domitiani. 4 In Chronico. 5 Ibidem. 6 Plutarchus in Poplic. 7 Tom. 1. Conc. & Anast. in vita. 8 Domitianus thermas non fecit. 9 De quibus supra c. 10. 10 P. Victor & Pausanias, & lapides. 11 Thermæ Philippi.

vacra condidit. De thermis item Trajani Eutropius [1].

In Aventino quidem thermæ Varianæ fuerunt, id est, Heliogabali [2], qui & Varius est dictus. Eas P. Victor statuit in regione XIII. Idemque ostendit plumbeus canalis in Aventino inventus versus portam Ostiensem S. Pauli, in quo vetus erat inscriptio:

AQVA. TRAIAN. Q. ANICIVS. Q. F. ANTONIAN.

CVR. THERMARVM. VARIANARVM.

Dubium vero, an de his Lampridius loquatur [3]: *Opera publica præter ædem Heliogabali, & amphitheatri instauratio post exustionem, & lavacrum in vico Sulpitio, quod Antoninus Severi filius cœperat, nulla extant*. Hic fortasse est Antoninus Geta. nam de altero Antonino Severi item filio videtur illa subjicere: *Et lavacrum quod Antoninus Caracalla dedicaverat, & lavando, & populum admittendo. Sed porticus defuerant, quæ postea ob hoc sub Decio Antonino extructæ sunt, & ab Alexandro perfectæ*.

Hæ THERMÆ ANTONINIANAE [4] sunt omnium, quæ Romæ essent, nobilissimæ in regione decima Piscinæ Publicæ, inter Aventinum & Cœlium. Spartianus in Severo: *Vixit*, inquit, *diu in odio populi Antoninus, quamvis & vestimenta populo dederit, unde Caracallus est dictus, & thermas magnificentissimas fecerit*. Idem [5]: *Opera Romæ reliquit*, Antoninus, *thermas nominis sui eximias, quarum cellam solearem Architecti negant posse ulla imitatione, qua facta est, fieri. Nam & ex ære vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est, & tantum est spatii, ut id ipsum fieri negent potuisse docti mechanici. Idem viam novam munivit, quæ est sub ejus thermis, Antoninianis scilicet, qua pulchrius inter Romanas plateas non facile quidquam invenias*. Quam asserit inter Romanas pulcherrimam, eam ut cætera fora columnationibus & porticibus cinctam fuisse necesse est. Aurelius Victor: *Per eum* (Antoninum) *aucta Urbs magno accessu viæ novæ, & ad lavandum absoluta opera pulchri cultus. Habebant*, inquit Olympiodorus, *in usum lavantium sellas mille sexcentas, e polito marmore factas*. Fecisse Antoninum anno imperii quarto scripsere Eusebius, & Cassiodorus in Chronicis. Has postea ornatas, ut dixi ab Heliogabalo, etiam Alexander, quod refert Lampridius [6], perfecit & ornavit. Earum ichnographiam ex iis, quæ supersunt, parietinis pervestigatam Serlius Architectus [7] descripsit; asseruitque, symmetria partiumque dimensionibus, esse omnium, quæ extant, pulcherrimas. Ubi sane multo major inspicitur ambitus, quam stantes reliquiæ demonstrent.

Quoniam autem præcelsi e laterculo parietes magnam intus locorum amplitudinem includunt; Paulus V. Pont. Max. qui in Cardinalatus purpura Seminarii Romani patrocinium sapientissime gesserat, postea evectus ad Pontificatum collectæ ex tota Italia nobilissimæ Seminarianæ juventuti [8] liberaliter indulsit, ut ex thermis Antoninianis, tanquam e suburbano opportune commodum caperet. Itaque repurgato & complanato solo, concisis sublatisque ruderibus, cum a contentione studiorum & scholis vacant, ad thermas animi gratia conveniunt, & ibi majoribus pilis follibusque colludentes sese jucunda exercitatione reficiunt. Ut ex miserabili

1 Eutr. l. 10. 2 Thermæ Heliogab. 3 In vita Heliogab. 4 Thermæ Antoninianæ. 5 In vita Antonini Carac. 6 In vita Alexandri. 7 Lib. 3. Ant. Rom. 8 Thermæ Antonini ad exercitationem Seminariæ juventutis.

A ruina Antonini moles jam refecta videatur, quod quæ membra abluerat, animos mœrore detergat; nec minus corporum, quam bonam mentis valetudinem ad vitam sapientiamque propagandam tueatur.


In proxima regione portæ Capenæ thermæ SEVERIANÆ & COMMODIANÆ [1] numerantur. De Severianis Spartianus [2]: *Opera ejus, Severi, præcipue extant Septizonium & thermæ Severianæ*. Meminit etiam Cassiodorus in Chronico. De Commodianis idem [3], & Eusebius scripserunt. Et Lampridius: *Opera ejus præter lavacrum, quod Cleander nomine ipsius fecerat, nulla extant*. B Herodianus [4]: *Idem*, Cleander, *gymnasium quoque maximum exædificaverat, publicatis etiam balneis, ut eo modo populum inescaret*. Quidam thermas Severi *Septimianas* nominant, easque trans Tiberim locant. At Spartianus *Severianas* appellat, quas P. Victor statuit in prima regione portæ Capenæ. Quis autem alius hujus nominis has condere potuit? Spartianus de eodem Severo: *Ejus denique etiam Januæ in Transtyberina regione ad portam nominis sui, quarum forma intercidens statim usum publicum invidit*. Hos alii Janos esse volunt, id est, arcus quadrifariam pervios. alii idem significari putantes, *Janæ* pro *Jani* legunt; quod non placet. C Et aliquid aliud fortasse Spartianus ibi præter Janum significare voluit. *Jani Septimiani* meminit P. Victor.

Thermæ Decianæ [5] a Decio ædificatæ sunt. Cassiodorus: *Decius*, inquit, *lavacra publica ædificavit, quæ suo nomine appellari jussit*. Pomponius Lætus: *Senatus*, inquit, *Decii nomine Decianas thermas in Aventino ædificavit*. qua Collis parte incertum. De thermis Constantini in Quirinali pauca supra dicta sunt.

At in Viminali thermas Diocletianas [6] omnium maxime integras religio servavit, ut verterentur in D templum. quod præter cæteros pie erudireque observavit Card. Cæsar Baronius [7]. Nam Diocletianus hostis Christiani nominis infestissimus aliquot militum Christianorum millia, quos cum ignominia exauctoraverat, mancipiorum instar ædificationi destinavit, perfectoque ædificio trucidari jussit. quorum corpora in templo ad Aquas Salvias condita sunt. Superfuit ergo post tot sæcula illa moles, ut demum Pio IV. Pont. Max. Virgini Angelorum Dominæ consecraretur, jam ante tanto Sanctorum sudore ac sanguine consecrata. Verum illa quamvis magna, quantula pars thermarum fuit? Fuerunt ibi in usum lavantium solia sellæque plusquam E tria millia, altissimi fornices, camerationes, hemisphæria, testudines, porticus, latissimæ areæ subdiales, aliaque admirabilia, quæ in earum ichnographia proponuntur, & nunc hortos, horrea publica, duo cœnobia, vineta, plateas amplissimas capiunt. Plures de his apud Gruterum leges inscriptos lapides.

Dicuntur & ab Aureliano THERMÆ [8] factæ trans Tiberim. Vopiscus in ejus vita: *Thermas Transtiberina regione Aurelianus facere paravit hyemales, quod aquæ frigidi aeris copia illic deessent*. Ex quibus verbis non constat fecisse, nisi aliunde deducatur. Referuntur & thermæ GORDIANÆ [9]. F De his Julius Capitolinus in Gordiano Juniore: *Opera Gordiani Romæ nulla extant præter quædam nymphæa & balneas. Sed balneæ privatis hominibus fuerunt, & ab eo in usum privatum exornatæ sunt*. Et supra de Villa Gordianorum via Prænestina: *Cætera huic operi convenientia, & thermæ, quales præter Urbem, ut tunc, nusquam in orbe terrarum*.

1 Thermæ Severi & Commodi. 2 In Severo. 3 In Commodo. 4 Herod. lib. 1. 5 Thermæ Decii. 6 Thermæ Diocletianæ. 7 Tom. 2. anno Christi 298. Dioclet. 15. 8 Thermæ Aurelianæ. 9 Thermæ Gordiani.


THERMAE ANTONINIANAE
ANTON.P. AVG PONT RP
THERMARVM ANTONIN
VESTIGIA


Castellum Aquae Martiae


CASTELLI
VESTIGIA

Taciti etiam fuere Augusti thermæ [1]. Vopiscus in ejus vita: *Domum suam destrui præcepit, atque in eo loco thermas publicas fieri privato sumptu jussit*. Ubi fuerint, incertum. Præter balneas publicas & privatas, piscinæ publicæ ad natandum privatæque in domibus fuerunt. Quarum una dedit nomen regioni.

1 Thermæ Taciti.

Romæ, in Thermis Diocletiani.

D.D.N.N. C.AVREL. VALER. DIOCLETIANVS. ET. M.AVREL. VALER. MAXIMIANVS. INVICTI. SENIORES. AVGG. PATRES. IMPP. ET. CAES. P.P.......

D.D.N.N. FL. VALER. CONSTANTIVS. ET. GALER. VALER. MAXIMINVS. NOBILISSIMI. CAESARES. F.F......

THERMAS. FELICES. DIOCLETIANO. COEPTAS. AEDIFICIIS. PRO. TANTI. OPERIS. MAGNITVDINE. OMNI. CVLTV. IAM. PERFECTAS. NVMINI. EIVS. CONSECRARVNT.

. . . .

Romæ, Thermarum, Constantinianarum inscriptio in ædicula deserta S. Helenæ, retro ipsas Thermas, littera longa & inæquali.

PETRONIVS PERPENNA MAGNVS QVADRATIANVS CV ET INL PRAEF. VRB
CONSTANTINIANAS THERMAS LONGA INCVRIA ET ABOLENDAE CIVILIS VEL
POTIVS FERALIS CLADIS TASTATIONE VEHEMENTER ADFLICTAS ITA VT AGNI
TIONE SVI EX OMNI PARTE PERDITA DESPERATIONEM CVNCTIS REPA
RATIONIS ADFERRENT DEPVTATO AB AMPLISSIMO ORDINE PARVO
SVMPTV QVANTVM PVBLICAE PATIEBANTVR ANGVSTIAE AB EXTREMO
VINDICAVIT OCCASV ET PROVISIONE LARGISSIMA IN PRISTINAM
FACIEM SPLENDOREMQVE RESTITVIT.

CAP. XX.

Cloacæ.

TANTA vis aquarum, quæ per aquæductus in usum civitatis effluxit, receptacula, quo illaberetur, reposcebat, atque evolveretur in flumen. Ea porro convenientia fuere, quamquam ante facta & aliis usibus destinata. Exundans enim aqua Tiberis e planioribus Urbis locis evehi non poterat. Quare Tarquinius Romanorum rex quintus *infima*, ut ait Livius [1], *Urbis loca circa forum aliasque interjectas collibus convalles, quia ex planis locis haud facile evehebant aquas, CLOACIS e fastigio in Tiberim ductis siccat*. Dionysius [2]: *Cœpit & cloacas Tarquinius fodere, quibus in Tiberim corrivatur, quidquid acquarum est per vias; dici vix potest quam admiranda opera. Mihi sane tria magnificentissima videntur, ex quibus maxime apparet amplitudo Romani Imperii, aquæductus, viæ stratæ, & hæ cloacæ, reputanti non solum utilitatem operum, verum etiam impensarum magnitudinem; quam vel hinc licet conjicere, quod, ut affirmat C. Aquilius, neglectas aliquando cloacas, & non transmittentes aquas, censores mille talentis purgandas locaverint*. hoc est, sexcentis millibus aureorum. Strabo cum eadem tria, ut supra dicebam, admiretur: *Cloacæ*, inquit [3], *quibus civitatis sordes in Tiberim eluerentur, duro cameratæ lapide pervias carris stramentorum semitas reliquerunt*. Sed has omnium maxime Plinius admiratur: *Operum*, inquit [4], *omnium dictum maximum suffossis montibus Urbe pensili, subterque navigata. A M. Agrippa in ædilitate post consulatum per meatus corrivati septem amnes, cursuque præcipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coacti, insuper mole imbrium concitati vada ac latera quatiunt: aliquando Tiberis retro infusi recipiunt fluctus, pugnantque diversi aquarum impetus intus, & tamen obnixa firmitas resistit. Trahuntur moles internæ tantæ non succumbentibus caussis operis, pulsant ruinæ sponte præcipites aut impactæ incendiis, quatitur solum terræmotibus; durant tamen a Tarquinio Prisco annis DCCC. prope inexpugnabiles. Amplitudinem cavis eam fecisse proditur, ut vehem fœni large onustam transmitteret*. Augetur adhuc soliditatis admiratio, quod cloacarum fornicibus firmo tanquam solo altissimæ domorum niterentur moles. Livius [1]: *Festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omisso sui, alienique discrimine in vacuo ædificant. Ea est causa, ut veteres cloacæ primo per publicum ductæ, nunc privata passim subeant tecta, formaque Urbis sit occupatæ magis, quam divisæ similis*. Habetur his firmitas operis & causa struendi, ut scilicet Urbis purgamenta & aquæ veherentur. Major deinde cura servandi cloacas manšit, postquam inducta tot flumina in eas corrivata sunt. At quoniam tantum Urbem subibant, non omnes struxit Tarquinius, seu inchoatas ab illo alii perfecerunt. Nam Prisco regnante quatuor montes Romani incolebant, Capitolinum, Palatinum, Aventinum, Cœlium. Tres ab ejus successore Servio Tullio sunt additi Quirinalis, Viminalis, & Esquilinus. Sub his cloacas Tarquinius, uti sub Aventino non fecit, sed postea censoribus Flacco & Catone sunt factæ. Livius [2]: *Opera deinde facienda ex pecunia in eam rem decreta, lacus sternendos lapide, detergendasque qua opus esset cloacas. In Aventino, & in aliis partibus, quia nondum erant, censores faciendas locaverunt*. In campum deinde extra montes deductæ, quorum aliquæ nunc repurgatæ Romanis in usu sunt, præsertim aliis conjunctæ recentiore memoriæ structis. Inter quas maximam nuper utilitatem & commodum civibus præbuit, quæ a Gregorio XV. paucis ante annis a Tiberi inchoata, Urbano Pontifice ad Pantheum usque, inde ad viam Flaminiam, & ultra, collem Pincium versus & Quirinalem est deducta. Hæc magno civium commodo Urbis planiciem subeuntes aquas magna ex parte exhausit: subsederuntque in puteis, exsiccatisque cellis vinariis, terræque solo, humor, qui subter stagnabat, in fluvium evectus est. Incidere fossores in veterem, ab Agrippa, ut creditur, factam, quæ secundum fundamenta Panthei producto specu, inde flexo Quirinalem versus perampla decurrebat, latitudine palmorum sexdecim, altitudine tredecim. Ea cum tecta civium subiret, deinde alterius operis stabili durissimoque fundamento præcludebatur, quod do-

1 Liv. lib. 1. 2 Dionys. lib. 3. Roman. ant. 3 Strabo l. 5. 4 Lib. 36. cap 15.

1 Liv. Dec. 1. lib. 5. 2 Lib. 1. Dec. 3. lib. 9.

labris rutrifque vix aliquis foderet. Sed circumcirca aliæ minores cloacæ deprehensæ altiores humilioresque, & earum nonnullæ aquis, qua dabatur exitus, abundantes. Altitudo earum sex septemve palmos, tres ferme, ad summum quatuor habuit latitudo. Cæterum in vita Gregorii IX. scribitur, eum veteres cloacas expurgatas restituisse, novas extruxisse.

CAP. XXI.

Tiberis & Transtiberina Regio.

TIBERIS, cujus appellatio & apposita apud alios, præsertim Cluverum [1] videri possunt, ex Apennino profluens, *tenuis primo, tum infra Clanim duobus & quadraginta fluviis auctus, & ideo quamlibet magnarum navium ex Italo mari capax, Etruriamque ab Umbris, Sabinis, & Latio* dividens in mare Tyrrhenum evolvitur: *subitis incrementis, & nusquam magis aquis, quam in ipsa Urbe*, teste Plinio [2], *stagnantibus*. Cujus rei multiplex causa, sed ea non minor habenda est, quod intra mœnia receptus angustiori alveo, ut olim, coercetur.

Nunc enim ad pontem Milvium latitudo [3] fluvii est palmorum plus quingentorum sexaginta. Postea intra Urbem coarctatus, idem antiquitus accidisse ex Ælio ponte demonstrat.

Hic enim ab Adriano Imperatore extructus longus est palmos CCCCXXX. Quare utraque Tiberis ripa, quæ illo jungebatur, tantundem eodem Principe distabat. Deinde laxatur sub exitum Urbis. Itaque pons S. Mariæ, olim Senatorius, producitur in longitudinem palmorum circiter quingentorum. At Dionysius [4] de Tiberis latitudine: *Tiberis fluvii*, inquit, εὐρός ἐςι τετράρων πλέθρων μάλιςα, *la-*



titudo est quatuor ferme jugerum, profunditas [5] *navibus etiam magnis meabilis, fluxus concitatus & vorticosus, siquis alius*. Cætera iis, quæ hodieque durant, apprime respondent. Nam & præaltis coercitus ripis, magnarumque navium patiens profundo fertur alveo: idemque arenosus, atque in se ipso, sive ad prolapsorum ædificiorum jacentia in imo rudera frequenter allisus, crebros contorquet silentesque vortices. Tantum latitudo videtur angustior, quam tradat Dionysius. Sed advertendum est, Dionysium scripsisse, τεττάρων πλέθρων. Plethrum autem non est ejusdem mensuræ cum jugero. hoc enim in longitudine pedes continet CCXL. plethrum autem C. ut docet [6] Lucas Pætus, & [7] Matth. Rader. Quatuor autem plethrorum quadringenti pedes efficiunt palmos nostrates quingentos triginta tres & trientem. Quam latitudinem hodie in Tiberi habemus. Ejus alveum, referente Suetonio [1], Augustus repurgavit laxavitque. Aurelianus deinde a Vopisco *spondas* [2] ripis addidisse dicitur, quarum nullum superest vestigium. Earum terminos subinde constitutos variæ apud Gruterum lapidum inscriptiones testantur.

1 Lib.2. Ital. ant. c.10. 2 Plin. lib.3. cap.5. 3 Latitudo Tiberis. 4 Dionys. lib. 8. 5 Tiberis alveus profundus. 6 Lib.1. de Mens. & Pond. c.ult. 7 In 1. Ep. Martial.

Jam vero riparum totiusque alvei altitudo [3] octoginta palmorum est; nullique, ut ait Plinius, *fluviorum minus licet, inclusis utrinque lateribus*. Aquæ labentis profunditas etiam æstatis siccis fervoribus, qua summa est, palmos XXV. qua minima, palmos XV. descendit. Illud vero, seu veteris magnificentiæ potentiæque, sive aeris in deteriora vertentis, seu rerum vicissitudinis non leve indicium, quod de eodem idem refert Plinius: [4] *Pluribus prope solus, quam cæteri in omnibus terris amnes, accolitur aspiciturque villis*. cum hodie nullam prætoriis & amœnitatibus instructam habeat. Causa rejicienda est in aeris intemperiem insalubrem & gravem. Nam quod Alexander Petronius Medicus insignis typis evulgavit, omnium assensu & experientia comprobatur, insalubres esse civibus circum Urbem æstivas in vineis stationes, nec procul a periculo valetudinis abesse. Itaque non modo secundum Tiberim, sed etiam in agro suburbano, in tanta Principum & divitiarum copia, paucissimæ numerantur villæ, quæ paulo remotiora Tiburis, Tusculi, & Albæ juga insederunt.

At extructorum in Tiberi pontium antiquissimus est SUBLICIUS [5], ab Anco quarto rege, qui Janiculum adjecit, factus e trabibus, tabulisque iliceis, unde nomen accepit. *Roboreus* Ovidio; nam vel unum in eo clavum figere religioni erat, & ab eodem ponte, quod ejus curam gererent, pontifices dictos autumant. Idem clarus Horatii Coclitis pugna cum ægre disruptus, ne clavis unquam ferreis committeretur, sancitum est. Hunc P. Victor ÆMILIUM nominat. *Aemilius*, inquit, *pons*, *qui Sublicius*. Nam ab Æmilio Lepido prætore lapideum factum [6] volunt, at quis Æmilius, & quo tempore fecerit, tacent. Nam ætate Ovidii adhuc erat roboreus; & fortasse Sublicii nomen mansit, cum lapideus esset, & simul Æmilius diceretur. Sic Tacitus: Othone Principe *Tiberis immenso auctu prorupta ponte Sublicio refusus*. Et Julius Capitolinus de Antonino Pio, cujus opera cum recenseret, *Pons*, inquit, *Sublicius*, *Phari restitutio*. Lampridius *Aemilium* nuncupavit: *Cadaver*, inquit, *Heliogabali per montem Aemilium, annexo pondere, ne fluitaret, in Tiberim abjectum est, ne unquam sepeliri posset*. Situs erat pons Sublicius fere ad radices Aventini ultra pontem nunc *S. Mariæ* appellatum. Plutarchus [7] de C. Graccho descendente ex Aventino: *In Cajum fugam capessentem inferentibus se hostibus, & assequutis ad eum pontem Sublicium*. Valerius [8] de Pomponio & Lectorio amicis Gracchi fugientis: *Pomponius, quo facilius Cajus evaderet, concitatum sequentium agmen in porta Trigemina* (erat, ut alias dixi, ad radices Aventini) *inhibuit: Lectorius in ponte Sublicio constitit*. Idem ostendit Ovidius, qui forum Boarium Aventino proximum asseruit pontibus terminari:

Pontibus, & magno juncta est celeberrima Circo
Arca, quæ posito de bove nomen habet.

Hi pontes fuere Sublicius, & qui nunc S. MARIÆ [9] dicitur, olim SENATORIUS [10], & PALATINUS. De hoc Livium loquutum existimant [11]: *M. Fulvius plura, & majoris locavit usus:*

1 In vita cap.30. 2 Spondæ olim in Tiberi. 3 Altitudo Tiberis. Loc. cit. 4 Tiberis olim villis frequens. 5 Pons Sublicius. 6 Pons Sublicius factus lapideus. 7 In vita Gracch. 8 Libro 4. cap. 7. 9 A vicino Templo S. Mariæ Ægyptiacæ. 10 Pons Senatorius. 11 Dec. 4. libro 10

por-


CONSTANTINVS ET
MAXIMIANVS INVICTI
AVGVSTI SEVERVS
MAXIMIANVS CÆSARES
THERMAS ORNARVNT
ET ROMANIS SVIS
DEDICAVERVNT
THERM DIOCLETIANAE IN VIMINALI
SALONIN
THERMARVM
DIOCLETIANARVM
RVINAE

portum & pilas pontis in Tiberim, quibus pilis fornices poſt aliquot annos P. Scipio Africanus & L. Mummius cenſores locaverunt imponendos. Reſtituerat hunc pontem Julius III. tum magna ex parte Gregorius XIII. ſub initium anni ſecularis MDLXXV. durantibus antiquis fornicibus ad utramque ripam. Sed anno MDXCVIII. inundante, ut nunquam, Tiberi, verſus Palatinam ripam iterum proruptus, necdum inſtauratus in uſu non eſt.

Duo deinde pontes pervetuſti operis Inſulam Tiberis jungunt, FABRICIUS & CAESTIUS [1]. Fabricius, nunc *quatuor capitum* a quadrifronte Jani ſtatua ibi poſita in citeriore ripa, *L. Fabricius C. F. cur. viar. faciundum curavit*, ut in utroque fornicis arcu inſcriptum eſt. De eo Dion [2]: *Pons quoque lapideus ad inſulam, quæ in Tiberi extat, pertingens extructus Fabriciuſque dictus eſt*. Id peractum anno Urbis DCXII. Alterum olim *Cæſtium*, nunc *S. Bartholomæi*, Janiculum verſus, Valentinianus, Valens, Gratianus Imperatores, ut monet duplex inſcriptio, faciendum curarunt. Ipſa porro INSULA [3] præter templum Jovis, Aeſculapii, Fauni, de quibus alibi, lapidibus olim inſtructa in modum puppis, inſignem fertur habuiſſe ſtatuam Julii Cæſaris, ac ſemel, quod ſcribit Tacitus [4], *in inſula Tiberini amnis ſereno & immoto die ab occidente in orientem converſam*. Eodem loco Simoni Mago ſtatuam Ethnici poſuerunt, ut narrat Euſebius [5].

Prope inſulam alterum pontem nomine Janiculenſem ſtatuunt, ubi nunc SIXTUM [6] Sixtus IV. Pont. Max. magnifice poſuit.

Pontis VATICANI [7] in via triumphali ad Noſocomium S. Spiritus nonnulla in flumine cerni mus extare veſtigia. Sed falluntur, qui illi adnectunt portam triumphalem, ut alibi copioſe expoſuimus.

MILVIUS [8] extra Urbem derivato vocabulo ab Aemilio Scauro conditore dictus eſt, eumque Nicolaum V. Pont. Max. perhibent inſtauraſſe.

AELIUS [9] ad molem Adriani adhuc extat. De eo Spartianus: *Fecit Adrianus & ſui nominis pontem, & ſepulchrum juxta Tiberim*.

Jam in Tranſtiberino ſolo MOLES & ſepulchrum Adriani [10] ponti Aelio adjunctum, alterum in Urbe Mauſoleum, ex Pario marmore in imo quadratum, exinde rotundum exurgebat. Habet in proſpectu ad lævam in citeriore ripa Mauſoleum Auguſti, cujus imitatione conditum, decreſcentem per gradus figuram neglexit. De eo ſic Dion [11]: *Sepultus eſt Adrianus in ripa fluvii, juxta pontem Ælium. Illic enim ſepulcrum conditum. Jam enim Auguſti monimentum repletum, nec quiſquam amplius in eo ſepeliebatur*. In eo deinceps Antonini conditi: deſcribiturque a Procopio equeſtribus ſtatuis & quadrigis ornatum.

A porta Aurelia uſque ad templum D. Petri, ut a porta Oſtienſi uſque ad D. Pauli, continuas PORTICUS [12] olim fuiſſe notat Procopius. Reliquum ſpacium ædificiis ac domibus impeditum. Cæterum ante conditum a Conſtantino illud templum terris omnibus venerabile, ubi fuerant horti Neronis, de quibus paulo poſt. Quædam alia de Vaticano memorantur, haud ſane firmis auctoritatibus nixa, præter frequentia in eo campo ſepulchra, & inſalubre cœlum, quod noſtra ætas propter civium tectorumque frequentiam ſaluberius experitur. De ſepulchris ab Heliogabalo disjectis meminit Lampridius: *Fertur*, inquit, *elephanthorum quatuor quadrigas in Vaticano agitaſſe dirutis ſepulcris, quæ obſiſtebant*. De loci natura Tacitus [13]: *Poſtremo ne ſalutis quidem cura infamibus Vaticani locis magna pars tetendit, unde crebræ in vulgus mortes, & adjacentia Tiberi Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora fluminis aviditas & æſtus impatientia labefecit*. Quo loco etiam Janiculo ſubjecta loca comprehendi arbitror a Tacito. Omnis enim ille tractus ſub Vaticanis montibus ſitus eſt.

1 Pontes Fabricius, Cæſtius. 2 Dion l. 37. 3 Inſula Tiberis. 4 Tac. lib. 1. Hiſtor. 5 Eccl. Hiſt. lib. 2. c. 12. 6 Pons Sixtus. 7 Pons Vaticanus. 8 Pons Milvius. 9 Pons Ælius. 10 Moles Adriani. 11 In vita Adriani. 12 Porticus ad Templa SS. Petri & Pauli. 13 Tac. lib. 2. Hiſtor.

Accedit, quod ſub ipſo Janiculo, non horum tantum Vitellianorum temporariæ ſtationes, ſed perennes militum erant inſtitutæ ab Auguſto, CASTRA RAVENNATIUM [1] dicta; nempe militum, qui claſſem Ravennæ collocatam tuebantur ad defenſionem ſuperi maris. Hi claſſiarii venientes ad Urbem ibi ſtativa habebant, & ad hos, ſive alios TABERNA MERITORIA, ubi nunc ædes S. Mariæ trans Tiberim, pertinebat: unde oleum abunde ad fluvium uſque fluxiſſe Eccleſiaſtica monumenta prodidere, & conſtans fama deſignatuſque in templo maximam ſub Aram locus, veterique hoc titulo notatus *Fons Olei* [2], abunde teſtantur. Quoniam vero principatu Cæſarum rariſſimæ expeditiones maritimæ, Ravennates claſſiarii frequentes erant in Urbe, ludiſque vela ducebant in theatro. Lampridius in Commodo: *Irritum*, inquit, *id credens*, Commodus, *a populo Romano, a militibus claſſiariis qui vela ducebant, in amphitheatro interimi præceperat*. Præter milites Tranſtiberinam regionem, extra Urbem poſitam, incolendam iis Romani dederunt, quibus ipſi infenſi eſſent. Quare victis Campanis *locus ubi habitarent*, ut ait Livius [3], *trans Tiberim, qui non contingeret Tiberim, datus eſt*. Et Veliternis, *in quos*, ut idem ait, *graviter ſævitum, & muri dejecti, & ſenatus inde abductus, juſſique trans Tiberim habitare, ut ejus, qui cis Tiberim deprehenſus eſſet, uſque ad mille pondo clarigatio eſſet*. Eodem & Judæos compulerunt, notoſque apud Martialem Tranſtiberinos ambulatores fracto vitro ſulphurata permutantes.

Ad ædem nunc S. Franciſci collocant HORTOS Cæſaris, de quibus Suetonius [4] *Populo hortos circa Tiberim publice, & viritim trecentos ſeſtertius*, Cæſar, *legavit*. Ibi & templum FORTIS FORTUNAE [5]. Plutarchus: *Quæ vero ad Tiberim dedicata eſt Fortuna Fortis, ſcilicet vi omnia vincendi prædita & generoſa, ei fanum in hortis populo a Cæſare legatis ædificaverunt, quod hunc quoque favore Fortunæ ad ſummam potentiam evectum judicarunt, quod & ipſe teſtatus eſt*. Tacitus [6]: *Ædes Fortis Fortunæ Tiberim juxta in hortis: quos Cæſar dictator populo Romano legaverat, ſacrarium genti Juliæ, effigieſque divo Auguſto apud Bovillas Tiberio Principe dicantur*. Aliam Servius Rex, ut alias dixi, ad Tiberim Fortunæ Forti ædem extruxerat. Ovidius [7]:

Ite Deam læti Fortem celebrate Quirites,
In Tiberis ripa munera regis habet.

Et deinde:

Convenit & ſervis, ſerva quia Tullius ortus
Conſtituit dubiæ templa propinqua Deæ.

NAUMACHIAM Auguſti, quo deducta eſt Aqua Alſietina, ſtatuunt ad Templum & Cœnobium Monialium SS. Coſmæ & Damiani. Suetonius [8]: *Bis omnino toto ſeceſſus tempore*, Tiberius, *Romam redire conatus ſemel triremi uſque ad proximos naumachiæ hortos ſubvectus eſt: diſpoſita ſtatione per ripas Tiberis, & quæ obviam prodeuntes ſummoveret*. Frontinus [9]: *Ni forte cum opus naumachiæ Auguſtus aggrederetur, ne quid ſalubrioribus aquis detraheret, Alſietinam aquam proprio opere perduxit: & quod naumachiæ cœperat ſupereſſe, hortis ſubjacentibus conceſſit*. LUCI olim FURINÆ incertus eſt locus. Me-

1 Caſtra Ravennatium. Sueton. in Aug. c. 49. 2 Fons Olei. 3 Dec. 3. lib. 6. 4 In vita Cæſ. c. 83. 5 De Fortuna Romanorum. 6 Lib. 2. Ann. 7 Faſt. lib. 6. 8 In vita Aug. cap. 72. 9 Front. l. 1.

minit Plutarchus : *Cajus* , inquit [1] , *occupavit aliquantisper in Lucum Furinæ confugere*. Nec PRATA MUTIA certo demonstrari possunt, quo agro a Senatu Romano Mutius Scævola donatus est. an prope *Quintia*? an quæ postea *Neronea*, hodieque vulgo *Prata* dicuntur? De iis Livius [2] : *Patres C. Mutio virtutis causa trans Tiberim agrum dono dedere, quæ postea sunt Mutia prata appellata. Datum est, quemadmodum ante Horatio pontis defensori, quantum posset circumarare uno die*, ait Dionysius [3]. Demum sub Janiculo sepultum fuisse Numam, duasque arcas lapideas ibi repertas testatur Livius [4]; quarum altera cadaver Numæ jam penitus absumptum, altera quatuordecim libros de Latina Græcaque disciplina habuisset, eosque decreto Senatus in comitio combustos. Alia Janiculi propria, vel dicta a nobis, vel postea dicenda sunt.

1 In vita Gracch. 2 Liv. lib. 2. dec. 1. 3 Dionys. lib Rom. antiquit. 4 Liv. dec. 4. lib. 10.

CAP. XXII.

Quædam Templa.

MULTA in decursu operis Templa suis locis constituta sunt. Nunc ea, quorum sedes veluti digito indicari non potest, paucis designabimus, neglecto narrandi ordine, ut sese obtulerint.

Fuit in Campo ædes LARIUM [1] Permarinum, quam vovit L. Æmilius Regillus navali prælio adversus præfectos regis Antiochi : quadraginta post annos dedicata est. Ita Livius [2].

METELLI ædes prope Campum. De ea Plinius [3] : *Praxiteles Jovem fecit eburneum in Metelli æde, qua campus petitur*. Hæc, opinor, Jovis fuit. Indicio est signum Jovis. Templum FOELICITATIS. De eo Plinius [4] ; *Thespiades ad ædem Fœlicitatis*. Et [5] : *Signa, quæ ante ædem Fœlicitatis fuere*. Dion [6] *Erat enim Curia Hostilia, cum refecta fuisset, denuo destructa, eo verbo, quod ibi templum Fœlicitatis ponere instituissent : quod Lepidus magister equitum absolvit. Sed re ipsa ob hanc caussam, ut ne in eo quidem loco Syllæ nomen superesset, ac nova Curia Julia vocaretur*. Hujus templi Sylla primus videtur auctor, qui se *Fœlicem* cognominavit. Refectum id fortasse est ab Antonino Pio. Vidimus enim in ejus nummis, cum inscriptione : *Templum Fœlicitatis*. Templum ANTONIÆ apud Plinium [7] ornatum pictura Herculis : *In Antoniæ templo Herculem aversum, ut, quod est difficilius, faciem ejus ostendat verius pictura quam promittat*. Sed fortasse templum ab Antonia factum significat. Ædes POMPEII apud Circum. Plinius [8] : *Hercules, qui est apud Circum maximum in æde Pompeii Magni*. a Pompejo videlicet extructa.

Templum HORTÆ, Deæ ab *hortando* dictæ, ideoque semper apertum, quod hortaretur ad honestas actiones. De eo videndus Plutarchus [9]. DIANÆ multa templa Romæ. Idem in q. 3. Rom. Templa BACCHI & HERCULIS. De his Dion [10] : *Tam Baccho, quam Herculi templum maximum Severus ædificavit*.



1 Ædes Larium. 2 Dec. 4. lib. 10. 3 Lib. 35. cap. 5. 4 Lib. 36. cap. 5. 5 Lib. 34. c. 8. 6 Dion. l. 44. 7 Lib. 34. c. 10. 8 Lib. 34. c. 8. 9 In q. Roman. q. 46. 10 Lib. 76. sive Xiphil. in Severo.

A Templa FORTUNAE quam plurima, de quibus Plutarchus in quæst. Rom. quæst. 74. & lib. de Fortitudine Roman. Inter cætera *VIRILIS Fortunæ templum ab Anco Marcio quarto rege est ædificatum*. Plutarchus. *MULIEBRIS* Fortunæ (idem ait) *Romani fecerunt, quo tempore Marcium Coriolanum Volscos adversus Urbem adducentem mulierum opera avertunt*. Templum EQUESTRIS Fortunæ [1] vovit Q. Fulvius proprætor *in pugna Celtiberorum, locandamque curavit consul*, teste Livio [2]. *Idem Censor annos sex, postquam voverat*, eodem auctore [3], *dedicavit*. Vitruvius de systylo, in quo columnarum duarum spatium dividit, præcepta tradens [4] : *quem-*

B *admodum*, inquit, *est Fortunæ Equestris ad theatrum lapideum*. Interpres *ad theatrum Pompeii fuisse* interpretatur, *quod primum mansurum conditum est*. Potius dicerem theatrum Balbi, aut amphitheatrum Tauri, impolitiore opere facta. Id enim significare videtur *lapideum*. Theatrum vero pro amphitheatro frequenter ponitur. Hæc cum certa sint, miratur Gyraldus [5], cur legatur apud Tacitum [6] : *Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustæ equites Romani voverant Equestri Fortunæ. Nam etsi delubra ejus deæ multa in Urbe, nullum tamen*

C *tali cognomento erat. Repertum est, ædem esse apud Antium, quæ sic nuncuparetur. Ita donum apud Antium statuitur*. Agebantur hæc paulo post mortem Augusti, quo vivente, Vitruvius illa scripserat. Neutrum tamen aberrasse dicerem. Potuit enim interea temporis illud delubrum fortuito aliquo incendio, qualia frequentissima in Urbe fuerunt, corripi & absumi; ut vel consumptum jaceret, vel ante usum instaurari oporteret. Templum novum *Fortunæ*; item *Spei*. P. Victor in regione septima ædes CONCORDIAE in Area Vulcani. Dedicavit C. Flavius scriba ædilis curulis, qui primus Fastos publicavit. Livius [7] : *Ædem Concordiæ*

D *in Area Vulcani summa invidia nobilium Flavius dedicavit*. Aedes VULCANI in nummis Valeriani. Templum VIRTUTIS posuit, teste Plutarcho [8], Scipio Numantinus, sive Africanus secundus. Templum FORTUNAE URBIS. Hoc Adrianus Cæsar ædificavit. Athenæus [9] : *Celebrabantur enim Parilium dictæ quondam feriæ, nunc Romanas appellant, extructo dicatoque Fortunæ Urbis templo ab optimo & humanissimo Imperatore Adriano*. Templum COMMODI. De eo Vopiscus in Aureliano : *Commodi Templum ascendit*. Hoc fortasse Severus posuit, qui Divum Commodum fecit. Aedes PORTUMNI ad pontem Aemilii, olim Sublicium. P.

E Victor in regione XI. Circi Max. LIBERTATIS in Aventino. Templum CLEMENTIAE Cæsaris. Id ostendunt nummi veteres, & auctor est Plutarchus. Templum PACIS Perpetuæ, AETERNITATIS Augustæ, AETERNITATIS Flaviorum : JUNONIS MARTIALIS, & alia; nummi Cæsarum. Templum CAESARUM, in quo communiter colerentur. De eo Suetonius [10] : *Ac subinde tacta de cælo Cæsarum æde, capita omnibus statuis simul deciderunt, Augustique sceptrum e manibus excussum est*. Herodianus lib. 4. *Ita comitati magna pompa composuerunt ipsum, Severum, in templo, ubi Marci ac superiorum Principum sacra visuntur*

F *monimenta*. Sed dubium, an de hoc vel alio templo loquatur, cum præsertim de ejus reliquiis affectis sepultura sermo sit, quas ejus Mausoleo illatas diximus.

1 Templum Equestris Fortunæ. 2 Dec. 4. lib. 10. 3 Lib 2. Dec. 5. 4 Lib. 3. c. 2. 5 Gyrald. Synt 16. 6 Tac. Ann. lib. 3. 7 Dec. 1. lib. 10. 8 In lib. de Fort. Roman. 9 Athen. l. 8. 10 In Galba cap. 2.

CAP. XXIII.

Antiqui Romanorum Horti.

ALIQUA suis locis ædificia consulto prætermisimus, quia in hortis excitata, cum his quoque erant conjungenda. Nunc hortos seorsim inspiciemus, ordine temporum, quo quisque in pretio fuit, conservato. HORTI quidem NUMÆ [1] regis referuntur ab Ovidio, sed ubi fuerint non constat. nisi forte in Quirinali, ubi quædam alia hujus regis, aut sub Aventino collocandi sunt. Sic autem ille 3. Fast.

> *Cæde caput, dixit. cui Rex, Parebimus, inquit;*
> *Cædenda est hortis eruta cæpa meis.*

Viridarium deinde regium antiquissimum in Urbe fuit TARQUINII [2] Superbi, in quo inambulans rex, consulenti per nuncium Sexto filio nihil respondit; sed ut olim Periander Corinthiorum tyrannus in re non dissimili eminentiores spicas contrivit, sic Tarquinius Rex summa papaverum capita decussit, auctore Livio & Dionysio [3]. Et Horti fuerunt in Esquiliis, ubi rex, Solino teste, habitabat. At in qua parte montis? *supra*, inquit Solinus, *clivum pullium, fœcundalem lacum*. ubi corrupto loco corrigendum, *Fagutalem lucum*. Hic autem Fageus lucus pertinebat ad montem Viminalem, qui idcirco Fagutalis etiam nuncupatus est, ut alias diximus. Ideoque hortos in Esquiliis fuisse dicendum est, qua versus vicum Patricium, vergunt ad viminei partem Collis, in qua ædes S. Laurentii; erant enim ædibus adjuncti. Livius [4]: *Rex velut deliberabundus in hortum ædium transit, sequente nuncio filii*. Ovidius [5]:

> *Hortus odoratis suberat cultissimus herbis*
> *Sectus humum rivo lene sonantis aquæ.*

Quæ sequuta sunt tempora hortos in pretio habuerunt, sed minime pretiosos. quippe caulium & brassicarum proventu uberrimo horti & agricolæ prisci probabantur: nec illos florum blandimenta delectabantur, sed olera, quæ aut facile coquerentur, aut ex sese expedita & parata ligno parcerent, igni non egerent. Quod Plinius scibit [6]. Nec sane exiguus hortorum fructus extitit, cum procerum cognomina produxerunt. Ut non minus natos inter legumina Fabios, Lentulos, Pisones, aliosque hujusmodi Roma laudaret, quam ex lactucarum thyrso Lactucinos. Jam quod ait idem [7]: *In fenestris suis plebs Urbana in imagine Hortorum quotidiana oculis rura præbebant, antequam præfigi prospectus omnis coegit multitudinis innumeræ sæva latrocinatio*. Sed hi HORTI PENSILES [8] crescente luxu rotis promovebantur ad solem, rursusque hibernis diebus intra specularium monimenta revocabantur. Quod Plinius [9], & Columella [10], & Junior Plinius [11] confirmant, & Martialis [12]:

> *Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam,*
> *Mordeat & tenerum fortior aura nemus;*
> *Hibernis objecta notis specularia puros*
> *Admittunt soles, & sine fœce diem.*

Et alibi [13]:

> *Invida purpureos urat ne bruma racemos,*
> *Et gelidum Bacchi munera frigus edat;*
> *Condita perspicua vivit vindemia gemma,*
> *Et tegitur fœlix, nec tamen uva latet.*

1 Horti Numæ. 2 Horti Tarquinii Superbi. 3 Liv. lib. 1. Dionys. lib. 4. 4 Loc. cit. 5 2. Fast. 6 Plin. l. 19. c. 4. 7 Loc. cit. 8 Pensiles Horti. 9 Plin. l. 19. cap. 5. 10 Col. lib. 11. c. 3. 11 Plin. lib. 2. epist. 17. 12 Mart. lib. 8. Epig. 14. 13 Ep. 64. l. 8.

> A *Fœmineum lucet sic per bombycina corpus:*
> *Calculus in nitida sic numeratur aqua.*
> *Quid non ingenio voluit natura licere?*
> *Autumnum sterilis ferre jubetur hyems.*

Sic autem non solum poma servabant, sed etiam flores alieno tempore exprimebant, ut scribit Seneca [1]: *Fomento*, inquit, *aquarum calentium, & calorum apta mutatione bruma lilium, florem vernum, exprimunt*. Hac ratione, teste Columella, fere toto anno Tiberio Cæsari cucumis ferebatur. Sed Plinius [2] singulis diebus allatos Tiberio cucumeres notat, *pensiles eorum hortos rotis in solem olitoribus pro-* B *moventibus*. Quod autem Martialis specularia illa gemmas nuncupavit, causa est, quod antiqui in usu quosdam lapides pellucentes ac speculares habuerunt, tenues in crustas dissectos, uti hac tempestate vitreis orbibus & quadratis nos frigus ventosque arcere solemus. Illud etiam hortensis luxus argumentum est apud Romanos, quod, Seneca referente [3], POMARIA summis etiam turribus habuerunt, eorumque sylvæ in tectis domorum ac fastigiis nutarunt, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egissent.

Sed his cum longo annorum cursu prætermissis, C ut veros proferam ac germanos hortos, MARIANI [4] primo se offerunt spectandos, a Mario, opinor, Cimbrorum illo victore consiti. De his Plinius [5]: *Ea pictura cum peracta esset in Marianis hortis accensa fulmine cum optima hortorum parte conflagravit*. Horum quidem solum nomen ad nos pervenit: ubi aut quomodo parati fuerint, quia cæteri siluerunt, ego quoque silentio præteribo. Neque enim dixerim fuisse ad Anienem, ubi Marii tumulus, de quo Lucanus [6]:

> *Tollentemque caput gelidas Anienis ad undas*
> *Agricolæ fracto Marium videre sepulchro.*

D Horti LUCULLIANI [7] multo notiores. Nec tamen ita certo de loco, ut de auctore constat L. Lucullo victore Mithridatis. Singularem vero loci amœnitatem testatus est Plutarchus [8]. *Quando*, inquit, *vel hac ætate ita gliscente luxu, horti Lucculliani inter Principis sumptuosissimos habentur*. De his Plinium in Panegyrico ad Trajanum loquutum putant: *Ipsos illos magni aliquando Imperatoris hortos, illud nunquam nisi Cæsaris suburbanum licemur, emimus, implemus. Tanta benignitas Principis, tanta securitas temporum est, ut ille nos principalibus rebus existimet dignos, nos non timeamus, quod di-* E *gni esse videmur*. Venerunt in potestatem Augustorum Claudio Imperatore, cum a Valerio Asiatico secundum consule magnificentiores pulchrioresque factos Messalina Claudii uxor concupivit. Tacitus [9]: *Pariterque hortis inhians, quos ille a Lucullo coemptos insigni magnificentia excolebat*. In quibus deinde, ut hujus cæterorumque flagitiorum pœnas penderet, gladio tribuni transfossa est. Idem [10]: *Interim Messalina Lucullianis in hortis vitam* &c. At venditi sunt a Trajano? id quidem videtur conjici ex Plinio. Adhæc Lipsius priore Taciti loco citato: *Vides*, inquit, *quomodo in Principis* F *res pervenerint horti Lucculliani manserintque ad ætatem Trajani*. Verum aliquis posset Plutarchum objicere, qui *sua ætate hortos Principis sumptuosissimos* Lucullianos nuncupavit. Nam Trajanus, si hortos Luculli vendidit, secundo circiter principatus anno id probabiliter fecit. Habitus est enim Panegyricus a Plinio ante bellum Dacicum. Trajanus autem quarto Imperii anno de Daciis triumphavit, teste Cassiodoro in Chronico & Eusebio.

1 Epist. 122. 2 Lib. 19. c. 5. 3 Loc. cit. 4 Horti Marii. 5 Plin. l. 25. c. 7. 6 Luc. lib. 2. 7 Horti Luculliani. 8 Plutar. via Luculli. 9 Lib. 11. Ann. initio. 10 Ib. in fine.

At Plutarchus si illa scripsit ante Trajanum Cæsarem, quis non putet, tametsi Luculli vitam publicasset, quod scripserat correcturum fuisse? Verum credendum non est, tunc ea scripsisse, vel saltem publicasse, qui anno tertio Adriani, id est, viginti circiter post annos floruit, & habebatur insignis Philosophus, testibus Eusebio & Cassiodoro. Itaque videtur elici posse, nisi horti, quos Trajanus abalienavit, Luculliani fuerunt, fuisse forte Pompejanos, qui item post Antonium venere in Augusti & Cæsarum potestatem.

Utut se res habeat, quo tandem loco Urbis consiti? Sane videre difficile est, nisi forte Frontinus facem præferat. Ait enim [1]: *Arcus Aquæ Virginis initium habent sub hortis Lucullianis, finiuntur in Campo Martio secundum frontem Septorum*. Aqua quidem Virgo, ut hodieque, postquam a Nicolao V. Pont. Max. ductus refectus est, cernitur, per subterraneos & profundissimos specus meabat sub collibus declivibus in Tiberinam planiciem & alveum, extra Urbem & Pincianam seu Collatinam portam. His collibus adjunctus est, is, quem olim collem Hortorum, hodie *Trinitatis* a celebri ejus templo dixere, Campo Martio imminens; quem subterlabens aqua, inde super arcus in Campo extructos usque ad Septa, ubi fons erat, decurrebat. Quare horti Luculliani, sub quibus inchoabatur arcus, aliquam partem Pincii collis Campo Martio imminentem occuparunt, ubi nunc pars item horthorum Mediceorum, Cœnobium hortusque Fratrum Minimorum cognomento. Hoc cum verba Frontini persuadent, tum quia cum idem collis olim Hortorum sive Hortulorum honorifica appellatione diceretur, præter Lucullianos, & eos de quibus dicam, quos alios saltem insignes aluerit, ignoro. Hi vero tale nomen merito illi tribuere potuerunt. Fuit autem, ut alias dixi, ætate Luculli, multoque post ille mons extra Urbem.

At unde Pincii nomen accepit? neque enim id diximus. Audivi, eruditum virum nuper id ex templo S. Felicis *in Pincis* inibi olim extructo derivasse. Ejus tamen scripta propediem evulganda videre non potui. Placet interim, quod aliis placuit, a PINCIIS Patritiis Romanis derivare [2]. Certe cum jam ab Aureliani principatu receptus in Urbem esset collis, mirum est, tamdiu Hortorum appellationem viguisse: atque Ethnicos, quorum tum plurimi erat in Urbe, probasse inventum cognomen a Christianis: hos vero, cum insigne nomen Fœlicis Nolani martyris haberent, cognomentum colli quæsivisse ex eo vocabulo *in Pincis*, quod etiam Nolæ quid significet, ignoratur. Ibi autem fuisse nobiles ædes Pinciorum, qui ut ante Laterani Cœlio, sic dare huic colli nomen poterant, patet ex Cassiodoro [3]: *Declaramus, ut marmora, quæ de domo Pinciana constat esse deposita, ad Ravennatem Urbem per catabolenses vestra ordinatione dirigantur*.

Minus celebres HORTI POMPEII sunt, quamquam duplices. De quibus Asconius, Plutarchus, Cicero, Appianus, & alii. Cicero [4]: *Pompejo in hortos nunciavit*. Rursum: *At ejusdem Pompeii ædes etiam & hortos*. Appianus [5], *Antonius*, inquit, *Pompejanis in hortis a Cæsare dono quondam sibi traditis versabatur*. Verum Antonio non traditi, sed venditi fuerunt, teste Marco Tullio [6]: *Nam bona*, inquit, *Pompeii hasta posita pro æde Jovis Statoris a Cæsare coempta sunt a sectore Antonio: idemque postea appellatus de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebat, rerum suarum auctione facta persolvit*. Asconius [7] duplices videtur astruere. *Timebat*, inquit, *Pompejus Milonem, seu timere simulabat: plerumque non domi suæ, sed in hortis manebat, idque ipsum in superioribus, circa quos etiam manus militum excubabant*. Quare quidam inferunt, superiores illi & inferiores fuerunt. Et huc verba Martialis accommodant [1]:

Illinc Pompeii dona nemusque duplex.

Ad investigandam autem hortorum sedem primum pro certo est habendum, fuisse extra Urbem: quod perspicue Asconius & Plutarchus [2] tradunt. Ille enim notat, cum Pompejus proconsul, (habebat enim exercitus in Africa & in Hispania) quas per suos legatos administrabat, esset ad Urbem, *habitasse in hortis*: *Senatum habitum in porticu Pompeii, ut Pompejus posset adesse*. non enim in curiam intra pomœrium venire poterat. Quod & ipsam porticum extra Urbem fuisse demonstrat. Idem alibi [3]: *Quando*, inquit, *ante triumphum vetitum erat ingredi Urbem; misit Pompejus petitum ad senatum, ut comitia consularia proferret. Quod cum non obtinuisset, quærens Afranium consulem facere, nummos pro eo in tribus pronunciavit, atque ad eos accipiendos venerunt in hortos Pompeii*. quos utique tunc Pompejus habitabat. Accedit quod superiores villam, eodem Asconio auctore, adjunctam habebant: quare in edito patentique loco esse debuerunt, quem Urbs civium tectis impedita non præbuisset. Has ob causas hortos Pompeii [4] in eodem colle Pincio fuisse arbitror, prope Lucullianos. Hæc enim videtur fuisse ejus loci dispositio, ut primo *sepulchrum Domitiorum* propius portæ Flaminiæ extaret. De hoc Suetonius [5]: *Reliquias Neronis gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod prospicitur e campo Martio, impositum colle hortorum. In eo monumento solium porphyretici marmoris superstante Lunensi ara circumseptum est lapide Thasio*. Credibile est monumento propinquos alios hortos eodem colle impositos, sed eorum scriptores non meminere. Sequebantur Luculliani in hortis nunc Mediceis: Pompejani versus Pincianam portam, ubi pars tum Mediceorum est, tum Ludovisiorum hortorum. Quoniam autem villa his erat adjuncta, arbitror peramplo patentique ambitu protensam ad orientem, aliquam partem Burghesiæ nunc Villæ attigisse.

Hæc de superioribus hortis Pompeii. Major umbra in INFERIORIBUS [6] est: qua, ut tenebris obsiti, videntur a paucis, situm quidem omnes ignorant. Mihi autem si divinandum est, probabile fuerit, eos ad Pompeii porticum & theatrum fuisse. Nisi quis putet, dici inferiores eo quod conjuncti cum superioribus ad radices collium aut certe in ima ejus loci parte essent constituti; quod in medium relinquo. In priorem tamen opinionem inclinat animus.

Horti CÆSARIS [7], ut supra dicebam, in Transtiberina regione juxta fluvium fuere ad Cœnobium S. Francisci.

SERVILIANI [8], an Salustiani tempore præcedant, incertum est, qui longa Cæsarum possessione nobilitati sunt. Servilianorum hortorum neque auctor, neque certa sedes proferri potest. Servilia quidem gens Romæ clarissima plurimos Romæ consules dedit. Ab aliquo hujus gentis Servilio dictos putaverim hortos Servilianos potius, quam a Servio. quamvis Macrobius scribat [9]: *Cum contra & cognomina ex propriis sint tracta nominibus, ut ab Æmilio Æmilianus, a Servio Servilianus*. Hi horti in deliciis fuere Neroni Cæsari. Tacitus affirmat [10], *eum raro egressum domo, aut hortis clausum*. Hi enim & Serviliani erant, ut idem paulo post: *Milichus*,

1 Lib. 1. de Aquæd. 2 Pincius collis unde dictus. 3 Cass. lib. 3. Ep. 10. 4 Pro Milone. 5 Lib. 2. bell. civil. 6 Philip. 2. 7 In Orat. pro Milone.

1 Lib. 2. Ep. 14. 2 Loc. cit. 3 In vita Pompeii. 4 Horti Pompeii ubi fuerint. 5 In Nerone c. 50. 6 Et Horti ejusdem inferiores. 7 Horti Cæsaris. 8 Horti Serviliani. 9 Lib. 1. Sat. c. 6. 10 Tac. lib. 15. annal.

A inquit, *cœpta luce in hortos Servilianos pergit, deductusque ad Neronem urgens periculum, & graves conjurationes docet*. De iisdem Suetonius [1]: *Nunciata exercituum defectione, Nero transiit in hortos Servilianos*. Ibique desertus ab omnibus, *procurrit*, inquit, *quasi præcipitaturus se in Tiberim*. Qui locus admonet, ut hortos Servilianos Tiberinæ ripæ additos putem [2]. Cur enim habitans in hortis Imperator procurrisset se præcipitaturus in Tiberim, nisi hortos ipse fluvius alluisset? Neque enim credibile est, eum extrema timentem, si horti a Tiberi longe aberant, ab eis egressum de media nocte per mediam Urbem ad fluvium decurrisse. Accedit, quod Nero B cogitans de fuga, libertorum fidissimos Hostiam præmiserat, quo deinde secundo Tiberi esset ipse venturus, ab eisdem hortis soluto navigio. Itaque cum alium hac de re scriptorem non viderim, nec mihi manifestius argumentum sit; arbitror hortos Servilianos non longe a Ponte nunc Sixto in minore campo fuisse ad ripam Tiberis. Hic enim, affirmante Strabone [3], præter plurima & pulcherrima ædificia multis etiam lucis & hortis ad amœnitatem consitus erat. Qua de causa Pompeii etiam hortos inferiores habere potuit. Multa simulachra, præter Cererem & Vestam sedentem & Apollinem, C commendat Plinius [4] in hortis Servilianis.

Horti SALUSTIANI [5] in Quirinali ad Salariam portam sive Collinam, fuere. Auctor eorum Crispus Salustius Romana primus in historia, idemque suorum amœnitate hortorum nemini secundus. Hic ex Africæ prætura, quam a Cæsare acceperat, refertus pecunia Romam reversus, eam partem Quirinalis montis delegit, in qua *hortis pretiosissimis*, ut loquitur Cicero, seu quis alius in Salustiana, & loco amœnitatem & sibi scriptis historiis perpetuum nomen daret; quamquam scriberet ipse, contra quam fecerat. Horum multi veterum scriptorum meminere. Tacitus [6]: *Tertium agmen*, Flavii exercitus, *per Salariam Collinæ portæ propinquabat*. *Ii* D *tantum* (pergit paulo post) *conflictati sunt, qui in partem sinistram Urbis ad Salustianos hortos per angusta & lubrica viarum flexerant. Superstantes maceriis hortorum Vitelliani ad serum usque diei saxis pilisque subeuntes arcebant, donec ab equitibus, qui porta Collina irruperant, circumvenirentur*.

Ex quo loco deducitur, non modo ad portam, sed intra portam Collinam hortos fuisse. Idem [7]: *Regredienti*, Neroni, *per viam Flaminiam, compositas insidias fatoque evitatas, quoniam diverso itinere Salustianos in hortos remeaverit, auctoremque ejus doli Syllam ementitur*. Nec mirum eo Neronem E divertisse; erant enim Salustiani horti Principis. Quare post Neronem Vespasianus, teste Dione, *raro habitabat in Palatio. In Hortis autem Salustianis plurimum erat, eoque recipiebat quemcumque non solum senatorii, sed cujuscunque ordinis*. Nerva *morbo periit in hortis Salustianis*, referentibus Eusebio & Cassiodoro in Chronicis. *Displicebat Aureliano*, ut ait Vopiscus, *cum esset Romæ, habitare in Palatio, ac magis placebat in hortis Salustianis, vel in Domitiæ vivere. Milliariensem denique porticum in hortis Salustii ornavit, in qua quotidie & equos & se fatigabat, quamvis esset non bonæ valetudinis*. Eosdem Alexandri Severi fuisse colligitur ex Ulpia- F no [8]: *Si vero*, inquit, *Salustianos hortos, qui sunt Augusti, vel fundum Albanum, qui principalibus usibus deservit, legaverit quis, furiosi est*. Sub eodem enim floruit Ulpianus & Prætorianis præfectus est. Situs hortorum hic est, supra descriptus a nobis, cum de monte Quirinali ageremus. Curvatur enim collis ad portam Collinam, duæque planicies, altera ad mœnia Urbis & hortos Ludovisianos pertinet; altera secundum altam Semitam, nunc Piam, ad ædem S. Susannæ & hortos Barberinos protenditur, utraque olim celebrata Salustianis hortis. In medio vallis angusta primum, deinde latior. In angusta visitur cavea circi hortorum Salustianorum, ubi acclivi hinc atque hinc solo apparent hodieque sedilium & templi Veneris subobscura vestigia; quod in ipso circo, ut alia in aliis erant. De quo hanc inscriptionem recitat Fulvius [1]:

M. AVRELIVS PACORVS
M. COCCEIVS. STRATOCLES
ÆDITVI. VENERIS. HORTORVM
SALVSTIANORVM. BASEM. CVM
PAVIMENTO. MARMORATO
DEANAE
D. D.

Ejusdem Circi erat obeliscus [2] notis Ægyptiis impressus, qui contractus jacet in hortis Ludovisianis, non modico intervallo a cavea distans, eo, incertum qua causa, translatus. Apud eosdem hortos versus portam Collinam, porticum Milliariensem locatam reor ad meridiem, hibernique solis tepores. Sed ex altera parte horti Salustiani ad hortos nunc Barberinos terminabantur. Constat ex iis quæ supra de actis S. Susannæ recitata sunt, in quibus refertur, ejus Virginis & Gabinii patris domum postea conversam in templum Susannæ nomini dicatum juxta ædes & forum Salustii ad arcus portæ Salariæ positam fuisse.

At in Esquiliis CAII & LUCII Cæsarum horti [3] fuerunt. Hi nepotes Augusti ex Julia filia & M. Agrippa, ab eodem Augusto adoptati sunt in imperio successores. Horti prope ipsorum BASILICAM & PORTICUM fuere; quorum ædificiorum adhuc aliqua pars extat, sphæricus nempe fornix latеritiis nixus parietibus non longe a muris Urbis atque æde S. Bibianæ. Fulvius [4] eum locum, corrupto nomine, suo ævo nuncupatum testatur *Thermas Gallutii*, quasi *thermas Caii & Lucii*. Ex quo infert, ibi porticum & basilicam horum Cæsarum fuisse. Suetonius [5]: *Quædam etiam opera sub nomine alieno fecit*, Augustus, *ut porticum basilicamque Lucii & Caii*. Dion [6]: *Pugnatum est, ab aliis in horto Caii & Lucii, quem Augustus perfodi ob eamdem causam jusserat*. Ubi alii pro *horto*, *lucum* vertunt. Sed verisimile est, & lucum & hortos fuisse; in Esquiliis præsertim, quas, ut alias dixi, Augustus repurgavit, sepulchris amotis & producto pomœrio, salubriores fecit ornavitque. Itaque non necesse erat, transferri a quibusdam, ut supra dixi, basilicam Caii & Lucii ad templum nunc S. Mariæ Ægyptiacæ.

Agrippa horum Cæsarum pater nobiles & ipse hortos paravit in Urbe, quos moriens populo legavit. Dion [7]: *Moriens*, Agrippa, *etiam populo hortos & balneum a se denominatum legavit*. Qui locus indicat [8] HORTOS AGRIPPÆ ejus thermis fuisse conjunctos inter Pantheon ædemque S. Andreæ. In hortis, STAGNUM AGRIPPÆ fuisse probabile est, potius quam trans Tiberim, ut quidam ponunt. De eo Tacitus [9]: *In stagno igitur Agrippæ*, Nero, *fabricatus est ratem, cui superpositum convivium aliarum tractu moveretur. Naves auro & ebore distinctæ*. Addita illi erat SYLVA & LUCUS. Idem: *Postquam tenebræ incidebant, quantum juxta nemoris & circumjecta tecta consonare cantu & luminibus clarescere*. De eodem idem auctor: *Apud NEMUS, quod navali STAGNO cir-*

1 Suet. in vita cap. 47. 2 Ubi fuerint horti Serviliani. 3 Strabo l. 3. 4 Plin. l. 36. c. 5. 5 Horti Salustiani. Dion l. 43. 6 Tac. l. 3. Histor. 7 Tacit. lib. 13. Annal. 8 ff. lib. 30. de leg. & fideicom. l. *cum servus*. §. *constat*.

1 Fulv. lib. 2. Et Marl. cap. 22. 2 Obeliscus in Hortis Salustii. 3 Horti Caii & Lucii. 4 Lib. 2. 5 In vita Aug. cap. 29. 6 Lib. 66. 7 Horti Agrippæ. 8 Lib. 54. 9 Tac. lib. 15. Ann.

cumposuit Augustus. Nisi de naumachia Augusti hic sermo sit.

Agrippæ filia AGRIPPINA [1], nupta Germanico Cæsari, mater Caii Caligulæ, avia Neronis, HORTOS & ipsa dicitur habuisse: qui fortasse Germanici antea fuerant. Meminit Seneca. *Deinde*, inquit [2], *adeo impatiens fuit differendæ voluptatis*, Cajus, *ut in Xysto maternorum hortorum, qui porticum a ripa separat, inambulans, quosdam ex illis cum matronis atque aliis senatoribus ad lucernam decollaret*. Hi Horti fuere ad Tiberim, quod illa verba significant, *porticum a ripa separat*. Confirmat Philo [3]: *Exceptos enim*, inquit, *nos primum in campo Martio, cum e maternis hortis*, Cajus, *exiret*. Sed male interpres addit, *Martio*. Nam Græcus codex sic habet: Δεξιωσάμενος γὰρ ἡμᾶς ἐν τῷ πρὸς Τιβέρει πεδίῳ τὸ πρῶτον. ἔτυχε δὲ ἐκ τῶν μητρώων ἐξιὼν κήπων, *Excipiens enim nos in campo ad Tiberim, primum, cum exiret de maternis hortis*. Plures autem campi ad Tiberim, & hic Vaticanus erat, ut paulo post.

His paulo antiquiores fuere HORTI MÆCENATIS [4], quippe qui par cum Agrippa ætate, illi fuerit superstes. Hi, ut non semel dixi [5], fuerunt in Esquiliis, latissimoque ambitu a templo S. Martini *in Montibus* orientem versus, ultra S. Antonii ædem processere. Tacitus [6]: *Nero non ante in Urbem regressus est, quam domui ejus, qua Palatium & Mæcenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret*. Suetonius [7]: *Romam reversus*, Tiberius, *e Carinis & Pompejana domo Esquilias in hortos Mæcenatianos transmigravit*. Ædes ibi elegantes ornatæque Mæcenatis cum excelsa turri, de qua Suetonius [8]: *Hoc*, inquit, *Romæ incendium Nero e turri Mæcenatiana prospectans, lætusque flammæ*, ut ajebat, *pulchritudine* ἁλώσιν. *Illi decantavit in illo suo scenico habitu*. Horum etiam Philo meminit [9]: Μεταπεμψάμενος τοὺς δυεῖν κήπων ἐπιτρόπους τοῦ τε Μαικήνα καὶ Λαμία. πλησίον δέ εἰσιν ἀλλήλων τε καὶ τῆς πόλεως. *Accersens duorum hortorum curatores Mæcenatis & Lamiæ: propinqui autem sunt inter se & Urbi*. At quomodo horti Mæcenatis extra Urbem [10], cum essent adjuncti Neronis domo? Id quidem de hortis dicendum non est. Sed Philo, vel Urbi propinquos, id est, continuatis civium domibus, appellavit, cum vidisset locum arboribus & hortis frequentiorem quam tectis, atque hospes ea specie fortasse deceptus putavit esse extra Urbem, cum non essent; vel prisco more locus a vulgo dicebatur extra Urbem, quamvis producto pomœrio: ut hodieque multi ajunt se Romam ire, cum intra mœnia inter hortos & vineta longe absunt ab ædificiis. Quoniam autem, ut narrat Dion [11], *Primus Romæ*, Mæcenas, *natatorium aquis calidis refertum* instituit; id in hisce hortis fecisse credendum est.

Quod spectat ad HORTOS LAMIÆ [12], hi ejus Ælii Lamiæ sint oportet, quem ex nobili genere Romanorum laudat Horatius [13]. Notus est etiam apud Suetonium [14], & Juvenalem [15] Lamias a Domitiano necatus, & apud eumdem Suetonium [16] horti LAMIANI, in quibus Caligula sepultus: *Cadaver ejus clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum levi cespite obrutum est*. In his & Mæcenatianis idem cum tres aut quatuor dies habitasset, Philonem & socios ad colloquium admiserat. Ex quo inferes hos etiam Principis fuisse. Cur enim in alieno habitaret ac sepeliretur? Idem Philo [17] eorumdem hortorum prætoria commendat, aitque inter loquendum Cajum obiisse cœnacula & conclavia, *& magnæ aulæ circumquaque fenestras claudi vitro candido* jussisse. Quod ii advertant, qui negant spectare se fenestras in antiquis fabricis.

HORTI NERONIS [1] in Vaticano fuere. Constat ex obelisco, qui prope Sacrarium templi S. Petri ante Sixtum V. Pontificem erectus medium olim Hortorum circum, in quo fuerat positus, designabat. De eo Plinius [2]: *Tertius obeliscus in Vaticano Caii & Neronis Principum circo, ex omnibus unus omnino fractus est in molitione, quam fecerat Sesostridis filius Nuncoreus*. De circo & hortis Tacitus [3], cum de supplicio SS. Martyribus a Nerone primum illato vir ethnicus loqueretur: *Pereuntibus*, inquit, *addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, aut ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, & circense ludicrum edebat habitu aurigæ permixtus plebi vel circulo insistens*. Ut appareat spatium basilicæ Vaticanæ, cujus magnam partem circus insederat, ante Martyrum sanguine, quam sacerdotum cæremoniis & sacrificiis consecratum. De eodem circo paulo post. Idem auctor de Hortis [4]: *Solatium populo exturbato & profugo campum Martis, & monumenta Agrippæ: hortos quin etiam suos Nero patefecit*. Non dubitem hos Neronis hortos eosdem esse, qui Caii fuerant, & quos Agrippæ matris Caii Seneca dixerat, cum fuerint prope Tiberim, & utriusque Circus dicatur, Caii & Neronis; nempe ab illo factus, an cœptus, ab isto perfectus. Quis enim neget, occiso sine hæredibus Cajo, hortos ad Agrippinam ejus sororem, sororibus superstitem, Neronis matrem insigni gratia potentiaque ab auxilio revocatam: tum in potestatem Neronis fuisse devolutos? Tacitus [5]: Nero *vitare secretos Agrippinæ congressus, abscendentem in Hortos, aut Tusculanum in agrum laudare otium*. P. Victor statuit hortos Domitii in Transtiberina Regione. Sed hos cum Neronianis, ut arbitror, nemo miscuerit. Neque hi Agrippinæ fuere; quæ suos ad alteram Agrippinam, matrem suam referebat.

Floruit sub Nerone SENECA, cujus & amœnos HORTOS [6] Roma celebravit. Criminabantur invidi, teste Tacito, *quod hortorum amœnitate & villarum magnificentia quasi Principem supergrederetur*. Et ille apud Neronem de his ita loquitur [7]: *Tales hortos instruit, & per hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis tam lato fœnore exuberat*. De iisdem Juvenalis [8]:

Temporibus diris igitur, jussuque Neronis
Longinum, & magnos Senecæ prædivitis hortos
Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors ——

Ubi fuerint, non facile assererem; diversos enim fuisse a fundis, & agris suburbanis probabile est; inter quos fuit Nomentanus. Seneca idem [9]: *Ex Nomentano meo te saluto*.

Neronis successor GALBA Aurelia via HORTOS [10] habuit, quæ prope ædem nunc S. Pancratii mittebat in Hetruriam. Probabile est in ipso Janiculo prope templum B. Martyris, hortos Galbæ fuisse. Suetonius [11]: *Dispensator Argius Galbæ caput, & cæterum truncum in privatis ejus hortis Aureliæ viæ, sepulturæ dedit*. Tacitus [12]: *Galbæ cor-*

1 Horti Agrippinæ. 2 Lib. 3. de Ira. cap. 18. 3 Lib de leg. ad Cajum. 4 Horti Mæcenatis. 5 Lib. 1. cap. 13. Lib. 3. cap. 10. 6 Tac. Ann. lib. 15. 7 In vita Tiberii c. 15. 8 In vita Ner. cap. 38. 9 Eodem libro. 10 Horti Mæcenatis intra Urbem. 11 Dion. l. 55. 12 Horti Lamiani. 13 Lib. 1. Od. 35. & l. 3. Od. 17. 14 Sueton. in vita Dom. cap. 19. 15 Juv Sat. 4. 16 Suet. in vita Calig. cap. 29. 17 Philo eodem libro.

1 Horti Neronis. 2 Lib. 36. cap. 11. 3 Ann. l. 15. 4 Loc. cit. 5 Tac. Ann. lib. 14. 6 Horti Senecæ. 7 Loc. cit. 8 Juven. Sat. 10. 9 Sen. epist. 110. 10 Horti Galbæ. 11 In Galba cap. 20. 12 Lib. 1. Hist.

pus dispensator Argius e prioribus servis, humili sepultura in privatis ejus hortis contexit.

Domitiano Principe poeta MARTIALIS HORTOS [1], & suburbanum coluit in Quirinali. Ipse sic ait [2]:

Hic mihi quando dies meus est: jactamur in alto [3]
Urbis, & in sterili vita labore perit.
Dura suburbani dum jugera pascimus agri,
Vicinosque tibi, sancte Quirine, Lares.

Erat autem, ut supra diximus, ad portam Collinam ædes Quirini. Idem [4]:

Sed Nomentana securus germinat hortus
Arbore, nec furem plumbea mala timent.

Nomentana quidem *arbor* est, quæ viret ad Nomentanam viam sive altam semitam, cui & Viminali portæ vicina erat suburbana villa Martialis. Alterius TULLII, vel JULII Martialis hortos idem Poeta celebrat, quamquam aliqui omnino falsi, hos eidem Poetæ attribuant. P. Victor in Regione XIV. Transtiberina numerat domum & hortos Martialis; sed quis fuerit, poeta ne, an alius, non exponit. Alius certe habendus est a poeta, qui de hortis sic scribit [5]:

Juli jugera pauca Martialis,
Hortis Hesperidum beatiora,
Longo Janiculi jugo recumbunt:
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam.
Illic Flaminiæ, Salariæque
Gestator patet ——

Hunc hodie locum *Montem Marium* nuncupant, valde apricum & amœum. De eodem suburbano idem lib. 7. Epigram. 16.

Memorantur etiam a scriptoribus HORTI DOMITIÆ [6]. Vopiscus de Aureliano: *Placebat ei in hortis Salustianis vel in Domitiæ vivere.* Julius Capitolinus [7]: *Adriano*, inquit, *apud Bajas mortuo, reliquias Antoninus Romam pervexit, sancte ac reverenter, atque in hortis Domitiæ collocavit.* Ubi postea & Antoninus Pius, & Ælius Verus, & Commodus conditi sunt. Verum Adrianus nonne sepultus est in suo Mausoleo? Sic enim Dion [8]: *Sepultus est in ripa fluvii juxta pontem Ælium: illic enim sepulchrum conditum: jam enim Augusti monumentum repletum erat, nec quisquam amplius in eo sepeliebatur.* De eodem sepulchro Spartianus [9]: *Fecit*, inquit, *Adrianus & sui nominis pontem, & sepulchrum juxta Tiberim.* Quod si idem scripsit [10], *sepultus est Adrianus in Villa Ciceroniana Puteolis*; ne pugnet cum aliis, id significare dicendus est, depositum ibi fuisse cadaver Adriani, donec ab Antonino Pio Romam deferretur, & Mausoleo conderetur. quod etiam idem, referente Capitolino [11], perfecit ornavitque. Cæterum quæ de sepultura & humatione Adriani dicuntur, ubi horti Domitiæ essent, demonstrant. Quia enim alter in hortis Domitiæ, alter ad Tiberim in suo sepulchro humatum refert; ostenditur, hortos ad molem & sepulchrum Adriani fuisse, eximia sane amœnitate insignes. quod in deliciis fuerint Aureliano Imperatori, & ante illum Adriano; qui ideo CIRCUM ibi fertur ædificasse, rudem illum quidem, nec lapidibus vel artificio commendatum, ut tradit Fulvius [12]; testaturque cum Blondo, in proximis vineis suo ævo vestigia sedilium extitisse. Nec tamen idem Blondus audiendus [1], qui hunc Neronis Circum pronunciat: hic enim, ut ante dixi, ad Basilicam sancti Petri, ubi stabat obeliscus, situs erat. De eo Onuphrius: *Septimus*, inquit [2], *Circus etiam trans Tiberim haud longe a Vaticano erat, scilicet extra portam Arcis sancti Angeli proximam Adrianæ Moli in hortis Domitiæ Neronis Imperatoris amitæ vicinis.* Et paulo post: *Qua ratione facile conjicere possumus, Circum eum a Nerone, cujus horti illi erant ex Domitiæ amitæ hæreditate, incoatum: ab Adriano vero, cum Mausoleum suum vicinum ad ripam Tiberis conderet, aut perfectum, aut instauratum.* Ego, quoniam opinionibus agitur, sine testimonio veteris scriptoris, totum opus Adriano adscripserim; cum alterum Circum Caii & Neronis nomine notatum Nero suis in Hortis perfecerit, ibique frequenter aurigans ludos ediderit. De iis enim Hortis ad Sanctum Petrum loquitur Suetonius [3]: *Mox & ipse aurigare, atque etiam spectari sæpius voluit: positoque in Hortis inter servitia & sordidam plebem rudimento, universorum se oculis in Circo Maximo præbuit.* Tacitus [4]: *Clausumque valle Vaticana spatium, in quo equos Nero regeret haud promiscuo spectaculo. Mox ultro vocari populus.* Hic ergo est Circus Neronis.

Dubium est, an Nero præter Circum ibi etiam *Naumachiam* struxerit, quam quidam Ecclesiastici scriptores [5] ad templum & sepulchrum S. Petri posuerunt. Negat Cardin. Baronius [6], quod antiquorum nemo id a Nerone factum affirmet, & ille maritima spectacula, teste Dione, ediderit in Theatro. Quem ultro sequor. Qui vero aut vulgi sermone permoti, aut alia de causa hortis Neronis Naumachiam apposuerunt, hanc pro Circo accepere vulgari appellatione; cum præsertim in Circo esset etiam Euripus pro navalibus ludis. Circi autem structi ad Molem Adriani meminit Procopius [7]. Nam cum de pratis egisset, quæ ipse *Neroniana*, vulgus nunc *Prata* nuncupat, a tergo Castri S. Angeli, subdit: *στάδιον μέγα ἐνταῦθα ἐκ παλαιοῦ ἐστιν, ᾧ δὴ οἱ τῆς πόλεως μονόμαχοι τὰ πρότερον ἠγωνίζοντο. stadium ibi ab antiquo est, in quo Romani singulari certamine depugnabant.* Verum hæ pugnæ in Amphitheatris fieri solebant. Sed videtur Procopius monomachiam pro quocunque certamine accepisse. Nam in Circo singuli & cursu & cum feris pugnare, aut etiam plures consueverunt.

Quod spectat ad Domitiam, duas quidem amitas Domitiæ nomine habuit Nero, sorores Cn. Domitii sui patris; sed alteram Domitiam Lepidam appellatam, quam Agrippina Neronis mater, auctore eodem Tacito [8], ante excessum Claudii occidendam curavit. At DOMITIAM, cujus idem auctor meminit, Nero ipse jam Imperator perdidit, ac bona ejus, inter quæ & Hortos invasit. Suetonius [9], *Junxitque, Nero, parricidio Matris amitæ necem. Quam cum ex duritia alvi cubantem visitaret, & illa tractans lanuginem ejus, ut assolet, jam grandis natu per blanditias forte dixisset: Simul hanc excepero, mori volo, conversus ad proximos, confestim se positurum velut irridens ait, præcepitque medicis, ut largius purgarent ægram. Nam necdum defunctæ bona invasit, suppresso testamento, ne quid abscederet.*

Præter hos, DOMITIÆ alterius HORTOS [10] reperio. Nam Capitolinus in vita Marci: *Marcus*, ait, *Antoninus natus est in monte Cœlio in hortis, & educatus est in eodem loco, in quo natus est, &*

1 Horti Martialis. 2 Lib 16. Epig. 57. 3 In alta semita. 4 Lib. 10. Ep. 93. 5 Lib. 4. Ep 64. 6 Horti Domitiæ. 7 In Anton. vita. 8 In vita Adriani. 9 Ibidem. 10 In eadem vita. 11 In vita Antonini. 12 Fulv. libro quarto.

1 Blond. lib. 1. 2 De Circo & Ludis Circen. cap. 23. 3 In vita Neronis cap. 22 4 Lib. 14. Annal. 5 Severan. initio l. de 7. Eccles. 6 Tom. 1. Ann. ann. sal. 69. 7 Proc. lib. 2. initio. 8 Tac. Ann. lib. 12. Lib 13. Annal. 9 In vita Neronis cap. 34. 10 Horti alterius Domitiæ.

in domo avi ſui Veri juxta ædes Laterani. Et paulo poſt: *Adoptatus ab Adriano, juſſuſque e privata in Adriani domum migrare, invitus de maternis hortis receſſit*. At Marci mater, ut idem Capitolinus, vocata eſt Domitia Calvilla Calviſii Tullii ſecundum conſulis filia. Quæ & Domitia Lucilla dicta eſt, eodem auctore [1], & Spartiano in vita Juliani, ubi ait: *Educatus eſt apud Domitiam Lucillam matrem Marci imperatoris*. De iiſdem hortis Capitolinus: *cum Omulus*, inquit, *Lucillam matrem Marci in viridario venerantem ſimulacrum Apollinis vidiſſet*. Hi horti quod in Cœlio monte, juxta ædes Laterani fuiſſe dicuntur, non procul a Baſilica Lateranenſi fuere, & iidem fortaſſe, qui poſtea Commodiani [2] dicti ſunt. Spartianus: *Hunc*, inquit, *in Commodianis hortis in Porticu curva pictum de muſivo, inter Commodi amiciſſimos videmus*. Herodianus [3] *ſuburbanum* appellat, quo frequenter Commodus commigraſſet. Dion [4], ſuburbanum Quintilii, ne putemus eos fuiſſe Commodi Hortos. Lampridius [5]: *Ipſe*, inquit, *Commodus ad Cœlium montem in Vectilianas ædes* (aliis *Veſtilianas*) *migravit, negans ſe in Palatio poſſe dormire*. Ubi deinde occiſus eſt, ut conſtat ex Capitolino. Has ædes adjunctas hortis Domitiæ aviæ Commodi crediderim, eoſdemque ab illo auctos & ornatos, dictos fortaſſe Commodianos.

Sed ut trans Tiberim redeam, in ea Regione, teſte P. Victore, GETÆ HORTI [6] fuerunt. Hic Severi Auguſti filius a patre regni ſucceſſor æquali poteſtate cum Antonino Caracalla fratre conſtitutus, ab illo paulo poſt trucidatus eſt. Non eſt autem vero abſimile, hortos Getæ prope portam Septimianam ad Tiberim, ubi hodie Farneſiani ſunt, fuiſſe. Hanc enim portam Severus cum Jano proximo quadrato condidit, &, ut aliqui volunt, Thermas, de quibus jam diximus. Cæterum ambigi poteſt, an hos Getæ hortos Severus [7] ante poſſederit, & a patre filius acceperit, an ipſe ſibi paraverit. Sic enim de Severo Spartianus [8]: *Proficiſcens ad Germanos exercitus, hortos ſpatioſos comparavit, cum antea ædes breviſſimas Romæ habuiſſet, & unum fundum*.

Antonino Heliogabalo HORTI fuere, qui SPEI VETERIS [9] dicti ſunt. Lampridius [10]: *Ipſe*, inquit, *ſeceſſit ad hortos Spei Veteris, quaſi contra novum juvenem vota concipiens*. Et paulo poſt: *Pars militum in Palatium, pars in hortos, in quibus erat Varius, ire tendunt*. Et rurſus: *Inde itum eſt in hortos, ubi Varius invenitur, certamen aurigandi parans*. Ubi vero fuerint Horti, aliquot in locis indicat Frontinus: *Partem*, inquit [11], *ſui aqua Claudia prius in arcus, qui vocantur NERONIANI AD SPEM veterem transfert*. Idem: *Rectus vero ductus Anienis veteris ſecundum Spem veterem veniens intra portam Eſquilinam in altos rivos per Urbem ducitur*. Ex quibus locis deducitur, Spem veterem ad portam Næviam, nunc Majorem, fuiſſe, ubi incipiunt arcus Neroniani, & tranſeuntes ab Eſquiliis in Cœlium montem ad templum S. Stephani terminantur. Jam vero quod ſpectat ad nomen, ab aliquo Spei antiquo delubro [12] derivatum eſt. Quod indicant allata ſupra Lampridii verba: *Seceſſit*, Heliogabalus, *ad Hortos Spei veteris contra novum hominem vota concipiens*. Juſſerat enim occidi conſobrinum Alexandrum, ideoque ad Spei delubrum contendit, quaſi ſperaret factum iri quod juſſerat, reique proſperum ſucceſſum precaretur. A templo autem ad Hortos ſe tranſtulit, ut aurigandi certamen inſtrueret. Fuere quidem & alia in Urbe Spei

A templa. Unum prope portam Carmentalem ſupra ſtatui cum Livio. Sed P. Victor in Regione ſeptima Viæ latæ templum Spei novum ſtatuit, ſic forte appellatum, quod Spei veteris ædes longe diſſita colebatur ad portam Næviam, ubi & Horti collocantur. At ſi Heliogabalus inibat aurigandi certamen, ubi Circus [1]? Hic ſane non longe aberat extra eamdem nunc portam Majorem. Fulvius [2]: *Extat*, inquit, *Circus, extra portam Majorem, juxta viam Labicanam, & formam Aquæ Claudiæ poſt mœnia Urbis, & Cœnobium S. Crucis, cujus tantum extat forma, & parietum veſtigia inter proximas vineas, ubi in medio adhuc in duas confractus* B *partes jacet obeliſcus*. Hæc ille. Quidam hunc Circum ab Aureliano factum autumant. Inſtauratus fortaſſe ab illo eſt, ornatuſque, ſi jam fuerat Principe Heliogabalo. Et Aureliani ætate mœnia ibi latiorem circuitum probabiliter amplectebantur; ii tamen Circum, nunc extra poſitum, includebant.

Hortis Spei veteris propinqui fuerunt PALLANTIANI [3]. de quibus Frontinus: *Finiuntur arcus Claudiæ & Anienis poſt Hortos Pallantianos, unde in uſum Urbis fiſtulis diducuntur*. P. Victor in Regione v. Eſquilina, *Plancianos*, vel *Plautianos* no- C minat. quos tamen non ſemoverim a Pallantianis; mutantes ſcilicet ſubinde cum dominis nomen. Plautianus [4] enim multum gratia, & opibus valuit ſub Severo. Nec minus Pallas Claudii libertus [5], eidemque a rationibus, quem inceſtis Agrippinæ nuptiis etiam pervertit; ideoque illo Principe ditiſſimus, & potens in aula, Neronis quoque imperio validus ſtetit: *cum Agrippina adverſus Burrum, & Senecam moderatores Principis, habebat in partibus Pallantem*, ut ait Tacitus [6]. Quamquam ille triſti arrogantia modum liberti egreſſus tædium ſui moverat. donec occiſa matre Nero libertorum potiſſimos veneno, ut credebatur, ſuſtulit, *Doryphorum quaſi* D *adverſatum nuptiis Poppeæ: Pallantem, quod immenſam pecuniam longa ſenecta detineret* [7].

Habuit & ſuos HORTOS GALLIENUS [8] Cæſar. Julius Capitolinus: *Cum*, inquit, *iret ad Hortos nominis ſui, omnia Palatina officia ſequebantur*. De loco non conſtat; conſtat tamen Gallieno Eſquilinum collem carum ſummopere fuiſſe, ibique ei poſitum arcum: eumdemque in eodem colle admirabilem Coloſſum collocare voluiſſe. Quare ejus Hortos inde abducere non poſſim.

Non ſum inſcius, alios aliorum Hortos [9] memorari a ſcriptoribus, Cn. DOLABELLÆ a Suetonio [10]: *Germanorum*, inquit, *cohortem, a Cæſari-* E *bus olim ad cuſtodiam corporis inſtitutam, multiſque experimentis fideliſſimam diſſolvit, quaſi Cn. Dolabellæ, juxta cujus Hortos tendebant, proniorem*. ARGIANOS in ſecunda Regione Viæ latæ: ASINIANOS in duodecima Regione Piſcinæ publicæ a P. Victore. Hi fortaſſe Aſinii Pollionis fuerunt prope thermas Antoninianas [11], & Aventinum, ubi Atrium Libertatis inſtauratum bibliotheca inſtruxerat. Horum Hortorum meminit & Frontinus: *Anio vetus pervenit in Regionem viæ Novæ ad hortos Aſinianos, unde per illum tractum diſtribuitur*. Hæc autem via Nova, illa non eſt, quæ, ut alias dixi, F prope Palatium erat & Forum; ſed alia in Regione Piſcinæ publicæ, in qua *Caput viæ Novæ* ſtatuit P. Victor. Spartianus: *Idem*, inquit [12], Caracalla, *viam Novam munivit, quæ eſt ſub ejus Thermis Antoninianis ſcilicet, qua pulchrius inter Romanas plateas non facile quidquam invenias*. ANTONINI PII a Julio Capitolino [13]: *In viridario*, inquit, An-

1 In vita Marci. 2 Horti Commodiani. 3 Lib. 1. 4 Lib. 72. 5 In vita Commodi. 6 Horti Getæ. 7 Horti Severi. 8 In ejus vita. 9 Horti Heliogabali. 10 In ejus vita. 11 Lib. 1. de Aquæd. 12 Ædes Spei veteris.

1 Circus in Hortis Spei veteris. 2 Fulv. lib. 4. 3 Horti Pallantiani. Pront. l. 2. 4 Herod. l. 3. 5 Sueton. in Claudio cap. 28. 6 Tac. lib. 13. Annal. 7 Annal. 14. 8 Horti Gallieni. 9 Alii aliorum Horti. 10 In Gallia c. 12. 11 Lib. 1. 12 In Anton. Carac. 13 In ejus vita.

tonini

tonini *Taurus marmoreus cornibus ramis arbori accrescentibus suspensus est*. ANTERI a Lampridio, Commodi ævo: *Anterum*, inquit, *eductum a Palatio sacrorum causa, & redeuntem in Hortos suos per frumentarios occiderunt*. TORQUATIANOS, & EPAPHRODITIANOS a Frontino. Torquatiani statuuntur ab Onuphrio in prima Regione portæ Capenæ, in qua & Terentianos statuit. Epaphroditiani fuerunt Epaphroditi, qui Neroni a libellis, auctore Suetonio, ejusdemque libertus eodem auctore, ac Tacito, eum in fuga sequutus juvit adigentem jugulo ferrum: qua de causa capitali pœna multo post a Domitiano damnatus est [1]. Hortos STATILI TAURI a Tacito sub Claudio Principe. *Agrippina*, inquit [2], *Statilium Taurum opibus illustrem Hortis ejus inhians pervertit*. Proximos Naumachiæ hortos a Suetonio in Tiberio, Transtiberinos. Hortos CÆSARIS ad portam COLLINAM cum TURRE a Julio obsequenti de Prodigiis: *Turris*, inquit, *hortorum Cæsaris ad portam Collinam de cœlo tacta*. Hortos SCIPIONIS a Cicerone, nempe antiquiores: Scapulæ, & Clodiæ ad Tiberim: trans quem M.Tullius [1] parare sibi interdum cogitabat. Multorum in via Claudia, quæ jungebatur Flaminiæ. Ovidius:

> *Nec quæ pomiferis positos in collibus hortos*
> *Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ.*

Ubi ejusdem Ovidii viridarium statuitur. Et alii inter legendum occurrent. Nos hic promissum thermarum Alexandri, & aliorum nummos omisimus.

1 Sueton. in Domit. cap. 14. 2 Lib. 12. Annal.

1 De quibus in Orat. pro Cœlio. Lib. 12. Ep. ad Attic. epist. 1.

LIBER QUARTUS.

CAP. I.

Sacra Ædificia ante Constantinum.



HACTENUS veteris & superstitiosæ Urbis ædificia indifferenter exposui. Nunc religiosæ, Christianæque Romæ templa & alia monimenta complectar, atque ad nostrum ævum sextam ædificandi ætatem perducam. Quamvis autem eam ab Gothica expugnatione Urbis sub Totila Rege inchoaverim [1]; tamen paulo altius repetendo ad Cæsarum principatus revertar, quibus ædes Dei Sanctorumque cultui dicatæ fieri cœperunt.

Igitur integro plusquam seculo ante Constantinum Principe Severo Transtiberinam BASILICAM VIRGINIS Callistus I. [2] dicitur ædificasse, unde fons olei effluxerat. Quamquam illa tempora feracia suppliciorum magis, quam ædificiorum, & Christianæ pietatis, quam pecuniæ eam loco amplitudinem dare non potuerunt, qua postea templum stetit. Nec tamen censendum est, tunc omnia penitus abdita & subterranea fuisse. Quod interdum remittentibus tyrannorum furoribus, quies aliqua, & respirandi locus daretur piis hominibus, ac rebus sacris. Et eam quidem Basilicam in domo aliqua erectam more Basilicarum & Christianorum conventibus celebrem, atque aperta fruentem luce crediderim potius, quam omnino reconditam ac latentem. Nam neque Commodus in nostros homines gladium strinxerat: ejusque pater Marcius infesta Christianis edicta revocaverat, & Septimius Severus maximis bellis distinebatur. Argumento etiam, quod ante Constantinum ÆDES SACRÆ videntur fuisse in Urbe, ut in cæteris Provinciis erectæ. Nicephorus [3] enim, cum victoriam de Maxentio reportatam, & triumphalem Constantini ingressum in Urbem enarrasset: *Adhæc*, ait, *in primis maturavit Ecclesias Dei restaurare, easque donariis exornare*. Idem auctor tradit, antequam Diocletianus, & Maximianus in nostram fidem sævire cœpissent, propter potentiam virorum Christiani nominis, eorumque gratiam apud Cæsares, ÆDES SACRAS ubique gentium fuisse excitatas. *Ostendunt*, inquit [4], *id quoque plurimorum millium hominum in oratoriis domibus cœtus & conventus habiti: quæ oratoria cum propter angustiam, confluentem tantam multitudinem non caperent, cernere erat, ex parvis initiis & fundamentis in augusta amplitudine & magnitudine, admiranda in locis omnibus excitari atque construi templa*. Idem exponens Eusebius ait [1]: *Aut quomodo quisquam illustres hominum in templis concursus poterit oratione explicare? Unde cum in antiquis illis ædificiis non satis loci haberent, ampliores Ecclesias in universis Urbibus, fundamentis earum ad majorem laxitatem dilatatis, erexerunt*. Et [2]: *Omnibus in locis per Imperatoris litteras palam edictum fuit, ut tum deturbarentur Ecclesiæ soloque æquarentur, tum scripturæ absumerentur igni*. Neque vero tanti boni expers Roma esse debuit, ubi Pontifices religionum sedem defixerant. Quare non solum in Cœmeteriis, locisque occultis pia Christianorum manus ædes ad conventus habendos fabricata est, (idque de Fabiano Pontifice, quem Decius sustulit, refertur [3]) sed etiam aperte ac publice. Cæcilia quidem virgo fortissima cum accepto vulnere properaret ad sponsam, triduanas tamen poposcisse inducias gloriabatur, ut domum suam, Alexandro Principe, Ecclesiam consecraret. Sic & Lucina religiosissima fœmina domum suam B. MARCELLI nomine dedicavit: quo Christiani interdiu noctuque convenirent, ac Deum precibus cantuque placarent. Aurelia via sub Aureliano Imperatore, BASILICAM condidisse scribitur S. Felix Pontifex, ubi & postea humatus est. Postremo gravissimi scriptores Philippos Cæsares Christiana fide imbutos agnoscunt: quorum pietas, & indulgentia multa religioni tuendæ conservandæque permittere potuit. At Cardin. Baronius [4] cum fidei promulgatione Ecclesias cœpisse, earumque numerum, ut opus fuit, in dies magis magisque auctum affirmat. Ideo & Pudentis Senatoris S.Petri discipuli *domum in Ecclesiam* fuisse mutatam: & *Eutropiæ* matronæ *domum in titulum* ad sacra obeunda, & alias fuisse erectas: Evaristum V. a B. Petro Pontificem *Ecclesias* divisisse *Presbyteris*: eosque temporibus Cornelii Papæ extitisse numero quadraginta sex. Optatum scripsisse, *quadraginta* in Urbe fuisse ad Christianum usum *Basilicas* excitatas: Lucianum, quamvis Ethnicum scriptorem ferreas portas, ærea limina, auratum fastigium domui sacræ assignasse. Alexandrum Imperatorem apud Lampridium locum publicum in quo Deus coleretur, Christianis

1 Lib. 1. cap. 23. 2 S. Damas. sive Anastasius in ejus vita. 3 Niceph. lib. 7. cap. 30. 4 Idem l. 7. c. 2.

1 Euseb. l. 8. cap. 21. 2 Cap. 3. 3 Ab Anastasio in vita. 4 Tom. 1. ann. Chr. 57.

adjudicasse. Aurelianum apud Vopiscum *Ecclesiam Christianorum* in litteris usurpasse. Hæc aliaque apud eum leguntur.

CAP. II.

Basilicæ Constantini.

ANNO Imperii Constantini XIX. ut refert Card. Baronius, Urbis MLXXVI. cum Baptismo ante actæ vitæ crimina optimus Imperator eluisset, qui antea, vel priscis ædificiis refectis, & excultis, vel novis ædificatis magnopere, ut diximus, Urbem exornaverat, novam sacrorum Templorum molitionem adjecit, qua veterum operum pulcherrima, vel superavit, vel æquavit. Nam in parte sui Palatii Lateranensis BASILICAM SALVATORIS, & ei continentem S.Joannis Baptistæ condidit. Nicephorus de Constantino [1]: *Et manibus ipse suis ligone accepto, in Palatio suo, quod Lateranense dicitur, primus terram fodere, & Ecclesiæ formam in nomen Domini nostri Jesu Christi describere cœpit*. Et paulo post [2]: *Templum in Palatio suum ostendit*. Et rursus: *Sicuti dictum est, in Imperiali Palatio suo templum construxit*. Quod etiam in matutinis Ecclesiæ precibus solenniter recitamus die 9. Novembris. Idem Basilicas SS.PETRI & PAULI [3] ædificavit, utrasque extra Urbem, in Vaticano, viaque Ostiensi: S.CRUCIS in extremis Esquiliis: S. LAURENTII extra portam Esquilinam: S.AGNETIS extra Viminalem, & alias, quæ præter locorum sanctitatem, amplitudine ac magnificentia in admiratione semper fuerunt. Hæ tum Basilicæ sunt appellatæ. Sed jam antiquata cæterarum appellatione, solum quatuor primaria Urbis templa BASILICÆ dicuntur, Lateranense, S. Petri, S. Pauli, S. Mariæ Majoris. Qua in re duo exponenda sunt: Alterum, cur Basilicæ dictæ fuerint: Alterum, cur solum illa quatuor templa nunc Basilicæ dicantur.

BASILICA [4] quidem ante ævum Constantini pulcherrimum fuit ædificium columnis & simulacris exornatum ad exercenda judicia & negotiatorum mercatorumque conventus peragendos. Quod Vitruvius [5] addendum Foro præcepit in locis calidissimis, id est, in Solem hibernum obversis: ne eo convenientibus molestiam afferret frigida tempestas. Nomen autem ipsum *βασιλικὴ regiam domum* sonat. Ideo Isidorus: *Basilicæ prius*, inquit, *vocabantur Regum habitacula, unde & nomen habent. Nunc autem ideo Basilicæ divina templa nominantur, quia ibi Regi omnium Deo cultus & sacrificia offeruntur*. Cum eo alii auctores consentiunt, quos Baronius, [6], subditque: *Hæc licet vera sint, tamen ejusmodi nomen una cum re e Gentilibus ad Christianos derivasse mihi magis probatur. Nam Basilicæ illæ Gentilium in Ecclesias Christianorum aliquando commutabantur* [7]. Hanc vero causam, quamvis a tanto viro prolatam, quispiam tamen non satis esse censebit, cur Basilicæ nomen in templa transierit. Nam ne vertatur in controversiam, an Basilicæ aliquando in templa conversæ fuerint, idque verum, an probabile sponte tribuatur; tamen non ideo prima illa Constantini templa videntur Basilicæ nomen fuisse sortita. Sunt enim a Constantino extructa, antequam Ethnicorum Basilicæ sacras in ædes commutarentur: & toto passim terrarum Orbe Ecclesiæ ædificatæ sunt vigentibus adhuc Gentilium superstitionibus, & immutatis Deorum templis, intactisque opibus, quæ prisci in ea congesserant, ut ex S. Ambrosio docet idem Baronius [1]. Multo magis intacta permanserunt alia ædificia publicis reipublicæ muneribus obeundis extructa. Præterea mos veteri illo Christianorum ævo invaluit, ut ædes sacræ non minus apud Latinos, quam Græcos, *Templa* & *Basilicæ* dicerentur. Quod manifestum est legenti scriptores Ecclesiasticos, & Concilia, a quibus promiscue usurpatur *Ecclesia*, *Templum*, *Basilica*. Et ipsa sacella dicta interdum Basilicæ. Ut Basilica S.Laurentii, ac Theodori Papæ, quam Sancta Sanctorum appellarunt, in Palatio Lateranensi [2]. Immo in eodem Patriarchio ædes omnes Basilicæ nomine censebantur, in quibus aliquid solemnium religionum, & Ecclesiasticarum ceremoniarum exercebatur.

Prima ergo, & augustissima illa Constantini templa cur dicta sint potius, & frequentius Basilicæ [3], equidem, ut alios, tantos nempe scriptores, audiendos censeo, ita causam nominis in formam ædificii refero. Templa enim illa primaria, Lateranense, Vaticanum, S. Pauli, non dissimilia Basilicarum veterum fuerunt: immo eo prorsus modo ac partibus extructa, quibus Basilicæ extruebantur. Fuit enim Basilica ædificium, quod duplici, aut quadruplici columnarum ordine medianam testudinem, simplici, vel duplici hinc atque inde porticu cingebat. Id loco citato Vitruvii docuit Daniel Barbarus. Fusius autem nobilis ædificandi magister Leo Baptista Albertus [4]: *Quo esset*, inquit, *Basilica quidem laxior, primariis tectis non sufficientibus circum addidere porticus patulas intrinsecus hinc atque hinc primum simplices, mox etiam duplices*. Curvabatur ædificium in summo, vel pari, vel minore, quam semicirculi flexu: quod *tribunal* dicebatur. ibi enim habebantur judicia. Quamquam plura tribunalia majoribus Basilicis fuisse constat. Quintilianus [5]: *Cum in Basilica Julia diceret primo tribunali, quatuor autem judicia, ut moris est, cogerentur*. Nec modo publicæ, sed privatæ in ædibus civium Cæsarumque fuere Basilicæ. Vitruvius [6]: *Habeant nobilium domus Basilicas non dissimili modo quam publicorum operum magnificentia comparatas, quod in domibus eorum sæpius, & publica consilia, & privata judicia, arbitriaque conficiuntur*: Potiori jure in Palatiis Principum fuere. Plutarchus [7]: *Hi unam si in Domitiani domo videant porticum, vel basilicam, vel balneum*. Quod suo exemplo cæteros Reges docuit Rex sapientissimus ac vetustissimus Salomon, cujus regias ædes cum describeret Josephus [8], *Erat*, inquit, *magna nimis Basilica* [9] *& pulchra: hæcque innumera columnarum multitudine portabatur. Quam ad judicia rerumque cognitiones distribuit, ut posset capere populi multitudinem ad judicia venientem. Cujus longitudinis magnitudo erat cubitorum centum, latitudo vero quinquaginta, altitudinis autem triginta: columnasque quadrangulas omnes habebat, tegebaturque cedro, opere Corinthio, phialis æqualibus & scutulis mira arte cælatis, eratque robusta, & variis decoribus exornata. Item alia erat Basilica* [10] *in medio totius amplitudinis constituta, habens latitudinem cubitorum triginta, & contra templum validis columnis extensum: eratque in ea solium valde decorum, in quo sedens Rex judicia proferebat. Huic erat juncta alia quoque Reginæ Basilica, & reliqua habitacula, & sedilia, ubi post causas explicitas residebant strata tabulis cedrinis*. Hæc ille. Quis autem dubitet, an ibi fuerint porticus duplices, ubi erat innumera multitudo columnarum?

1 Niceph. lib. 7. cap. 34. 2 Niceph. l. 7. c 46. 3 Basilicæ sacræ quando conditæ. 4 Quid fuerit Basilica Romanis. 5 Vitruv. l. 5. cap. 1. 6 In notis ad Martyrol. die 5. Augusti 7 Basilicæ in sacra Ædes mutatæ.

1 Epist. 22 Tom. 3. an. Dom. 334. 2 Cencius Camerarius Alemannus de Parietinis Lateranens. c. 5. 3 Cur templa dicantur Basilicæ. 4 Lib. 7. c. 14. 5 Quint. l. 12. c. 5. 6 Vitruv. l. 6. cap. 8. 7 Plutarch. in Poplic. 8 Ant. Jud. Lib. 8 c. 5. 9 Basilica Salomonis. 10 Altera Basilica ejus.

Verum ut ædificii forma [1] clarius ostendatur; fuit in longitudine ambulatio. *Mediam Navem* in templis hodie nuncupant, *testudinem mediam*, seu *medianam*. Vitruvius. Additæ hinc atque hinc simplices aut binæ porticus alarum instar: quibus qui ad agendum, & negotiandum convenerant, spatiarentur. Tribunal in summo mediæ testudini respondebat. Hoc modo videlicet claudebantur minores Basilicæ, quibus & simplices tantum porticus ad latera mediæ testudinis patebant. At quæ laxiores, & nobiliores erant Basilicæ binis hinc atque hinc porticibus mediam ambulationem cingebant: & in fine harum quinque porticuum transversam ambulationem secundum tribunalia habuerunt. Vitruvius: *Sin autem locus erit amplior in longitudine, Chalcidica* [2] *in extremis constituantur, uti sunt in Julia Aquiliana*.

Chalcidica [3] quid essent, ambiguum est. Nonnemo putat fuisse transversas hasce ambulationes. Baptista Albertus, *Addidere*, inquit, *insuper alii secundum tribunal transversam alteram ambulationem, quam quidem* Causidicam *nuncupamus, quod illic Rhetorum turmæ, causidicique versarentur*. At Danieli Barbaro Chalcidica pro thermis aliquando sunt. Sed quid commune thermis cum Basilica, & lotioni cum judicio? aut quomodo balineæ partem fori ingrediuntur, cui hæc litigantium sedes adjungitur? Idem alio divertit: aitque Chalcidica adjungi Basilicæ, cum tantum additur, ut respectu latitudinis minor debeat esset longitudo. Rursus ait, Chalcidica fuisse in Basilicis loca ampla, & ingentes aulas, more Chalcidensium ædificatas, in quas Magistratus convenirent. postremisque duobus parum discrepat ab Alberto. Alii ajunt esse Chalcidica, quæ latitudinem in longitudine duplicarunt. Philander. *Ego vero*, inquit, *in ea fui aliquando sententia, ut existimarem fuisse ambulationes secundum tribunal transversas, ubi Rhetores & Causidici etiam versarentur, diversas scilicet a Porticibus. Reperi postea apud Sextum Pompejum, Chalcidicum genus esse ædificii ab urbe Chalcide dictum*. Nec plane quid sentiat, postea clare exponit. Ego sic in Baptistæ Alberti sententiam discedo [4], ut putem alios huc non repugnantes adduci posse. Calcidicum enim, quod addendum Basilicæ præcipit Vitruvius, est aliquid proprium ipsius amplioris pulchriorisque. Neque eo potest intelligi ædificium, quasi sejunctum a Basilica, ut pars illius non esset. Nec ipsum tribunal; hoc enim erat in omnibus etiam minoribus Basilicis. Non officina cudendæ pecuniæ, ut quibusdam est visum; quid enim hæc ad Basilicam rei judiciariæ dedicatam? Neque etiam hic agitanda de nomine quæstio est: An quod præter porticus addebatur Basilicæ, Chalcidicum solum, an etiam Causidicum sit appellandum. Rem enim quærimus, nomina posthabemus. Itaque mihi omnino videntur CHALCIDICA esse transversæ illæ ambulationes [5] instar ingentium aularum. Sic autem dicebantur; vel quia perfectum exemplar extensæ ejusmodi Basilicæ ex Chalcide nobili Eubœæ urbe acceperint Romani, cum antea illas simpliciori opere ædificarent; vel quia quod transversum patebat summi esset & inusitati ornatus, uti Chalcide fieri mos erat. Quod ostendit Arnobius a Philandro allatus [6]: *Scribuntur Dii vestri in Tricliniis cœlestibus atque in Chalcidicis aureis cœnitare*. Chalcidicæ enim aureæ significant veluti cœnationes & aulas auratis cameris, vel laquearibus, cœteroque cultu & ornatu eximio splendide instructas, in quibus Dii epularentur. Meminit Dion templi Minervæ facti ab Augusto: *Quod*, inquit, *Chalcidicum* tropius [1] inter opera Domitiani numerat *Minervam Chalcidicam*.

1 Basilicæ forma. 2 Et Chalcidica. 3 Sed dubium quid fuerint. 4 Quid sint Chalcidica in Basilicis. 5 Chalcidica transversæ ambulationes. 6 Arn. lib. 4. contra gentes.

Jam in Basilicis cum pars, in qua excurrebant porticus, præter columnas, parastatas, & signa in loculis parietum, alia fere ornamenta non haberet: pars altera longitudini obversa, metallis, marmoribus, aliisque pretiosorum lapidum crustis, & operibus fulgebat; quod proxima tribunalibus primariæ nobilitatis viros, Centumviros, Magistratus, Prætores, Consules, ipsumque Augustum, patronorum, & accusatorum multitudinem acciperet. *Et junxere* (pergit Baptista Albertus) *hasce ambulationes inter se lineamento ducto ad* T *litteræ similitudinem. Itaque Basilica ex ambulatione constat atque porticibus*. Ex his forma Basilicæ nobilioris, ut Pompejæ, Juliæ, Ulpiæ, & Constantinæ, quam fecit ante Baptismum, facile deprehenditur. Nam duabus eo pacto junctis ambulationibus, additoque, instar capitis, tribunali: tum longitudini adjunctis duabus hinc atque inde porticibus, Basilica describitur; in qua, juxta Vitruvium, ejus longitudo latitudinem, & duas tertias latitudinis partes comprehendit. Quæ sane ædificii descriptio formam continet Lateranensis templi, Basilicæ veteris Vaticanæ, & Basilicæ S. Pauli.

Hoc modo, vere, proprieque circumscripta Basilica, non magnopere quærendum videtur, cur prima illa templa Lateranense, S. Petri, Paulique a Constantino facta Basilicæ dicta sint. Non enim alia forma ædificata sunt, & vera germanaque structura fuere Basilicæ [2]; nec modo Christiani, sed etiam Ethnici, cum sacras illas ædes videbant, Basilicas sibi videre videbantur. Cur autem hæc potissimum ædificii forma S.Sylvestro Pontifici Maximo, & Constantino Pio Augusto placuerit, causa in promptu est; quoniam scilicet illi inerat figura CRUCIS [3], ut ex se patet: cui Christianæ religionis vexillo per cœlum viso, & ad militaria signa traducto Constantinus acceptas victorias referebat: Pontifex autem ejus majestati sacrari ædes volebat. Et nos transversam illam ambulationem in templis *Crucem* nuncupamus. Antiqua vero templa superstitioni dicata etsi variam in speciem extruebantur, huic tamen schemati crucis dissimilia erant. Quare hac etiam de causa novam illam sacrarum ædium structuram probaverunt, ut nonnihil differrent ab ædibus Gentilium. Et vero *Tribunalis* [4] nomen adhuc a Romanis retinetur, qui sinuatam templi apsidem derivata voce (quod etiam Philander adnotavit) TRIBUNAM vocant. Quamquam & antiquitus ab iisdem Basilicis, judiciorumque sedibus translatum fuerat tribunalis nomen ad apsidem templorum. Vitruvius. *Quæ sine cella* (ædes) *fiunt, tribunal habent, & ascensum ex suæ diametri tertia parte*. Et Prudentius in descriptione sacri templi [5]:

Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
Tollitur, Antistes prædicat unde Deum.

Extruit idem Constantinus Basilicas simplici porticu, uti S. Laurentii, & S. Agnetis videmus. In quibus illud peculiare est; quod porticus etiam superiores habent, minoribus columnis effultas. Præcepit autem Vitruvius superiores etiam porticus apponi Basilicis cum pluteis, id est, intersepis, & interstructa aliqua parte parietis inter utramque porticum, ut supra contignationem ambulantes ab negociatoribus deorsum ne conspicerentur.

Cæterum [6] a primis illis & augustalibus Basilicis

1 Eutr. lib. 10. de Domitiano. 2 Templa habuerunt formam Basilicæ. 3 Cui inerat schema Crucis. 4 Tribunal Basilicæ caput, nunc *Tribuna*. 5 In hymno S. Hippolyti. 6 A primis Basilicis reliqua templa olim Basilicæ dicta. Nec quatuor tantum primaria Urbis.

deinceps emanavit, ut omnia templa a Christianis dicerentur etiam Basilicæ. Ædes autem Lateranensis præter Basilicæ partes hoc etiam habuit, quod in Palatio Imperatoris extructa est; cum ædibus Principum, ut dicebam, adderentur Basilicæ.

Sed cur jam quatuor tantum primaria Urbis templa dicuntur Basilicæ? Credibile est propter eorum dignitatem, majestatemque factum esse, ut nomen quod initio commune cum cæteris ædibus sacris habuerunt, jam sola retineant, quæ sola cæteris religione ac sanctitate præcellunt. Accedit, quod antiquissima in testimonium Christianæ fidei, auspicata tantorum operum molitione extiterunt. Quamquam Liberiana Virginis Magnæ Basilica sub Constantio extructa non multo post fuerit. Sed Reginæ præsidis sublimitas, loci veneratio, cultus Pontificum, Principum ac populorum, quod tempori defuit, abunde compensavit. Hæc de Basilicarum appellatione.

Quod spectat ad illarum ornatum [1], tanto columnarum, marmorum, tanta spatii laxitate, tanta auri, argenti, gemmarum, & sacræ supellectilis copia conditas ab se instruxit, locupletavitque Constantinus, ut opes in templis Ethnicorum repositas vincere voluerit. Quare eorum scriptores, referente Baronio, largientis liberalitatem atque imposita vectigalia criminantur. Apud quem Anastasium, & alios qui de septem templis Urbis scripserunt, eorum magnificentia & oblata munera videri possunt.

1 Ornatus Basilicarum Constantini.

CAP. III.

Sacra Urbis Ædificia usque ad Totilam Regem.

POST conditas a Constantino insignes illas Basilicas, Julius Papa Constantio jam Principe, duas extruxit, *alteram Romæ juxta Forum*, *alteram via Flaminia*. Ambigi potest, an quæ deinde Basilica JULII, seu JULIÆ dicta est, sit ea, quam Julius ædificavit juxta Forum *Romanum*; quod Platina adjecit. Nam Anastasius [1] de Bonifacio I. scribit: *Ordinatus est in Basilica* [2] *Juliæ*: *Julii*, apud Platinam. Quam deinde, ut idem ait Anastasius, Cælestinus Bonifacii successor dedicavit, ditavitque donis argenteis. Idem in vita Silverii Papæ: *In Basilica*, inquit, *Julii dederunt* (Vitigi Gothorum Regi capto a Belisario) *sacramentum de incolumitate, ut perduceretur salvus ad Justinianum*. Idem in vita Paschalis I. refert, in ejus comitiis orta populi dissensione, alios favisse Theodoro Presbytero, alios Paschalem creasse: & cum Theodorus interiora Patriarchii teneret, *Paschalis*, inquit, *exteriorem partem tenuit, & Basilicam domus Juliæ, quæ super campum respicit*. Idem in vita Vitaliani Pontificis scribit, Constantinum, an Constantium Imperatorem Romam venisse, summa gratulatione ab omnibus exceptum ordinibus; tum *venit*, inquit, Imperator *ad Lateranas, & lavit se, & ibidem pransit in Basilica Julii*. Sic apud S. Gregorium [3] scribitur: *Venit autem icona supra scriptorum Focæ & Leontiæ Augustorum Romam VII. Kal. Maii, & acclamatum est eis in Lateranis in Basilica Julii ab omni clero vel Senatu*. Quibus locis Basilica Julii insigne aliquod Conclave, & Aula est Patriarchii Lateranensis [4]. Nam si Basilica pro sacello accipitur, quomodo in eo cœnasse dicitur Imperator? Quæ etiam ideo domus Julia dicta est, quod cum Basilica Julius conditor eam Palatii

1 Damasus, sive Anastasius, ut aliis placet. 2 Basilica Julii, quæ & Juliæ. 3 Lib. 11. Ep. c. 1. 4 Basilicæ late acceptum nomen.

A partem vel instauravit, vel condidit. Sic domus Tiberiana a Tiberio Cæsare condita in Palatio Augustorum. Sic hodie in ædibus Pontificiis singulæ fere partes servant conditorum nomina. In eodem autem Patriarchio, ut supra dicebam, *Cœnatio Leoniana*, & alia quædam præcipua Conclavia dicebantur. Quod autem dicitur Basilicam Juliæ *respicere in Campum*, interpretari non possum, nisi *Campus* forte Platea sit ante Basilicam Lateranensem, aut aliqua alia planicies propinqua Patriarchio. Cæterum cum hæc Basilica Julii fuerit in Laterano, & duas memorare videatur Anastasius; alia JULII Basilica [1] extructa *juxta Forum* (quod Platinæ placuit)
B *Romanum*, collocanda erit. In qua fortasse Vitigi incolumitatis promissio data est. Sed hæc num eadem cum illa haberi debet, quam, creato in ea Bonifacio, Cælestinus successor dedicavit? Verum aliquis non improbabiliter dixerit, Basilicam a Cælestino dedicatam, antiquam Juliam fuisse ab Augusto conditam, & ab illo Pontifice commutatam in templum. Quo loco nondum dedicato est inauguratus Bonifacius; quia Eulalius, quem populus evehebat, Constantianam Basilicam, & Palatium Pontificium occupaverat. Hæc dubitando quisque poterit conjicere, non autem serio affirmare.

C Eodem Constantio Constantini filio Imperatore insigni æstivarum nivium miraculo Regina Virgo sedem in Esquiliis designavit, in qua Joannes Patricius BASILICAM [2] illi conderet, Liberius Pontifex consecraret, Sixtus III. deinde augeret ornaretque, & Pontificum deinceps munificentia, Civium ac Principum liberalitas efferret in eam, quam modo spectamus, amplitudinem. Damasus [3], qui tertius a Liberio Pontificatum gessit, duo templa condidit; alterum S. LAURENTIO ad theatrum Pompeii, eximiis donis instructum, quod hodieque *S. Laurentii in Damaso* nuncupatur: alterum via Ardeatina, in quo sepultus est. Tum vero quan-
D to cultu, auroque templa fulgerent, ostendit S. Hieronymus in epitaphio Fabiolæ: *Sonabant*, inquit, *Psalmi, & aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat alleluja*. Tertius item a Damaso Anastasius [4] Gratiano rerum potiente, sacram ædem in Regione secunda Cœlii montis ædificavit, quæ Crescentiana dicta est. Tum Anastasii successor Innocentius Principe Theodosio titulo Vestinæ templum SS. Gervasii & Protasii (quæ postea S. VITALIS [5]) in valle Quirinali dedicavit; ex testamento ejus piæ fœminæ venditis gemmis, lautaque supellectili, & in templi ornatum attributis muneribus, annuisque censibus.

E Eodem Theodosio & Valentiniano II. Augustis, Valentinianus idem ad Salustium Præfectum Urbis litteras dedit [6], ut Basilica S. PAULI latior & magnificentior fieret. Ejus porro consilii causa fuit, quod eodem in loco a Constantino Magno condita redigebatur in angustias a via Ostiensi, quæ dorso templi adjacens modicum inter ipsam & Tiberim spatium relinquebat occupatum a templo. Quare jussit Cæsar, ut latius longiusque aucta Basilica [7] viam ipsam complecteretur: ideoque nova Ostiensis via sterneretur multo remotior a Tiberi. Id opus tunc destinatis sumptibus inchoatum, postea sub
F Honorio absolutum est. Et tunc fortasse Porticus a porta Urbis ad templum est perducta, cujus supra auctore Procopio mentionem fecimus.

Sub eodem Honorio Secretarium Senatus [8] prope Forum Romanum refectum est. Id monet inscriptio apud Gruterum, Romæ iterum detecta, dum invento corpore S. Martinæ novum templum inibi excitatur.

1 Altera Basilica Julii. 2 Basilica S. Mariæ Majoris. 3 Duæ Basilicæ Damasi. 4 Anastasius in vita. 5 Templum S. Vitalis. 6 Baronius to. 3. An. Domini 386. 7 Templum S. Pauli amplius factum. 8 Secretarium Senatus.

SALVIS. DD. NN. HONORIO. ET. THEODOSIO. VICTORIOSISSIMIS. PRINCIPIBVS. SECRETARIVM. AMPLISSIMI. SENATVS. QVOD. VIR. INLVSTRIS. FLAVIANVS. INSTITVERAT. ET. FATALIS. IGNIS. ABSVMPSIT. FLAVIVS. ANNIVS. EVCHARIVS. EPIPHANIVS. V.C. PRAEF. VICE. SACRA. IVD. REPARAVIT. ET. AD. PRISTINAM. FACIEM. REDVXIT.

At quid est Secretarium [1]? varie enim ea vox usurpatur. Quod si jura consulas, & jureconsultos, pro loco in quo judices causas cognoscunt jusque reddunt, acceptam videbis. Sic l. ult. Cod. ubi Senat. vel Clariss. *Qui in crimen vocatus fuerit, sedendi quoque in aliqua Secretarii parte, quæ judicibus inferior, altercantibus superior esse videatur, habituro licentiam*. Et paulo post: *Sedendi, cum celebratur cognitio, in Secretariis judicantium jus consequatur*. l. 5. Cod. de Præp. labor. l. 3. Cod. de off. diverſ. Jud. l. 5. Cod. Theod. de Prox. com. dispoſit. Idemque eodem Cod. alibi significari admonuit Alciatus, lib. 2. Parer. cap. 26. aliæque apud Brissonium [2] leges. Qui & docet, esse *Secretarium judicum, ut Consistorium Principis*. Quod & Julius Bulengerius [3] asseruit. Et Card. Baronius [4] post allatam Constantini Sanctionem, in qua præter cætera præcipit: *Non sit venale judicis velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus Secretarium*, ait: *Locum fuisse, ubi judices causas audirent & cognoscerent, cum ex pluribus legibus, tum etiam ex actis Martyrum recitatis perspicuum redditur*. At Jacobo Gretsero in Georgium Codinum [5] placet, σέκρετον, quod quidem non differt a Secretario, significare *tam locum ubi Senatus cogitur, quam ipsum cœtum, vel concilium Senatorum*. Consentitque Bulengerius [6], qui tradit, Secretarii significatione comprehendi principum virorum consilia & cœtus: conclavia etiam, in quibus illa seorsim habentur. Locum tamen potiori jure Secretarium notat.

Nec una item est Ecclesiastici Secretarii [7] significatio. S. Paulinus duas interiores cellas hinc atque hinc ad apsidem Basilicæ positas Secretaria appellavit; quarum altera sacrum instrumentum ac vestes ad sacrificium, altera sacros codices ad lectionem servaret. Priore significatione præcipitur Dist. 24. Can. *Non liceat cuilibet ministeria tangere, nisi Subdiacono, aut Acolytho in Secretario*. Ibi enim Glossa: *Secretarium dicitur locus, in quo sacra vasa ponuntur*. Aliud intelliges eadem dist. Can. *Non oportet Subdiaconos licentiam habere in Sacrarium, sive Secretarium ingredi, quod Græci Diaconium appellant, & contingere vasa Dominica*. Glossa vero: *Sacrarium, id est, Altare*. De qua interpretatione alii videant. Cardin. Baronius [8] cum Canonis verba attulisset, agens de Concilio Chalcedonensi, quod ex Liberato Diacono actum scribit in Secretario; quoniam Patres in eodem concilio consedisse dicuntur *ante cancellos SS. Altaris*, ut ibi Secretarium constituat, ait: *Meminisse debes (quod & in antiquis Basilicis cernitur) inter Ecclesiæ gremium & apsidem, ubi sedes Episcopi locari solebat, esse Sanctuarium collocatum, quod quidem altare erat primarium* [9] *in medio situm, undique circumcirca cancellis septum*. Tum pergit: *Ante igitur altaris cancellos apsidem respicientes, apparet congregatum fuisse concilium, totumque occupasse locum, qui interjacet inter cancellos & apsidem*. Quare hoc illi Secretarium est. Verum Altare circumcirca cancellis munitum Secretarium erat Subdiaconis a Cano-

A ne interdictum. Sed quia septum, cui subsellia Patrum nitebantur, ipsum quoque Altare & Secretarium complectebatur; ideo locum, extra concilii tempus, omnibus patentem, Secretarium gravis auctor appellat.

Porro primariæ Basilicæ aliud in ima ejus parte Secretarium erat, in quo vestibus sacris induebatur Pontifex, tum egressus in porticum, templum intrabat ad rem divinam peragendam. Prope hoc Secretarium inter Breviarii preces humatum dicimus S. Gregorii corpus, & Lateranensi Basilicæ eodem in loco oppositum narrat Joannes Severanus [1]. Quare cum legimus in Lateranensi Concilio B jussu Martini I. in eadem Basilica habito: *Suggero Beatitudini Vestræ, quoniam præ foribus venerabilis Secreti vestri adstant*: rectius fortasse hoc Secretarium, aut simile Sacellum muris foribusque munitum, quam locum aliquem in medio templo, tametsi tabulatis obseptum intelligere possumus. Neque vero in solis hisce Ecclesiarum Secretariis habita Concilia sunt, sed etiam aliis. Sic, prima Synodus Constantinopolitana habita est in *Secretario Episcopii*: Quinta *in Secretario*, nulla templi facta mentione: Sexta *in Secretario Sacri Palatii*, quod *Trullum* dicebant. Ut alia taceamus.

C Jam ad statuendum de Secretario Senatus [2] locum non habent Ecclesiastica Secretaria. Ex his vero, quæ de aliis dicta sunt, infertur, id usurpari pro Curia posse, in qua haberetur Senatus: seu tamquam pro judiciali Patrum Auditorio, cum frequenter in Senatu de capite fortunisque civium decerneretur. Quoniam vero Bulengerius [3] docet, Constantinopoli fuisse *Secretum Privatarum* ad servanda instrumenta Urbis & rerum Civilium jura: *Secretum Publicarum* ad condenda secreta publica Imperii; *Secretarium Senatus* pro secreto etiam archivo & tabulario, in quo Senatus consulta ponerentur, haberi posset. Sed ut Secretarium Curia [4] D potius fuisse credatur, usitata primum significatione persuadetur. Deinde Senatus in varia Deorum templa cogi antea solebat. Quem morem iisdem jam desertis & squalentibus aboleverant in Urbe recepta Christiana sacra. Nam etsi veram fidem Patres non omnes profitebantur, credibile tamen est, Christianos in Deorum templa convenire noluisse; aut etiam in veterem Curiam, in qua Aram Victoriæ, atque Ethnicos ab ingressu sacrificantes viderent; ideoque Flavianum novam habendo Senatui Curiam instituisse. Eam porro igne absumptam, & hunc fatalem dici, quoniam ab Gothis, E qui Rege Alarico, Honorii Principatus anno XVI. Theodosii III. Romam ceperant, videatur illatus. Quamquam illi prædam quam ruinam maluerunt.

Addendum est, quod aliqua nititur conjectura: nempe Theodoricum Gothorum, & Italiæ Regem (*qui Romam venit, Senatum suum mira affabilitate tractans*, ut ait Cassiodorus [5]) octoginta circiter post annos eodem in loco ædificasse. Quia forsitan Secretarium post instaurationem, capta a Genserico Roma, tot cæsis mutatisque Principibus, ferro aut igne labefactatum occasionem dederat ædificandi. Tegulæ quidem magnitudinis eximiæ ibidem

1 Quid sit Secretarium. 2 Briss. de Verb. signif. lib. 17. 3 Buleng. de Imper. Roman. lib. 3. c. 9. 4 Baron. anno 332. 5 De off Constant. Eccl. & Aulæ l. 2. cap. 5. 6 Loc. cit. 7 Secretaria quæ fuerint Ecclesiasticis. 8 Tom. 6. Ann. sal. 451. 9 Ara primaria cancellis septa Secretarium.

1 In lib. de 7. Eccles. 2 Secretarii Senatus non una significatio. 3 Loc. cit. 4 Secretarium pro Curia habendum. 5 Cassiod. in Chronico.

inventæ, mihique ſpectatæ ſunt, quibus inſcriptum eſt, REGNANTE D. N. THEODERICO FOELIX ROMA. Quamquam hæ aliunde aſportari potuerunt. De eo autem Caſſiodorus: *Magnis ejus operibus antiqua miracula ſuperantur*. Poſtremo, Antiquarii templum Martis ibi poſuere, verſum poſtea in ædem S. Martinæ. Quod probabilius dicerent, ſi conditorem & cauſam tempuſque fundandi afferrent.

Jam vero Sixtus Pontifex [1], qui Valentiniano III. regnante deceſſit, præter Baſilicam S. LAURENTIO excitatam, ædificatam fere de integro LIBERIANAM, ſacris ædibus, qua extructis, qua inſtructis ornatiſque inſignis fuit. Quo etiam Pontifice, ut tradit Anaſtaſius (ſed ut ex veteri inſcriptione refert Platina) Cœleſtino I. Petrus Epiſcopus gente Illyricus S. SABINÆ templum in Aventino erexit. Porro ejuſdem Valentiniani uxor Eudoxia, cum miſſa ſibi Hieroſolymis a matre Eudocia ferrea B. Petri vincula accepiſſet, eaque Pontifici Romano Leoni tradita cum ferrea item catena, quam Romæ idem Apoſtolus tulerat, inſigni miraculo jungi vidiſſet; magnum in Eſquiliis templum columnarum multitudine, excelſitate, & amplitudine præclarum, appellatione S. PETRI AD VINCULA [2], tituloque EUDOXIÆ, condidit. In eo præter recondita ſacra vincula, Sanctorum reliquias, aliaque religionis argumenta, Sancti Sebaſtiani muſivo expreſſa, non ut vulgo, juvenilem, at ſenilem in ſpeciem conformata effigies viſitur: quæ Agathone Pontifice [3] ab horribili peſte tres jam menſes Urbem depopulante liberavit, cognito ante divinitus, fore ut peſtis conquieſceret, ſi Sancto Martyri altare conſtituiſſent. Eandem imaginem, nuper graſſantis in Italia peſtilentiæ metu, Senatus Populuſque Romanus novo cultu ac religione, argenteo inſuper calice, ac cereis quatuor oblatis, atque ex voto deinceps in ſingulos annos offerendis, non ſine præſenti ope, Urbano VIII. Pontifice veneratus eſt. Idem Leo Pontifex [4] piiſſimam fœminam Demetriam impulit, ut via Latina S. STEPHANO templum ædificaret. Ipſe in honorem B. CORNELII ædem via Appia ad cœmeterium Callixti erexit. Templa collabentia (referente Platina) reſtituit, ſacrorum vaſa comminuta, aut ablata, vel denuo renovavit, vel ex integro, quoad fieri potuit, reſtituit. Cameras præterea tres condidit in tribus Baſilicis Joannis, Petri, ac Pauli.

At S. Hilarus [5] S. Leonis ſucceſſor Nympheum, & Triporticum, id eſt fontem, & triplicem porticum ad Baptiſterium Conſtantinianum ædificavit, & inibi ſacella auro gemmiſque diſtincta S. Joannis Baptiſtæ, S. Joannis Euangeliſtæ, S. Crucis. Ad hæc balneum, inquit Anaſtaſius, prætorium, bibliothecas duas in Laterano, Monaſterium ad Lunam. Qui locus ubi in Urbe fuerit, non facile divinaverim. Hilari ſucceſſor Simplicius [6], bellante primum adverſus Odoacrem, tum Italiæ regnum obtinente Theodorico, quatuor in Urbe templa excitavit: S. STEPHANI in Cœlio monte, quod a forma *Rotundum* appellant, in quo poſtea Theodorus Pontifex corpora SS. Primi ac Feliciani repoſuit: S. ANDREÆ in Eſquiliis juxta Baſilicam Liberianam, intra ambitum nunc Xenodochii S. Antonii: S. STEPHANI juxta S. Laurentium: S. BIBIANÆ ad Palatium Licinianum.

At Felix III. qui ab Odoacre ad Theodoricum uſque Eccleſiæ præfuit, ædem S. AGAPITI [7] juxta S. Laurentium ſtruxit. A Gelaſio ſucceſſore,

1 Sixtus Pont. Baſilicam Liberianam auget. 2 Templum S. Petri ad vincula. 3 Ann. 680. Diacon. lib. 6. c. 5. Baron. tom. 8 an. 680. Anaſtaſ. in vita Agatho. 4 Leo I. Pontifex reficit ſacras ædes aut erigit. Ex eodem auctore. 5 S. Hilari monumenta. 6 Simplicii Pontificis Baſilicæ quatuor. Idem Anaſtaſius. 7 Felicis & Gelaſii PP. fabricæ.

cum tres extra Urbem, Tibure, via Labicana, & Laurentina dedicaverat, nihil intra Urbem factum reperimus. Symmachus ab illo Pontifex [1], Theodorico Urbis ædificia muroſque reficiente, S. SYLVESTRI, & MARTINI ad thermas Trajanas in Eſquiliis: S. AGATHÆ, & PANCRATII Baſilicas via Aurelia ædificavit: SS. AGNETIS, ac FOELICITATIS reſtituit: ad *ædes S. Petri, Pauli, Laurentii conſtituit* pauperibus domos: via Triburtina *S. Petro* templum dedicavit: Vaticanam ejuſdem Apoſtoli Baſilicam quadriporticu; marmoribus, muſivis, aliiſque operibus inſtructam, novis oratoriis ac ſacellis auctam, præſertim inſigni S. Thomæ trecentarum argenti librarum decoravit: juxta templum S. Andreæ, gradus ante fores Baſilicæ veteres ampliavit, novos addidit: alia aliis templis donavit. Quo tempore Theodoricus Rex, & Imperatores Orientis eamdem Baſilicam eximiis muneribus large ditarunt [2]. Fœlix IV. Theodato Italiæ Rege *SS. Coſmæ & Damiani* Baſilicam, mutata veteri æde Romuli, in Sacra via conſecravit. Idem *S. Saturnini* templum via Salaria incendio conſumptum reſtituit. Cum poſtea Gothico bello afflicta Roma diu cruentam obſidionem toleraſſet, Beliſarius [3] liberata Urbe, ac recuperata Italia, mox Africa ſubacta triumphator, mox auream CRUCEM centum pondo diſtinctam gemmis, aliaque Baſilicæ B. Petri dono miſit. Duo in Urbe XENODOCHIA, unum via Lata, alterum Flaminia excitavit [4]. Quæ ſane pauperum alendorum, ſeu curandorum hoſpitia, ſi domos emeritorum militum, aut peregre advenientium demas, (quæ *caſtra* dixere) piæ ſanctæque charitatis expers antiquitas egenis civibus paraſſe non legitur. Hæc antequam Totila Urbem obſideret, expugnaretque peracta ſunt.

1 Symmachus P. ædificat & reſtituit. 2 De his Anaſtaſius. 3 Dona Beliſarii S. Petro oblata. 4 Anaſtaſius, & ex eo Platina.

CAP. IV.

Ædificia poſt refectam Urbem a Beliſario erecta.

SEQUUTA dein exitialis Urbis expugnatio atque excidium Gothicum. Sed cum Barbarus victor obruta fere ruinis, & vacua civibus Urbe aliquando erupiſſet, multi qui vicinos ad montes ſaltuſque confugerant, aut exteras in Civitates ſe receperant, rurſus permoti charitate patriæ, Romam rediere: revocati etiam a Beliſario liberatique Tyranni metu, cum mœnia ſubitario, & militari opere refecta, quæ deinde laterculo, cæmentiſque firmius compacta ſunt. Domus præterea paſſim inſtaurari, aut ædificari cœptæ. Inque eam rem multum operæ Narſes patricius contulit, qui poſt Beliſarium in Italiam miſſus, Gothis Heruliſque ſublatis diu in Urbe manſit, in eaque finem vivendi fecit. De eo Paulus Diaconus [1]: *Erat*, inquit, *vir piiſſimus, in religione Catholicus, in pauperes munificus, in reparandis baſilicis multum ſtudioſus*. Procopius [2]: *Narſes exercitus partem Cumas obſeſſum miſit. Ipſe vero Romam inſtaurandi ornandique hanc cauſa manſit*. Quo tempore, Joannes Papa III. referente Anaſtaſio, habitavit in *Cœmeterio Tiburtii & Valeriani*, aliique Pontifices alia tenuiſſe *Cœmeteria*, alii vero paſſim *Cœmeteria martyrum* ædificaſſe, atque excoluiſſe dicuntur. Quare ſpectabiles hæ fabricæ fuerunt non modo ad cultum Sanctorum, ſed ipſorum etiam Pontificum habitationem. Per idem tempus novam Baſilicam S. LAURENTII ad corpus martyris Pelagius II. extruxit, veterique adjecit, hodieque utraſque conjunctas cernimus. Sepul-

1 De geſt. Longob. l. 2. cap. 3. 2 Lib. 3. Bello Goth.

chrum ipsum tabulis argenteis convestivit: in paterna domo senum ac pauperum xenodochium condidit. Idem SS. Philippi & Jacobi celebrem basilicam inchoavit, quam Joannes III. ejusdem successor absolvit.

At S. Gregorius [1] *exornatis*, (verba Platinæ sunt) *quibuscumque rebus potuit, Basilicis Romanis, dedicataque Gothorum Ecclesiâ, quæ in Suburra est, Agathæ martyris nomine Flavii Ricimerii viri Consularis opus* (*ut litteræ musivæ indicant*) *paternam domum in Clivo Scauri positam non longe a Circo maximo in monasterium redegit. Quo in loco, & hospites continuo accipiebat, & pauperes undique confluentes cibo & potu in vita retinebat.* Hujus rei locique memoria Cæsaris Cardinalis Baronii [2] singulari rerum Ecclesiasticarum studio ac veneratione nonnullis ab hinc annis renovata est: qui & TRICLINIUM posito inibi S. Pontificis simulacro, mensaque e marmore, ac reliqua circum religiose excoluit. At Flavium Ricimerem non struxisse, sed ornasse templum S. Agathæ vetus testabatur inscriptio:

Fl. Ricimer V. I. Magister utriusque militiæ, Patricius & Exconsul Ord. pro voto suo adornavit.

Quartus a Gregorio Bonifacius, hujus nominis item Quartus, PANTHEON [3] exacta veteris superstitionis fœditate, Magnæ Virgini Sanctisque Martyribus consecravit, paternam domum in Cœnobium convertit. Honorius I. [4] a Bonifacio Quartus Basilicam B. PETRI æneis tegulis e templo Romæ (Anastasium enim libentius, quam Platinam audio, qui eas Capitolino Jovi ascripsit) sublatis magnifice contexit. Ædes S. AGNETIS via Nomentana, inscripto carmine: S. PANCRATII Aurelia via restituit. Basilicas, S. APOLLINARIS in Vaticano: SS. QVATVOR CORONATORVM in monte Cœlio: S. LVCIÆ in clivo Suburrano: S. ADRIANI in tribus foris: S. ANASTASII ad aquas Salvias: S. CYRIACI via Ostiensi, aliaque in Urbe, atque extra Urbem magnifice extruxit, ornavitque, quædam amplissimis muneribus donavit. Porro ædem SS. VENANTII, & ANASTASII juxta fontem Lateranensem ædificavit deinde Joannes IV. S. VALENTINI via Flaminia Theodorus I. Adeodatus item I. S. Petri via Portuensi instauratam dedicavit: Cœnobium S. ERASMI in Cœlio monte, in quo ipse Monachus diu vixerat, ædificiis reditibusque ampliavit. Donus Adeodati successor Quadriporticum ante templum S. Petri [5], quam fere totam recens porticus, & Basilicæ frons occupavit, magnis stravit marmoribus: Ædes Apostolorum via Ostiensi: S. Euphemiæ via Appia instauratas dedicavit. Tertius a Dono Leo II. ædem S. PAVLI juxta S. Bibianæ condidit, repositis in ea corporibus Sanctorum Simplicii, Faustini, & Beatricis, aliorumque Martyrum. Idem templa S. SEBASTIANI, & S. GEORGII in Foro Boario [6] quod *ad velum aureum* dicunt, ædificavit. Ejus autem successor Benedictus II. B. PETRI Apostoli templum, nec non S. LAVRENTII cognomento in Lucina, S. VALENTINI via Flaminia, S. MARIÆ ad Martyres seu Pantheon magna impensa restituit, preciosis marmoribus ac vestibus exornavit. Quartus a Benedicto Sergius tectum Basilicæ S. PETRI advectis trabibus e Calabria instauravit: frontem musivo depinxit: alia templa aut texit, aut ornamentis large instruxit. Decem & octo post annis Joannes VII. extructo Magnæ Virgini magnifice sacello in Vaticana Basilica, ædem S. EVGENIÆ diu detectam, ruinosamque operuit, & aliis cum ædificiis renovavit ornavitque.

1 S. Gregorius templa restituit. 2 Baronius renovat memoriam S. Gregorii. 3 Pantheon consecratum. 4 Ann. salut. 626. 5 Quadriporticus ante Templum S. Petri. 6 Templum S. Georgii in Foro Boario.

Jam quartus a Joanne Gregorius II. Basilicam S. PAVLI [1] magna ex parte collapsam refecit, atque e Brutiis advectis trabibus texit. Novam ibi aram renovato tabernaculo argenteo extruxit. Ecclesiam S. CRVCIS diu detectam, & circumquaque porticus vetustate quassatas, trabibus inductis reparavit, marmoreis operibus, aliisque donis insignivit: ædem Sancti Laurentii [2] extra muros, confractis ac diminutis trabibus ruinæ proximam novis parietibus, tectisque munivit: aquam, Martiam opinor, cujus formæ non longe absunt, eodem reduxit: alia passim templa ruinæ obnoxia renovavit. Cœnobia ad Basilicam S. PAVLI a Cœnobitis destituta restituit, iisdemque celebrari jussit. GERONTOCOMIVM [3] a tergo apsidis Basilicæ Liberianæ situm in Monasterium vertit. Cœnobium *S. Andreæ* desertum pridem, ab se refectum, revocatis Monachis habitandum dedit, ut Deo diurnæ, nocturnæque preces utrobique assidue persolverentur. Paternam domum in honorem S. AGATHÆ dedicavit, ædificato ibi cœnobio, ac prædiis ad Monachos sustentandos attributis. At Gregorius III. [4] mirum quam multa in Urbe opera fecerit, ac restituerit. Ædem S. CHRYSOGONI renovato tecto, camera, & picturis parietum, aureis, argenteisque donis locupletavit. Monasterium Monachis frequens, prædiis dotatum adjecit. Aliud cœnobium prope Basilicam Constantianam [5], ut in eadem divinis laudibus Monachi vacarent, structura egregium, annuoque censu donatum restituit. Ædes sacras, S. CALLISTI pæne a fundamentis elatam: SS. PROCESSI, & MARTINIANI, tecto coopertam, firmissimisque pilis effultam: S. GENESII renovato item tecto, altari extructo, aliisque operibus: S. MARIÆ ad Martyres repurgato tecto, refectisque plumbeis tegulis: S. MARIÆ in Aquiro depictam, & cum æde SS. SERGII & BACCHI a fundamentis ampliori fabrica dilatatam: S. MARCI extra Urbem tecto, quod dilapsum fuerat, instaurato: SS. PETRI & MARCELLINI nova molitione erexit: Basilicas S. PETRI, & S. MARIÆ Majoris resartis tectis instauravit. Ab eodem MUROS Urbis ex parte refectos supra memoravi. Stephanus II. quartus a Gregorio instauratis quatuor antiquis in Urbe Xenodochiis [6], DUO alia prope Basilicam S. Petri annuis reditibus probe instruxit. Ejus porro successor Paulus I. in sua ipsius domo COENOBIUM SS. Stephani & Sylvestri Pontificum, ac templum intra Cœnobii claustra miræ pulchritudinis musivo, marmoribus, donisque ex auro argentoque illustre collocavit. Idem in sacra via juxta ædem SS. Cosmæ & Damiani Beatis Petro ac Paulo novum templum obtulit, eo loci, quo, cum ad supplicium ducerentur, genua flexisse dicebantur.

1 Templum S. Pauli refectum cum templo S. Crucis. 2 Et S. Laurentii. 3 Senum domus. 4 Opera Gregorii III. 5 Monasterium ad Basilicam Lateranensem. 6 Antiqua in Urbe Xenodochia 4.

CAP. V.

Adriani & aliorum Pontificum fabricæ.

ADRIANUS I. vir cætera admirabilis, structis operibus non impar est visus. De eo Anastasius [1]: *Omnes Dei Ecclesias tam extra muros hujus Romanæ Civitatis, quam intra muros ad laudem Dei restauravit, atque decoravit; verum etiam, & muros, atque turres hujus Romanæ*

1 Anno sal. 772.

Urbis, qua dirutæ erant, & usque ad fundamentum destructæ, renovavit, atque utiliter omnia in circuitu instauravit. Et vero præter primarias Basilicas S. JOANNIS, S. Petri, S. Mariæ ad Præsepe, quas renovatis tectis & porticibus restituit; sex B. LAURENTII templa novæ elegantiæ reddidit, extra muros, in Damaso, in Lucina, ad Formosam [1], ad Taurellum [2], in Palatio, cum Cœnobio quod erat adjunctum. Alia plurima quoniam apud Anastasium singillatim recensentur, hic referre supersedeo. Præter hæc tamen Sanctæ Mariæ in Cosmedin ædem auctam a fundamentis erexit. S. PANCRATII, vetustate dirutam cum Cœnobio restituit. Idem PORTICUS Basilicæ Apostolorum in via Lata, quas Paulus inchoaverat, absolvit, ejusque apsidem renovavit: nec non domos appositas SS. Sylvestro & Adriano, ac COENOBIUM Virginum S. Eugeniæ a fundamentis excitatum. Præter hæc aliaque multa, PORTICUM a porta Ostiensi ad templum usque S. Pauli perductam renovavit. Tres veteres AQUÆDUCTUS [3] qua dirutos, qua dilapsis aquis vacuos, aut exiguo humore manantes magnis sumptibus restauravit: SABATINÆ, in Vaticanum effluentis: CLAUDIÆ, ad commoditates Palatii & Basilicæ Lateranensis: AQUÆ VIRGINIS, quæ in plana Urbis effunditur. Ut mirum sit, eum Pontificem tot ædificia cogitatione, nedum opere, curaque complecti, ac sua pecunia perficere potuisse. addita præsertim magna vi auri, argenti, vestiumque pretiosissimarum locis sacris passim collata. Nam inter cætera confessionem B.PETRI totam solido auro: Altare autem illi impositum, & parietes dextra lævaque argento contexit.

Jam Leo III. [4] ejus successor multa & ipse ædificavit. De eo sic Anastasius: *Cum ex omni parte tam per diversas Ecclesias, quam in Patriarchio in amplis ædificiis construens compte ornaret*. In Patriarchio quidem, seu Palatio Lateranensi TRICLINIUM majus extruxit porphyreticis, Pariisque columnis, insculptis vasis ac liliis, & marmore crustatum stratumque. Tres in eo apsides: quarum præcipua musivo, duæ minores pictura, omnes marmorum incrustatione decoratæ. Hæc Basilica Leonis dicta est: cujus vermiculatas Christi Domini, Apostolorum, Leonis ejusdem, & Caroli Magni effigies Franciscus Cardinalis Barberinus egregio studio Ecclesiasticæ antiquitatis meliorem in formam reficiendas curavit. Aliud triclinium idem auctor memorat, majore apside, decemque minoribus instructum, stratum marmore, sedilibus, & concha porphyretica ornatum. Idem refert, Macronam, id est, longam Aulam in eodem Palatio vetustate collabentem, fartis tectis, & camera, structuris picturisque renovatam. In eodem Patriarchio solarium, nempe xystum & ambulacrum, ab illo Pontifice instauratum: sacellum S. Michaelis Archangeli a fundamentis erectum, tessellatis, depictis, marmorum, metallorumque egregiis operibus exornatum. Basilicam ipsam Lateranensem, tectis, quadruplici porticu, & fontibus restitutis munitam: obstructas Basilicæ fenestras insertis metallo vitreis laminis pellucidis, & coloratis. Confessionem [5] S. PAULI auro tectam: S. PETRI, præter illata signa aurea gemmisque distincta, pretioso pavimento aureo incredibilis ponderis stratam. Tectum Basilicæ Esquilinæ, Vaticanæ item, ejusque medianam & transversam testudinem, turrem, quadriporticum, fores argenteas, gradus, fontemque restauratum: tum xenodochium, & balneum, aliaque habitantium conclavia juxta eamdem Basilicam pæne diruta. Novam domum Hospitalem B. Petri nomine ac patrocinio, ejusque templum conditum. Basilica S. Pauli [1] terræmotu concussa ingenti tectorum, & parietum ruina ceciderat: eam cum porticibus refectam marmoribus præclaram in speciem obduxit, renovatis antiquis auri argentique operibus, novis, atque egregiis additis. Ædes Sanctorum quamplurimas munifice restituit. Novam SS. Nerei & Achillei juxta veterem jam collabentem extruxit: S. Susannæ, cui Presbyter præfuerat, a fundamentis renovavit, auxit, donavitque præclaris muneribus; quibus alia etiam templa liberaliter instruxit, & ab Anastasio referuntur.

Tertius a Leone Paschalis [2] PORTICUM, quæ a Mole Adriani ad S.Petrum pertinebat, & arserat per incendium ædificiorum in quibus Angli tendere consueverant, simul cum domiciliis Peregrinorum illico refecit. Ædem S. PRAXEDIS [3] quod vetustate casuram cerneret, aliam non longe eidem Virgini augustiorem: quam hodieque columis, excitavit. Ædem S. MARIÆ *in Dominica*, tum S. CÆCILIÆ instauravit, vel, ut alii, condidit insignibus donis locupletatam: translatoque in eam S. Virginis corpore, Virginum inibi COENOBIUM, in honorem ejusdem, Sanctæque Agathæ erexit, annuisque censibus dotavit. Ædis porro apsidem, ut Praxedianæ, musivis imaginibus marmorumque incrustationibus coloravit: dicavit aram argento immensi ponderis elaboratam. Hospitalem domum apud S.Petrum a Leone III. fundatam reditibus firmavit. Restituta Basilica LIBERIANA, quam vetustas quassaverat: apside substructis gradibus elata ab Ecclesiæ corpore, ac strata marmoribus: aram præcipuam argento inaurato: aram Præsepis solido auro: confessionem [4] columnis, & epistyliis, interius exteriusque auro texit: illustribus donis cætera complevit. Eugenius ejus successor S. SABINÆ templum, in quo Presbyter fuerat, ad meliorem cultum perduxit, picturatis & argenteis operibus exornavit. Gregorius IV. [5] ædem jam collapsam S. Saturnini martyris, S. Gregorii cum secretario S.Marci restauravit, S.Adriani renovato tecto munivit. Novum & magnificum SACELLUM in Vaticana Basilica, ubi corpus B. Gregorii Pontificis reponeret, argenteis tabulis convestito altari construxit. COENOBIUM a fundamentis juxta ædem Virginis Transtiberinam multa item ædificatione restitutam, & amplissimis muneribus donatam excitavit: annuos censūs Monachis diurnas nocturnasque Deo laudes persolventibus attribuit. Patriarchium Lateranense renovatis excultisque veteribus, novis cellis, conclavibus ad habitandum erectis cum balneo, amplificavit. Duo Palatia, (quorum unum Basilicæ S. Petri proximum erat) porticibus, aulis, ambulacris, conclavibus visenda, commoditati Pontificum facienda curavit. Formas & arcus Aquæ SABATINÆ rimosos atque intercisos antiquæ integritati commisit, reducta aqua in Janiculum & Vaticanum. OSTIAM Tiberinam, ne deinceps prædonum direptionibus vastaretur, novis mœnibus, fossaque vallatam Gregoriopolim nominavit. Hæc ille.

Sergius [6] ejus successor ÆDEM & ipse extra portam Salariam B.Romani martyris perfecit a fundamentis. Orphanotrophium refecit, ædemque SS. Sylvestri, & Martini in Montibus: novum ibi COENOBIUM psallentibus Monachis constituit. Basilicæ Constantinianæ aditum addita picturata porticu illustravit. Principem aram nixam colu-

1 Locus fortasse a fabricæ specie. 2 Fortasse ad portam S. Laurentii, quæ Taurina dicta est. 3 Tres Aquæductus refecti. 4 Opera Leonis III 5 Confessio S. Pauli, & Petri ornata.

1 Basilica S.Pauli terræmotu dejecta & refecta. 2 Paschalis I. opera. 3 Templum S. Praxedis extructum, & Cæciliæ. 4 Confessio S. Mariæ Majoris ornata. 5 Gregor. IV. opera. 6 Sergii II. opera.

mnis,

mnis, marmore instructam: inferiorem confessionem argenteis laminis auro perfusis: cameram Præsepis, ac totum sacellum in Basilica Majoris Virginis argenteis item laminis inauratis splendide obtexit. At Leo IV. [1] COENOBIUM Virginum ad S. Sixtum, quod seculares insederent, refectum muneribus, reditibusque auctum Monialibus reddidit. Alterum SS. Stephani & Cassiani prope S. Laurentium extra Urbem renovatum tradidit Monachis Græcis, & copiosis opibus præditum. Patriarchii eversum solarium sive ambulacrum meliorem in formam redegit: marmorea sedilia in ejus aditu collocavit. Novum miræ pulchritudinis in S. Petri Basilica sacellum Lunensi lapide, ac musivo coopertum, ubi corpus B. Leonis Papæ conderet, ædificavit.

Ea tempestate, Sergio Pontifice, piratæ Saraceni [2] infestis classibus ad ostia Tiberina appulsi SS. Apostolorum Basilicas extra Urbem sitas diripuerant. Quare illi suffectus Leo, quæcumque e Basilica Vaticana ablata fuerant, reficere decrevit. Tum præter alia plurima atque eximia liberaliter collata, aureis argenteisque laminis, quarum una ex auro, pondo ducentorum sexdecim erat, undique non solum Apostoli SEPULCRUM, sed altaris frontem auro gemmis distincto contexit: ejusdem cameram, vel, ut ajunt, ciborium, columnas, & lilia (capitula, reor, cauliculis & liliis insculpta) argento inaurato, pondo mille sexcentorum sex: coronis quatuor, calicibus sexdecim ex auro, aliisque innumeris ornamentis aræ, ac toti passim templo impositis. Portas [3] Saraceni fregerant, & argento nudarant: eas iterum cælato argento vestivit. fornicem ante portas: casuram porticum ad lævam templi: alteram ædi vicinæ S. Andreæ adhærentem: tectum magnis trabibus renovavit. ÆDEM B. Virginis ad scholam Saxonum, nunc *in Saxia*, ab humo erexit. Idem in Basilica Sancti Pauli [4] a Barbaris item direpta, altare e columnis & camera argentea, pondo nongentorum quadraginta sex eidem Apostolo dedicavit. ÆDEM SS. Quatuor Coronatorum, cujus titulo insignitus Presbyter fuerat, ruinæ obnoxiam ab imo solo reficiendam ornandamque: & Aram, qua multorum SS. corpora condidit, argento inaurato, hyacinthis smaragdisque præfulgente vestiendam: apsidem vero Transtiberinæ Virginis item ruinosam instaurandam curavit. E suis porro ædibus, Virginibus se Deo voventibus domicilium, patronis S. Simitrio atque Cæsario. Demum ne Romanis mœnibus immensam beneficentiam concluderet, civitatem PORTUENSEM ad ostium Tiberis novis cum firmasset munimentis, fabricisque excoluisset, Corsis irruptiones direptionesque Maurorum fugientibus habitandam cum agro ad culturam dedit. CENTUMCELLAS [5] dirutis muris populus deseruerat metu Saracenorum. Ipse alio in loco munitiore oppidum ædificari jussit, aquis solum perfluentibus: per somnium sibi mœnia portasque designare visus, eumdem ordinem ædificando retineri voluit. LEOPOLIM placuit novam Urbem appellare; nec tamen id nomen perdiu conditori supervixit.

1 Ampliora Leonis IV. 2 Piratæ diripiunt Basilicas extra Urbem 3 Portæ S. Petri argento contectæ. 4 Basilica S. pauli direpta, & exornata. 5 Et Centumcellæ restitutæ, sed alio loco, quæ Leopolis dictæ.

CAP. VI.

Civitas Leonina.

AT Urbis, quam Romanæ addidit, inditum LEONINÆ, seu LEONIANÆ [1] nomen pertinacius viget. Quamquam in communionem appellationis adscito rudiore *Burgi* vocabulo (ut ferme deteriora magis pollent) rarum est in ore vulgi, doctorum linguis, aut eruditis scriptorum paginis fere contentum. Porro Urbs, quam Leo IV. condidit, e Vaticano colle descendit ad Tiberim. Vaticanus quidem campus [1] ad ea usque tempora extra Urbem fuit, hortis etiam Principum olim consitus, sed amœnitati permixta *infamia insalubris cœli, frequentior funeribus ac tumulis, quam tectis*; ut Tacitus & Lampridius scripsere. Sed postquam Constantinus sepulcro Apostolorum venerabilem omnibus terris Basilicam superstruxit, Vaticana planicies quamquam exclusa pomœrio, ædificiis tamen & incolis deinceps abundavit. Mœnia [2] vero interiore ripa Tiberis producebantur, præter munitionem, quam ad Molem Adriani excitaverant. Quare Stephano tertio summo Pontifice, cum Desiderio Longobardorum regi infesto agmine ad Urbem venienti Romani clausissent portas, stativa ipse cum exercitu posuit ad Sanctum Petrum. eo cum evocasset Pontificem, mutuosque sermones habuissent: *Rursum*, inquit Anastasius, *ipse Beatissimus Pontifex reversus, ingressus est in civitatem*. Prostridie cum iterum Stephanus ad Basilicam Vaticanam rediisset, ut leniret iram Regis, duos e Romana Curia poscentis ad necem; ipse autem occlusis portis neminem e templo exire permitteret, Pontifex Episcopos duos misit *ad portam civitatis, quæ egreditur ad Sanctum Petrum*. Et paulo post idem auctor: *Abstulerunt Christophorum & Sergium ab Ecclesia B. Petri Apostoli, & properantes cum pluribus Longobardis usque ad portam civitatis, ibi eorum oculos eruerunt*. Idem in vita Stephani II. *Nam & foris muros hujus civitatis Romanæ secus Basilicam B. Petri Apostoli duo fecit xenodochia*. Et Pauli I. ann. DCCLVII. dicitur Basilica S. Petri [3] extra muros civitatis Romanæ. In vita Stephani IV. anno DCCLXVIII. cum memorasset portam civitatis, quæ mitteret ad S. Petrum, deinde ait, *optasse Pontificem, ut quidam Beati Petri Basilica introducerentur Romam*. Quin & Adriano I. Pontifice cum Carolus Francorum rex Magnus Desiderium regem Papiæ obsidens e castris ad Urbem venisset, Pontificem in gradibus Vaticanæ Basilicæ offendit: cum quo templum ingressus, pieque Deum, & Apostolum veneratus, Adrianum rogavit, ut sibi Urbem, ad visitanda templa voti persolvendi gratia, liceret inire. Demum in vita Leonis IV. anno DCCCXLVII. qui hunc Vaticani tractum muris cinxit, memoratur ab eodem Anastasio Monasterium B. Martini extra muros Urbis juxta Basilicam S. Petri. Sic Luitprandus Molem Adriani constituit in Urbis ingressu, ut infra. Quæ causa etiam fuit, cur ante illum Pontificem Saraceni, qui prædabundis classibus Romanum littus tenuerunt, e templis Sanctorum Petri & Pauli extra Urbem positis thesauros omnes asportarent, & rapaces manus urbanis opibus abstinerent, quas mœnia inclusas defenderant, vel irruentium ferociam fregerant stantes pro mœnibus cives. Illa ergo pars agri Vaticani Suburbium erat, ædificatis passim domibus, & a porta Urbis usque ad Apostoli Basilicam continuata porticu. Verum cum quotidie religio cultusque ad Apostolorum sepulcra augeretur, multique ex tota Europa præsertim e Longobardis, qui tum dominabantur in Italia, atque a Transalpinis Franci, Germani, Frisii, aliique Romam confluerent; ne cum hospitum frequentia morbi in Civitate vulgarentur, in eo Suburbio illis datæ sunt ad habitandum sedes. Inde & *Burgi* nomen traxit. Anastasius [4]: *Eodem*, inquit, *tempore, per*

1 Urbs Leoniana.

1 Vaticanus extra Urbem. 2 Mœnia Urbis secundum Tiberim. 3 Basilica S. Petri extra muros. 4 Anastas. in vita Paschalis I.

quorumdam gentis Anglorum desidiam ita est omnis illorum habitatio, quæ in eorum lingua Burgus *dicitur, flamma ignis exundante combusta, ut etiam nec vestigia pristinæ habitationis in eodem loco inveniri potuissent. Cujus exuberantis incendio pæne totam porticum, quæ ducit ad Basilicam Principis Apostolorum, ignis fomes devastavit.* Quæ paulo post Paschalis Pontificis munificentia restaurata sunt; tum vero traditis vestibus, distributis alimentis, erogato auro, atque argento peregrinorum necessitati subventum. Ejusdem loci incendium Leone IV. renovatum est. Anastasius; *Pontificii sui exordio Saxonum vicum validus ignis invasit, cuncta comburens atque comminuens, ita ut propius B. Petri Principis Apostolorum Basilicæ proveniret, Saxonum, Longobardorum domos ac porticum concremans, atque diripiens.* Hæc multorum ejusdem ordinis & conditionis contubernia & cœtus *Scholas* [1] dicebant. ut de militibus, excubitoribus, palatinis aulicis, aliisque legimus. Itaque Leoni IV. e Gallia ad Urbem redeunti effusus obviam fuisse dicitur populus Romanus universus, & Scholæ Francorum, Saxonum, Longobardorum. Ædem præterea S. Michaelis Vaticanæ Basilicæ propinquam conditam ajunt in Frisonum Schola. Hæc adeo cum Basilicam extra Urbem clare demonstrent, miserabilius ostendit crudelis illa Maurorum irruptio, quibus duntaxat ad direptionem Apostolorum limina nudata mœnibus patuerunt. Porro iidem nova spe opulentæ prædæ allecti instructis iterum classibus ad Urbem expugnandam incitato cursu ferebantur. Defixit novus terror Romanorum animos ex præterito malo futuram cladem æstimantium. Ut tamen hostium furori obviam irent, Campanorum classis adjuvit; quos omnes Leo Pontifex precibus & publica supplicatione munivit ad bellum. Pugnatum est [2], qua Tiberim verticosis influentem undis excipit mare; ventusque in media pugna subito coortus, quem [3] Deus de thesauris suis produxisse credebatur, discretis classibus prælium diremit, sed naves hostium abreptas afflixit, fregitque, aut desertas ad Insulas, & saxa detrusit. Magna eorum pars cæsi: alii capti & ad Urbem deducti, quorum opera in ædificando [4] postea usus est Pontifex. Cum ergo Sanctiss. Pater, ut gratias Deo ac B. Petro ageret, immensam argenti vim ejus Basilicæ, aliisque templis munera obtulisset, quod pridem agitaverat, statuit Vaticanum templum muris cingere. Cœperat antea fundamenta jacere Leo III. sed postea intermissi operis, qua extabat, maceriam avexerat quorumdam avaritia, ut vix vestigia apparerent. Anno igitur Pontificatus II. qui a natali humanæ salutis fuit DCCCXLIX. cum ad Lotharium Augustum de ea re scripsisset, ut sibi consilio sumptuque adesset, ædificare aggressus est. Misit Cæsar cum fratribus liberaliter ad Leonem non modicam pecuniæ summam. Ipse vero Pontifex cum cœptum opus frequenter inviseret, structuramque strenue urgeret, quarto post anno absolvit. Novæ Urbi LEONIANÆ inditum nomen, quam ipse, & universi Antistites, ac reliqui Clericorum ordines cinere conspersi, nudique pedes Ecclesiastico ritu Litaniis Psalmisque decantatis circumierunt lustraruntque: scriptas in eam rem preces Pontifex super murum recitavit, tum sacrificio ad aram Apostoli peracto, Romanos cives in suam quemque domum, muneribus donatos dimisit. Posthæc muri Urbis secundum ripam Tiberis desierunt, quos aut Romanorum securitas, aut multo serius annorum vetustas demolita est, quamquam aliqua pars ante Leoninam Urbem conditam collapsa erat. Nam Adriano Pontifice [1] Tiberis effusus, portaque Flaminia, quam dejecerat, immissus, Urbem late inundavit, & porticum, quam Palatinam dicebant, ad templum S. Marci, evertit; tum aquæ magno impetu ad pontem Adriani confluentes murum Tiberis ripæ impositum proruerunt, seque iterum fluminis alveo infudere. Cæterum Vaticanus ille tractus tutus deinceps oppugnationes hostium & obsidia non semel propulsavit, elusitque. Neque destiterunt consequentes Pontifices mœnia bello quassata, vel tempore collapsa reficere, novisque aggeribus & propugnaculis munire. Quo nomine celebris est inter cæteros Nicolaus V. de quo sic Platina, qui vidit, scripsit; *Muros Vaticani præaltos & latos inchoavit, jactis insanis fundamentis ad turres & molem superædificandam, quibus coerceri hostes possent, ne ædes Pontificis & B. Petri templum, ut ante sæpe factum est, diriperetur.* Post illum Paulus III. cum antea expugnatis a tergo S. Petri mœnibus [2] hostes Vaticanum Clemente VIII. Pontifice irrupissent, novas in eo molitiones duxit. Paulus deinde, & Pius IV. qui & Piam Urbem vicis in longum directis adstruxit, idque publico diplomate testatum voluit; & portam conditis muris ex priore suo nomine Angelicam nominavit. Demum Leoninæ Urbi Moles Ælia, sive Arx S. Angeli inexpugnabile munimentum adjectum est.

1 Scholæ quid essent. 2 Saraceni divina ope victi. 3 Psal 134. 4 Captivi ædificando destinati.

1 Anastas. in ejus vita. 2 Mœnia a tergo semel S. Petri expugnata.

CAP. VII.

Arx S. Angeli.

ADRIANI MAUSOLEUM [1] ad ulteriorem ripam Tiberis excitatum jam diximus. Id Pario e marmore extructum, & in imo quaternis pari dimensione lateribus, postea circumeunte fabrica, rotundam spatiosamque eminebat in turrim: equestribus ex eodem lapide statuis, aut e curru extantibus in summo collocatis. Quæ Principum decora usque ad secundum bellum Gothicum inviolata manserunt: ac præterea Moli ad tuendam Urbem munitiones additæ sunt. Nam, ut supra referebam ex Procopio, *Sepulcrum* [2] *id extra portam Aureliam, & ad lapidis jactum a mœnibus procul extructum* Romani *brachiis duobus a mœnibus ipsis ad sepulcrum id usque porrectis, inædificatisque complexi sunt; ut e muro non sit perinde pars quædam effectum. apparet namque altissimæ turri persimile, & ea regione imminet portæ.* Hoc ante Justiniani ætatem peractum, quo tempore incertum est. Crediderim primo Gothico bello, quod movit Alaricus, id fecisse Romanos, ut in ea obsidione se tanto munimento tuerentur. Subindicat Claudianus [3]:

—— addebant pulcrum nova mœnia cultum
Audito perfecta recens rumore Getarum.

Quo sane metu si cætera refecta, hoc quoque validum Urbi propugnaculum adjectum est. Cæterum egregia illa statuarum decora Gothici secundi belli turbo decussit. Nam Gothi Molem aggressi cum pro mœnibus stantes Romanos Græcosque alii telis arcerent, alii scalis in summum evaderent; qui munitionem tuebantur, suæ jam saluti, nedum victoriæ desperantes, atque opem in loco oblatam rati, frangere simulacra, & trunca eorum saxa in subeuntes devolvere cœperunt [4]. Sic hostium pars cæsi; pars fugati; omnium repressus impetus, &

1 Forma Mausolei Adriani. 2 Sepulcrum Adriani tamquam turris mœnibus adjunctum. 3. In 6. Consul. Honori. 4 Ornamenta Mausolei dejecta.

a Mole depulsus est. Dein Moles pro Arce tam A Græcis, quam Gothis fuit. Nam capta primum & amissa; dein a Totila iterum expugnata Roma, Paulus inter cæteros Græcorum duces ex Cilicia profectus se cum quadringentis ad Molem recepit, acriterque contra Totilanos, suos etiam revocante Rege, pugnavit. Postridie Paulus desperatione vitæ jam fortior cum suis erumpebat ex Arce, stationes hostium invasurus. Sed Totilas caduceatore præmisso, omnibus, si mallent abire, discessum: si pugnare secum, stipendum obtulit. Sic illi ad Gothi signa transiere. Paulus cum socio in Græciam rediit. Arcem deinde Gothi [1] habuerunt. At B post Belisarium missus in Italiam Narses, cum Romam exercitum admovisset, & Gothi, quod scribit Procopius [2], *haudquaquam Urbis mœnia universa custodire sat commode possent, brevi admodum ædificio circa Adriani Molem locum complexi, eodemque priori muro adnexo, in præsidii formam mox redigunt, ibique preciosissimis rebus depositis, diligentissime præsidium id asservabant, Urbis mœnibus, cæterisque destitutis atque neglectis*. Mox tamen subeuntem ad muros hostem repellere conati, cum ille nihilominus Urbem intrasset, ad Molem se recceperunt, nonnullis duntaxat Ostiensem ad portum confugientibus. Postridie Narses omnibus copiis præsi- C dium cingit. Quo terrore perculsi Barbari, salute pacta præsidium dedunt, sexto & vigesimo Justiniani imperantis anno. Sic enim Codex Græcus habet: ἕκτον τε, καὶ εἰκοστὸν ἔτος Ἰουστινιανοῦ βασιλέως. Deinceps munitio [3] Narsetis in Potestate fuit, atque Exarchorum, qui post illum Romam & Italiam Imperatoris nomine regebant.

Necdum tamen Angelica appellatione veterem infœlicis sepulchri nomen exuerat, cum sub hæc tempora, grassante Romæ pestilentia, Gregorius Magnus Pontifex, qui ad D. Petri solemnem supplicationem habebat [4], Angelum in edita Mole ensem vagina includere, & una vim morbi condere D suspexit. Inde S. ANGELI inditum nomen [5], addita etiam in summo vertice dicataque Archangelo MICHAELI sacra æde. Qua deinde ad imam viciniam translata, seu potius ibi substructa, in rei admirandæ testimonium, marmoreum ANGELI simulacrum, præcelso loco impositum est. Ejus porro ædis meminit Luitprandus [6], qui etiam quomodo sua ætate haberent se munitiones, enarrat. *In ingressu*, inquit, *Romanæ Urbis quædam est miri operis, miræque fortitudinis constituta munitio; ante cujus januam pons est pretiosissimus super Tiberim fabricatus, qui [7] primus Romam ingredientibus, atque egredientibus est. nec est alia nisi per eum transeundi via.* E *Hoc tamen nisi concessu custodientium munitionem fieri non potest. Munitio autem ipsa (ut cætera desinam) tantæ altitudinis est, ut Ecclesia, quæ in ejus vertice videtur, in honorem summi & cælestis militiæ Principis Archangeli Michaelis fabricata, dicatur Ecclesia Sancti Angeli usque ad cœlos*. Quod si ex hoc inferas, hoc illud templum videri, quod in *summo Circo* Bonifacius Pontifex dicavit: Respondeo, Molem *summi Circi* appellationem, quod supra [8] dicebam, recusare; & ædem sive ædiculam S. Michaelis alius, qui munimento bellico tantum Præsidem quæreret, excitare potuit. Cæterum amplioribus deinceps F munimentis Moles aucta, & CASTRUM, sive ARX dicta est.

Sed statum ac regimen Italiæ cum vertissent Longobardi, eademque horum excusso dominatu, plures minoresque principatus extulisset; Marchiones in Hetruria clari, in primis extitere, quos ad eamdem originem referunt, qua deducti postea Comites Tusculani [1]. Hi ad potentiam & immensas opes Arcis quoque Romanæ possessionem adjecerunt [2]. E quibus Adelbertus anno salutis DCCCCVIII. adeo excelluit, ut unus inter omnes Italiæ Principes appellaretur *Dives*: & Rex verius, quam Marchio, solo duntaxat nomine Regibus haberetur inferior. Per id tempus florebat Romæ opibus, patritioque genere, nec moribus tamen probis Theodora [3] illustris fæmina, quæ turpibus illecebris Adelbertum illexerat, in communionem Arcis possidendæ recepta, ubi & deinceps habitare consuevit. Quare velut Principatum Urbis adepta, ex arce, cui nobiles ædes vel impositæ, vel appositæ jam tum fuerant ad excipiendos Hetruriæ Principes, Romanos etiam Pontifices infestabat. Sequuta est ejus filia Marozia [4] melioris item formæ, quam famæ. Hæc Arcem securitatis suæ non magis receptaculum, quam scelerum fecerat: unde & Romanis Civibus cum Vidone Adelberti patris successore, cui nupserat, imperabat [5]. Sed Vidone paulo post absque liberis vita functo, ipsa deinceps cum filio Alberico, quem ex Alberto sive Adelberto Marchione susceperat, in Urbe dominata est. Degebat Ticini Hugo Vidonis frater, ex eadem matre genitus, quem Regem Italiæ appellabant. Huic Marozia suas nuptias, & vacuam Arcem obtulit [6]. Confestim Hugo non magno comitatu ad Urbem venit, fisus castri munimentis: celebratisque in eo nuptiis, quotidie liberales epulæ instruebantur. Lavanti manus Vitrico aquam fundebat hortatu matris Albericus. Fundentemque paulo immoderatius inflicto Rex colapho, haud equidem moderate, admonuit. Sed altius, quam ille voluisset, injuriam ebibit adolescens. Confestim consilio civium clam habito externi domini tumorem & arrogantiam, matris intemperantiam questus, omnes impulit, ut in utrumque conjurarent. Itum statim ad arma: eoque duce arx obsideri oppugnarique cœpta. Hugo vim metuens sese ex Mole, qua parte hærebat muro civitatis, demisit receptusque a suis in Insubriam plenus minarum discessit. Albericus [7] dedita Arce Maroziam sero pœnitentem custodiæ tradidit: ipse deinceps imperavit. Interea contractis majoribus copiis, & ulturus injuriam Hugo [8] revertitur, Urbemque obsidio [9] agros populationibus, populum fame affligit. Sed, ut Romani cœli natura fert per æstivos calores advenis infesti, ac sæpe numero exitialis, vulgata per exercitum lue de componendo bello cœptum agi: & Alberico in matrimonium collocata Hugonis filia, inita & stabilita Pax est. Ex eo tempore Arcem tuto possedit Albericus, multoque post vita decedens ad Octavianum filium principatum transmisit. Is multum potentiæ sibi deesse ratus, nisi ad Pontificatum niteretur, Princeps aliquandiu Clerici habitu, ad Pontificatum deinde evectus Joannes XII. dictus est. [10] Sic Romanus Pontifex [11] Arcem in sua potestate habuit, non aliunde receptam, sed quam ipse ad honores Pontificios attulisset. Nec tamen diu a Pontifice possessa. Nam mortuo Joanne, Pontificum longe Lateranum incolentium manibus extorta videtur a civibus. Quippe Romani, cum duo Consules, Præfectus, Decuriones e plebe duodecim Rempublicam gererent, Joannem XIII. captum, & in Adriani Molem perductum, mox tamen metu Cæsaris in Campaniam dimiserunt. In eamdem Benedictus VI. a Francone Romano Fer-

1 Gothi Molem habent pro Arce. 2 De Bello Gothico lib. 3. 3 Arx venit in potestatem Narsetis. 4 Anno sal. 590. 5 Arci inditum nomen S. Angeli. 6 Luitpr. l. 3. cap. 12. 7 Nam diu rupto ponte Milvio, hac solum transiri in Urbem volebant. 8 De hac re lib. 1. c. 10.

1 Bar. to. 10. Anno sal. 897. 2 Comites Hetrusci Arcem possident. 3 Et Theodora Romana. 4 Et ejus filia Marozia. 5 Baron. Anno sal. 928. 6 Baron. Anno sal. 933. 7 Albericus capta matre, Arcem possedit. 8 Baron. Anno sal. 936. 9 Arx & Urbs obsidetur. 10 Joan. XIII. Card. Bar. Plat. XIII. Anno sal. 955. 11 Arx in potestate Pontificis.

rutii filio detrusus necatusque est . [1] Et ille parricida a Benedicto VII. Urbe pulsus , aliquot post annos , Byzantio , quo exul abierat , reversus , Joannem XIV. Benedicti successorem in eadem Arce , [2] quam suæ factionis sicarii detinebant , inclusum interfecit . Adeo per id tempus feri mores ac scelera invaluerant .

Successit Joanni Joannes XV. [3] quo Pontifice Crescentius Nomentanus per speciem tuendi Consulatus Arcem [4] occupavit . Exinde Joanni formidatus , cum ejus gratia Otho III. venisset in Italiam , adversus Cæsarem Crescentius firmatis mœnibus atque portis , Molem vallo & aggeribus sepsit , stationes militum disposuit , atque in ea , recepto jam in Urbem Othone , se continuit . Interea mortuo Joanne Gregorius V. deligitur . Cui mox depulso cum alium per vim ac scelus Crescentius subrogasset ; [5] Otho , qui Spoletum venerat cum copiis ad Urbem reversus , ut Arcem expugnaret , vallum fossamque perduxit , turres abiegnas & castella admovit , tormenta imposuit , corona circumdedit . Quibus ille copiis & operibus consternatus , cum se ad Imperatorem supplex contulisset , vel captus confossusque , vel cum Arce deditus & capite cæsus est . Quod ergo Crescentius novis operibus Molem firmarit , perdiu postea CASTRUM , sive TURRIM CRESCENTII [6] dixere . Manseruntque illæ non contemnendæ munitiones . Itaque sexaginta quinque post annos , Alexandro II. creato Pontifice , cum Cadaolus quidam se Honorium II. Pseudopontifex jactaret , Cincius Romanus civis Pontifici infestam Arcem valido cum præsidio objecit . Eodem securitatis causa Pseudopapa perductus , & aliquandiu Alexandri copiis oppugnatus , liber tamen a Cincio , accepta grandi pecunia est dimissus . In eamdem Alexandri successor Gregorius VII. sese e Laterano recepit . Quo tempore Castrum , DOMUM THEODORICI appellatum , refert apud Baronium Bertoldus . [7] Frustraque Pontifex obsessus , Henrici III. exercitum , vimque Populi Romani muro , armisque propulsavit ; donec eductus ex Arce , ac Salernum perductus est . In tanta Christianæ Reipublicæ perturbatione , cum Guibertus Parmensis , Clementis III. nomine se Pontificem ementiretur ; Matildis Comitissa , quæ creatum Gregorio successorem videre , propiusque venerari cupiebat , Romam venit : inductisque militum præsidiis , & paratis Pontifici Basilicis Victor III. Urbem intravit . [8] Possidebat Arcem Pontifex , solemni pompa sacris operatus in Vaticano , degebatque tutis in ædibus gemino ponte adeundis in Insula Tiberina . [9] Quare Transtiberino tractu pulsus ille sacrorum archipirata Pantheon nihilominus insederat (S. MARIAM IN TURRIBUS dicebant) quam festis Domini natalitiis funestaret . Nec deerant illi ædes propinquæ atque magnificæ , e quibus pestem animis afflabat . Sequuta est Victoris immatura mors non sine suspicione veneni : suffectusque Urbanus II. eamdem Insulam , Pontificum non raro perfugium , ejecto Guiberto ab Romanis , tutior aliquanto incolebat . Sed ut civitas Cæsaris factione distrahebatur , parum illi fidens ab Urbe Barium usque profectus est . Tum vero populus qua levitate agebatur , infensus Pontifici Arcem seu fraude interceptam , seu vi expugnatam occupat . [10] Quam cum demoliri vellet , nescio quo modo Guiberti in manus , quem rursum admiserant , prædonis dolo , an dono sectatorum pervenit . Nec sane cum illo absente Urbanus ad Urbem revertisset , recipi potuit . Ad S. Mariam

1 Anno sal 974. 2 Anno sal. 985. 3 Anno sal. 985. 4 Arx in potestate Crescentii. 5 Anno sal. 996. 6 Arx dicta Turris , & Castrum Crescentii. 7 Anno sal. 1084. 8 Baronius Anno sal. 1087. 9 Ædes munitæ in Insula Tiberis. 10 Anno sal. 1091.

A riam cognomento Novam habitabat Pontifex [1] , iisdem , reor , munitionibus , quibus se Alexander III. adversus Federicum I. Imperatorem postea defendit . Sed cum quietis nondum spes affulgeret [2] , profectus in Galliam , qua vir optimus auctoritate pollebat , ad Hierosolymam recuperandam populos ac Reges accendit . Tum Romam reversus [3] , & Arce septimo anno , quam Guibertus ceperat , potitus [4] , ad S. Nicolai in Carcere , in ædibus Petri Leonis plenus gloriæ decessit .

Paschalis II. deinde creatus est Pontifex : inter quem atque Henricum IV. gravibus ob jura Ecclesiastica exortis controversiis , dati sunt invicem B obsides . quos Henricus acceptos , ut *secure transiret Castellum & pontem*, mox erat apud Arcem redditurus [5] . At ille nihilominus in Basilica Vaticana circumventum Pontificem , captumque non longe custodia militum detinebat . Cum Populus Romanus [6] arreptis armis , Germanos in ipsa porticu templi fortiter aggressus cæcidit , fugavitque : sed eumdem victorem , multaque onustum præda remeantem , jussu Cæsaris invecti Teutones multa cæde fuderunt , donec ad Arcem progressi , ab iis qui se portis recentes effuderant , in fugam vertuntur . Magna utrinque edita strages . Tiberis fluxit sanguine C infectus , refertus cadaveribus . Fluvius quidem per ea tempora , quo tutior esset ab hostibus , externisque Cæsarum exercitibus Roma , rupto & intercluso Milvio ponte [7] , collapso jam Triumphali , uno Ælio intra mœnia transitum præbebat [8] . Facile autem erat , quemlibet propter imminentem Arcem transitu prohibere ; quod dicitur fecisse Guibertinos . Torsit ea res Romanorum animos ; quorum plerique factiosi ac rebelles Pontifici , per extremum Innocentii II. & Lucii , successorumque Pontificatum , hæreticis cujusdam Arnaldi furiis , profitebantur sese Reipublicæ & antiqui Senatus restitutores [9] . Itaque ut firmius mu- D nirentur , adversariorum potentumque civium domibus turribusque solo æquatis , vel imperii nomine detentis , multisque eorum patria ejectis , Conradum Cæsarem datis ad eum litteris in Urbem invitant . Ajunt , pontem Milvium metu adventantium Imperatorum pridem abruptum , *ne Petri Leones per Castellum S. Angeli nocere* illi *possint*, se jam restaurare [10] , nec multo post siliceo firmissimoque muro perfecturos . Risit Arnaldistas Imperator ; nec , quamvis structo ponte [11] , ad Urbem accessit . Petri autem Leones filii Petri Leonis clari & opulenti civis , cum patre & avo Leone , unde origo familiæ , rem Pontificiam assidue constanterque pro- E vexerant . quos tamen causa Petri Leonis fratris cum patre transversos egit . Fuerat falsus hic Anacletus adversus Innocentium II. evectus , genere , clientelis , thesauris etiam , quos direptis impie Urbis Ecclesiis congesserat , potens : atque , ut Consules , & Urbis Arcisque Præfectos nactus erat sibi consanguinitate obstrictos , facile omnes cum Adriani mole munitiones invasit [12] ; vix ut Innocentio reliquæ essent Frangipanum Corsorumque domus , quibus non longe a Capitolio receptus sese per nobiles fortesque cives tuebatur a satellitum globo , quos ille gladiatorum centuriator immise- F rat . Igitur Pontifex , assectarum fidissimis per fœderatorum ædes , turresque latentibus , ab ore Leonis eripitur , e Transtiberinis ædibus maritimo itinere Pisas primum , deinde in Galliam profectus [13] . Tum Anacletus datis ad Reges litteris , jactabat se illustres viros , plebem Romanam universam , ca-

1 Anno sal. 1092. 2 Anno sal. 1095. 3 Anno sal. 1099. 4 Arx recepta a Pontifice. 5 Baronius tom. 12. Anno sal. 1111. 6 Pugna populi cum Cæsarianis. 7 Milvius pons diruptus , & interclusus . 8 Ælio ponte Tiberis transmittitur. 9 Ann. 1144. 10 Milvius pons a Romanis restauratus . 11 Baron. an. sal. 1111. tom. 12. 12 Arx in potestate Anacleti Pseudopapæ . 13 Anno sal. 1139.

ſtella, & munimenta Urbis omnia poſſidere. Rediit tribus poſt annis Innocentius cum Imperatore Lothario, qui caſtris in Aventino poſitis, reductoque in Lateranum Pontifice, Arcem tamen, cæteraſque Collium munitiones expugnare non potuit; penuriaque commeatus in Galliam, nec multo poſt Innocentius Piſas iterum diſceſſit. Rediit rurſus ad Urbem, nec anguem Molis latebris incubantem educere poterat, quem tamen mors extulit ad tumulum octavo anno, quam Vaticani ſedem invaſerat. Tum vero altero iniquitatis ſurculo, qui Antipapæ adnaſci voluerat, ſublato, omnes in Urbe præſertim Petri Leones Innocentio Pontifici [1], Arce reſtituta, ſacramentum dixerunt. Jam quies parta videbatur, cum ex tranquilla ſerenitate coorta tempeſtas cuncta ſubvertit. Nam Romani occupato Capitolio, dum ordinem Senatorium reſtituere, remque Romanam gerere conantur, mœrore, curiſque conſumptus eſt Pontifex. Nec, creato Cœleſtino II. & Lucio item II. quamvis complures e nobilitate Pontifici faverent, deſtiterunt; adjecto etiam Patricio tamquam Senatus principe Jordane Petri Leonis filio. Inter hæc renunciatus Pontifex Eugenius III. cognito, fore, ut Senatus vehementer obſiſteret, niſi nova inauguratione Senatoriam dignitatem confirmaret, antequam Pontificatus coronam acciperet, Urbe egreſſus, primum Viterbii moratus eſt: tum icto fœdere cum Romanis, ut patriciatum abolerent, Senatores ipſe diceret, Romam revertitur. Sed tum Arnaldus ſeditionis faces, quas Populo Romano longe afflaverat, præſens eventilabat: vexatuſque Pontifex trans Tiberim, in ædes ne Inſulæ, quas alii Pontifices incoluerant, migravit, an arcem S. Angeli, cui Petri Leonis filii Pontificis fautores præſidebant [2]. Certe Senatores Urbis hæc tuta & inviolata, ut narrat Cencius Camerarius, præſtituros ſe Pontifici jure jurando affirmabant, S. Petrum, Romam, Civitatem Leonianam, Tranſtiberim Inſulam, Caſtellum Creſcentii, S. Mariam Rotundam. Quod ſignum eſt, munitiones in Inſula fuiſſe. In Galliam deinde diſceſſit a Ludovico Rege magnifice exceptus: reverſuſque in Italiam, Urbe abſtinuit, donec ad arbitrium Paſtoris ſe componeret [3]. Secundus ab Eugenio Adrianus IV. [4] ad S. Petri Federicum I. Imperatorem Imperii corona donabat, ſtabatque populus ab utroque diffidens ſub ſignis ante Arcem; cum repente in Cæſarianos milites ante Baſilicam impetum fecit, & uſque in caſtra fugavit. At Germanis auxilio ſubeuntibus, multi cæſi, multi etiam capti: populo intra portas caſtri recepto finis pugnæ fuit.

Succeſſit Adriano Alexander III. [5] quem a Roſone Cardinale intra Arcem cum Patribus fautoribus receptum Ciaconius narrat. Sed hos in munitione B. Petri incluſos teſtantur ejus Acta referente Baronio [6]. Quique novem dies in illa egiſſe, iiſdem in Eccleſia B. Petri fuiſſe dicuntur. Porro de Caſtro ſermonem non eſſe, argumento eſt, quod ex eo loco, ubi novemdialem moram egerant, in arctiorem, tutioremque cuſtodiam trans Tiberim translatos eſſe narratur, triduoque ibi detentos. Quid autem in Tranſtiberina regione Arce S. Angeli tutius poterat inveniri? Verum dimiſſus Pontifex, cum e Gallia multo poſt omnium civium votis Romam revertiſſet, Germania profectus exercitum ad Urbem admovit Antipapæ fautor Federicus I. [7] Ille caſtra metatus in pratis Neronianis, poſtero die inſtructis copiis progreſſus *uſque ad portas Caſtelli S. Angeli*, Molem acerrime oppugnavit. Sed Pontificiis fortiter obſiſtentibus repulſus, poſtridie ad S. Petri Baſilicam ſe convertit: ignem porticibus, proximoque Virginis templo, quod *in Turri* appellabant, injecit. Quibus incenſis, tandem ſcelere ac ſanguine imbutus Baſilicam irrupit, non utique ſera execrandi facinoris pœna. Nam vulgata inter ſuos peſtilentia, qua milites & clariſſimi duces perierunt, maturare ab Urbe non diſceſſum, ſed fugam, & ſola ſuorum funera referre coactus eſt. Aberat Vaticano Alexander [1], cum ibi ſæviret obſidio, & ad Frangipanum domos periculo vacuas cum Patribus, & aulicis venerat Lateranis ab ædibus. Erant enim illa tempeſtate ad S. Mariæ cognomento *Novæ* firmiſſimæ munitiones in antiquis Cæſarum fabricis conſtitutæ: Caſtellaria in thermis Titi, Coloſſæum in amphitheatro Veſpaſiani, Turris Cartularia, quæ propria Frangipanum iiſdem auctoribus nomen dedit, ut illo ævo *de Cartularia* dicerentur: ejuſque veſtigia (ait Card. Baronius) *viſuntur uſque hodie juxta arcum Titi ad radices Palatini*. Quam & dixere cum arcu Titi *Septem Lucernarum*. Ibi tuto degebat Pontifex, paulo poſt in Campaniam profectus, manſitque caſtrum in ejus, ac deinceps aliorum fere Pontificum poteſtate. Verum de Nicolao III. Urſino [2] Ciaconius ſubobſcura loquitur: *Arcem S. Angeli, Eccleſia excepta, Urſo fratris filio donavit*. Sed & auctor vitæ Nicolai Renzii [3] *Nicolao Urſino* pluſquam præfecturam videtur aſcribere: cum tamen Renzius, longe agente in Gallia Pontifice, Romanum regimen Tribuni aſſumpto nomine adeptus, arces, tranſitus, ponteſque Urbis in ſua etiam ditione habere voluerit. Dejectus quidem tribunatu ad arcem ſtatim ſe contulit, illaque ſe clauſit; deinde clam diſceſſit in Boemiam, ſeptimoque poſt anno ab Innocentio VI. ad repetendam dignitatem miſſus, dein Romæ populari conjuratione obtruncatus eſt. Exinde cum populus ejecto pontificio Senatori ſeptem cives *Reformatorum* nomine ſubrogaſſet (quorum jam ſublatæ præter duas familiæ, *De Capite ferreo & De Gottifredis*,) ne popularis audacia frenos frangeret, aut arcem irrumperet aliquando; Pontifex novum Senatorem impoſuit Hugonem Luſignanum Regem Cypri, Reformatorum magiſtratum confeſtim aboleri juſſit.

Rediit deinde Pontifex e Gallia Gregorius XI. [4] eoque duobus poſt annis vita functo, creatus eſt in Urbe Urbanus VI. Cum populi metu, qui armis ac tumultu omnia compleverat, quidam Cardinales in arcem confugere, qua ne revocante quidem Pontifice decedere voluerunt. Venerat tum arx neſcio quomodo in poteſtatem Gerardi Cardinalis Galli, qui Petro præfecto cuſtodiendam dederat, neque Pontifex ſoluta quamvis pecunia ab eodem recuperare potuit. Immo cum profecti ab Urbe Gallici Cardinales, & aliquot accitis, Pſeudopontificem Fundis creaſſent; Pontifex Urbanus Tibure ad Urbem reverſus, aliquot menſes propinquas ædes Tranſtiberino Virginis templo incoluit; loco opportuno, & munito, quod Arx [5] in poteſtate Cardinalium Gallorum eſſet. Diſceſſit deinde falſus ille Clemens VII. in Galliam, in Campaniam Urbanus: quo tempore, ut probabilis conjectura fert, populus vel pactus cum præfecto, vel vi exacto ejus præſidio ad ſeſe arcem tranſtulit: neque deinceps conſtat, an Urbanus de ejus poteſtate receperit. Bonifacius IX. Urbani ſucceſſor ex Umbria Romanorum rogatu ad Urbem reverſus, cum pendi ſibi publica vectigalia mandaſſet, creaſſetque pro arbitrio magiſtratus, etiam Adriani Molem recepit, quam priſcis fatiſcentibus, novis mœnibus cinxit, muniiſque pontibus frenos Urbi impoſuit [6], & Ponti-

1 Arx recipitur ab Innocentio Pont. Anno ſal. 1141. 2 Ut arbitratur Card. Baronius. 3 Baronius tom. 12. ann. ſalut 1146. 4 Anno ſal. 1155. 5 Anno ſal. 1154. 6 Eodem anno, & ſequenti. 7 Baron. an. 1167.

1 Alexander Pontifex domibus civium ſe defendit. 2 In vita Nicol. c. 16. & 28. Anno ſal. 1347. 3 Auctor ejus vitæ c. 10. Ann. 1353. Tabulæ Capitolinæ, & vetus Statutorum MS Codex collegii Mercatorum. 4 Anno ſal. 1376. 5 Arx in poteſtate Cardinalium Gallorum. 6 Anno ſal. 1392. Recepta & munita a Pontifice.

ficias opes latius propagavit. Verum Innocentio VII. ad Pontificatum evecto Romani iterum reſtitui ſibi libertatem, reddique Capitolium, pontem Milvium, & Arcem petebant. Mox itum ad arma, ac per abſentiam Pontificis occupato Capitolino colle, ac ponte Milvio, Arcem fruſtra oppugnarunt. Nam cohortes Pontificiæ, quæ ſupervenerant, Romanos auxiliareſque eorum copias fudere in Campis Neronianis. Sic receſſum ab armis, & pacata deinceps poteſtas, donec Joanne XXIII. Pontifice Ladiſlaus regni Neapolitani rex [1] Oſtia Tiberina expugnata dirutiſque muris Conſtantinianam verſus Baſilicam, potitus eſt Palatio Lateranenſi; tum Joanne in Hetruriam profecto, Arcem S. Angeli in deditionem accepit, non multo poſt ipſe veneno periturus. Tenebatur Arx abſente Pontifice, Joannæ II. Reginæ nomine, quæ Ladiſlao fratri ſucceſſerat: neque eam Brachius Montonius quamvis acriter obſeſſam cepit, qui, Sfortia cum Joanne copiis Urbem porta Flaminia ingreſſo, pulſus fugatuſque eſt. Redditur deinde Moles Martino V. [2] Pontifici Eugenio IV. Captus quidam Maſius faſſus eſt in quæſtione, ſibi in animo fuiſſe Arcem S. Angeli dolo capere interfecto Arcis præfecto, ut Pontifex & Urſini ab Urbe pellerentur. De quo poſtea ſumptum ſupplicium eſt. Idem Pontifex, cum orta populi ſeditione e Tranſtiberino palatio ad fluvium primum, inde ſecundo Tiberi ad oſtia fluminis, tum Piſas Florentiam perveniſſet, Romani [3], qui Urbem ſuos per magiſtratus regere cœperant, ut Arcem quoque obtinerent, urbanas cohortes ad eam admoverunt. Sed a Præfecto callido fortique viro deceptis, captiſque per ſimulationem deditionis primoribus civium quievere. Sub hæc tempora Sixtus IV. antiquatum jam morem renovavit tradendi Cardinalibus Arcis Præfecturam. Chriſtophorus enim primum, tum Dominicus Ruverei Cardinales leguntur ab illo Præfecti Arcis conſtituti [4]. Adhæc Innocentio VIII. Pontifice legitur Præfectus Arcis a Juliano Ruvereo Cardinali ei muneri præpoſitus. Quod ſane licere illi non poterat, niſi peculiaris ejus moderandæ cura Julianum attigiſſet. Ennius etiam Verulanus, & Joannes Vincentius Aquaviva Cardinales Paulo III. rerum potiente Arcis Præfecti dicuntur fuiſſe.

At poſt Innocentium Alexander Borgia, hujus nominis VI. in Arcis muniendæ curam intentus [5] vetus Mauſoleum magnis quadratiſque lapidibus compactum, opere lateritio excelſius fecit, commodaſque ædes ſuperſtruxit, pulcherrimum propugnaculum proſtantibus identidem Tiburtinis quadratis, imminens Tiberi Ælioque ponti erexit: tutas denique munitiones conſtituit [6], quibus ipſe ſponte ſe ali quandiu tenuit, ingreſſo in Urbem cum copiis Carolo VIII. Francorum Rege. Mortuo Alexandro Cæſar Valentinus Arcem, quam habebat in poteſtate aggeribus vallatam, & Vaticanum cum duodecim millibus armatorum circumſedit, ut Patres in ædibus Pontificiis habituros comitia ad ſua vota compelleret. Qui cum in ædem & cœnobium Virginis ſupra Minervam confugiſſent, inire comitia noluerunt, donec egreſſo cum militibus Cæſare, Vaticano & Arce recepta, urbaniſque cohortibus totam Urbem firmarunt. Cæterum validæ Alexandri munitiones impetum victoris exercitus repreſſerunt, qui Borbonio duce Vaticanum & Urbem irruperat: ſeptemque ipſos menſes obſidentem retardarunt, donec emiſſus, ſeu clam profectus Pontifex libertatem recepit [7]. Fuerat Alexander Farneſius Cardinalis cum Clemente in Arce detentus: tum ejus ſucceſſor [8] vetera per obſidionem quaſſata refici, nova ædificari, inſtrui bellico inſtrumento, ſuperiores ædes inſtaurari, picturis ornari juſſit. Plura molitus eſt Pius IV. [1] qui nova mœnia latiore circuitu, porrectis, ſeſeque invicem tuentibus propugnaculis adjunxit, ut hoſti, qui primum vallum intraſſet, ſecunda molis munimenta bellum de integro formidabile occultarent.

Sed quamvis hæc caute prudenterque proviſa, nondum tamen periti rei militaris inſtructam ſatis Arcem prædicabant: deque ea munienda nonnulli commentarios, libroſque in lucem edidere ad oſtentationem magis ingenii, quam adducendos Pontificum animos, quos longe voluntas abſtraxerat. At Urbanus VIII. [2] vix inito Pontificatu operis molitionem aggreſſus, celeriter magno ſumptu perfecit. Nam mœnia intuta adverſus tormentorum ictus, elato ſuper terreo AGGERE [3] ad eos eludendos oppleta ſunt: perducta latiſſimam in altitudinem FOSSA, eoque interfluentis aquæ corrivatus RIVUS ſeſe evolvens in Tiberim: quædam quæ deſiderabantur adjecta PROPUGNACULA, interque magna pars muri directa. Camporum retro jacentium elata paulatim acclivitas, ut foſſæ crepido æquaret altitudinem mœnium: diſturbata circum tecta, & vacuum ab ædificiis patefactum ſolum. Dejectum propugnaculum lapideum Alexandri VI. quod in medio ſitum extrema & anguloſa propugnacula, mutuo ſe tueri, invicemque bombardas collineare prohibebat. Quod & Tiberis ALVEUM laxavit [4]. Pons enim Ælius quatuor magnis arcubus, duobus minoribus extremis ripam utramque conjungit. Horum duos clauſerat abſtuleratque Alexandri munitio. Quare fluvius coarctato alveo tranſituque, & hibernis aquis crebro intumeſcens, reliquis arcubus haud facile eluctabatur, ne Urbem inundaret. Quod ſane cum timeretur, ſpondarum partem amoveri ſemel vidimus. Verum ſublato propugnaculo ponti redditi Arcus ſui minantem Urbi fluvium, exceptis undis, jam ſemel repreſſere, ne extra ripas effunderetur. Præter hæc æneæ MACHINÆ ad centum, diſpari magnitudine conflatæ, perque muros collocatæ: DOMUS præſidiario militi, horrea frumento, apothecæ oleo, cellæ vino condendo, receptacula pyrio pulveri, cæteroque bellico inſtrumento parata: juſſæ diſpoſitæque novæ militum ſtationes ac vigiliæ, addita præter morem cohorte: aditus in Arcem ligneo mobilique PONTE, ſolidiſſima muri compage ferreiſque clauſtris, & foribus communitus. Eodem ſtudio Pontifex ARMAMENTARIUM [5] copioſiſſimum, refertiſſimumque, quo, ſi aliqua vis ingruat, maximi exercitus arma in promptu habeantur, inſtruxit in Vaticano. Nimirum Apes non ſolum mel conficiunt, ſed etjam aculeatæ armantur ad pugnam. Ut quæ præcelſa de ſede Urbanæ liquorem ſapientiæ, in populos effuderunt, conſtanti etiam fortitudine timorem provocantibus inferrent.

1 In poteſtate Ladiſlai Regis. 2 Reddita iterum Pontifici. 3 Romani Arcem fruſtra obſident. 4 Præfecti Arcis Cardinales. 5 Arx iterum munitur. 6 Anno ſal. 1494 7 Anno ſal. 1507. 8 Paulus III. munit. Arcem.

1 Et Pius IV. qui novis mœnibus cingit. 2 Urbanus VIII. Arcem firmius communit. 3 Agger, foſſa, propugnacula addita. 4 Laxatus Tiberis alveus. 5 Armamentarium in Vaticano.

CAP. VIII.

Quæ poſt Leonem IV. ædificata ſunt.

SUCCESSIT Leoni Benedictus hujus nominis III. [1] qui tectum Baſilicæ S. Petri magnis trabibus firmavit, inſtauravitque: apſidem S. Mariæ trans Tiberim meliorem in formam erexit: porticum, aliaque circum ædificia reſtituit. ÆDEM SS. Petri, & Marcellini renovato tecto, &

1 Benedictus III.

circumjectas olim porticus refici jussit. Ejus autem successor Nicolaus [1] ad templum S. Mariæ *in Cosmedin* renovata Porticu, Secretarium, ac præcipuam domum, in eaque novum postea Triclinium [2] ædificavit, in quam Pontifices cum universa Curia pro arbitratu diverterent. Ductus [3] Aquæ TOCIÆ, ait Anastasius (quæ sit ex antiquis, nisi forte sit Tepula, ego nolim divinare) iterum reficiendos, dilapsosque rivos in Urbem reducendos curavit: tum aquam, quæ olim in Vaticanum deducta, fluere desierat, ejusdem impensa Basilicæ S. Petri, & pauperum gregibus inibi degentibus est restituta. Extruxerat Leo IV. templum sanctissimæ Virginis NOVÆ cognomento juxta Sacram viam. Hoc Nicolaus [4] picturis egregie ornavit. Ostiam mœnibus, ne Barbaris pateret, conclusit: turribus, & militum stationibus munivit. In Patriarchio Lateranensi [5] DOMUM pulcherrimam, & sacellum supremæ Dei matri splendide instructum condidit. Idem Basilicam (ut refert Anastasius, seu quis alius in vita Adriani II.) *Nicolaitanam adeo luculenter cum tribus Aquæductibus fabrefactis instruxerat, ut omnes Lateranenses Basilicas sui pulchritudine superaret. Hanc Adrianus juxta votum prædecessoris sui picturis variis decoravit*. Neque hoc Sacellum a Patriarchio videtur sejungendum.

Consequuta tempora incuriosiore operum memoria defluxerunt [6]. Cæterum Sergius III. anno salutis 907. BASILICAM Lateranensem, quæ terræmotu concussa Stephano IV. Pontifice corruerat, instauravit, ornavitque picturis non sine titulo nominis sui. Martinus autem III. triginta quinque post annos religionis studiosissimus TEMPLA vetustate collapsa impense restituit. At sub Leone IX. magna pars Urbis incendio [7] corrupta dicitur, anno circiter ML. Sed triginta post annis Gregorio VII. Pontifice malum longe luctuosum passa est expugnatione, direptione, incendio. Nam cum Henricus III. Imperator Gregorium Ecclesiasticæ libertatis vindicem acerrimum bello persequeretur, venit Romam cum exercitu, & ab Urbe Leonina primum repulsus, eamdem, sequenti anno ad obsidionem reversus Romanis frustra tutantibus, cepit [8]. Sed a reliqua Urbe disclusus, & diu conflictatus Tibur recessit, relicto in castris, reique bellicæ præfecto Guiberto, seu Clemente Pseudopontifice. Ab eo pleraque ædificia, quibus pepercerat Henricus, aut ferro lacerata, aut igne combusta. Dein Cæsar graviore belli mole Urbem adortus tandem irrupit [9]: tum explorato, Robertum Guiscardum suppetias Pontifici ferentem adventare cum invicto Normannorum exercitu, se recepit in Hetruriam, posteaquam dispositis præsidiis munitissima Urbis loca instituisset. Robertus porta Flaminia Urbem ingressus, resistentibus civibus Henrici fœderatis plana Campi Martii, usque ad Arcum quem Portugalliæ nominant, incendio consumpsit. Mox Lateranum & ædes Pontificias occupavit. Ex ea velut arce Capitolium versus, quod tenebant hostes, ferro, & igne viam aperuit. Quare & illa pars Urbis eversa: & ipsum Capitolium fere solo tenus æquatum est. Inde Civitas prædæ data, & solutus obsidione Pontifex. Duraret hodieque in Cœlio Monte, interque ipsum & Capitolium miserabilis facies prostratæ Urbis, nisi in hortorum vinetorumque amœnitatem Roma resurrexisset, ut perpetua viriditate contegeret vulnera, & ruinas suas.

Antequam hæc omnia gererentur, ejusdem Guiberti opera Cincius Romanus Stephani Præfecti filius sacris operantem Gregorium in templo Esquilinæ Virginis captum, & in Parionis regionem deductum turri incluserat. Sed postridie Populus Romanus sumptis armis, assertoque in libertatem Pontifice, audacissimi hominis ædes turrimque evertit, publicatis insuper bonis, pulsaque ab Urbe familia naribus mutilata. Petri etiam Frangipanis domum Gregorio IX. rerum potiente Pontificia factio cum Turri, quæ *Cancellaria* dicebatur, evertit. Petrus enim Gregorium Urbis aditu prohibuerat. At Corsorum, Romani potentisque generis ÆDES sub Capitolio insignes ab Henrico exustæ, ac solo æquatæ sunt, quod pro Gregorio Corsi fideliter fortiterque pugnabant. Sed firmiores aliæ ab iisdem extructæ, in quibus Gelasius Pontifex sese tutatus est, cum ante ad Bulgamini domum clari item civis confugisset. Nec postea Innocentio II. cum vim Anacleti declinaret, aliud in Urbe subsidium paratum est, præter Corsorum, & Frangipanum domos. ÆDES item Petri Leonis quibus Capitolii rupes imminebat, tum nobiles fuere. Multas autem privatorum civium illa tempestate in Urbe munitiones fuisse argumento est, quod Alexandri III. hostis Federicus Roma discessurus [1], cæteros quidem ad suas partes traduxit; Frangipanes vero pluresque alios nobiles cives, qui præcelsis se turribus, ac munitis ædibus clauserant, non potuit abducere a Pontificis fide.

Sed ut opera Pontificum persequar, Paschalis II. quindecim TEMPLA Romæ scribitur consecrasse: inter quæ fuit ædes quatuor Coronatorum in monte Cœlio cum reliquis ejus regionis ædificiis diruta: multorumque Sanctorum corpora sub altari composuit, quæ paucis ante annis Garzias Cardinalis Millinus, cum, apside muris picturisque renovata, aram pulcherrimam locaret, in eodem loco religiose composuit. Callixtus item II. multas in Urbe ædes sacras vetustate collapsas restituit: aquam induxit: S. NICOLAI Ecclesiam in Palatio ædificavit. Innocentius II. [2] ædem S. ANASTASII ad Aquas Salvias nobili Cœnobio amplificavit. Apsidem S. MARIÆ trans Tiberim musivo opere, quod hodie extat, crustavit: Lateranensem Basilicam novo tecto contexit: Palatium vero cubiculis auctum pictura coloravit. Caput Basilicæ S. PAULI quassatum, & casurum solidissima murorum compage sustinuit, quod deinde Honorius III. vermiculatum figuravit, atque ejusdem Basilicæ tectum magna ex parte restituit. Quo tempore ædes S. LAURENTII in Lucina renovatur, consecraturque ab Anacleto Pseudopapa, anno MCXXX. [3] ut tabula marmorea in aditu dextrorsum ædem ineuntibus indicat. Eodem tempore Gerardus Cardinalis S. Crucis in Hierusalem, qui postea creatus Pontifex Lucius II. dictus est, templum illud instauravit, & cœnobium: in eoque claustrum cum tabernis, & officinis, & Canonicorum inibi degentium cellis exædificavit. Eugenius etiam III. dicitur vetustas fabricas reparasse, novas excitasse. PORTICUM [4] quidem Basilicæ Liberianæ aut novam extruxit, aut splendide restituit, & ad initia templi tesserulis multicolores induxit effigies. PALATIUM [5] apud S. Petrum a fundamentis erexit, magnificum certe, & amplum, & Pontificum usui futurum, si quando Vaticanum incolerent. Itaque Adrianus IV. coronato Federico I. Imperatore, cum ille in castra se recepisset, ipse in propinquum Palatium S. Petri divertit; cum antea Anastasius IV. ÆDES egregias apud Pantheon suo, & successorum commodo fabricarit, qui sane multa

1 Et Nicolai I. opera. 2 Triclinium pro Pontificibus 3 Aquæductus refectus. 4 Anast. in vita Benedicti, & Nicolai. 5 Auctum Lateranense Palatium. 6 Platina, Ciaconius. 7 Incendium Urbis. 8 Urbs Leonina capta. 9 Roma ab Henrico III. capta. Ann. 1084.

1 Baron. anno 1167. 2 Innocentii II. opera. 3 De ea Baron. eodem ann. 4 Porticus S. Mariæ Majoris. 5 Palatium Pontificum apud S. Petrum.

ad Urbis ornatum destinaverat, nisi cita mors intervenisset. A

A Clemente III. qui annuam pensionem [1] muris reficiendis populo Romano spoponderat, claustrum Cœnobii S. Laurentii extra muros factum est: in templo pictura lapidum coloribus simulata. Palatium Lateranense non mediocri sumptu restitutum & amplificatum; cui & cubicula Cœlestinus IV. postea adjecit atque egregias ÆDES in Vaticano iis fortasse, quas Eugenius III. fecerat, adjunctas extruxit. Quantum autem jam tum esset palatium Vaticanum indicio est, quod Petrus II. Aragoniæ [2] B Rex ingenti comitatu veniens ad Urbem, ut per manus III. regni coronam acciperet, Pontificiis ædibus in Vaticano exceptus est. Ejus porro Pontificis quædam egregie structa referuntur: ornatum altare S. Petri: ejusque Basilicæ APSIS musivo opere elaborata. Hujus operis tamquam index, ejusdem Innocentii imago [3] adhuc superstes vivit. quam diruto veteri templo e summa testudine detractam, pone radiata cum columba reservarunt. Eam Clemens VIII. Lothario duci Poli dono dedit, ut ad illustrem stirpis memoriam custodiret: C qui muro sacelli S. MARIÆ cognomento *Candidæ* in Polensi foro, inserendam curavit. Porro innocens columba ideo comitatur Innocentium, quod in ejus, cum assumeretur ad pontificatum, humerum subvolarit. idque testatur de ejus vita manuscriptus liber. Idem Pontifex ædem S. SIXTI collabentem restituit. Duas in Urbe Hospitales domos condidit. Alteram in Cœlio monte redimendis captivis, cujus extimi parietes hodieque visuntur ad Hortos Matthæiorum, vico interjecto, quod SS. TRINITATIS *redemptionis Captivorum* nuncupavit. D Alterum in civitate Leoniana S. SPIRITUS [4] nomine celebre magnisque auctum proventibus, quo peregrini, ægroti, vulgo concepti, orphani, pueri, puellæque alerentur. Fundatoris gloriam comitantur insignia Comitum in amplis locis depicta porticibus. Idem TURRIM, quam *Comitum* [5] nuncupant, in Suburra extruxit, sive antiquitus lapide quadrato extructam coctili laterculo operuit Marchionne insigni suæ ætatis Architecto, ad stabiliendam, ut ferebat mos illorum temporum, familiæ vel securitatem, vel magnitudinem. Jam tum enim in ea vicinia Comites domos sedesque fixerant: quarum hodie aliqua pars superat, quamvis pridem splendore amisso viles in usus conversa. Ex eadem Comitum gente Gregorius IX. Innocentii vel æmulatione, vel quovis alio consilio TURRIM, vulgo *Militarium* [6] in summo Quirinali jugo Æmilii Pauli vetustæ fabricæ imminentem erexit. Idem Pontifex musivas imagines fronti Basilicæ Vaticanæ affabre induxit, non sine sua ipsius effigie. Quam Paulus V. ut templum perficeret, vetustos parietes demolitus, conservatam eidem duci Poli donavit, ut apud se, eadem atque alteram cura haberet. Isque eodem in sacello Candidæ Virginis Poli reposuit.

Cæterum Honorius III. [7] e gente Sabella Innocentii successor cœnobium S. LAURENTII extra muros instauravit, & templum B. Martyris. Cujus confessionem Franciscus Card. Boncompagnus cancellis qua marmoreis, qua inauratis præseptam, tabulis etiam e marmore variam in speciem segmentatis decoravit. PORTICUM præterea Honorius marmoreis, & in spiram striatis fultam columnis, musivo & picturis ornatam apposuit. Ædem S. BIBIANÆ [8] cum cœnobio Monialium refecit. Quam inter vineta fere sepultam Urbanus VIII. renovatis parietibus, extructa porticu, ara marmore, laqueari, murisque pictura vestitis: patefacta, & umbrosis arboribus ad amœnitatem consita via: disturbatis, qui aditum intercludebant, priscis aquæductibus arcuatis, magnifice restituit. Honorius autem præter hæc, condito S. MARTINI cœnobio Ecclesiam Sanctorum Vincentii, & Anastasii consecravit. Idem Cardinalis Camerarius æneas FO-

1 Annua pensio ad reficiendos muros. 2 Aragoniæ Rex Vaticanis Ædibus excipitur. 3 Innocentii III. imago, & opera. 4 Nosocomium celebre S. Spiritus.

5 Turris Comitum. 6 Turris Militarium. 7 Honorii III. opera. 8 Ædes S. Bibianæ refecta & ornata.



RES.

RES, quæ in Basilica Lateranensi visuntur antea faciendas curaverat. Sed cum illi Gregorius IX. in pontificatu successisset, florebat in Urbe nobilitate ac potentia Jacobus Capocius, qui aram & aræ imminens tessellatum e marmore tabernaculum columnis elatum in Basilica Esquilina composuit. Petrus autem Capocius Cardinalis propinquum illi NOSOCOMIVM [1], templum & cœnobium S. Antonii moriens extrui mandavit. Per id tempus Bobonis & Ægidii nobilium Romanorum domus, quod a Pontifice dissentirent, ab ejus fautoribus eversæ. Porro Gregorius præter ornatam, ut dixi, Vaticanam Basilicam, veteres CLOACAS repurgavit, novas substruxit. Aream Lateranensem quorumdam domibus turribusque disturbatis, laxavit: Patriarchium auxit: ingens NOSOCOMIVM [2] illi propinquum curandis ægrotis fundavit. Alexandri IV. ex eadem Comitum gente, spectata religio templum olim Bacchi, ut ajunt, testudinatum ad S. Agnetis, sacro ritu expiavit, dicavitque S. CONSTANTIÆ. [3] Quod paucis ab hinc annis Fabritius Cardinalis Verallus situ deterso, picturata marmoreis crustis ara, dealbatis circumpictisque parietibus ad eximium cultum revocavit.

Jam vero SS. Adriani, & quatuor Coronatorum ædes restitutæ, cum tecto Oratorii S. Sylvestri, & aulæ Lateranensis, Urbani IV. opera sunt. Sed in Laterano plura molitus est Nicolaus III. genere Ursinus. Nam Basilicam Constantinianam [4] renovare aggressus, quod opus antea cœptaverat Adrianus IV. Ædes Lateranenses ab Adriano item inchoatas perfecit. Iisdem in ædibus SACELLVM Sancta Sanctorum a fundamentis condidit musivo crustisque marmoreis coopertum, priore jam vetustate collapso: eoque SS. Petri & Pauli capita contulit, donec Basilicæ Constantinianæ restitutio absolveretur. Qua peracta in templum solemni supplicatione Populi Romani capsulis argenteis inclusa retulit, & in Altari excelso, septoque inauratis cancellis reposuit. ÆDES idem apud S. Petrum [5] percommodas statuit, quas deinde Nicolaus V. magna impensa restauravit. HORTOS Pontificios inibi muris in Urbis modum cinxit. Basilicam S. Petri, quam fere vetustas confecerat, reficiendam locavit, pingendamque in zophoro coronæ ad vivum expressis summorum Pontificum imaginibus. Idemque in Basilica S. Pauli præstitisse fertur. Honorius autem IV. [6] egregias ædes apud S. SABINAM. quarum vestigia supersunt, cum in Aventino habitaret, extruxit: cumque multis Romanorum, ut in eo colle ædificarent tenderentque, exemplo esset, brevi mons ipse factus est incolis, domibusque frequentior. De Nicolao IV. sic Platina: *Apud S. Mariam Majorem habitavit, quam BASILICAM ipse una cum Jacobo Columna restituit, ut in fornice majori apparet; unde Salvatoris, ipsiusque Pontificis, ac Jacobi Cardinalis imago ex opere musivo adhuc cernitur. Idem quoque Pontifex, anteriorem posterioremque partem Basilicæ Lateranensis restituit, ornavitque opere vermiculato, quemadmodum litteræ ipsæ indicant*. Bonifacius VIII. Basilicam Vaticanam, in qua humari voluit, excoluit plurimum, & suggestum cum porticu Lateranensi templo subjecit.

At Clemente V. qui jam Romanam sedem in Galliam, Avenionem [7] transtulerat, id præter cætera infausto prodigio Romæ fuit, quod fortuito incendio arsit Constantiniana Basilica, corruitque [8]: Porticus, Patriarchium. & circumcirca ædes omnes præter Sacellum Sancta Sanctorum, exustæ sunt

1 Nosocomium, & templum S. Antonii. 2 Nosocomium in Laterano. 3 Templum Bacchi S. Constantiæ dicatum, ornatumque. 4 Laterana Basilica exornata. 5 Ædes pontificiæ apud S. Petrum. 6 Honorius IV. habitat in Aventino 7 Romana sedes Avenionem translata. Anno sal. 1308. 8 Basilica Lateranensis incensa.

Improvisæ calamitatis nuncio indoluit vehementer Pontifex, quod datæ ea super re ad regem Siciliæ testantur litteræ, quibus petit, ut cæsis in ejus ditione trabibus, materia in Urbem convehatur. Adhæc missa magnæ vi pecuniæ, atque indulgentias pie dilargitus sumptum in id opus facientibus, templum celeriter æque ac luculenter restituit. Benedictus XI. tectum Basilicæ Vaticanæ magna impensa sarcivit: quo Pontifice NOSOCOMIVM Incurabilium ex legato Petri Columnæ Cardinalis fundatum erectumque est.

Innocentio VI. *Templum Lateranense* (ait Ciaconius) *casu fortuito incenditur. nescitur tamen, quid obstiterit, quo minus Innocentii jussu reficeretur. Nam ad Urbanum V.* (ejus successorem) *scribit Petrarcha, Lateranum adhuc jacere, & Ecclesiarum omnium Matrem tecto carere*. Hæc ille. Sed nisi aliud afferatur, iis verbis Francisci Petrarchæ nullum inest novi incendii argumentum. Unde enim tam crebra conflagratio? Hanc vero postremam Platina, Onuphrius, & alii nescierunt. Quare, Urbano Pontifice, Lateranense templum non causa iterati incendii tecto caruit, sed quia cum reficeretur, per obitum Clementis V. & successorum absentiam non perfectum omnino fuerat, & aliquis angulus adhuc cœlo patebat. Hujus rei luculentus testis idem Petrarcha est, versu scribens ad Clementem VI. qui ante Urbanum, & Innocentium Pontificatum gesserat. Idque ibi, loquente Roma, narratur, nempe tecto carere Lateranum: sed causa refertur in flammas, quibus Clemente V. Basilica conflagraverat. Eo quippe incendio caput S. Pancratii [1], quod in ea servatur, tres dies sanguineo sudore ac lacrimis manavit. Id cum cæteris quæ acciderunt, Poeta commemorat. At quis perfecit? nam neque Urbanus, nec alius nominatim refertur. Fecisse tamen, si opus erat, Urbanus credendus omnino est, qui Romam reversus CAPITA APOSTOLORVM [2] quæsita, & in sacello Sancta Sanctorum inventa in majore ara Basilicæ Lateranensis venerabunda totius populi celebritate collocavit. Idem cum in Vaticano sibi sedem delegisset, propinquum templo Palatium partim collapsum, partim propediem collapsurum restituit, instruxitque hortis, & viridariis: tum in Galliam iterum reversurus, si per mortem licuisset, navigavit.

1 S. Pancratii caput sudore, ac lacrimis manat. 2 Capita Apostolorum in ara Basilicæ Lateranensis reposita.

CAP. IX.

Ædificia Romana post reversionem Pontificis e Gallia.

QUO in statu res forent urbanæ, scripsit ad Pontificem Franciscus Petrarcha [1]: *Jacent domus, labant mœnia, templa ruunt, sacra pereunt, calcantur leges*. & paulo post: *Lateranum humi jacet, & Ecclesiarum Mater omnium tecto carens ventis patet ac pluviis. Et Petri ac Pauli sanctissimæ domus tremunt, & Apostolorum, quæ nunc ædes fuerat, jam ruina est, informisque lapidum acervus, lapideis quoque pectoribus suspiria extorquens*. Idem alio loco [2]: *Romam longa suorum Pontificum ac Principum absentia extenuatam, & attritam, ac pæne consumptam dolens fateor. cujus vastitas*, &c. Idem ad Clementem VI.

Quot sunt mihi templa, quot arces,
Vulnera sunt totidem. crebris confusa ruinis.

1 Citata Epistola ab Urbanum V. 2 ad eumdem lib. 9. famil. Epist 1.

Mœnia relliquias immensæ & flebilis Urbis
Ostentant, lacrymasque movent spectantibus [1].

Idem Benedicto XII. inculcaverat. Gregorius igitur XI. Urbani successor Avenione Romam [2] rediens secum speciem tulit, & salutem Urbis, Anno MCCCLXXVI. *Mœnia*, inquit Platina, *& basilicæ, & publica ac privata ædificia ubique ruinam minabantur. Quæ certe magna ex parte restituit, ut turris suo jussu ædificata ad S. Mariam Majorem indicat.* Sed duos post annos intempestiva morte sublatus, multa, quæ cœperat, absolvere non valuit. Venerat cum eo Romam Petrus de Luna Hispanus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin [3], qui postea Antipontifex Benedictum XII. se appellavit. Hic cum habitaret in ædibus S. Apollinaris propinquis ad Turrim vulgo *Sanguineam*, easdem suo sumptu magnifice instauravit. Urbanus VI. Gregorii successor variis perturbationibus distentus nullum lapidem movere potuit. Bonifacius IX. propensissimus ad excolendam ædificiis Urbem fuisse dicitur. ÆDES Senatoris in Capitolio [4]: nonnulla in Vaticano, ut ejus stemma demonstrat: alia alibi, præsertim in Adriani Mole construxit, quam tutissimam reddidit.

Nec tamen diu afflicta civitas satis se ex præterito malo recreaverat. Cum inter dissidia schismatis iterum discedente Pontifice carere coacta est. Et Martinus V. [5] celsi generis Columna tandem reversus [6] *adeo disruptam, & vastam invenit, ut nulla civitatis facies in ea videretur. Collabentes vidisses domos, collapsa templa, desertos vicos, cœnosam, & oblitam Urbem. Quare permotus Pontifex optimus animum ad exornandam civitatem adjecit. Porticum S. Petri jam collabentem restituit, & pavimentum Lateranensis Basilicæ opere vermiculato perfecit, & testudinem ligneam eidem templo superinduxit, picturamque Gentilis, opus pictoris egregii inchoavit. Ædes præterea ad duodecim Apostolos restituit, ubi & annos aliquot habitavit. Hujus autem studia Cardinales sequuti titulos suos ita certatim restituunt, ut jam aliqua facies rediisse Urbi Romæ videretur. Hanc ob rem civitas ipsa eum non modo summum Pontificem, verum etiam* Patriæ Parentem *appellavit.* Julianum Cæsarinum seniorem Cardinalem Martinus dixit, qui ÆDES Ducum Cæsarinorum [7] fundavit: Julianus junior Cardinalis perfecit ornavitque. Ejusdem apud Turrem Argentinam insignis porticus amœnis hortis adjungitur.

Eugenius IV. [8] perdiu absens ab Urbe fuit. Cum postea rediisset Templa reficere atque ornare non destitit. Nam BASILICAS S. Petri, S. Pauli, Lateranensem, Liberianam, S. Sebastiani, S. Susannæ, Pantheon instauravit, plateamque ejus patefecit, & instruxit. Sacellum in Palatio Vaticano etiam instaurato condidit. Æneas S. Petri valvas fieri jussit, quas Paulus V. longiores refecit.

Ea tempestate spectabilis in purpura vixit Dominicus Capranica [9], quam illi Martinus V. designaverat, tribuit Eugenius. Is Romæ sibi domum exstruxit: quam deinde doctrinarum studioso juvenum cœtui legavit, eisdemque alendis annuos redditus. Angelus porro ejus frater a Pio II. creatus Cardinalis domum illam incoluit: sed ne Dominici jussio irrita esset, collegium ei conjunctum, quod CAPRANICVM [10] appellant, magnificentius ædificavit.

Ab eodem Eugenio renunciati sunt Cardinales A Bessarion, Trapezuntius, Guilelmus de Estoutevilla, Ludovicus Mediarota, seu Scarampus, Joannes de Turrecremata. Habitavit Bessarion ad SS. Apostolorum [1]: deque eo Platina in ejus Panegyrico: *Ædes sacras aut instituit, aut collapsas vetustate reficit. Quod indicat templum Apostolorum in Urbe, ubi Sacellum sibi condidit, & secessus cryptæ ferratæ Beatæ Virgini dicatus. Domum quoque sibi paravit ita dignitati & facultatibus congruentem, ut neque melius quisquam, neque modestius in Urbe habitet.* Guilelmus nobile templum S. AVGVSTINI [2], sed nondum defæcatæ architecturæ, Sixto IV. B Pontifice Maximo a fundamentis erectum amplissimis muneribus donavit. Basilicam S. Mariæ Majoris ductis læva dextraque fornicibus restituit. ÆDES templo S. Apollinaris [3] adjunctas exstruxit: quas deinde Hieronymus Capiferreus Cardinalis refectas marmore picturisque decoravit: tum Cardinalis Joannes Baptista Pallavicinus ingenti ultra templum accessione futurorum officinis imminente ampliare cœpit, nec perfecit. Eas demum Gregorius XIII. instituto ab se COLLEGIO GERMANICO [4] habitandas dedit. Templum præter quotidianam accuratamque sacrorum curam, illustri argenti vestiumque lauto instrumento, & di- C vinis precibus concentu musico perite concinneque emodulatis per dies totius anni festos, Principibus civibusque celebratur assidue. Germanica porro & Hungarica juventus, quæ in spem tuendæ propagandæque fidei educatur, domi pridem consignatum exemplar cultus religionum ac doctrinæ ipsa per sese exprimit: quod deinde transferat in patriam sordibus hæreticæ improbitatis oppositum. Neque hoc loco ejusdem Hieronymi, quamvis ad posteriora Pauli III. tempora referatur, magnificentia excitandis peramplis ac pulcherrimis ædibus omittenda est: quas Farnesianis propinquas, Romæque semper laudatas, nuper Cardinalis Ber- D nardinus Spada magno coemptas miram in speciem composuit. Joannes de Turrecremata templum S. MARIÆ *supra Minervam* [5] cameravit, texitque media testudine, cui exædificando alii quoque Romani Principes impendium fecere. Nam Odeum, postea refectum, Sabelli: arcum fornicemque aræ primariæ imminentem, Cajetani: templi faciem Ursini posuere. Idem porro Joannes atrium, quod claustrum vocant, a fundamentis conditum picturis illuminavit. Nunc vero exornato Secretario, magna, ut dicebam, & eleganti absoluti operis fabrica Cœnobium augetur. At Scarampus CAM- E PVM FLORÆ [6], quod nomen a Flora Pompejo cara non duxerim, neglectum atque in equorum pascua herbosum ac viridem lapidibus stravit, solo utique fœcundiore, ut in eo deinceps nundinæ mercimonia depascerent, & floreret siliceo in Campo forum Floræ. Ædes idem juxta Basilicam Sancti Laurentii *in Damaso* magno sumptu absolvit.

Ejusdem Eugenii beneficio fundatam ab se Oblatarum Virgini Matri familiam FRANCISCA Romana sanctitate celebris coegit in ædes prope Capitolium institutas. TVRRIS SPECVLORVM [7] Cœnobio nomen est: quod loco ante impositum F conservavit. Turrita nempe altitudine ac securitate Virtutum, quarum fulgor tamquam speculo repercussus longius funditur, & propagatur illustrius. Hoc sane ut inclusa Annunciatæ Virginis, ac perornata ædes nobilitavit, ita magnopere auxit non minus virginalis præstantium fœminarum, quam adepto jam conjugio soluta nobilitas.

1 Misera Urbis conditio absente Pontifice. 2 Pontifex redit ad Urbem. 3 Ex nobili familia de Sanguineis, quæ defecit. 4 Ædes Senatoris in Capitolio. 5 Martinus V. Urbem restaurat. 6 Platina. 7 Ædes Ducum Cæsarinorum. 8 Eugenius IV. ædificia restituit. 9 Ædes Card. de Capranica. 10 Et Collegium Capranicense.

1 Bessarionis Card. Sacellum, & Ædes. 2 S. Augustini templum. 3 Ædes S. Apollinaris. 4 Collegium Germanicum. 5 Templum S. Mariæ supra Minervam. 6 Campus Floræ. 7 Cœnobium Turris Speculorum. A *speculis*, ut ajunt, Turri impositis.

Jam vero Nicolaus V. Eugenii successor ædificavit magnifice ac splendide: oblata quoque pecunia multos in Urbe ædificantes juvit. Ipse quidem ÆDES Pontificias in Esquiliis [1] prope Basilicam Maximæ Virginis condidit; quæ aliquot ante annis, desertæ jam ruinosisque parietibus, privatas in domos non sine civili cultu conversæ sunt. Templum S. STEPHANI [2] in Cœlio monte nova ædificatione restituit. Hoc summotis Eremitis e Pannonia olim Romam profectis, ejusque redditus Collegio Germanico & Hungarico tradidit Gregorius XIII. Tum vero circumductis pictura innumeris Martyrum triumphis exultum est: ut introeuntium obtutus alliciat, & pascat pietatem. S. THEODORI ædes [3] sphærica inter Capitolium & Palatinum in veteri Romano Foro, ejusdem Nicolai opus est: [4] PANTHEO quoque plumbeum operimentum, quod septingenti post restitutionem anni consumpserant, restitutum: ÆDES Pontificiæ Vaticanæ sumptuosis operibus amplificatæ: inchoata ad caput Basilicæ Sancti Petri perampla, & circumflexa testudo: PONS Milvius instauratus: Vici Urbis fere omnes lapidibus strati: BIBLIOTHECA Vaticana ab eodem viro multarum litterarum, & litteratorum studioso mirifice aucta: Urbis Leonianæ refecti muri. Demum Nicolaus, ut sepulchri monet Epigramma,

RESTITUIT MORES, MOENIA, TEMPLA, DOMOS.

Idem AQUAM VIRGINEM [1] multo ante dilapsam, mutato nomine Triviam Urbi reddidit. Id docet Fonti addita Inscriptio:

NICOLAUS V. PONT. MAX.

Post illustratam insignibus monumentis Urbem
Ductum Aquæ Virginis vetustate collapsum
Sua impensa in splendidiorem cultum restitui

Ornarique mandavit

Anno Domini Jesu Christi MCDLIII.

Cui deinde rursum restituendæ ducendæque Sixtus IV. plurimum opis ac sumptus contulit. Exstat, in Arcu ductus, prope Fontem, vetus Aquæ Virginis inscriptio, quæ a Donato, suo loco prætérita, hic recensenda est:

1 Ædes Pontificiæ in Esquiliis. 2 Templum S. Stephani Rotundum. 3 Ædes Theodori. 4 Cætera opera Nicolai V.

1 Aquæ Virginis ductus restitutus.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS
GERMANICVS. PONTIFEX. MAXIM. TRIB. POTEST. V
IMP. XI. P. P. COS. DESIGN. IIII. ARCVS
DVCTVS. AQVÆ. VIRGINIS. DISTVRBATOS. PER
C. CAESAREM. A. FVNDAMENTIS. NOVOS. FECIT
AC. RESTITVIT.

Latinum Ursinum, Philippum Calandrinum, Nicolaum de Cusa Germanum, præter cæteros, Nicolaus dixit Cardinales. Latinus Templum S. SALVATORIS [1] cognomento in Lauro inter egregia Romæ opera visendum fundavit: Cœnobium templo adjunxit. Philippus Calandrinus ÆDES ad S. Laurentii in Lucina [2], quas Joannes Morinensis Cardinalis ante ampliaverat, auxit. Auctæ etiam ornatæque sunt a Joanne Baptista Cibo, postea Innocentio VIII. & Georgio Costa Cardinali Lusitano: unde & propinquus Arcus Flaminiæ viæ impositus Portugalliæ cognomen assumpsit. Sed paucis abhinc annis Michael Perettus Sixti V. nepos Venafri Princeps munifice ædificare aggressus, earumque parte absoluta, aliam morte præventus imperfectam reliquit.

Callistus III. triennalis Pontifex, quod pecunias in usum Turcici belli contraheret, exiguos in ædificando sumptus fecit. Restituit tamen diruta Urbis mœnia, & S. PRISCÆ in Aventino templum [3]: quod Clemente VIII. Pontifice rursus instauratum ornavit Benedictus Cardinalis Justinianus: cujus, & Crescentiorum ædes spectantur prope Pantheon, ac thermas olim Alexandrinas. Pius II. Turcico item bello adornando intentus ædificandi tamen studio delectatus [4], SCALAS Basilicæ Vaticanæ vetustate dilapsas renovavit: ad eas simulacra marmorea SS. Petri & Pauli, quæ visuntur, imposuit. Aream pro templi foribus sternere parabat: porticum, unde Pontifex populo benediceret, inchoavit. Paulus II. ædes adhuc Cardinalis ad S. Marci [5] amplissimas exstruere cœperat: quas deinde cum Pontifex ædificaret ex amphitheatri ruinis (uti postea Raphael Riarius & Alexander Farnesius fecisse dicuntur) statuas veteres tota Urbe conquisitas eo transferendas curabat: absolutas solemnibus ludis, cursu præsertim in subjecta via dato Bacchanalibus feriis insigniri voluit. Oliverius Carrafa a Paulo dictus Cardinalis religione ac munificentia insignis templum S. LAURENTII extra muros [1] laqueato tecto picturis, & auro exornavit. Majorem partem templi Virginis AB ARA COELI: IN ÆDE SS. Sylvestri & Martini multa restituit. Canonicis Regularibus COENOBIUM struxit: quibus e Lateranensi Basilica translatus Sixtus IV. templum ædificavit, quod Magnæ Virgini ARBITRÆ PACIS dicatum, nec plane absolutum Innocentio VIII. perficiendum reliquit. Ei nuper Rivaldi apsidem, cum ara principe adjecerunt egregiis picturarum & marmorum operibus instructam. Verum Sixtus monumentis publicis reparatis aut exstructis totam Urbem excoluit. Nam (quæ fusius narrat Onuphrius) ut eam a situ cœnoque vindicaret vias muniit, & lateribus stravit: porticus ac mœnia, quæ deformia, trabibusque nixa, ac fere continuata prostabant e domorum parietibus, vicosque inobscurabant, dejecit. PONTEM vetere Janiculensem pridem ante disjectum, quem ruptum dicebant, publicæ commoditati, decorique a fundamentis Tiburtino lapide restituit, suoque nomine SIXTUM vocari jussit. Nosocomium S. SPIRITUS [2] obsoletum ac sordidum, ac vetustate pene collapsum usque ad solum diruit, & pulcherrimis ædificiis in meliorem, amplioremque formam ampliavit. Pueris expositis puellisque, quas nobiles dotavit, sedes in eo habitandas impertiit. Nobilibus quoque seorsum a promiscua plebe loca idonea decentique apparatu attribuit. Nobilem ædem S. MARIÆ POPULI [3] cognomento, ad muros Urbis, & ejusdem nominis portam, cum Cœnobio Ordini Augustinianorum posuit a fundamentis. Ædem quidem ante Virgini conditam constat a Paschale II. repurgato expiatoque loco, quem funestare credebantur cineres Neronis. Sed jam pene defecerat, nisi

1 Templum S. Salvatoris in Lauro. 2 Ædes ad S. Laurentii in Lucina. 3 Templum S. Priscæ restitutum, & ornatum. 4 Quædam Pii II. opera. 5 Palatium S. Marci.

1 Templa S. Laurentii extra muros, ab Ara Cœli, S. Mariæ de Pace. 2 Nosocomium S. Spiritus. 3 Ædes S. Mariæ Populi.

e suis quodammodo cineribus & ipsa resurrexisset. Basilicam D. Petri in Vaticano [1] idem Sixtus marmoreis & vitreis fenestris illuminatam, tum sinistro latere corruentem nova parietum soliditate firmavit. Basilicæ quoque Constantinianæ latera stravit: Palatium Lateranense [2] ruinosum resarcivit. Multas per Urbem sacras ædes [3] vetustate labefactatas sub annum Jubilæi MCDLXXV. reficiendas curavit. Muros item Urbis [4], multis locis temporum injuria collapsos. Ductus AQUÆ VIRGINIS [5] pæne confractos perpetuo fornice a monte Pincio ad Trivii fontem cum aqua perduxit. Cloacas Urbis repurgavit, & substruxit. M. Aurelii statuam æneam equestrem [6], & olim inauratam humili ac sordido loco jacentem in area Lateranensi augustiore loco reposuit: quam postea Paulus III. in area Capitolina, pulcherrimaque basi Parii marmoris collocavit adhuc ferentem spiritus insuitatæ artis. Ædes Pontificiæ in Vaticano [7] deductis amplissimis porticibus ab eodem Sixto renovatæ. Prætorianis Helvetiis Pontificis, & Palatii custodiæ ab eo primum delectis [8]: Magistratibus insuper, aliisque aulæ munera obeuntibus, sedes, quibus commode habitarent, conditæ. BIBLIOTHECA VATICANA [9] toto terrarum Orbe celeberrima advectis ex omni Europa voluminibus constituta; certi proventus, unde emerentur libri: Custodes & Librarii Græci, Latini, Hebraici, alerentur, designati. Opus sane dignum Pontifice ac religionum magistro: successoresque Pontifices strenue permovit, ut pro se quisque ejus dignitatem augerent. Neque ante illum Benedictus III. Martinus V. Nicolaus V. Pius II. Bibliothecæ parandæ curam deposuerant. Sed eos operis instruendi voluntas, non peracti laus fuerat consequuta. Tentatum ergo a pluribus fecit Sixtus IV. exactoque post seculo, quasi ex integro redorditus iterum perfecit Sixtus V. [10] Nam qua ædium Pontificiarum longissimum atrium Collis Vaticani modice declivis duo veluti cornua committit, novum ipse ædificium, quo atrium divideret, deduxit. Hic præter Bibliothecæ immensum Conclave, cujus fornicem lateritiæ pilæ e medio surgentes sustinent, alia subeunt minora libris item referta. Tum Librariis & Custodibus, ipsique Bibliothecæ Præfecto Cardinali idoneos cubiculorum ordines paravit, ut eo secedere pro arbitratu posset. Habet ædificii exterior paries imagines super albarium nigro illitum, stylo ferreo exaratas: interiorem coloribus pictura convestit. Ibi Armaria secundum parietes libros dispertitos pluteis recondunt. Quamquam hi pilis etiam appositi scamnorum instar intercurrunt molli acclivitati lectioni scriptionique percommoda, librisque super jacentibus. Codices membranis manuscripti, antiquissimi, innumerabiles: adduntur, & typis cusi. Adjecit Paulus V. tabularium, quo Pontificia diplomata continerentur. Urbanus VIII. Palatini ad Rhenum ditione pulsi celebrem Bibliothecam usque ab Adelberga Germaniæ Urbe translatam magno sumptu, ornatuque composuit; lætantibus videlicet codicibus, quod mutatis fortunato velut exilio sedibus, e Calviniano impietatis domicilio, in Vaticanum, nempe asylum Fidei confugerunt. At Sixtus IV. tot urbanis ædificiis haud contentus, reliquos Patres sæpe est hortatus, ut pro facultate quisque vel nova munimenta poneret, vel vetera renovaret. Idque a pluribus peractum est. Concludat ejus opera simulacro ejus in Vaticana Bibliotheca adscriptum Epigramma:

Templa, domum expositis, vicos, fora, mœnia, pontes,
Virgineam Trivii quod repararis aquam,
Prisca licet nautis statuas dare commoda portus,
Et Vaticanum cingere Xyste jugum.
Plus tamen Urbs debet; nam quæ squalore latebat
Cernitur in celebri Bibliotheca loco.

Hic vero omittendum non est, quod eodem Pontifice Petrus Riarius Cardinalis miro sumptu ædes [1] apud templum SS. Apostolorum inchoavit. Id ejus in fine admonet Epitaphium: *Qui majora mente conceperat, & pollicebatur, ut ædes miro sumptu apud Apostolos inchoatæ ostendunt*. Præterea Stephanus Nardinus a Sixto creatus Cardinalis amplas, & pro ejus ævi artificio eximias ÆDES in Parionis Regione condidit, quibus deinde Joannes Antonius Sorbellonus Cardinalis concinnavit ornatum e marmore. Nunc rursus refectas, & ornatas Urbanus VIII. Gubernatori Urbis [2], ejusque tabellionibus, & apparitoribus destinavit. NARDINUM Collegium idem Stephanus alendis ad sapientiam adolescentibus haud longe instituit. Joannem Millinum e Romana nobilitate ad purpuram Sixtus provexit, cujus operam in cæteris probatam ad instaurationem Vaticanæ Basilicæ traduxit, probavitque. Joannis porro germanus Petrus (referente Platina [3]) *splendide in Urbe ædificavit, non longe a Circo Flaminio, quem nunc Agonem a certaminibus appellant, quæ illic quotannis fieri consueverunt. Hæc domus, ut mihi quidem videtur, receptaculum totius Civitatis & Curiæ est: adeo frequenter eunt, & redeunt qui vel patris, vel filiorum opera indigent*. Hæc ille. Sed perperam Circum Agonis Flaminium nuncupat [4], qui propius portam Carmentalem, & Capitolium, longe ab hoc Alexandri Circo aberat. Paulum ab eo loco distant aliæ Millinorum ædes [5], in sedilibus veteris Circi conditæ, Navonjæque caveæ imminentes, novamque adeptæ excellitatem, & cultum.

Per idem tempus Raphael Riarius PALATIUM [6], quod postea usui fuit Vicecancellariis Cardinalibus, inchoavit: cujus sive amplitudinem, qua etiam templum S. Laurentii peramplum amplectitur, seu peristylum, duplici porticu ingentes aulas ac cœnationes, sejunctos cubiculorum ordines, illustria multorum Principum domicilia, plurésque contignationes: seu pulchritudinem spectes, & quadratos lapides undique ambientes, interiores picturas, lucentes versicolori marmore parietes, splendida successorum Patrum additamenta; judicabis, etiam in antiquo patriciarum domorum luxu vix aliquid fuisse vel ædificatione magnificentius, vel ornatu sumptuosius. Eodem Pontifice sub Capitolio, in finibus olim Fori Romani, cum quotidie imago magnæ Virginis exiguo in sacello rebus admirandis celebraretur; honestis civibus curantibus, ampliatum, posteaque in celebris templi formam redactum CONSOLATRICI Matri dedicatum est [7]. Ejus porro apsidem Alexander Cardinalis Riarius Bononiensis, & principem aram operosius ornatam, illustre tamquam solium paravit, unde Reginæ effigies sublimior fulgeret. Nosocomium templo adjunctum piorum eleemosynæ posuerunt.

Circa hæc tempora Ferdinandus, & Isabella Catholici Reges nobile Templum S. PETRI in Janiculo, *Montorum* [8] nuncupant, ubi vetusta ædes antea colebatur, posuerunt. Fratrum quoque e S. Francisci familia refectum Cœnobium: impluvio-

1 Basilica S. Petri. 2 Et S. Joannis, & Palatium. 3 Aliæ Ædes Sacræ. 4 Muri Urbis. 5 Aqua Virgo. 6 Statua M. Aurelii Imperatoris. 7 Ædes Pontificiæ. 8 Prætorianorum, aliorumque. 9 Bibliotheca Vaticana. 10 Sixtus V. Bibliothecam Vaticanam construxit.

1 Ædes Petri Riarii Card. inchoatæ. 2 Ædes Gubernatoris Urbis. 3 In Joannis Card. vita. 4 Ut 1. I. probatum est. 5 Ædes Millinorum. 6 Cancellariæ Palatium. 7 Ædes S. Mariæ de Consolatione. 8 Ædes S. Petri in Montorio.

que in medio Apostolorum Principi eo loci, quo cruci affixus dicitur, insigne sacellum excitatum est. Sed multorum incussu annorum inclinatum editi collis, emotumque solum superstructa ædificia jam devolvere videbatur. Cum Philippus III. Hispaniarum Rex ad solidam profunditatem egesta humo, jactisque fundamentis, sustinendæ moli murum validum circumegit, areamque præ templi facie complanatam laxavit. Ad eam postea corrivato e fontano proximoque castello PAULA aqua in salientem emersit. Sed, ut rara est sine detrimento utilitas, Aqua eadem, quam Paulus V. XXV. ab milliario in proximum collis supercilium perduxit, postquam pulcherrimum in fontem e fornicato specu sese aperuit, iterum occultat sese, structiles subter canales humore subeunte. Verum oblatis cuniculis furtim egressus, subterraneos meatus sponte sibi fecerat: diuque inter angusta terrestrium venarum pertinaci fluctu eluctatus, inferiorem collis partem, objectamque munitionem impulit, magnoque fragore, ac terrore Transtiberinæ viciniæ disjecit: imminente utique Cœnobii ruina, nisi Urbani VIII. beneficentia subvenisset. Ille aquam suis redditam finibus coerceri, ducique murum longo tractu directum jussit, oneri ferendo parem: stetitque immobilis mons; ut constaret, quo auctore loci religionem stabiliret securitas.

Jam vero Innocentius VIII. [1] Sixti successor Palatio Vaticano alterum & ingens PALATIUM addidit, porticu præsertim visendum. Quod postea dirutum partim pronaum & frons Basilicæ Vaticanæ occupavit: partim in aream ante templum subsedit: minima ejus parte ædium Pontificiarum vestibulo relicta. Idem hortis Vaticanis villam, vulgari PULCHRI VISUS nomine adjecit. Ejusdem opera fuere, qui jam desierunt plateæ Vaticanæ fontes: Arcus Basilicæ Lateranensis ante Aram maximam duabus ingentibus co umnis effultus: Templum VIRGINIS MATRIS in Via lata a fundamentis erectum. Eodem Principe Petrus Gundisalvus de Mendoza tectum, & apsidem ædis S. CRUCIS instauravit: titulumque venerabilem crucis Domini effosso pariete detexit.

Alexandri Sexti Pontificatus ut bellis frequens, quæ externi Principes ac Cæsar filius tota ferebat Italia, militaribus stipendiis pecunias insumpsit: ita exornandæ Urbi parum idoneus solam ARCEM bello utilem munivit. Erat prope Arcis pontem vetus Deiparæ Templum: atque ex eo traxerat celebre TRANSPONTINÆ [2] cognomen, Præses inibi degentium Carmelitarum. Id removeri placuit cum altero S.Angeli, ne munitiones intercideret. At Pio IV. Pontifice, pari fere a ponte, & Basilica S.Petri intervallo, ædificari cum Cœnobio cœptum est: præclarum sane, ac Reginæ Virgini non sine antiquo cognomine commendata sedes. Cæterum Alexander ædes argentariis propinquas, quæ postea Sfortiarum fuere, Cardinalis extruxit: Pontifex Basilicæ Liberianæ laqueare inauravit. Quo tempore Templum nobile S.JACOBO tutori Hispanica natio a fundamentis posuit; subruto veteri, quod cum proximo Xenodochio Alphonsus Paradinas Episcopus Civitatensis ædificarat. Tunc quoque Carolus Octavus Galliæ Rex alterum SS. TRINITATI in monte Pincio [3] dicitur auspicatus, cum Cœnobio Minimorum Fratrum, admonitu S.Francisci ejus familiæ fundatoris tum viventis. Id vero multorum impensa deinde perfectum est, Pontificiæ etiam liberalitatis monimentum. Nam præter alios Gallici nominis, cum a Guilielmo Maclovienſi Cardinale structura & sacello auctum excultumque esset, Gregorius XIII. præcelsa fronte geminis elata turribus, scalis item duplicibus spectabili, utrinque in areolam ante fores mittentibus ornavit ac perfecit.

1 Ædes & Atrium Innocentii VIII. & ejus opera. 2 Ædes S. Mariæ Transpontinæ. 3 Templum SS. Trinitatis in monte Pincio.

Julius II. [1] quamquam periculosis diuturnisque distentus bellis, curam tamen ornandæ Urbis solertissimam egit. Cardinalis quidem ædem S. PETRI ad Vincula [2], cui præerat, in eam, qua pollet, ædificii dignitatem evexit: Cœnobium refecit: addiditque titulari DOMUM, nec perfecit. Eamdem ipse ædem plus fere post mortem extulit admirabili specie marmorei Sepulchri [3]: cujus in medio jacens, sed cubito innixa vivit Pontificio habitu ejus effigies: aliquot hinc & inde simulacra in loculamentis manent, monentque perituræ mortalitatis. MOSES in imo sedet, opus Michaelis Angeli Bonarotæ, cum quolibet veteris memoriæ conferendum. Idem [4] quoque Cardinalis ædem SS.Apostolorum pene collabentem restituit: Fornicatam præ foribus porticum posuit: Ædes proximas a Petro Riario Cardinale incœptas perficere conatus est; sed a Martino V. ibidem inchoatas, amplissimo ædificio provexit, statuis, picturis, marmoribus instruxit: deditque Antonio Columnæ jam Pontifex, cum illi sororis filiam collocasset, quas deinde auctas Columnæ Principes sibi habuerunt. Extra Urbem Cœnobium CRYPTÆ FERRATÆ, ædesque appositas muro fossaque instar castelli munivit. At Pontificatu potitus, Templum, quod Virgini Populorum Patronæ Sixtus IV. ejus patruus ad portam Flaminiam dicaverat, sacellis, aliisque operibus auxit: tectum Esquilinæ Basilicæ novis trabibus compegit: Turrim nova molitione firmavit. Cum ære publico Populus Romanus Magnæ item VIRGINI LAURETANÆ [5] testudinatum pulcherrimumque templum in Foro olim Trajano excitabat. Idem Pontifex Arcem ampliavit, VIAM JULIAM longissime ad lineam juxta Tiberim directam aperuit. Palatium in ea Julianum cum æde S. Blasii geminaque turri exstruere cœperat, longe maximum; destinaveratque Magistratibus, ut in eo jus dicerent, publicisque muneribus fungerentur. Eam porro viam fertur Pontifex super pontem, quem a fluvio dejectum, eidem rursus cogitabat imponere, ad Vaticanam usque Basilicam ducere voluisse. Alias idem vias aut jam stratas produxit, aut novas direxit, prolatavit, stravitque lateribus; aut plateas ampliavit. Cloacas substruxit: officinam cudendæ pecuniæ paravit: ædes Nicolai V. apud Basilicam Liberianam insertis valvis ac fenestris absolvit. Capitolinas autem Senatoris & Conservatorum quos vocant, quæ jussu, sumptuque Bonifacii IX. Martini V. Sixti IV. Innocentii VIII. erectæ vel auctæ fuerant, ipse picturis illuminandas curavit. ANIENIS in Tiberim influentis alveum navigabilem fecit. Æneum elegantissimumque Sixto patruo TUMULUM [6] in Basilica Vaticana, fusili opere Antonii Pullarii insignis ea tempestate magistri, posuit: cujus artificio item elaboratum Innocentii VIII. sepulchrum in eadem Basilica celebratur. Sed quod operibus præstat universis, Julius novum S.PETRI Templum veteris parte disjecta, ad Bramantis exemplar, illius & consequentium temporum clarissimi Architectoris, ædificare aggressus primumque lapidem his verbis notavit:

IVLIVS II. PONT. MAX.

ÆDEM D. PETRO DICATAM VETVSTATE COLLABENTEM

IN DIGNIOREM AMPLIOREMQVE FORMAM

VT ERIGAT

FVNDAMENTA IECIT. ANNO CHRISTI MDVII.

1 Opera Julii II. 2 Templum S.Petri ad Vincula. 3 Sepulchrum Julii II. 4 Alia ejus opera. 5 Templum Virginis Lauretanæ Romæ erectum. 6 Sepulchrum Sixti IV. & Innocentii VIII. Templum S.Petri.

A Eodem tempore PALATIUM Pontificium [1] auxit longissimis ornatissimisque porticibus, & ambulacris: junxitque duos Vaticani colles, continuato per valliculam interjacentem ædificio. Aulas vero, conclavia, & cubicula ab aliis, præsertim Nicolao V. exstructa: & Sacellum Sixti patrui picturis ornavit admirabili felicitate. Tunc enim post aurea illa tempora, quibus cum stante imperio Roma omnium domina bonis disciplinis & artibus stationem præbuit, e misero pulvere sepultorum operum atque opificum, sculpendi, fundendi, pingendi peritia refloruerat. Nec paulatim, ut ferme fit in humanis, fastigium tenuit: sed cum celerrime in summo stetisset, retro deinde prolabi visa, velut in ruinam B revoluta. Nos quidem in tanta opificum turba pingendi magistros invidere illi ætati possumus, æquales videre non possumus. Conduxerat jam Pontifex non ignobiles, operamque suam strenue liberali Principi locaverant. Cum lumina illius ævi supervenere RAPHAEL SANTIUS Urbinas, MICHAEL ANGELUS BONAROTA Florentinus: ille Pictor incomparabilis, & insignis Architectus: hic Sculptor Pictorque & Architectus eximius. Remotis ergo cæteris, Raphael secretiores AULAS & Conclavia usque ad miraculum coloravit. Bonarotæ [2] oblatum Sixti SACEL- C LUM, in quo Pontifices sacrorum ceremonias cum Patrum Senatu obire solent, ut ejus fornicem per lunulas suspensum pictis jam parietibus appingeret. Fecitque admirabili opere. Aliquanto post, Paulo III. Pontifice, interiori fronti ejusdem Sacelli novam picturæ claritatem induxit. Iconem extremi JUDICII, & Christum Dominum venientem in nube majestatis expressit, subterque adjudicandam qua gloriæ, qua supplicio universitatem generis humani; successu singulari, & absolutione artis, quam tamen ingenium artificis superavit. Præcipuum quippe in illo [3] erat nova excogitare, & aliis nondum tentata depromere: intervalla partium, nodos arti- D culorum, extremorum lineamenta, nuda corporum, ossium eminentias, circuitus venarum, incisuras, nexus, projectusque membrorum prope ad illudendam veritatem effingere. Quare præter hæc in udo tectorio colorata, tabulas ab eo pictas omnino paucas: in membranis & macrocollis descripta plurimorum vestigia habemus; quod palmam adeptus figurando, eam vel sine coloribus, penitioris artis invicto robore retinebat. Verum ut hæc Urbinatis [4] quoque manum, & eorum aliqua molliora sequebantur: ita ab ejus penicillo emergebat flos pulchritudinis, oris venustas, coloris suavitas, lumina pigmentorum, capillorum elegantia, dignitas ve- E stium, tantoque partium, & imaginum splendore coagmentata species operis, quanto potius defixos teneret oculos, quam moveret. Porro in utriusque tabulis cum quisque videret morum varietatem, ætatum dissensionem, impetus animæ ab oculis emicantes, illitas vultu cupiditates, iras, dolores, manibus totoque corpore diffusas agendi voluntates, fatebatur in tanta dissimilitudine pingendi nihil similius exstitisse vel ad æmulationem naturæ, vel consequutionem gloriæ. Pingebat præter Palatii parietes Raphael [5] Sacellum in templo Paciferæ Virginis ad Divi Augustini, tabulam transfigurantis se F Christi Domini quæ ad D. Petri in Montorio visitur: alias alio tabulas tamquam e cœlesti promptuario, non sine gentium stupore submittebat. Tum ex humanis sublato Julio recentibus Leonis X. cœnationibus ac porticibus, ut splendidius durarent, stabilis famæ Dædalus, suorum perennitatem operum appingebat. Ea tempestate ignota Romanis hypogæa, & concameratas cryptoporticus in anti-

1 Palatium Pontificum auctum. 2 Picturæ Michaelis Angeli Bonarotæ. 3 Bonarotæ modus pingendi. 4 Et Raphaelis Urbinatis. 5 Raphaelis Santii picturæ.

quo Titi Cæsaris Palatio, ac thermis Esquiliarum effoderat insita mortalibus pervestigandi cupido; quam latens aurum accendit, aut si quid artefactum, & auro pretiosius celant custodes ruinæ. Apparebant parietinæ plasticis toreumatis loricatæ. [1] Hæc porro quamvis tot ante seculis sepulta, adhuc tamen vegeta, & integra vetustatem sub terra quasi e tuto non senserant: Grottiscæ vocantur, quod in cryptis repertæ sunt. Erant in comitatu & contubernio Raphaelis plurimi picturæ candidati, quos ille non modo spe artis addiscendæ, sed suavissimis moribus alebat: interque eos Joannes Utinensis, juvenis promptus & sagax, traductoque ad posteros novo plasticæ invento nobilitatus. Is in cryptas cum magistro frequenter ventitabat, manumque plastarum veterum commendabat assidue. Jamque prodigiosas illas semihominum, monstrorumque figuras, & habitus rubrica retulerat in membranas; sed materiam, qua formarentur, odorari non poterat [2]. Calci addendum aliquid constabat. Sabulum pulvisque Puteloanus ruber, & paulo crassior rejiciebatur. Contulit lapidem Tiburtinum: livebat calci permixtus, nec figurata lævigabat. Marmoris contusi candidum, & cribro excretum pulverem macerata cum calce subegit ac mollivit. Hunc vero formando lævigandoque habilem expertus, deprehendit, non alium intritæ usum fuisse veteribus plastis, quam temporum oblivio ex officinis removerat. Nam ad eam diem mixtura nescioqua e gypso, calce, pice, & cera eliquata, contritoque laterculo parietes leverant. Hoc tristi temperamento elaborabant inæquale tectorium, ut auri bracteolas superinducerent. Igitur receptum vetus, germanumque MARMORATUM ad Leonis porticus [3] primo traductum est. Id præter testias, & astragalos, mutilata fictaque hominum, & animantium specie Utinensis figuravit: ejusdemque generis monstrosas effigies subinde interpositas, (quod faciendum Titianæ cryptæ docuerant:) tum per ramos arbuscularum errantes Simias, Cercopithecos, Pavones, Psittacos, aliasque Indicas aves idem, aliique artifices colorarunt. Equidem de veteris marmorati inventione hæc, quia referuntur ab aliis, referre volui. Sciebam enim ejus apud Vitruvium [4] fieri mentionem, quamquam lævigandi causa, non figurandi: mirorque traditam ab ædificandi magistro tectorii rationem tamdiu ædificatores latere potuisse. Adhæc in ruinis templi Pacis, ejusque fornicum cavis multa e marmorato cælata visuntur, a quibus idem artifices, modo advertissent, exprimere poterant. Nisi obstabunt rudibus seculis haud meliora ingenia: vel potius agendi voluntas antea mercedis expers, quam tum Pontifices uberrime ingerebant. Utili documento; plurimum valere opes Principum alendis bonis artibus. Cæterum ad exaggerandas Leonis porticus accessere Raphaelis manu depictæ imagines. Quod sane opus tot admirandis compositum inter pulcherrima, quæ unquam, Roma numerabat. Nec eo secius architecturæ consultus Vaticanæ fabricæ, Bramante vita functo, præerat Urbinas: & cum Leoniana in Urbe domum sibi illo architecto parasset: alteram ipsam haud longe, marmoribus, & marmoratis operibus distinctam Aquilano Civi magister lineavit ac struxit. Multa quidem Bramantes in Urbe fuerat molitus [5]. Nam & templum S. JACOBI Hispanorum & Vicecancellarii PALATIUM: & templum, quod Reginæ Virgini cognomento AB ANIMA Germani magnifice struxerunt, cum cœtu magistrorum ipse omnium magister descripsit: Palatium in via Julia, a Julio Pontifice Jurisdictioni dicatum: Ædes Adria-

1 Plastica toreumata veterum Romanorum. 2 Marmorati conficiendi inventio. 3 Marmoratum traductum primo ad Porticus Leonis. 4 Lib. 7. c. 3. & 6. 5 Fabricæ Bramante architecto lineatæ.

no Cardinali in Civitate Leoniana, imperfectas: A Ædiculam ad D. PETRI [1] in Janiculo; rara artis subtilitate. Sed tum ipse altior est visus, cum totius Palatii Pontificii ichnographiam, ut nova cum veteribus, plurimaque inter se pugnantia componeret: & Basilicæ Vaticanæ admirabilem formam exposuit; cujus ædificii, quod caput est omnium, procuratione defecit. Nam ultra plus audere non decuit machinatorum Principem.

Per eadem tempora Fatius Santorius, quem ante in utraque fortuna perpetuum comitem Julius Cardinalem renunciaverat, ÆDES S.Sabinæ in Aventino [2], quas Eugenius II. Honorius III. Honorius B IV. incoluerant, primum a Cardinali Montis Regalis, tum a se instauratas hortorum eleganti amœnitate præcinxit. Idem domum S. ANTONII in Esquiliis collabentem cum æde S.Andreæ, renovato in ea pavimento tectoque: insuper Nosocomium, & horrea, aliaque restituit. Ædes in Via lata a Gabriele Agriensi Cardinale inchoatas, ipse atrio, porticu, aula, conclavibus, viridariis, statuis instructas eximie perfecit: quas postea Julius Pontifex Francisco Mariæ fratris filio haud iniqua Santorio conditione proposita, addicendas curavit; deinde a Petro Card. Aldobrandino ingenti fabricæ accessione productas.

C Leo X. [3] cui Populus Romanus cum statuam in Capitolio dedicaret, ab eo *Restitutam Instauratamque Urbem* inscripto Elogio confessus est, GYMNASIUM ROMANUM [4], quod Sixtus IV. novum vectigal commentus in salaria Professorum fundaverat, accitis undique viris doctissimis instauravit auxitque. Quare illius velut auctoris memoria quotannis funebri laudatione, frequenti Principum, doctorum, auditorumque conventu, in ejus Aula Gymnasii celebratur. *Basilicam Vaticanam* (scribit Onuphrius) *miro artificio a Julio II. inchoatam, perficiendam quantum in eo fuit, magno animo suscepit. Palatium Vaticanum triplicibus longis & prealtis porticibus eximia structura, auratis laquearibus, egregiis, nobilissimique operis picturis splendidissimum fecit. Deiparæ Virginis ædem* [5], *cui Cardinalis præfuerat, in monte Cœlio a fundamentis pene refecit, & laqueari aureo exornavit. Lavacrum Constantini Lateranense ruinam minitans restituit, laminis plumbeis tectum reparavit. Pyrgorum portu, cœno, & saxis repleto, publicæ commoditati purgato, oppidum muro cingere cœpit. Arcem montis Flasconis: Corneti Cardinalis Vitellescbi, & in multis patrimonii oppidis peramplas ædes vel restituit, vel a fundamentis ædificavit. Manlianum Villam corrivata aqua elegantiori ædificio exornavit: Romæ S.Alexii caput argentea theca clusit: aulæa e Belgis serica, auroque intertexta quinquaginta aureorum millium sacelli Pontificii ornamento coemit.* Eodem tempore Joannes Salviatus sororis Leonis X. filius, & ab eodem dictus Cardinalis ædes [6] apud S.Spiritum in Saxia a fundamentis erexit. Joannes Dominicus Cardinalis de Cupis aliquanto post magnificam DOMUM [7] ad Circum Alexandri, seu Forum Agonis: Idem S. HONUPHRII templum in Vaticano Colle exstruxit. Sequuta Clemente VIII. Pontifice Borbonoci exercitus irruptio ac direptio est [8]. In ea etsi militaris furor in corpora fortunasque civium potius, quam in tecta grassatus demoliendis exurendisque ædificiis temperavit, tanta nihilominus hominum strages, calamitas, & fuga, cum deserere jacentem patriam, præreptisque bonis summam egestatem vix emendicata stipe tolerare cogerentur, miseram quo-

1 Ubi S. Petrus dicitur cruci affixus. 2 Ædes ad S. Sabinam auctæ. 3 Opera Leonis X. 4 Leo X. Gymnasii Romani tamquam fundator laudatur. 5 Templum Virginis, cui a *Navicula* cognomen. 6 Ædes Joannis Card. Salviati. 7 Et Dominici Cardin. de Cupis. 8 Romæ calamitas, & direptio.

que domorum solitudinem stragemque congessit. Paucis post annis Tiberis [1] inundatio accessit, qua nulla fuerat ad illam usque diem altior, & violentior. Quæ sane ut cœnosam, & fœdam Urbem relinquit: sic residente rursus alveo prolabentia tecta recurrentes in aquas trahit. Nec illi Pontifici per temporum difficultates damnum resarcire licuit, a quo duæ duntaxat statuæ SS.Petri & Pauli in ponte Ælio positæ spectantur.

1 An. 1527. Inundatio Tiberis.

CAP. X.

Ædificia Urbis post Clementem VII. præsertim Templum Vaticanum.

TANTIS calamitatibus defuncta Civitas, iisdem pulchrior pristinam deformitatem, ut olim incendiis, decoxit [1]. Nam deinceps affluente rerum copia opes magnæ floruerunt; inseditque cura ædificandi Romanos cives ac principes viros. Tum Architectorum ars exquisita: & novorum hominum, quibus abundat Roma, adeptas invectas fortunas, & translatos aliunde, seu recens editos familiæ titulos ostentare cupientium voluntas, expansa novi ædificii tamquam fronte depromitur. Nondum ex humanis sublato Clemente id cœperat. Ejusque rei argumentum adhuc extat in foro præsepis Judæorum. In domus enim tunc exstructæ fronte sic legitur:

Urbe Roma in pristinam formam renascente Laurentius Manlius caritate erga patriam has ædes suo nomine Manlianas pro fortunarum mediocritate ad forum Judæorum sibi posterisque suis a fundamentis posuit.

D *Clement. VII. P.XI.Cal. Aug.* [2]

At Paulus III. Pontifex, ut salubritatem & pulchritudinem Urbi quæreret, cœnosas & stagnantes passim in Urbe aquas exsiccavit, discrevit insulas, direxit vias, stravitque, in ea præsertim parte, quæ Populi dicitur. MUROS & validas in Aventino versus portam Ostiensem munitiones [3] duxit. LEONIANAM Urbem novis mœnibus & propugnaculis obstrui mandavit, curante præsertim Antonio Sangallio Architecto, a quo cum Bonarota vehementer dissentiret, formamque mœ-E nium longe dissimilem proferret, opus est intermissum; ut porta S Spiritus, quæ lapidibus Tiburtinis firmiter obsepta surgebat, cessante ædificatione, semiperfecta hodieque sit. Cæterum præter instructam & ornatam Urbem, statuam Paulo posuit Populus Romanus in Capitolio, cui subscriptum est:

PAULO III PONT. MAX.

F *Quod ejus jussu, auspiciis, atque ære conlato Urbem situ & diverticulis viarum deformem, & imperviam, disjectis male positis ædificiis in meliorem formam redegerint: viis areisque cum veteribus directis & ampliatis, tum novis constitutis auxerint ornaverintque Latinus Juvenalis Mannectus, Hieronymus Maffeus, Curatores Viarum, Urbe instaurata, officii & memoriæ ergo statuam in Capitolio optimo Pontifici PP. Anno Christi MDXLIII.*

De eadem Laurentius Gambara in sua Capraróla:

1 Roma ex calamitate refloruit. 2 Calx muro inducta litteras texit. 3 Novæ in urbe munitiones.

—— cui sponte dicavit
Hoc Capitolina simulacrum in sede Senatus
Romanus, populusque: quod instauraverit Urbem
Romulidum, multasque vias quod straverit: illasque
Ornarit; quo pestiferas non amplius auras
Roma auctore timet, prius ut miseranda timebat.

PALATIUM FARNESIANUM [1] Cardinalis inchoaverat: eoque Pontifice cum aliqua fecisset Rainutius Cardinalis Farnesius, postea Alexander item Cardinalis Farnesius tanto splendore in quadrum pari laterum dimensione perfecit, quantum qui oculis non subjecerit, animo concipere vix queat. Molitionem regebat jussu Pauli Michael Angelus Bonarota [2]. Hujus magisterio ATRIUM, quo nihil scientius aut copiosius habeas ab architecto, pilæ quadratis porticibus subjectæ medio scapo exstantibus Doricis columnis definiunt. Epistylia & coronas excipit gracilioribus pilis & columnis ea portione prominentibus ordo Jonicus, partim arcubus, partim occlusos per arcus patentibus fenestris. Summa spatia Corinthio ornatissimoque genere clauduntur. Verum pro columnis antæ quadrato saxo, & parastatæ sustinent incumbentes coronas. Sed nihil æque oculos tenet, atque exterior CORONA [3] ad tecti subgrundam & culmen; tanta partium symmetria scotias primum, regulas, torosque duxit artifex: tum zophori hyacinthos, dein projectos multos, & impositam super coronam & cymatia, atque in his altissima leonum capitula conformavit, & sculpsit. Plurima autem Romæ effossa præsertim in thermis Antonianis, & huc deportata in atrio, scalarum areolis, aliisque in locis conspiciuntur simulacra. [4] Quippe AULÆ, & cubicula pulcherrimis lucentia picturis, quibus interior item XYSTUS, & statuis, priscisque e marmore admirandis operibus abundat. Designaverat idem Bonarota ab ædium pseudothyro quidquid trans viam Juliam usque ad fluvium patet, HORTIS conserere. Quibus alii e regione responderent trans Tiberim sati. Tum parabat palatii hortorumque portas dirigere ad lineam, atque ex hujus limine vestibuloque tam interiora ædium, quam utriusque Farnesiani VIRIDARII amœnitatem, interque fluentem Tiberim, uno oculorum obtutu spectanda proponere. Sed perducere ad exitum non potuit. Fuerant hi trans Tiberim HORTI [5] Augustini Chisii opulenti civis Senensis: in quibus ædes descripserat Balthasar Peruzius Senensis, architectus idem pictorque nobilis, & coloratis parietibus clariores fecerat. Aulam pinxit, in qua simulatas inter columnas pascit oculos prospectus arvorum. Aliaque plurima adumbravit imitatione veritatis, quæ oppido ingenium hominis & artem ostendunt. Quod æque præstat PORTICUS hortis contermina, in cujus fornice alba toreumata & plasticæ veris non dissimiles cælaturas usque ad ludificationem eruditissimorum artificum expressit. Sed in pariete GALATEAM [6] fluctibus errantem expeditis ad prædam marinis monstris depinxit par sibi semper Raphael Urbinas: aliaque in porticu Deorum ICONIA prodeuntes ab ejus palæstra pingendi principes non sine lineamentis, ductuque aut etiam penicillo institutoris colorarunt. Nihil certe magis Romæ celebrant juniores picturæ competitores: & imitari enixe student, quod sua raritate allicit, & ab imitatione deterret. Cæterum ad eos hortos limoniis malisque medicis semper virentes ex alteris hortis

1 Palatium Farnesiorum. 2 Exstructum architecto Mich. Ang. Bonarota. 3 Corona ædificii. 4 Statuæ e thermis Antonianis translatæ in ædes Farnesior. 5 Horti Transtiberini Farnesiorum. 6 Galatea a Raphaele Urbin. depicta.

A in citeriore fluminis ripa consitis cymbula trajicitur, quos cum palatio jungit immanis ARCUS viæ Juliæ impositus. Additi sunt nuper, constrata silicibus ante ædium frontem platea, salientes uberrimique FONTES [1]: in quibus non satis mirabere sive aquarum e Janiculo labentium copiam, sive recipientium lacuum magnitudinem & formam: tum circumjectorum ædificiorum sublimitatem & pulchritudinem.

Cum ergo Farnesiam structuram urgeret, VATICANÆ quoque BASILICAE [2] curam Pontificis mandato inierat Michael Angelus, quam, ut dixi, fundare ac struere cœperat Julius II. in ea quidem B Balthasar Leone X. jubente a Bramantis & Raphaelis inventis multa detorserat: quod putaret immenso ædificio solidiorem compagem opus esse. Itaque longiorem formam in quadratam verterat, facellis, & apsidibus quatuor, totidemque portis sibi mutuo respondentibus. Hoc ille exemplar tamquam facem operi faciundo præmisit, unde posteri curatores lumen acciperent. At Michael Angelus quadrangulam figuram retinendam, nonnulla tamen in extremis mutanda, censuit. Nam superiores magistri templi apsidem, transversamque ambulationem [3] duplici flexerant hemicyclo. Alterum qua C columnis, qua muro interstante distinguebant: alterum non intermissum extimi parietis flexu clausere. Hos ille semicirculos duplices ad simplices redegit: ut omnia liberiore unoque visu oculi metirentur, & immodicis sumptibus parceretur. Hemisphærium in medio latissimum, & alterum tamquam cœli fornicem triplici ordine columnarum niti voluerant. Quorum exterior perpetuis columnis circumibat; interiores duos parietum interstitio octo per intervalla sejungebant. Ille subjectus arcus, e quibus eminet immanis tholus, haud pati tam vastum pondus, quod alii quoque viderant, animadvertit; utque minori mole incumberet, extenuavit; D duplicem tamen fecit, ut tholus exterior alterum includeret spatio intercurrente discretum. Quippe majestati Basilicæ consulebat, quæ extimi verticis sublimitate fit augustior. Intus autem propinquiora depresso ambitu ad oculos jucundius accidunt. Porticus templi Panthei porticum [4], non eundem lapidem poscentibus columnis, referebat. Hæc forma Pontificibus placuit, eaque super re constituto cœtui Cardinalium. Tum strenue a Paulo III. properata ædificatio est. Exteriora templi [5] cooperta sunt grandibus Tiburtini lapidis glebis, affabre in antas, capitula, epistylia, coronas, loculamenta, aliasque formas elaboratis. Structuram deinceps Julius III. E Paulus IV. Pius IV. prosequuti. Jamque ad culmen nonnulla provexerant, cum vita functo Bonarota, magistri successores rursus decreta invertere studebant. Hæc agitantibus interdictum quidquam addere, vel adimere. Et quidam cum recusaret, munere submotus. Tanta ejus viri rebus jam perspectis explorata prudentia.

Iisdem ergo vestigiis Gregorius XIII. multa enixe molitus CELLAM insuper magnificentissimam maculosis marmorum incrustationibus, camerato inauratoque ambitu, ac tholo, columnis, picturis, speciosis organi tubis, musivis, aliisque clarissimis F operibus vix imitabilem fecit. Sixtus V. vastissimam duplicemque HEMISPHÆRII [6] molem superstruxit. qua quid latius, aut excelsius, aut pulchrius cogitari fingique potest? At Clemens [7] SACELLUM Gregoriano objectum, & multa pictorum, plastarum, sculptorumque præcellentium arte decoratum, haud æquo tamen splendore perfecit. Eo-

1 Fontes ad Ædes Farnesiorum. 2 Basilica Vaticana. 3 Transversa ambulatio uno termino conclusa. 4 Porticus similis Porticui Panthei. 5 Exteriora Templi S. Petri. 6 Tholus a Sixto V. exstructus. 7 Sacellum Gregorianum.

dem.

demque tempore Angelorum Sanctorumque lucentes effigies in tholi interiore camera vermiculato emalemate coagmentandas curavit: tum dælatis e marmorato interseptis aurum inducendum: tum variegato sectilique marmore sternendum pavimentum: tum reliquos cellarum parietes lævigatis lapidum segmentis vestiendos: universamque templi concamerationem tectorio loricatam bracteis aureis distinguendam, atque ejusdem quadratos loculos inserto rosarum auro illuminandos.

Decreverat centum post annos supremum lapidem Paulus V. [1] imponere, architecto Carolo Maderno. Quare pars ima veteris Basilicæ, quæ superaverat, cum vestibulo diruta est. Tum curvata fundamenta immensam in altitudinem demisse: jamque ab humo exstare paries cœperat, & compositis stereomatis antarum bases locabantur, cum secunda, & meliora consilia intervenere [2]. Quadripartitum templum ex præscripto Michaelis Angeli paribus modulis angulisque finiebant. Hujus autem a fronte ædes altera, quod ille non jusserat, longe minor condebatur; ex qua majorem in Basilicam per arcuatum parietis transitum pateret ingressus. Ut olim Marcellus jubente Collegio Pontificum e cella Virtutis in templum Honoris aditum patefecerat. Minorem hanc ædem porticus exterior excipiebat. Sed [3] quatuor præsertim in Patrum cœtu accurate discussa ædificationem interturbarunt, inverteruntque placita Bonarotæ. Unum, quod spatium quadratæ Basilicæ per se amplissimum, exiguum tamen censebatur capiendæ multitudini, quæ confluit ad inaugurationem novi Pontificis, declarationes Sanctorum, solemnis Jubilæi expiationes. Quo sane tempore tanta laxitas, ut vidimus, suis arctata finibus exundantem populum vix capit, quæ videtur posse capere gentes terrarum. Alterum, quod Odeo ad obeundam Psalmodiam, vel Secretario ad sacram supellectilem conservandam in templo maximo locus non erat. Tertium [4], quod diruta porticu, in qua Romani Pontifices triplici diademate coronari solerent, & acclamanti Civitati salutari crucis signo designare salutem; necesse erat alteram tantis parare cæremoniis. Quippe a porticu Michaelis Angeli [5] id haberi non posse, quæ fastigio columnis imposito superstrui secundam non sinebat. Postremum, quod recentem Basilicam ambitum Constantinianæ veteris universum complecti volebant, e S. Sylvestro Pontifice consecratum. Quamobrem cum templi vestibulum jam conderetur capax superioris porticus; placuit Pontifici & Patribus, inchoatæ structuræ sublato interjectu, Basilicam produci [6], atque in eam spatium transferri, quod minor ædes complectebatur. Ita medium templi corpus transversa brachia crucis instar [7], quod priscis Basilicis usitatum longitudine excessit. Mox demoliti quod muri surgebat, retracta in rectum fundamenta jacere, effusi in priora sumptus non levi dispendio. Additæ [8] sunt cellæ utrinque duæ: odeum præterea, & contra, ejusdem magnitudinis & magnificentiæ sacellum. Hunc enim locum secretario destinaverant; verum postea suspensa deliberatione manendum in vetusto secretario, nec facile ex eo discedendum censuerunt. Gremio templi camera imminens plasticis modulis discriminata est in devexas surgentesque secturas, ubi per lacunas fornicis erumpentes flores superbiam candoris, ut reliqua opera, auri fulgore commiscent. Ibi quoque fulget stemma Burghesium vermiculatum illustriori emblemate. Sic & porticus exterior ca-

1 Ornamenta Clementis VIII. 2 Paulus V. Basilicam absolvit. 3 Mutata ichnographia. 4 Causæ, cur id factum sit. 5 Bonarota benedictionibus porticum non parat. 6 Basilica S. Petri producitur. 7 Extensa in formam crucis. 8 Pars Templi a Paulo V. addita.

A meratur: & quinos aditus inter sustinentes fastigium immanes columnas aperit ad orientem. Eadem minoribus aliis e marmore columnis, quæ veteris Basilicæ fuerant, ostia fulcientibus, sustinetur, ornaturque: tum opere tectorio inauratoque admirabilis alteram habet porticum pari magnitudine superstructam [1]. In ea exstantibus mœnianis soliti Pontifices triplicem capere coronam, & plaudentem populum salutari prece signoque crucis lustrare. Explicatam latissime frontem turres in angulis attollunt, ac terminant. Inter ornamenta templi picturæ postremum non habent locum, quibus aras [2] instruxerunt conquisiti undique Apellium scientissimi. Horum tabulæ arcuatæ, insertæque maculoso, cælatoque marmori, fastigiato intercolumnio
B continentur. Omnem autem Pauli V. structuram designat exeunti lævorsum objecta inscriptio:

PAVLVS V.
PONT. MAX.
VATICANVM TEMPLVM
A IVLIO II. INCHOATVM
ET VSQVE AD GREGORII ET CLEMENTIS
SACELLA
ASSIDVO CENTVM ANNORVM
C OPIFICIO PRODVCTVM
TANTAE MOLIS ACCESSIONE
VNIVERSVM CONSTANTINIANAE
BASILICAE AMBITVM INCLVDENS
CONFECIT
CONFESSIONEM BEATI PETRI EXORNAVIT
FRONTEM ORIENTALEM ET PORTICVM
ESTRVXIT

Jam vero Gregorio XV. [3] rerum potiente ODEVM tectorio loricari, ornarique cœptum,
D concameratione aspera toreumatis, & loculis sigillatis inauratisque succedente Urbano VIII. [4] resplenduit. Tunc quoque indita nobilis materiæ subsellia, sed nobiliore scalptorum artificio elaborata. Odeo cella objecta plastarum æquales formas splendoremque sortita est. Cæterum plurima in templo spirant Urbanæ munificentiæ argumenta. OPUS Musivum Lotti olim pictoris Florentini, cujus sacras imagines in atrio ante veterem Basilicam populus venerari solebat, dirutis parietibus integrum nihilominus conservarant: ædiumque Pontificiarum muro extimo commiserant. Id Urbanus templo, eidemque fere, ubi semper fuerat, loco reddi jussit,
E apertis ex utroque latere fenestris, qua paries aversus a fronte Basilicæ intra arcuati fornicis curvaturam altissime expanditur. Mirum, ibi duris e lapillis exprimi humorem aquæ: & immobilem Petri naviculam fluctu flatuque jactari. Illum autem in undis pedem figere, sed modica undarum fide. Quippe incipientem mergi sublevat Liberatoris manus, vento imperantis, & mari.

Jam pilæ hemisphærio suppositæ, quæ ad angulos convertuntur, quatuor ingentibus loculamentis in medio spatium relinquunt. Horum uni dextrorsum Pauli III. monumentum [5] inerat, e quo
F statua ipsius ænea Pontificio habitu eminet, Farnesia majestate. Duæ inferiores e marmore sedentes ad tumulum, mutæ magis sepulti admiratione, quam duritie lapidis, prolixe tamen commendant opificis manum, animumque Pontificis. Id sepulcrum loco motum summæ apsidis pari loculamento, digniorique sede Urbanus composuit. Contra, sinistrorsum sibi paravit & tumulum [6]. In eo

1 Ex additione ad Ciaconium. 2 Aræ tabulis pictis insignitæ. 3 Odeum Gregorio XV. ornari cœptum. 4 Opera Urbani VIII. in eadem Basilica. 5 Sepulcrum Pauli III. 6 Et Urbani VIII.

colossea est ejus effigies ex ære ad vivum expressa Pontificali laxoque amictu, ac tiara: extensa dextera, sedensque benedicenti similis. Non enim haberet similitudinem viventis, nisi dispensare dona etiam videretur e sepulchro. Deorsum urnæ locus, ac super urna Mors immortale Urbani nomen æternis Pontificum annalibus inscribens duobus hinc atque hinc, altero ad Justitiam, altero ad Charitatem exprimendam, simulacris constitutis. At vacuis sub hemisphærio loculamentis, alabastrite varioque peregrinorum lapidum genere crustatis ingentes Divorum statuas [1] locari jussit, quorum beneficiis ornatur Basilica, & Aras substructis in cellis dedicari. VERONICAM [2] effigiem dolorum Regis, quam in Urbem portavit, defixis oculis contemplatur in linteo. At lævorsum HELENA Augusta Imperii [3] sceptrum vexillo crucis commutavit. Quippe cruce inventa cœpit imperare; nam & antea regnavit a ligno Deus. Alia ex parte ANDREÆ [4] Apostoli simulacrum inhiat crucem, cui brachium injecit. Neque enim ille triumphalem currum deserat, quo cœlum intravit: quamquam caput conserto syderum lumine coronatum super clatrato conditorio adorandum reliquit. Hinc præfert LONGINUS [5] centurio lanceam beata cuspide præfixam. Quippe latus Domini sola aperuit, ut e vitali fonte flumen salutis eliceret. Verum ipsa per attactum divini sanguinis jam rebus humanis pretiosior terras sprevisset, nisi templo, quod fere humana excedit, conderetur. His magnis statuarum loculamentis alia quatuor ejusdem magnitudinis imminent, inducta auro, cochlidibus e marmore columnis, epistyliis, & coronis instructa. Singulis singula sunt repositoria, quibus Veronicæ linteum, frustum Dominicæ Crucis, B. Andreæ caput, Longini lancea reconduntur, ostenduntur que statis diebus marmoreo e podio subter prostante, non sine clamore, ac votis venerantium civium. Hæc habent hemisphærii parietes angulosi flexique.

Sepulchro autem Apostolorum, quod sub ejusdem altissimo vertice situm est, Paulus V. venerationem & cultum quæsiverat [6]: *Nam propter, egesta humo, biantem extrinsecus locum aperuit. Confessionem nuncupant, quam obseptam cancellis marmoreis, ac descendentibus gradibus suffultam pretiosis lapidum crustis, & figurato pavimenti emblemate convestivit: inferiores aditus statuis columnisque decoratos inauratis ex ære valvis occlusit: lampadumque inibi ardentium lumina cum splendoribus Sanctorum lucere feliciter voluit.* Adhuc tamen deerat Ara, sive Aræ moles superstructa tumulo Apostolorum. Et alii sub aliis Pontificibus multa, nec fortasse paria loci sanctitati excogitarant, atque descripserant. Urbanus, Equite Joanne Laurentio Bernino Architecto, insigni operis & materiæ nobilitate perficit. Tota MOLES [7] futili ex ære constat, auro subinde interlita, ut misceat perennitati splendorem. Tortiles in ea columnæ quatuor ternis portionibus compactiles: infima parte in spiram striatæ, tortuosis & e folioso caudice erumpentibus canalibus: exinde arbusculis laureis scapum amplexis identidem convestitæ, quarum ramulis ænei quamquam pueri colludunt, & auro guttatæ interquiescunt apes: perinde ac duritiem æris ore molliant, quæ hac ferrea bellorum ætate nobis mollitudinem pacis aluerunt. Nituntur columnæ spiris æneis: hæ stylobatis e Pario marmore, quibus prosilientes anguli retractum ac velut alveolatum ophitem marginant, virgatumque versicoloribus maculis, modo sparsis, & errantibus, modo se colligentibus; & convolutis. At exterioribus quadratis ex eodem marmore inferium stemma Barberinum est, super sculptis Pontificiis diadematis & clavibus. Capitula columnarum [1] Jonico & Corinthio genere composita in olivæ folia se induunt, dispari altitudine e fundo subnascentia, resupinato per ambitum verticis labro: e quibus erumpentes cauliculi circumflectuntur extremos in flosculos. Super hos echinum spectare est scalptum ovis & spiculis: altioremque abacum medio comantem flore (etsi alicubi pro flore Sol est) introrsus sinuatum, & supra volutas angulosum. Hæ porro inter echinum & abacum emergentes, in angulis foliorum tenus latiore circulo se demittunt: tum arctiores in orbes circinatæ in medium tandem florem, floreum quasi oculum desinunt. Capitulis incumbit epistylium, [2] ternisque fasciis intermiscet astragalos baccis & verticillis intersectos. Hoc sequitur zophorus radioso notatus sole: quem corona superfulget superne projecta, deorsum autem oviculis denticulisque cælata. Super coronam, quæ quadripartita, nec ultra quam pro columnarum crassitudine producitur [3], statuta quatuor cœlitum juvenili specie simulacra sunt: quos cœlestis quidem sensus ad custodiam religionum accendit: manibusque laureas retinent frondes prolixa implicatione contextuque tamquam in encarpis advolutas, retroque pertinentes proximam trabem, & quodammodo colligantes. Trabes æneæ [4] quatuor totidem modis angulis insertæ, ab iis obversæ invicem tolluntur, anfractuque flexuosæ: tum paulatim coeuntes, supertensis palmis inauratis, nec modice resupinis, nectuntur in medium supercilium, e quo eminens globus superstante cruce inauratus effulget. Sub trabibus expansa ex ære umbella [5], & ære imminens, continuatoque margine, summo coronæ cymatio conjuncta, toto inter columnas cœlo subtenditur; aut ipsa cœlum est; quod divinæ columbæ aurato radiorum circulo subvolantis exornat candor, & fulgor illustrat. Extremis umbellæ oris velut assuuntur æneæ, in flexuram concisæ, auroque fimbriatæ laciniæ, flocco inaurato dependulo: quas ad coronæ altitudinem intercolumnium implentes Superorum aligeræ facies, & Barberinæ Apes alterno auro distinguunt. At medium umbellæ marginem tenuerunt minores duo Cœlites: quorum alter insidet, alter supervolat, uterque puerili forma, & habitu. Et anteriori quidem fronte hic Pontificia corona, ille cœli terrarumque clavibus oneratur. Iisdem insignibus gaudent in aversa extremitate posteriores. Qui latera tuentur, hinc atque hinc minantes impietati Paulino gladio coruscant.

Hæc est ærea Urbani moles, digna, quæ ad cultum Ecclesiæ Principum in augusto templo teneat principatum. Ex tanta enim operis magnitudine [6] non modo admirabilitatem cœpit auctoris potestas; sed sanctorum cinerum veneratio incrementum, loci sublimitas majestatem. Quippe obversatur mentibus eorum in cœlo sedes triumphalis, quorum sepulchrali splendore oculi perstringuntur. Quod si figurata æris firmitas auro illusa tantam admirationem movet intuentibus; quanto stupore devinciet fundatorum Religionis exornata dignitas, & ornantis religio? Qua demum permotus Urbanus novam Basilicam Ecclesiastico ritu consecravit, die XVIII. Novembris: quo die olim S. Sylvester Pontifex veterem consecraverat. Porro

1 Statuæ marmoreæ in templo S. Petri collocatæ. 2 Statua S. Veronicæ. 3 Statua S. Helenæ. 4 Statua S. Andreæ 5 Statua S. Longini 6 Auctor in ejus vita in additione ad Ciaconium. 7 Moles ænea tumulo Apostolorum superposita.

1 Capitula ex Jonico & Corinthio genere composita. 2 Cum epistylio, zophoro, & corona. 3 Statuæ æneæ supra coronam. 4 Trabes æneæ in medium coeunt. 5 Umbella sub trabibus. 6 Ex opere augetur sepulcri veneratio.

hæc omnia teſtatur ſuper fores, ut altera Pauli V. ſculpta inſcriptio:

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
VATICANAM BASILICAM
A CONSTANTINO MAGNO EXSTRVCTAM
A BEATO SYLVESTRO DEDICATAM
IN AMPLISSIMI TEMPLI FORMAM
RELIGIOSA MVLTORUM PONTIFICVM
MAGNIFICENTIA
REDACTAM
SOLEMNI RITV CONSECRAVIT
SEPVLCHRVM APOSTOLICVM
AEREA MOLE DECORAVIT
ODEVM ARAS ET SACELLA
STATVIS AC MVLTIPLICIBVS OPERIBVS
ORNAVIT.

Porro inter digniora Urbani opera, ac Vaticani decora, Comitiſſæ Matildæ monumentum recenſendum eſt; corpore namque hujus inclytæ Heroinæ ex Mantuano Sarcophago ad D. Petri Baſilicam translato, ſtatuam poſuit Urbanus ſceptrum dextera gerens, lævaque Pontificium diadema, & claves, ad deſignandum Romanæ Sedis patrocinium ab ea ſuſceptum, & temporaneam ditionem munifica pietate auctam & propagatam. Unde ad ejus memoriam æternandam idem Pontifex ita lapidem juſſit inſcribi.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX.
COMITISSÆ. MATHILDI. VIRILIS. ANIMI. FOEMINÆ
SEDIS. APOSTOLICÆ. PROPVGNATRICI
PIETATE. INSIGNI. LIBERALITATE. CELEBERRIMÆ
HVC. EX. MANTVANO. SANCTI. BENEDICTI
COENOBIO. TRANSLATIS. OSSIBVS
GRATVS. ÆTERNÆ. LAVDIS. PROMERITVM
MON. POS. AN. M. DC. XXXV.

Jam vero Innocentius X. Urbani ſucceſſor, ſtatim ac, ſecundo Columbæ omine, ad D. Petri culmen eſt evectus, in Vaticanam Baſilicam majora meditatus decora, ad proximum tunc ſolemnis Jubilæi annum MDCL. magnificentiſſima ac ſplendidiſſima moliri opera conſtituit. In duobus utrinque ſacellis ad templi limina, maculoſis lapidibus, muſiviſque picturis cruſtari parietes, lacunaſque fornicum plaſticis modulis auro fulgentibus loricari mandavit. Pila quoque ibi navi maximæ ſuppoſita (in quibus arcuato faſtigio odeum ac ſacella ipſa aperiuntur) marmorum ſegmentis, interpoſitis Pontificum vultibus, geniiſque puerorum in effigiem, vario emblemate decoravit. Intercolumnia, in utraque templi ala, pari operis pretio ditavit; ſublatiſque rudibus e Tiburtino ſaxo columnis, novas variegato marmore induxit illuſtres. Pavimentum inſuper vario lapide ſtravit; atque in dies pietate ac munificentia prædeceſſores æmulatus, Aram Leoni I. ſanctiſſimo Pontifici dicatam, & marmorea tabula, miro Alexandri Algardii artificio elaborata, perficit. In ea tum Attilæ retrocedentis fuga, eidemque maledicens Pontifex Leo exprimitur; tum etiam e cœlo deſuper, gladiis in ipſum Petrus ac Paulus irruentes apparent. Univerſam vero additam ab Innocentio ſtructuram, media ſuper maximam interioris Baſilicæ januam teſtatur Inſcriptio; inter eas, quas Paulus V. & Urbanus VIII. P. P. M. M. poſuerant:

BASILICAM
PRINCIPIS APOSTOLORVM
IN HANC MOLIS AMPLITVDINEM
MVLTIPLICI ROMANORVM PONTIFICVM
ÆDIFICATIONE PERDVCTAM
INNOCENTIVS X. PONT. MAX.
NOVO CÆLATVRÆ OPERE
ORNATIS SACELLIS
INTERJECTIS IN VTRAQVE TEMPLI ALA
MARMOREIS COLVMNIS
STRATO E VARIO LAPIDE
PAVIMENTO
MAGNIFICENTIVS TERMINAVIT.

Eodem tempore Leonis XI. Pont. Max. monumentum ſculpturis inſigne, prope Odeum, in Vaticano perfectum eſt: conſtituta Pontificis ſtatua duobus utrimque ſimulacris, fortitudine, ac munificentia exiſtentibus. Unde in avunculum pietas plurimum commendata eſt Roberti Cardinalis Ubaldini, qui opus, ſupremis tabulis, conficiendum mandaverat: hic vero notatur inſcriptus lapis.

D. O. M.
LEONI XI. MEDICI FLORENTINO PONT. OPT. MAX.
QVI AD SVMMAM ECCLESIÆ DEI FOELICITATEM
OSTENSVS MAGIS QVAM DATVS
CHRISTIANVM ORBEM BREVI XXVII. DIERVM LÆTITIA
ET LONGO ANNORVM MOERORE COMPLEVIT
ROBERTVS CARDINALIS VBALDINVS EX SORORE PRONEPOS
GRATI ANIMI MONVMENTVM P.
OBIIT. AN. ÆTATIS SVÆ LXIX. QVINTO KAL. MAII
M. D. C. V.



CAP. XI.

Alia sub Paulo III. ac deinceps nonnullis Pontificibus Ædificia.

INTEREA dum Michael Angelus, Paulo III. Pontificatum regente, fabricæ Vaticanæ præerat, in Capitolio ædificavit jubente Senatu Populoque Romano. Nam ad Senatoris ædes [1], inclytas SCALAS utrinque ascendentes, septasque lapideis cancellis exstruxit. Iis ad ornatum extrinsecus adjecta sunt jacentia duo fluminum simulacra: Nilum Tiberim & vocant. Medio parieti angulosо prostantique fons est appositus uberibus aquis perenniter in labrum defluentibus: inter captivos supersedente ROMA. Idem condidit novas CONSERVATORUM ædes [2]. Ibi ad exteriorem frontem, PORTICUS frequens columnis [3], structura, & artificio eximia conspicitur: cui pars superioris contignationis incumbit, cubicula, aulamque Capitolinam continentis. Supra porticum facies lateritia quadratis columnis distinguitur, quæ stylobatis elatæ coronam sustinent suamet specie, signisque marmoreis crebra per intervalla superstantibus insignem. In aula statuæ sunt LEONI X. & SIXTO V. positæ. Parietes recenti tectorio pinxit [4] Eques Joseph Cæsar Arpinas eo præsertim colorandi genere illustris: expressitque res a Romulo gestas, & Romanis Regibus. Mirandum opus, & Capitolio dignum. Alia aliis conclavibus veteris recentisque memoriæ visuntur insignia simulacra, & monimenta. Atrium quoque statuis, & inscriptis lapidibus visendum. E regione, qua signum ingens jacentis, Martisne an Panarii Jovis, (*Marforium* appellant) aquas in lacum effundit, pares omnino ædes [5] sub Clemente VIII. Populus Romanus condere aggressus erat: sed vix paululum exitare a solo cœperant, cum ab opere cessatum est. Idem Clemens dealbatam Senatoriæ DOMUS frontem antis capitulisque Corinthiis & suprema corona signisque superpositis ornavit. Nam antea e medio eminentem TURRIM [6] ædificarat Gregorius XIII. Locatis ex altera parte Capitolii

1 Scalæ ad ædes Senatoris. 2 Ædes Conservatorum, earumque ornamenta. 3 Insignis ædium Porticus. 4 Picturæ in Aula Capitolina insignes. 5 Nova molitio in Capitolio, nec perfecta. 6 Ornamenta Capitolii.

A super excelsas bases colosseis CASTORIS & POLLUCIS equos frenantium simulacris: tum dextra lævaque marmoreis tropæis e castello Aquæ Martiæ translatis. Ascensum inibi clivosumque cancellis Tiburtinis instituerat Michael Angelus: qui & statuas, quæ non sunt appositæ, certis cancellorum spatiis imponebat: omnia demum Capitolii ornamenta cumulat statua equestris ænea M. AURELII, quam e Laterano transtulit idem Paulus subjecta marmorea basi. Eodem Pontifice, qua Urbs maxime depressa subsidit, ut ajunt, in vallem, Balthasar Maximis ædium [1] egregiam formam descripsit. B Nam prisco more, structo præ foribus vestibulo, validis Dorici generis columnis murum commisit: atrium ac reliquas ædificii partes eleganter composuit. Quod tamen ante vita defunctus perficere non potuit. At nepos Pontificis Alexander, reconcinnato templo S. Laurentii in Damaso, inauratum addidit laqueare, præcelsisque parietibus præstantium opificum picturas induxit.

Atqui nullum ejus magnificentiæ certius exstitit monimentum, quam cum NOMINI JESU templum a fundamentis erexit. Eodem Alexandro & Rainutio Cardinalibus patronis Oratorium S. MARCELLI erectum est, nec modo illustri apparatu sed C præcipue Romana nobilitate in ejusdem pios cœtus adscita insignitum. At propinquum S. MARCELLI templum Leone X. Pontifice, cum subito incendio arsisset, crucifixi Domini imago [2] admirando eventu flammas evasit. Ex eo increvit veneratio, & cultus: templumque ædificari propensius, ornarique cœptum, contra, ac fuerant, conversis foribus, earumque loco apside constituta. Novum postea domicilium Servitæ Fratres veteri Cœnobio addidere. Alii quoque tum Principes eodem studio instruendi sacras ædes commendati sunt. Nam Joannes Bellajus Cardinalis Gallus S. ADRIANI, D quam optaverat, ædem restauravit. Federicus Cæsius Cardinalis perelegans templum S. CATHARINÆ, quod *a Funariis* nuncupant, in medio olim Circo Flaminio, & Cœnobium honestis puellis, quibus periclitantibus S. Ignatii Lojolæ monitu pii homines providere jam cœperant, exstruxit. In Basilica Liberiana sacellum: alterum in æde paciferæ Virginis dedicavit. Rodolphus vero Pius Cardinalis

1 Ædes Maximorum. 2 Crucifixi Domini imago admirabiliter servata.

A

Carpensis, vir ad cultum litterarum & summa omnia natus, Romanas, aliarumque gentium antiquitates magna impensa congessit. Has cum in ædibus magnificis in regione Campi Martii, tum Hortis Quirinalibus exquisite disposuit. Ea quidem ætate nihil Hortis Carpensibus celebrius, aut amœnius scriptores fuisse testantur.

Sequuta sunt Julii III. tranquilla Romæ tempora. Et ille etsi non multum in Urbe, in suburbio tamen viæ Flaminiæ Prætorium & [1] VILLAM Juliam hodieque nobilem, Michaele Angelo dirigente exstruxit: quo cum purpuratis Patribus frequenter conveniret, leniretque incommoda senectutis.

B

Villam porro alteram suæ propinquam arboribus vinetisque amœnam & fructuosam Joanni Poggio Cardinali Bononiensi ædesque inibi perlegantes dedit. Qui non dissimili munificentia alias in Urbe fabricavit. Joannes vero Riccius ab eo Pontifice dictus Cardinalis eximiam domum in via Julia, cujus postica Hortorum pars Tiberi alluitur: in Vaticano, ascendentibus clivum Pontificii Palatii ædes primum occurrentes, imminentesque Prætorianorum stationibus: in monte Pincio [2] veterem amœnitatem excitavit, quam postea Hetruriæ Magni Duces auxerunt. Pauli IV. Pontificatu Neapolitani potius detrimenta

C

belli Roma pertulit, quam paravit pacis ornamenta: tunc tamen pluribus in locis ad Urbis mœnia structæ munitiones & Inquisitionis ÆDES novæ inchoatæ: Diomedes Carrafa S. Martini in Montibus, quam ipse Ecclesiam regebat, instauravit, condito ibidem sepulcro illatus. Ipse Pontifex Theatinis suis ædem S. SYLVESTRI in Quirinali attribuit, inchoato ab imo collis scalarum ascensu, qui statim desiit. Patres autem templum ornarunt, domum exstruxerunt.

Jam vero Pius IV. [3] nemini posthaberi voluit in exornanda Urbe. Nam, ut memorat Onuphrius, multa vetera & publica ædificia, vel vetustate collabentia,

D

vel imperfecta, vel quæ omnino esse desierant, reparavit, aut perficere aggressus est. Portam & viam in Quirinalis dorso fecit, PIAS de suo nomine appellavit. Viam Flaminiam refecit: PORTAM autem a fundamentis novam erexit. Viam item fecit & Portam Angelicam de suo priore nomine nuncupatam. Aquæ Virginis ductus restituit: novam Aquam, cui SALONIÆ [4] nomen erat, illi adjunxit. ARCEM S. Angeli auxit novis muris, & propugnaculis munivit. Palatium Pontificium in Vaticano auxit, ornavitque: ædes in summo Capitolio restituit: quo supra civium tecta exstructo ambulacro transitum

E

aperuit e Palatio Sancti Marci, cujus turrem instauravit. Villam Juliam, cui majorem elegantiam quæsivit, excipiendis Cardinalibus, Oratoribus, & Principibus Romam venientibus perpetuo usui esse voluit. Thermas Diocletianas vetustate corruptas in sacram REGINÆ ANGELORUM ædem [5], & Carthusianorum Cœnobium convertit, non sine magisterio ductuque Bonarotæ. Molitionem templi Vaticani magnopere promovit. SEMINARIUM ROMANUM post Concilium Tridentinum instituit. Tunc & Pontificis nepos S. Carolus reconcinnavit ædem S. Praxedis [6], iterum postea ab Alexandro Mediceo Cardinali picturis ornatam. Marcus vero Siticus Cardi-

F

nalis ab Altemps eximias ædes molitus est ad Sancti Apollinaris. Idem in æde Transtiberina Virginis sacellum struxit, & ornavit. Gulielmus Sirletus templum S. Laurentii in Panisperna sua impensa refecit. Templum admirandæ Virginis, cognomento a MONTIBUS [7], ut ad tectum perduceretur, magno adjumento fuit. Quod deinde inaurata testudine, marmoreo pavimento, organo splendido & magno, elegantibus aris & sacellis provexit cultum præsidis Reginæ.

Pius V. etsi maluit destruere vim hostium Ecclesiæ, quam ædificiorum moles exstruere, ÆDES tamen Sacræ Inquisitionis [1] in Vaticano fecit: S. DOMINICI templum [2] cum Cœnobio Monialium in summo Quirinali fabricari jussit. Id vero opus nobilium Virginum Romanarum, quæ ibi se Deo voverunt, magnopere auctum est, ac templum magnifico ornatu perductum ad culmen. Proximum item Virginum domicilium aliquot ante annis fundari cœptum novo templo S. CATHARINÆ Senensis patronæ [3] decoratum est, ædificioque domestico ampliatum. Porro idem Pontifex Societatis Jesu Patribus domum POENITENTIARIORVM fundavit, instruxitque reditibus: ut in Basilica Vaticana expeditiores haberet solvendis animorum nexibus, qui debellata Othomanni classe captis hostibus vincla injecerat. At ejus nepos Michael Bonellus insignes ÆDES condidit prope templum SS. Apostolorum, etsi præ magnitudine Insulæ semiperfectas. Petrus Donatus Cæsius templi excelsæ Virginis a VALLICELLA [4] fundavit apsidem: coemptis ædibus Presbyterorum Congregationis Oratorii habitationem dilatavit. Id porro templum magnitudine ac dignitate memorabile, Gregorio XIII. Pontifice, S. Philippo Nerio fabricam piorum largitionibus moliente, Alexander Cardinalis Medices, postea Pontifex Leo XI. jacto in fundamentum primo lapide auspicatus, deinde absolutum consecravit. Anteriorem partem Angelus Petri Donati frater Tiburtino lapide compactam elatamque fundavit, ornavit, perfecit, ut monet inscriptio, exstructo insuper ac dotato sacello. Ante quam nuper disturbatis propinquis domibus & ruinosis, patefacta raram in latitudinem strataque via [5]: novis circum ædibus excitatis, mirum, quæ loco species, quæ amplitudo accesserit? His domus ædificationem Patres adjiciunt, ingentis insulæ ambitum complexam. Urbs ibi paululum ex planitie assurgit. Montem Jordanum appellant, cujus potiorem partem Ducum Ursinorum peramplæ occupant ædes. Aliæ eorumdem ad imum ejus colliculi, & carceres olim Circi Agonalis: reperto, cum struerentur, in fundamentis simulacro, quod *Pasquinum* vocant.

Jam vero Hieronymus Rusticuccius ab eodem Pio dictus Cardinalis præter ornatam domum in Urbe Leoniana exædificatam, ædem S. SUSANNÆ [6] in Quirinali sic refecit ut novam potius videatur ex integro refecisse. Interius quidem maculosis lapidibus, picturis, lævi asperoque tectorio, laqueati tecti, ac parietum inauratorum splendore tota fulget: exterior Tiburtino marmore elegantissime concinnata: templorum tamquam Phœnix; nisi prope alterum haberet VICTRICIS Virginis [7], interiorem cultu, candidoque ornatu extimæ frontis commendatum, quod illi adjecit Scipio Cardinalis Borghesius.

Hæc Pii tempora excepit Gregorii XIII. Pontificatus [8] inclytus liberalitate, magnificentia, studio propagandæ religionis. Ille in PALATIO Vaticano plura molitus: Aulam, quam Constantini appellant, picturatis parietibus: Aulam regiam, picturis & operose tecto fornice, marmoreo sectilique pavimento: Sacellum Paulinum: Atrii porticus: Aulam, vulgo *Bononiam*, regionumque cubiculorum ordines absolvit. Fornicatum SIXTVM, sive interius ambulacrum e Vaticani vallicula erectum appictis geographicis Italiæ tabulis, lithostroto, aliisque picturæ operibus mire convestivit. Magnificam domum, & summi Palatii cubicula: plurimum fabricæ templi Vaticani, & SACELLVM Gregorianum [9] luculentissi-

1 Villa Julia. 2 Prætorium & Horti in Pincio colle. 3 Pii IV. opera. 4 Aqua Salonia. 5 Templum S. Mariæ Angelorum. 6 Ædes Praxedis a S. Carolo exornata. 7 Templum S. Mariæ a Montibus.

1 Ædes Sacræ Inquisitionis. 2 Templum S. Dominici. 3 Et S. Catharinæ Senen. 4 Templum S. Mariæ a Vallicella. 5 Via nova patefacta. 6 Templum S. Susannæ. 7 Templum S. Mariæ a Victoria. 8 Opera Gregorii XIII. 9 Sacellum Gregorianum in templo S. Petri.

mum adjecit. Academiam Romanam, vulgari appellatione *Sapientiam*, auxit Porticibus, & Scholis. Palatium Senatoris Capitolini refectum extulit excelsa turri: Pontem in Tiberi Senatorium magnificentiore, quam fuerat vetus, structura restituit. Novum fluvio Peliæ in finibus Mediceæ & Ecclesiasticæ ditionis imposuit. Porticum Basilicæ Majoris Virginis ab Eugenio III. factam refecit. Lateranense templum novo Eucharistiæ conservandæ sacello instruxit: proximam ædem Baptismo Constantini celebrem ornavit. Instaurato ad S. Marcum Palatio, novum in Quirinali cum hortis amœnissimis Pontificum habitationi exstruxit. Horrea publica in ruinis thermarum Diocletiani: portam Cœlimontanam, nunc *S. Joannis*: collapsum molis Adrianæ propugnaculum: nosocomium & ecclesiam S. Marthæ palatinorum ministrorum commodo ædificavit. Vias ab Esquilina ad Lateranensem Basilicam: ab hac ad Sixtum aperuit ac direxit. Ab Urbe Lauretum usque prærupto Apennini jugo perviam curribus stravit, munivitque. Cum multa in Urbe Collegia fundarit [1], Germanicum, Anglicanum, Græcorum, Maronitarum, Neophytorum; Germanico, ut dixi, ædes & templum S. Apollinaris: Anglis, S. Thomæ, cum xenodochio ejus nationis: domum Maronitis, Neophytis, Græcis: horum autem Patrono S. Athanasio magnificum templum exstruxit. Alia in Urbe Cœnobia fundavit, ampliavitque: eique domus Piæ Gubernatores ac Præsides cusum numisma dedicarunt cum insigni elogio: *Monasteriorum, Ecclesiarumque Fundatori Conservatorique*. Illud vero inter cætera memorabile, quod COLLEGIUM ROMANUM Societatis JESU [2] a fundamentis exstruxit, ac dotavit. Opus sane, si fabricæ amplitudinem ac dignitatem: si universitatem disciplinarum, quæ in eo traduntur: si Professorum doctrinam: si attributos reditus: si discipulorum ex eadem Societate ad omnes dein terras commeantium externorumque multitudinem spectes, Gregorianæ charitati par, qua omnia complectebatur. Primum [3] in fundamenta lapidem jecit ad tertium Idus Januarii Philippus Boncompagnus S. Sixti Cardinalis fratris filius, sic inscriptum.

Religionis causa Gregorius XIII. Pont. Max. Bonon. Collegii Romani Societatis Jesu amplissimo reditu aucti ædes ad omnes nationes optimis disciplinis erudiendas ære dato exstruens, primum in fundamenta lapidem conjecit, MDLXXXII.

Ipso ædificationis initio cum jam surgeret murus, Pontifex fabricæ ipsius structuram inspicere voluit: cumque muri partem vidisset simplici opere constructam, illico dejici jussit, atque opere lateritio & magnifico refici [4]. Tum ædificationem strenue promovit. Biennio post in eam, qua spectatur, formam est perductum. Externa Collegii facies latissima e grandi lapideaque corona in medio eminet, tum celsam exstat in turrim: duobus hinc atque hinc supremos cancellos claudentibus acroteriis. Eadem latere cingitur lævigato modo in fascias procurrente, modo retracto & exæquato: angulatis eadem lapidibus Tiburtinis, antarum instar projectis munita, non sine multiplici, directoque ordine patentium fenestrarum. Media pars Gregorii simulacrum in loculo ponendum expectat: altiusque imposita ejusdem insignia egregie sculpta ostendit, sub quibus titulus operis in marmore inscribitur:

GREGORIVS XIII. RELIGIONI ET BONIS ARTIBVS.

Deorsum ad justam ædificii formam duplex ostium habet, pulcherrimis instructum antepagmentis, & arcuato supercilio, quod prothyrides sustinent [5]. Horum unum auditorum quamlibet multitudinem excipit, vestibuloque mittit in atrium Gymnasii, & illo exeuntem reddit. Porro impluvium coctili latere stratum, radiorum instar intercurrentes candidi lapidis patulæ ac perpolitæ glebæ in syderis speciem figurant: tum quaternæ ambiunt quadratæque porticus nixæ pilis Tiburtini lapidis. E pilis antæ prostant, inferiores Ionici generis: his vero superstantes, Corinthii; quibus epistylia & coronæ incumbunt. Binis scalis se mutuo e regione spectantibus ascensus est ad superiores porticus, quæ lapideis mœnianis cancellatim marginantur ad pulchritudinem simul & securitatem deambulantium. Cohærent quadrilateris porticibus Scholæ: superioribus vero aula etiam ingens ad publica munia doctrinarum: in qua summa Gregorii effigies ad vivum expicta in solio sedens visitur purpuratis Patribus ad latera considentibus. Ad ejus pedes alumni accidunt e Romano, aliisque Collegiis [1], quæ reliquos circum aulæ parietes picta sunt, & ubique terrarum a pio Pontifice religionis propagandæ studio constituta. In summo titulus totius nomine Societatis Gregorio inscriptus est:

GREGORIO XIII. PONT. MAX.

HVIVS COLLEGII FVNDATORI SOCIETAS IESV AMPLISSIMIS AB EO
PRIVILEGIIS MVNITA ET INGENTIBVS AVCTA BENEFICIIS
IN HOC TOTIVS ORDINIS SEMINARIO PARENTIS
OPT. MAX. MEMORIAM SVIQVE GRATI ANIMI MONIMENTVM P.

Absoluto Gymnasio, domus deerat ad habitandum: cui sane exstruendæ non modicam in certum tempus pensionem attribuerat Pontifex. Hæc quoque per occasionem templi S. Ignatio dedicandi ædificata: novoque vico patefacto ædes SS. VIRGINI, & S. FRANCISCO XAVERIO adjecta est. In ea piorum hominum ad profectum & animæ salutem vespertini sunt, & quotidiani conventus. Sodalitatem Communis Generalis nuncupant. Sedulo enim curant, ut in exitu cujusque mensis divinum Eucharistiæ epulum mutatis subinde templis populo præbeatur: & forensis turba in plateis ad conciones tum voluntarias verberationes paratam in ædem conveniat.

Verum ut ad præterita tempora redeamus, cum Collegium Romanum Gregorius exstrueret, Alexander Farnesius templum NOMINI IESV [2] absolvit, lineatore & architecto Jacobo Barozzio Vineolano præstantissimo ætatis suæ. Qui unius exemplo formam quodammodo præscripsit, qua hodie templa pulcherrima conduntur. Nam ante Paulum V. ut ajebam, alio distrahebatur idea Vaticanæ Basilicæ. Occidenti soli facies templi est obversa decente ascensu, ac Tiburtis lapidicinæ glebis in antarum, coronarum, fastigiorum præclaram speciem expolitis. Extra locus apertus ac patens, quinque præcipuis viarum eodem mittentibus: Alteriorum olim forum [3], qui, præter cætera, Romanam nobilitatem antiquo loci cognomento testati, in eo nuper ædificarunt. Itur tribus ostiis [4] in unam ædis testudinem, dein conversis angulis in crucis schema dilatatam. Tres hinc atque hinc cellæ versicoloribus lapidibus, picturis, tectoriis operibus, auroque excultæ. Tum ab utroque latere mediani aditus. Dein explicata brachiorum instar amplitudo, exsurgente hemisphærio: quod laminis plumbeis coopertum, interius picturatis imaginibus, & quatuor e gypso intra loculamenta simulacris decoratur. Excipiunt cellæ minores duæ, non dispari a cæteris ornatu: tum apsidata extremitas, ubi præcelsam & prin-

1 Collegia a Gregorio XIII. fundata. 2 Collegium Romanum. 3 Ex litteris annuis Societ. anno 1582. 4 Forma & structura Collegii exterior. 5 Litteræ annuæ Societ. anno 1584

1 Collegia toto orbe a Gregorio constituta. 2 Templum Nominis Jesu. 3 Forum Alteriorum nunc Nominis Jesu. 4 Ornatus interior Templi.

cipem ARAM [1] nato Regum Regi, & octavum post diem circumsecto Farnesia pietas dedicavit. At circumcludentes parietes quadratæ pilæ conjunctim structæ distinguunt, gravanturque capitulis foliosis, echino scalptis & Jonica voluta: superque deducto epistylio præstantisque symmetriæ corona. Infra coronam octo podia e marmore paulum a muro exstant supra cellarum arcus, & medios aditus: alia sex, prope apsidem, atque in transversa testudine multum eminent: duæque sublimes organorum machinæ duobus impositæ auro præfulgent. In aversa fronte totius operis inscriptio est:

ALEXANDER FARNESIVS CARDINALIS S. R. E. VICECANCELLARIVS PAVLI III. PONT. MAX. NEPOS CVIVS AVCTORITATE SOCIETAS IESV RECEPTA PRIMVM FVIT ET DECRETIS AMPLISSIMIS ORNATA TEMPLVM HOC SVÆ MONVMENTVM ET RELIGIONIS ET PERPETVÆ IN EVM ORDINEM VOLVNTATIS A FVNDAMENTIS EXTRVXIT ANNO IVBILÆI MDLXXV.

Ad exitum æde perducta Gregorius Pontifex [2], *cum per æstivos calores ad Divi Marci de more versaretur: incidissetque dies B. Virginis Assumptioni sacer, quo die sacrorum solemnia in sacello Pontificio celebrantur, novam ædem, quæ cum D. Marci pæne continens est, ad eum augendum celebrandumque diem sibi delegit. Itaque tum primum in Ara maxima magnifico exstructa opere sacrificari cœptum est. Aderat Cardinalium corona, cæteraque Pontificalis Curiæ pompa: multitudo vero tanta quanta novi templi facies, & novus ille consessus illexerat.* Proximo anno [3] *rediit ad eum celebrandum colendumque diem, quemadmodum superiore anno fecerat, summus Pontifex. Qui hoc etiam magis ea delectatus est æde, quod & paulo jam erat ornatior, & præclara quadam Eucharistiæ sede ac domicilio illustrabatur. Est enim multorum opus annorum, cum magnitudine nobile, tum artis varietate distinctum: fulget auro, accensoque colore, plurimisque sacrarum historiarum argumentis illuminatur: ut quocumque figas obtutus, novo semper delecteris aspectu.* Hæc ab Alexandro perfecta: cujus ut magnum nomen, sic magnitudine rerum gestarum æquari debuit. Accessit deinde par Odoardi Cardinalis Farnesii liberalitas, qui adjunctam Societatis domum [4] Clemente VIII. Pontifice ædificare aggressus, aliquot post annis absolvit opere lateritio candentibus lapidibus interstincto. Latam insulam complexus, elegantem fabricam longo spatio circumduxit; ut domum illam, quam antea nostri ordinis homines primam dignitate atque antiquitate dicebant, fecerit etiam inter præcipua Romæ ædificia non postremam. In ea hæc legitur inscriptio:

ODOARDVS FARNESIVS DIACONVS CARDINALIS
SOCIETATI IESV QVA PIETATE MAIORES SVI NASCENTEM
EXCEPERVNT CRESCENTEM FOVERVNT ADVLTÆ IAM AC
PROPAGATÆ DOMVM HANC PRIMO LAPIDE IACTO EXTRVXIT.
ANNO IVBILÆI MDC. ÆTATIS SVÆ XXVII.

Commemoratis Gregorii fabricis, postremo quid optimo Principi Roma vicissim constituerit [5], memorandum est. Nam Populus Rom. statuam ei marmoream in Capitolio dicavit: in cujus basi claro elogio hæc scripsit.

Gregorius XIII. Pont. Max. Ob farinæ vectigal sublatum, Urbem templis & operibus magnifice exornatam, H. S. DCCC. [6] *singulari beneficentia in egenos distributum, ob seminaria exterarum nationum in Urbe, ac toto prope terrarum Orbe, Religionis propagandæ causa instituta, ob paternam in omnes gentes charitatem, qua ex ultimis novi Orbis Insulis Japoniorum Regum Legatos trienni navigatione ad obedientiam Sedi Apostolicæ exhibendam primum venientes Romam pro Pontificia dignitate accepit.*

S. P. Q. R.

1 Et Aræ majoris. 2 Ex litteris annuis Societatis ann. 1583. 3 Ex iisdem litteris an. 1584. 4 Domus Societatis Jesu ab Odoardo Card. Farnesio exstructa. 5 Pop. Rom. Gregorio XIII. statuam ponit. 6 Duos milliones aureorum.

Creatus ab eodem Gregorio Cardinalis Matthæus Contarellus ædem S. Ludovici nationis Gallicæ [1] ejusdemque nationis impensa magnifice erectam, ad exitum perducendam, & exteriorem faciem Tiburtino lapide luculenter exstruendam curavit. Cellam ipse, in qua & sepulcrum sibi delegit, exstructam ornavit perfecitque. Scipio ejusdem Gregorii Cardinalis Lancellottus Cellam item, in Lateranensi Basilica, atque ædes media in Urbe spectabiles condidit. Aedes S. Thomæ Cinciorum ab iisdem restituta: quorum domos Campus olim Flaminius præsertim habet Tiberi propior: qui & Sanctacruciorum aliis gaudet, nunc vero etiam recentibus & purpuratis. At Card. Antonius Maria Salviatus præter suas ædes SANCTI JACOBI templum [2] eximium veteri subruto, & proximam domum ægrotis, molitus est. Nosocomium pauperum incurabilium auxit attributo censu: fabricam curandis fœminis & magnos reditus adjecit. Idem orphanorum Protector ædes S. Mariæ in Aquiro, penes quam iidem incolunt, ruinæ obnoxiam magno sumptu instauravit: Collegium Salviatum [3] instituit constitutis reditibus, in quo ex orphanotrophio delecti adolescentes ad studia litterarum alerentur. Idem orphanarum puellarum ad Sanctos quatuor Coronatos domicilium composuit: cum orphanorum domus aliquot post annis exstructa sit.

1 Templum S. Ludovici nationis Gallicæ. 2 Novum Templum S. Jacobi. 3 Collegium Salviatum.

CAP. XII.

Sixti V. & aliorum deinceps Aedificia.

SIXTUS V. [1] novam omnino Urbem videbatur animo comprehendisse, cum brevi Pontificatu tanta est opera molitus. Vastissimum HEMISPHÆRIUM Basilicæ Vaticanæ, quod vix attolli posse credebatur, duplici camera, altera alteri subjecta, festinato perfecit. Insigne sacellum Augustissimæ Eucharistiæ in Basilica Majoris Virginis, cujus fundamenta jecerat Cardinalis, Pontifex eadem magnitudine absolvit. Novum in Palatio Vaticano PALATIUM [2], ex quo subjectæ Urbis jucundissimus est prospectus, excitavit. Quod ab aliis Pontificibus deinde exornatum hodie iidem incolunt. Idem scalas fecit ab ædibus Vaticanis in templum Divi Petri, quibus clam populo descenderent Pontifices. Easdem ædes Bibliotheca Vaticana nobilitavit. Templum Sancti Hieronymi Illyricorum, quem titulum optaverat Cardinalis, nova molitione erexit: xenodochium Sanctissimæ Trinitatis [3] apud Tiberim alendis vestiendisque pauperibus condidit, censuque abunde dotavit. Quatuor OBELISCOS [4] reliquias miraculorum veteris Urbis, transtulit. Unum in Vaticano stantem in media area ante D. Petrum collocavit. Trium, qui jacebant, minimum quidem a tergo Basilicæ Esquilinæ: alterum longe majus in introitu Portæ Flaminiæ: altissimum vero omnium ante Basilicam Lateranensem erexit: Cruci, quam omnibus superposuit, dedicavit. Ad eandem Basilicam [5] PATRIARCHIUM vetus Pontificum Romanorum, partim vetustate collapsum, partim incultum ac deformatum, totum a fundamentis magnificentissime refectum & picturatum ædificavit: ea laxi-

1 Sixti V. opera. 2 Novum Palatium Vaticanum. 3 Xenodochium pauperum. 4 Obelisci erecti quatuor. 5 Palatium Lateranense refectum.

tate, ut cum in eo Senatum seu Consistorium haberet, Purpuratos Patres omnes, suis quemque cubiculis dispertitos, acciperet. PORTICVM Basilicæ ad Benedictiones Pontificias adjecit. SCALAM SANCTAM [1], qua Christus Dominus in prætorio Pilati fertur descendisse, digniori loco, ante Sacellum Sancti Laurentii, seu Sancta Sanctorum positam novis scalis & clatratis porticibus cinxit. Sacella duo addidit: Sacrarii Præfectum & alios ministros instituit. Pontificium Gregori XIII. Palatium in Quirinali circumductis porticibus, & interiore Sixto amplificatum ingenti atrio laxavit. Columnas TRAIANAM & ANTONINAM resarciri: in ea Sancti Petri inauratum ex ære simulacrum: in hac, S. Pauli collocari jussit. Ædem S. Sabinæ instauravit. Aliquot vias aperuit, & direxit. Templum SS. Trinitatis in monte Pincio: quam usque portam Flaminiam destinaverat: alteram per Esquilinum, Viminalem & Quirinalem ad Palatium S. Marci: alteram ad portam S. Laurentii. Ab eadem ad thermas Diocletianas. A Lateranensi Basilica ad Colosseum. Porro inter vias propinquas Liberianæ Basilicæ ingens vineæ, atque Hortorum Perettinorum ambitus concluditur, quos adhuc Cardinalis inchoaverat, eleganti prætorio inibi exstructo, ubi procul a strepitu habitaret. AQVAM FOELICEM [2] in altitudinem Romanorum Collium ad Urbem perduxit, in Colle primum Quirinali, tum tota Urbe publicis privatisque fontibus emergentem. Tres lapideos lacus, in quos ex arcuato ductu tribus ostiis primum effunditur, præter egregiam structuram, columnas & alia marmorum ornamenta, ingens MOSIS simulacrum offerentis aquam, & Hebræorum occurrens multitudo expressa Lunensi candidoque marmore, commendant. Hæc ille in Urbe. Ideoque Populus Romanus Sixto dicatæ in Capitolio statuæ inter alia subscripsit: OB URBEM AEDIFICIIS, VIIS, AQVAEDUCTU ILLUSRATAM. Ejus porro nepos Alexander Cardinalis Montaltus templum S. ANDREÆ [3] præclarum inter templa Clericis Regularibus condidit. Id postea insignitum est Cellarum ornatu; ejus præsertim, quæ ab eximio non magis cultu, quam auctoris Maffæi Cardinalis Barberini [4] nunc Pontificis nomine effulget. Auget ejus Cellæ dignitatem subjectus veteris Cloacæ sinus, injecto quondam S. Sebastiani corpore consecratus. Strozia item eo Templo insignis. Ibi ante, Ducum Piccolhomineorum ædes, & FORUM SENARUM: nunc autem in nomen Apostoli cum ædificio vertit & nomen Fori. Idem Alexander Clericis Regularibus minimis [5] ædem S. Laurentii in Lucina cum a Paulo V. impetrasset, amplas ædes conjunctas coemit, & attribuit. At Henricus Cajetanus S. R. E. Camerarius cum e Gallia rediens Legatus indidem Monachos priscis S. Bernardi legibus arctiora sectantes [6], habitu, unicolores & candidos, laxiore cucullo, & ad mentum dependulo, ligneis socculis, tibiis denudatis, in Italiam deduxisset, iisdem ædem S. PUDENTIANÆ, quam Rainulphus de Monteruco Urbani VI. olim Cardinalis instauraverat, jam vetustate fere consumptam & a se restitutam, iisdem ad sacra ministeria tradendam curavit: dein auxit pulcherrimo Sacello, in quo ipse humari voluit. Hieronymus Matthæius ejusdem Pontificis Romanus Cardinalis fundato Matthæiorum Collegio [7], quo præscriptus adolescentium numerus ad bonas artes educatur, stabile liberalitatis suæ monimentum constituit. Inchoata Sixti opera perfici mandaverat Urbanus VII. cum inchoato vix Pontificatu decessit; vir summus, antequam maximus diceretur. Gregorii XIV. tempora fabricis caruerunt. morbosa enim fames ademit potestatem fabricandi. Ejus porro fratris filius Paulus Cardinalis Sfondratus, cujus erga res sacras religionem comitata munificentia est, sub Clemente VIII. S. CÆCILIÆ aliorumque SS. Martyrum corporibus inventis, eodemque loco reconditis, Ecclesiam ante ruinosam & fatiscentem, mox restitutam, priscis renovatis, novis pigmentis, arisque additis copiose ornavit. TVMVLVM vero Virginis vario marmore, pretiosisque incrustationibus pellucentem mira operum elegantia, atque opificum arte elaboratum, & cancellis obseptum, luminibus plus LXX. perpetuo ardentibus quasi cœlum stellis illustravit: Ædem Sacerdotibus, ministris, argenteis & aureis vasis, ac Sanctorum reliquiis auctam hæredem ex asse reliquit. Octavius Paravicinus ab eodem Gregorio jussus Cardinalis, cum Aram principem templi S. Alexii, cui præerat, in Aventino mirifice decorasset, ædes quoque in Urbe perfecit.


Jam vero Clemens VIII. [1] ut ædem S. CÆSARII [2], quam Sixtus V. expunxerat, inter Cardinalium titulos more antiquo referret, non longe a porta Capena luculenter restituit, tum Sylvestro pronepoti creato Cardinali regendam attribuit. Collegium SCOTORVM [3], quorum patronus fuerat in purpura, ut Romanam fidem in patria tuerentur, fundavit, donavitque proventibus. Palatium Vaticanum, quod Sixtus V. ædificarat, laquearibus, cæterisque ornamentis præclare instruxit. Ex his Aula vulgo CLEMENTINA, picturis, fallente imaginum prospectu, & egregia opificum arte oculos tenentibus: tum specie marmorearum incrustationum inter spectanda Urbis merito adscribitur. Basilicæ Vaticanæ quod fuerat exstructum præclarissime perfecit. Ejusdem opus est in Basilica Lateranensi Sanctissimæ EUCHARISTIÆ divinique Regis regia. Transversam enim templi partem colorato elaboratoque marmore, exquisitis picturis, inaurato laqueari, segmentato pavimento pulcherrime ornavit. Erant in templo prope apsidem veteres quatuor æneæ columnæ striatæ. Eas lamellis auri coopertas, basibus, spiris, capitulis effultas, coronam, & fastigium ex ære inauratum sustinentes ad aram composuit. Hæc introrsus adstructa parieti viridibus columnis Oebalii marmoris, aliisque discoloribus lapidibus insignis splendidum præ se fert gemmis & auro conditorium, quo Sol vitæ contegitur. Contra, Organi vegrandibus tubis admirabilis machina nixa croceis e marmore columnis inauratis e ligno præcincta, aliisque præclaris ornamentis sursum deorsum illuminata. Idem Capitolium, ut supra dicebam, pro loci dignitate, excoluit. Demum in æde Virginis super Minervam sumptuoso SACELLO [4] gratus Pontifex parentum memoriæ monimenta posuit: quorum marmoreas effigies super urnam varii lapidis nitentes in cubiculum numerosa nobilium capitum & purpuratorum ex Aldobrandino genere corona circumdat.

Horum præcipuus Petrus Clementis nepos S. Nicolai in Carcere Cardinalis; qui antiquæ illius ædis faciem plastico artificio conformatam dealbavit. Postea vero Transtiberinam, cui præerat, VIRGINIS MATRIS ædem elato altius tecto, cælato inauratoque laqueari, restitutis tunicatisque marmorato parietibus, splendide instauravit. Ejusdem HORTI perquam amœni sunt in Quirinali: qui & miracula picturarum in ædibus, & multitudinem statuarum inter vireta, & viretis picturæ fragmentum repertum a pastinatoribus spectanda exhibent. Idem porro vetustam ædem ad aquas Salvias [5] renovatam exstruxit: locum S. PAULI Apostoli martyrio & trium fontium, qui ad saltus præcisi capitis emanarunt, miraculo insignem ornavit. Eodem Pontifice Basilicam S. PAULI non longe sitam Monachi Cassinenses, dealbatis muris, erectisque altaribus, apsidem præsertim picturis & marmoribus, in hanc quæ cernitur nobilem formam

1 Scala Sancta digniori loco posita. 2 Aqua Fœlix in Urbem inducta. 3 Templum S. Andreæ de Valle. 4 In eodem Cella Maffæi Cardinalis Barberini. 5 Clerici Regulares minimi. 6 Monachi Sanct. Bernardi arctioris disciplinæ. 7 Collegium Matthæiorum.

1 Opera Clementis VIII. 2 Ædes S. Cæsarii. 3 Collegium Scotorum fundatum. 4 Sacellum Clementis in templo super Minervam. 5 Ædes S. Pauli ad tres fontes.


Fol. 427.
Fig. XLVIII.
PONT. MAX.
OBELISCVS IN LATERANO


SIXTVS V PONT MAX
10. PED.
5.
10.
OBELISCVS IN EXQVILIS
IN VATICANO.

mam redegerunt: iidemque postea refecto S. CALLIXTI templo in Transtiberina regione, adjectam Cœnobii partem magnifice ædificarunt. Per idem tempus Cæsar Cardinalis Baronius, cum Annalium volumina æternitati conderet, ædem SS. NEREI & ACHILLEI [1] collapsam ornate reparabat: S. Gregorii monimenta prope ejus ædem ædificatis, aut restitutis minoribus ædibus instruebat. At in valle Quirinali templum S. VITALIS [2] vetustissimum & æruin obnoxium Isabella Feltria Ruverea Bisignani Princeps fundata apside, novaque structura directum firmatumque, totum picturis & ara decoravit. Cardinales vero, Andreas Perettus vetustissimam ædem S. ANGELI in Foro Piscario tectoriis operibus; Bernardus de Roxas & Sandoval ædem S. ANASTASIÆ eleganti pronao ante frontem excitato, quam nuper collapsam Urbanus VIII. mansuram restituit; Bartholomæus Cæsius ædem S. MARIÆ in Porticu [3] coloratis imaginibus exornarunt. Hanc vero postremam in area domus Sanctæ Gallæ patritiæ olim erectam Joannes I. Pontifex scribitur dedicasse, reposita inibi admirandæ Virginis imagine, quæ religiose colitur, manu Angelorum, ut fertur, depicta. Restituit deinde ædem Gregorius VII. tum Hugo Verdala Cardinalis & magnus Melitensis militiæ magister: quibus Cæsii pigmenta accessere.

Jam vero Pauli V. [4] in exornanda Urbe singularis cura, & diuturno Pontificatu festinata studia fuere. Ex ejus vita Ciaconio addita placet Paulinas fabricas enumerare, paucis omissis, quas ante commemoravimus. *A Cœlitum Regina Virgine auspicatus, contra SACELLUM in Basilica Esquilina a Sixto V. Dei nascentis incunabulis erectum, alterum Deiparæ Matri, quantum nusquam Romæ esset, ædificare aggressus est. In ejusdem Sacelli jam perfecti aram ex antiqua templi ædicula ejusdem Virginis IMAGINEM Lucæ Evangelistæ manu depictam, cunctis gentibus venerabilem transtulit, inusitato spectaculo. Fulgebant undique parietes sericis, auroque intextis peristromatis: & imperata omnium ordinum supplicatione circumvecta cœlestis effigies lustravit Esquilias, purpuratorum Patrum Senatu, populoque Romano prosequentibus. Ipse Pontifex ad ostium Basilicæ Reginam argenteo ferculo sub umbella magnifice subeuntem obvius ac venerabundus excepit, & in Sacelli ara deposuit. Porro sacellum totum quidem admirandum, & variegatis lapidum crustis, simulacris e Pario marmore, picturato inauratoque hemisphærio, sectili pavimento, præclaris artificum operibus, cum priscis Cæsarum molibus conferendum. Sed ARA [5] præsertim admirationis modum excedit, Virgini destinata sedes. Ea gemmis,* (hæc de Ara ex autographo scriptoris adjecimus a Typographo prætermissa) *ære, auroque conficitur. Quatuor columnis striatis ex Jaspide sustinetur: lapidis purpuram maculis albis intercurrentibus: tereti stria ex ære inaurato segmentatos canales distinguente. Ex eodem lapide stylobatæ purpurant. plinthi, thorique cum cymatiis ex ære inaurati sunt: uti spira, & capitula columnarum. Ex eodem epistylium & corona. Zophorum decorat jaspis virgatus, ac spiris, ut in alabastrite, convolutis maculosus. Intercisi fastigii coronam Cœlitum ex ære expressa juvenili forma simulacra insident. Ipsum porro medium ornant virginales nives olim in Esquilinum collem delapsæ: ac splendido toreumate Pontificem templi limites designantem spectantibus similes auratæ circumfunduntur imagines. At infra epistylium, oram intercolumnii quaquaversum claudit quadrangula, & turgens in astragalos, æquata in tænias jaspis: circuitque immissæ instar tabulæ expansam sapphirum, colore cœlestis haud absimili, & stellarum radios imitantem, auro internitentibus venis. Sapphirino illo tamquam cœlo superi auro splendidi circumvolitant, quadratum in medio loculum pretiosis lapillis, gemmisque coagmentatum sustinentes. In eo solio majestatis augustam VIRGINEM* [1] *Paulus collocavit, accensis perpetuo cereis, & lychnuchis lampadum igne fulgentibus. Ad eamdem Basilicam elegantissimas ædes excitavit: in quibus nobile ODEUM plurifariam divisum SACRARIUM* [2] *: æditruis, & Canonicis Liberianis, sua cuique, mansiones distributæ: ubi Paulo æneum habitu Pontificio SIMULACRUM iidem posuerunt* [3]*. Ante vestibulum templi COLUMNAM ex antiquo PACIS delubro translatam, superstante Virginis Matris cum Filiolo inaurata effigie, basi impositam erexit. Eodem tempore D. PETRI templum, templorum miraculum aliquando perfecit* [4]*. Ad ejus laxandam aream ædes Innocentii VIII. peramplum atrium ambientes, aliaque veteris structuræ demolitus, multa splendide ædificavit, aut restituit ad præsentis elegantiam temporis. Bibliothecæ Vaticanæ TABULARIUM insuper addidit quo Pontificia diplomata continentur, PAULAM AQUAM, magnum aquæ flumen, XXXV. ab Urbe milliario, opere subterraneo, & arcuato in Janiculum perduxit dejicientem se in jacentia Transtiberinæ regionis, inde Tiberim super pontem deductam in usum reliquæ Civitatis divisit. Eadem gemino ab Urbe lapide, facto divortio, sinistrorsus Vaticanum petens, Hortis Pontificiis, in plurimos, pulcherrimosque fontes emergit: tum in subjectam ædibus aream, totamque Leoninam Urbem copiose per lacus, & salientes effunditur. Quirinales Pontificum ÆDES* [5] *augustissimo sacello auctas, duplicibus scalis, pluribus & ingentibus aulis, porticibus, varioque Conclavium ordine perfecit. Publica HORREA amplificavit. Domum pœnitentium feminarum incendio pœne consumptam restituit, auxitque, & propinquis ab ædibus, aperta & interstrata via, secrevit. In sylva Tusculana Eremitis Camaldulensibus Templum posuit. Divæ AGNETI aram peregrinis marmoribus fulgentem, sub qua requiesceret, dedicavit. In hæc tanta opera impendisse dicitur aureorum supra vicies quinquies centena millia. Porro ut ædificatis refectisque monimentis amplissime Urbem excoluit, sic ejus augendæ contentio promanavit ad cives, decorum ratos decorare patriam imitatione Principis. Tum in Urbe passim ædificia vel antiquioribus dirutis nova substituta, vel eadem instaurata, & exculta sunt. Quin etiam confluens ad rerum copiam multitudo cupide in vacuo ædificavit* [6]*, ubi antea Romanos per montes solitudo erat. Nam inter Collem Hortulorum & Quirinalem, ad Pilam olim Tiburtinam, & Circum Floræ, in rectum dimensi vicorum ordines civilibus tectis frequentes. Aliæ in foris quondam Cæsaris, Augusti, Nervæ excitatæ domus: aliæ in Suburra, Vico patricio, Quirinali valle, Esquiliis, Viminali erectæ: aliæ trans Tiberim ad Augusti Naumachiam, Hortosque Cæsaris, tanto locorum intervallo productæ; laxatis ubique, vel directis ad lineam, vel apertis novis, constratisque viarum spatiis. Ut jure Paulus, non quemadmodum Augustus, gloriari potuerit, se Urbem ex lateritia marmoream, sed ex priore alteram relinquere.* Propter hæc publico decreto Populus Romanus marmoream tabulam magnifico titulo insculptam, affixamque extrinsecus fronti ædis S. Francisci trans Tiberim ejus memoriæ dicavit:

PAULO V. PONT. OPT. MAX.

Quod Urbem augustissimis templis & ædificiis illustra-

1 Ædes SS. Nerei & Achillei refecta. 2 Templum S. Vitalis restitutum. 3 Templum S. Mariæ in Porticu. 4 Pauli V. opera. 5 Ara insignis lapidibus pretiosis coagmentata.

1 Locus in quo est Virginis imago. 2 Sacrarium novum templo adjectum. 3 Pauli statua a Canonicis erecta. 4 Templum D. Petri absolutum. 5 Ædes Pontificiæ auctæ. 6 Aucta Urbs ædificiis.

verit : Transtyberinam Regionem uberrimis rivis ex agro Brachiano supra Janiculum ductis irrigaverit ; novis olerum Hortis in pomaria domosque distributis cœlo salubritatem reddiderit, privatorumque censum auxerit : viis qua apertis , qua amplificatis directisque , insignia SS. Benedicti , & Francisci Monasteria , portamque Portuensem in nobiliorem prospectum dederit ; expedito utroque Fabritii Pontis aditu , & scalis ad Tyberis alveum deductis Civium , Peregrinorum , Nautarum commodis contulerit .

S. P. Q. R. publicis ad Deum votis atque muneribus felicitatem precatur . MDCXI.

Omitti postremo non debet, quod cum Tiberis Paulo Pontifice bis inundasset [1] , semel mitius & humilioribus tantum locis , latius iterum & violentius, multæ domus in ripa fluminis prolapsæ sunt : & pars spondarum Ælii pontis sublata , ne fluvio tumescenti obstaret . Has deinde Paulus pulchriores refecit. Domus etiam quæ ceciderant restitutæ : Urbis non minus decori quam incolumitati provisum . Qui vero primus omnium Paulum est imitatus Scipio Cardinalis Burghesius, vetustam ædem S. SEBASTIANI [2] ruinosam & rudi antiquitate informem ad hujus ævi politiorem normam instauravit : aras, tholum , laquear , aliaque interiora ornamenta congessit, duplicem aditum extrinsecus laxavit : porticum fronti adjecit : descensum & scalas ad inferiores cryptas : religionem sanctissimæ martyrum memoriæ addidit . Idem præter faciem ædis Virginis Victricis in Quirinali , de qua supra sermo fuit, S. GREGORII [3] ad Clivum Scauri exteriorem frontem plurimis ab imo gradibus sublatam, saxisque Tiburtinarum latomiarum artificiose candidam in altitudinem perpolitis, ita collocavit , ut interius atrium laxaverit , nitentesque pilis quadripartitas porticus ante templum statuerit . Id opus cum vita absolvit . Sed multo ante templum S. Chrysogoni , quod moderandum ab ipso Paulo moderatore antequam Pontifice acceperat , restitutum , coacervatis picturæ , lævigatorum gypsatorumque parietum , marmorum , altarium , laqueati inauratique tecti , atque exterioris porticus ornamentis, inter illustria reddidit . Burghesiorum ædes [4] in Campo Martio Tiberi propinquas in eam amplitudinem produxit pulcherrimo peristylo , multiplicatis aularum & conclavium ordinibus , solario subdiali , porticibusque in fluvium obversis , conclusis hortis , explicato complanatoque foro , ut in quavis regia nemo plura desideret . Accessere , ingens additamentum , ædes e regione extructæ . Quæ etsi Aulicorum commodo paratæ sunt , Aulæ tamen dominos præ laxitate videntur allicere . Domum Piam quæsito præsertim extrinsecus ornatu perfecit . In templo magnæ Virginis supra Minervam ingentia organa duo & auro intermicantia molitus est . Extra portam Collatinam , ubi olim aliquam partem Hortorum Pompeii fuisse diximus , VILLAM [5] & in ea pulcherrimas ædes extruxit statuis priscis , toreumatis , pictis tabulis , & aliis ornamentis abunde refertas . In villa præter amœnitatem locorum immensitas , apricæ acclivitates & prospectus , umbræ , vineta , avium , ferarumque vivaria spectaculo sunt . Idem dirutis Constantinianarum thermarum reliquiis nobiles in Quirinali ædes inchoaverat , quas deinde auctas Card. Bentivolus perfecit .

Quo tempore ædes quoque ROMANO SEMINARIO [6] paratæ sunt . Nam plures domus ad templum olim Antonini coemptæ : duæ majores ad idem culmen sublatæ : Pauli Pontificio stemmate decorata frons : tum duplicis porticus , triclinii & cubiculorum ingens additamentum , Aulæ præsertim , in qua præter alias litterarum exercitationes , per Bacchanales ferias minora , seu comica dramata : rarius autem Latino metro insignes tragœdias habere solet nobilis juventus non sine Romæ admiratione ac plausu . Tum quoque commendata est Michaelis Angeli Tonti Cardinalis liberalitas , qui Collegium Adolescentium instituit addiscentium bonas artes , quod ab eodem Nazareno pridem Archiepiscopo *Nazarenum* [1] dicitur . Alios suis in ædibus Dominicus Card. Gimnasius ad cultum doctrinæ educari jussit , luculenter ædificatis & auctis ; quibus deinde vetus S. Luciæ templum a fundamentis renovatum , & Moniales collata ab se pecunia dotatas inclusit . Paulo ante insignes ædes Matthæiorum in ampla insula perfectæ sunt , cum alteras similis magnificentiæ averso in angulo antea fecissent . Eorum quoque in extremo Cœlio Monte , qua planus & postea declivis se demittit in vallem , ubi olim Piscina publica , Horti laudantur , umbris & arborum opacitate amœni ; priscisque marmoribus , ac simulacris locupletati , lacus ibi & salientes plurimi , aquis , vel in aditu occulte erumpentibus ad spectatores irrigandos . Sed Hortis recentibus alii etiam Romani colles celebrantur . In fine quidem Esquiliarum Horti sunt Frederici Cardinalis Cornelii [2] ad veteres arcus Neronianos Aquæ Claudiæ : in quibus sua peculiaris laus , quod nobilem florum in areolarum pulvillis , citrorumque sobolem in vasis viridariis educant . Earumdem pars Esquiliarum & Viminalis Hortos Perettinos [3] habet . His præter tonsilium fruticum circumeuntes ordines & areolarum amœnitatem , duo sunt prætoria pulcherrima copia fontium & statuarum : immensa patent magnitudine , expatiantibus virentibus pratis , pomariis & vinetis fructuosis . In Palatino Farnesii [4] , qua editiores sunt , quodammodo pensiles , antiquos super Palatii fornices strato solo , nec admodum alta terra virescunt . Non unam planiciem iidem inferiores nobilium umbra , & viriditate arborum convestiunt . Non longe ab his , in capite olim Suburræ post templum Pacis , Cardinalis Pius [5] cultissimos habet , qui candidis ædibus constructis novam dignitatem amœnitati contulit . In Pincio & colle quondam Hortorum Ludovisii [6] , sylva , statuarum copia , xystorum opacitate , prætorii ornatu & pictis tabulis insignis . De aliis alibi . Sed ut ad ædificia redeamus , in Transtyberina Regione excalceati Carmelitæ Deiparæ Virgini ædem & adjunctum Cœnobium posuerunt . Nocturno autem ex incendio nobile templum S. Caroli [7] vulgo *ad Catinarios* ædificatum est . Nam cum æstivis fervoribus congestum , constipatumque in amplo fœnili fœnum incaluisset , concepto igne sponte exarsit , vicinamque materiariam apothecam ingenti asserum & tabularum copia refertam comprehendit . Nihil illa nocte Roma vidit illustrius : tanti flammarum vortices sereno cœlo undavere . Excita vicinia , nihil quisquam domi retinuit : quidquid erat clausum publice exposuit , aut alio exportavit imminentis incendii metu . Et sunt fere domus plebejorum vetustæ , aridæ , ruinis obnoxiæ & flammis pabulum daturæ frequentibus lignariorum , & linariorum officinis . Arserunt ædes propinquæ , nec modicæ . Quare patefacta area , templo delectus est locus , Bernabitis Patribus honores S. Caroli promoventibus . Sed magno operi opes defecerant . Cum opportuna religione Joannis Baptistæ Lenii Card. [8] provisum est ; ut magna vi pecuniæ testamento legata , quod imperfectum manebat , perficeretur . Porro templum quadrangula forma , medio tholo altissime exurgente con-

1 Tiberis Paulo Pontifice inundat. 2 S. Sebastiani ædes restituta . 3 S. Gregorii templum eximia fronte instructum . 4 Ædes Burghesiorum . 5 Villa Burghesia . 6 Seminarium Romanum .

1 Collegium Nazarenum . 2 Horti Matthæiorum . 3 Horti Perettini . 4 Horti Farnesii . 5 Horti Cardin. Pii . 6 Horti Ludovisii . 7 Templum S. Caroli 8 Card. Lenius Templum S. Caroli absolvit .

structum qua retractis, qua prominentibus concamerationum partitionibus, & albario tectis, inauratisque, inter eximia Romæ numeratur. Alterum in via Flaminia templum S. Carolo [1] latius, ampliusque inchoatum Transpadani præsertim, & Insubres perficiendum curant. Cœterum alia duo incendia decorem Urbi contulere. Alterum prope Pantheon: ibique Patres signati cruce ministrantes ægris, qui templum S. Mariæ Magdalenæ auxerant & ornarant, usi ruinis domorum, aream ante templum laxarunt, concinnam domum e regione statuerunt. Alterum prope Campum Floræ; ubi ædibus S. Hieronymi nocturno igne ferme consumptis, eas sospito candore vestitas instauravit Franciscus Cardinalis Barberinus.

Hæc ad Urbani VIII. Pontificatum [2] referenda sunt. Ille vero adhuc Purpuratus Princeps peramplas & lautas ædes, ad porticum olim Pompeii, cum Carolo fratre, ubi ambo degerent, ædificarat. Exin Pontifex, præter ea quæ memoravimus, PALATIUM Vaticanum pro ejus dignitate excoluit: multa ad commoditatem Pontificum & Aulicorum utilitatem composuit. Ambulationem Gregorii XIII. camera fatiscente tecto munivit: sublapsæ identidem parietum loricæ, quibus cosmographicas per tabulas Italia eleganter expingitur, pristinum pigmentorum splendorem induxit. Templum nobile CONSTANTINI baptismo [3], nunc ejusdem jussu sumptuque perpolitis columnis, concinnatisque earum capitibus & basibus: dealbatis, magnaque ex parte vestitis marmore parietibus, laqueato inauratoque tecto collucet. Spatium in medio clausum circulatis cancellis, continensque salutaris aquæ fontem pretiosorum lapidum incrustationibus operitur: laqueare inauratum, cælatumque cætero apparatui respondet. Ædem Sanctorum COSMÆ & DAMIANI idem præclare exornatam illustravit. Novum S. Martinæ templum, quod Franciscus Card. Barberinus ædificat, Urbanus fronte Tiburtini lapidis exornat. In Quirinali perennis erat memoria S. Susannæ ad duas domos. Nam cum illa Diocletiani Cæsaris neptis paternam domum habitaret, haud longe Cajus Pontifex ex eodem Cæsaris genere virginis consanguineus alteram incolebat. Sed cum Susannæ domus ejusdem purpurata sanguine inaurato templo resplendeat, quæ CAII Pontificis fuerat, nusquam apparebat. Parietinæ tantum rimosæ caducæque sine aditu, sine tecto haud procul exstabant. Hanc igitur alteram domum habitatam olim S. Pontifici desertam & ignotam Urbanus in novum elegansque templum nitide formavit, ut simul Ecclesiasticæ antiquitati & Sancti Pontificis venerationi consuleret. At in eodem Quirinali Palatii Pontificii hortensis amœnitas disclusa viridi septo a via publica prope omnibus sponte atque intute patebat. Ea nunc cingitur circumstructo muro in modum ARCIS pari securitate ac pulchritudine. AREA, quæ ante palatium vetusti ædificii latissimo fundamento subturgebat, magno lapidariorum sudore demissa & complanata. Terreus agger e regione Palatii ex ejusdem vetustæ molis ruina in magnam altitudinem exsurgebat; subducta humo est exæquatus. AULA Palatii præcipua, quæ pilis lateritiis haud satis fulta ruinam minabatur, iisdem Tiburtino lapide refectis solidata est. Aucti HORTI [4] adjacentes. Obstabat objectus collis, subjecta vallis. Asportantes multorum manus ille sequutus decrevit in planiciem: valliculam replevit injecta & aggesta humus, cui sustinendæ directa ingenti mole substructio est. In fine hortorum ad remittendas interdum curas adjuncta domus. Horti vero æquata planicie jam in immensum excurrunt. Recti in illis, longissimique xysti, tonsilibus cincti plantis, myrto, buxo, cupresso, lauro, junipero, citro: innumeri fontes: stationes cameratæ flexilibus ramis, semperque virentibus foliis: spatia dispertita pomis & floribus. Hic fraga, & rosa, & cætera veris familia: illic arborum fœtus, & gravis autumnus. E planicie mollis clivo descensus, & adjacens inferior campus malorum Medicarum ferax: tum platanis inumbratus hydraulam ab sole defendit, aquatilium machinarum quasi reginam, pluribus undique fontibus coronatam.

At extra Urbem Urbanus ad mare Tyrrhenum & Civitatem veterem seu Centumcellas PORTU [1] ædificato, totius Europæ emporium Romanæ dignitati & commodis aperuit. Id sane opus multi Pontifices antea aggressi fuerant, quos rei molitio, & sumptus magnitudo, ac frementium undarum insani æstus retardaverant. Quippe fabulosum littus & importuosum austro opponitur, fluctibusque recurrentibus verberatur ex alto: nec ullo introrsus retracto sinu curvatur, quo, subsidentibus procellis, naves se tuto recipiant. Oppidum porro conditum est, prope antiquam Urbem Centumcellas, ejusque vestigia situm. Quam in eo Tusciæ tractu, Pyrgis veteribus longius paululo summotis Geographiæ nobiles scriptores [2] recognoscunt. Urbem sejungunt a portu mœnia, quæ interjecta semita parum distant a mari: eorumque extrema claudit lævorsum arx quadrangula: bellicisque tormentis & quatuor munita turribus Urbem, ac portum, cui imminet, propugnat. Hinc secundum mœnia sinuatur retrorsum portus: dein dextro tamquam cornu moli conjungitur: quæ continenti primum recto opere commissa, postea in undas excurrens: tum cubito [3] veluti flexa sinum fere quadratum efficit, spatioso aditu ad ingressum navium relicto. Hoc sinu anguloso, quem extrinsecus muniunt cuneata propugnacula, statio ab omnibus ventis tuta præbetur navigiis: hic hibernant Pontificiæ triremes, quo per lapideos gradus facilis est e mole descensus. Verum e sinus aditu novum de integro & curvatum molis quasi brachium pelago est deductum, ut alter efficeretur sinus: qui primus ex alto invectis patet, vulgarique appellatione portus dicitur. Quoniam autem exæstuantis & profundi maris altitudinem æquari necesse erat, sic nexus operum est compactus [4]. Ingentia saxa magno labore ingerebantur: atque ea injectis aliis aliisque onerata, etsi aquis absorbebantur, substratam tamen, patientemque oneris struem attollebant. Quæ ubi ex aqua paululum eminere cœpit, tum junctis lapidibus moles superstructa est in ludibrium maris & navium quietem. Igitur brachium, quod cœptum ab sinus introitu, curvato ad Urbem littori haud impari flexura respondet, rotundo tamquam propugnaculo inchoata, pari etiam curvatura ad arcem fertur, continuatque molis structuram tendentem ad Urbem. Inter hæc duo munimenta libero mari panditur ostium portus, quo naves tuto commeant. Sed quoniam austro opponitur evolutos longe fluctus invehenti, altera contra ostium scopuli instar jacta est non modico intervallo moles, ostio portus obversa. Id validum est frangendis procellis ac fluctibus munimentum. Cæterum forma portus nec ovatæ, nec orbiculatæ par, inter illas media latissime panditur. Quo perfecto data a Pontifice immunitas vectigalium commeantibus: & allecti institores loci securitate, lucri spe: copiæque mercimonii Romæ consultum. Hæc a munifico optimoque Pontifice, præter ea, quæ diximus, perfecta sunt. Ideoque in templo Virginis ab Ara Cœli Senatus Populusque Romanus horum gratia, aliorumque beneficiorum, quæ in Urbem & Ecclesiasticam ditionem contulit, insigne illi rerum gestarum monimentum posuit [5]:

1 Aliud Templum S. Caroli. 2 Urbani VIII. opera. 3 Templum in quo baptizatus est Constantin. exornatum. 4 Horti Quirinales amplificati.

1 Portus ad Centumcellas. 2 Leander in descriptione Italiæ. 3 Sinus in portu & statio triremium. 4 Quomodo portus exstructus. 5 Monimentum positum Urbano VIII.

URBANO VIII. PONT. OPT. MAX.

Quod Urbem grassante per Italiam acerbissimæ pestilentiæ lue incolumem servaverit,
Et sparsa alicubi contagionis semina propere exstinxerit: quod Dominatum Ecclesiæ
Peropportuna ditionis accessione amplificaverit: quod Italiam eductis jam
Ad prœlium adversarum partium exercitibus in ipso pugnæ procinctu summæ felicitati
Pacaverit: quod Romam Ælia Arce in meliorem formam redacta magno æneorum
Tormentorum paratu & copiosissimo Armamentario, fines vero Arce Urbana
A fundamentis excitata Urbesque alias complures firmissimis operibus muniverit.
Quod Trajani Portu ad Centumcellas restituto perfectoque variis opificiorum generibus ubique
Inductis rei frumentariæ inopia ingenti sumptu sublevata, qua templis exædificatis qua refectis ornatisque
Justa ac temperata vereque paterna dominatione populorum commodis vigili cura prospexerit.

S. P. Q. R.

Æternum memoris gratique animi monumentum posuit An. sal. MDCXXXIV.

At Franciscus Card. Barberinus [1] Ducis Sfortiæ coemptos hortos in Quirinali magnificis operibus exornavit. Possederat, ut dixi, Cardinalis Carpensis, deinde Sfortiæ Duces prætorio amplo lautoque instruxerant, quod e priscis fundamentis sedilium Circi Floræ exsurgebat. Igitur qua in septentriones obversa ÆDIUM præcelsa FACIES [2] longissime producitur, primum novis suffulta fundamentis, tum pro eadem æquato stratoque latissimam in aream solo, cæmentitio muro onus sustinente solidatur. Eamdem marmorato in lateritiæ tunicæ speciem loricant: explicant regiam subgrundiorum coronam: mœniana in medio collocant, non sine multarum viriditate e vasis frondentium arbuscularum: procurrentibus cingulis ad æqualia intervalla distinguunt: imponunt fastigia fenestrarum: intrinsecus aulas ornant, plurima reficiunt, instruuntque cubicula. Verum ad solis occasum revocant introrsus ædificium & novas ædes eximia descriptione erigunt: quas altera, ad oppositæ æqualitatem, exstante parietum tamquam ala concludunt. Quod inter has medium resilit, porticibus evehunt: quarum inferiores multipliciter patent: superiorum aliquæ continuato muro obstructæ, quoniam perlucidis specularibus omnes teguntur, procul visentibus indifferenter arcuatos hiatus videntur efficere. Picturis Petri Berettini Aula memorabilis. Scalæ in quadrum & cochleæ formam redactæ, columnis nobiles. Pluribus contignationibus, fatigato per multitudinem obtutu, exspatiantur conclavia. Inter cætera ibi Francisci Cardinalis visenda Bibliotheca [3]; in qua incertum, utrum sit admirabilior amplitudo, & ornatus, an nuceæ materiæ scalptura, columnis & coronis distincta, an pluteorum undeno ordine duplicem per ambulationem recurrentium concinnitas: an voluminum copia innumerabilis, an propensa in liberales disciplinas studia Principis, quem tanta rerum moles non modo non retardat a curis sapientum, verum ad hæc amœna diverticula sensim pellicit, & quasi e curiæ tumultu ad doctrinarum quietem invitat. Nec parum ædium illarum gloriam amplificarunt sacrarum spectacula fabularum. Neque enim theatralibus in ludis Roma quidquam laudaret illustrius, quam nuper aut peregrinum ALEXIVM, aut THEODORAM a liberatore dimissam. Inchoat fabulam, perficitque concentus [4]. Modos Musici Romani, hoc est, Musicorum reges agunt. Machinamenta & automata plusquam regia [5]: ulitatum quippe ibi transvolare cum levi nube, cum igne erumpere, cum pegmate evanescere: maria terris enasci: valles ascendere, montes subsidere, alium in orbem momento transmigrare: sensu perjucundo sequi triumphantes Divos, ac cœlum curru sulcantes. Nam choros, saltationes, syrmata personarum, & reliquum choragii apparatum haud facile sit animo æstimare; tanta sunt, quæ videntur. Ab his spectaculis ad hortensia transitur, quoniam & illic croceis, ut olim, cum odoribus agitur fabula; Quidquid uspiam floreum apud nos vivit, in illa veris scena primas sustinet [1], exitu quidem tragico; nam & florum regibus vitæ caduca sors, & quibusdam vel in primo actu sanguis purpurat. Hi vero e fœcundo solo perennitatem possent haurire, si vellent: in quo perennant apes melliferæ, ac cœleste pabulum non tam libant, quam refundunt æque in flores, ac florentem in Urbem virtutibus & otio pacis. Eodem tempore Antonius Francisci frater Cardinalis ædem vetustam S. AGATHÆ [2] egregiis operibus instauravit, ornavitque: porticum exteriorem exstruxit. Antonius vero Cardinalis S. Onuphrii Urbani VIII. frater suo Fratrum Capuccinorum Ordini Cœnobium cum templo condidit, ut monet addita inscriptio:

Frater Antonius Barberinus S. R. E. Presb. Cardinalis Sancti Honuphrii Urbani VIII. germanus frater templum immaculatæ Virginis conceptæ, Capuccinis Fratribus Cœnobium a fundamentis erexit, religiosi in Deiparam obsequii, beneficæ in suum Ordinem charitatis monumentum anno sal. 1624. Capuccini Fratres grati animi ergo pos.

Primum lapidem sub Ara primaria posuit Maximus Pontifex. Templum pro familiæ instituto vindice Evangelicæ paupertatis ornamentis instructum. Domus ampla & fratrum conventibus, quos capitum numero frequentissimos habent, opportuna. Idem COLLEGIO NEOPHYTORUM in veteri Suburra domum exstruxit; Collegio PROPAGANDÆ FIDEI sacram ædem sub monte Pincio.

Sed intra Romani Collegii ambitum Ludovicus Ludovisius fratris Gregorii XV. filius & Cardinalis Vicecancellarius, S. IGNATIO LOIOLÆ, [3] quem Sanctorum numero Gregorius adscripserat, templum inchoavit. Primum lapidem ipsemet in fundamenta jecit die septima Augusti, octava ab Ignatii anniversariis sacris. In lapide & aureis numismatis una demissis inscriptum erat:

LVDOVICVS CARD. LVDOVISIVS S. R. E. VICECANCELL. IGNATIO CVI GREGORIVS XV. PONT. MAX. PATRVVS SANCTORVM CVLTVM DECREVIT COLENDO TEMPLVM EXSTRVXIT ANNO MDCXXVI.

Intus vero super media ac principe porta:

LVDOVICVS CARD. LVDOVISIVS S. R. E.
VICECANCELLARIVS
IN HONOREM B. IGNATII
SOCIETATIS IESV FVNDATORIS
QVEM GREGORIVS XV. PONT. MAX.
PATRVVS
INTER SANCTOS RETVLERAT
TEMPLVM HOC A FVNDAMENTIS EXSTRVXIT

1 Ædes & Horti Barberinorum in Quirinali. 2 Facies ædium ornata. 3 Bibliotheca Francisci Cardinalis. 4 Musica dramata data in iisdem ædibus. 5 Mira in iis machinamenta & spectacula.

1 Florea hortorum amœnitas. 2 Ædes S. Agathæ restituta. 3 Templum S. Ignatii a Card. Ludovisio exstructum

NICOLAUS PLUMBINI ET VENUSIAE PRINCEPS FRATER
APERIENDUM CURAVIT AUSPICIIS
INNOCENTII X. PONT. MAX. ANNUM JUBILAEI MDCL.
SANCTISSIME CELEBRANTIS.

Inchoatum ſtrenue moliri cœpit, ſed molis magnitudo ipſa per ſe moram fabricavit. Itaque ſex poſt annis vita functus ad ſummam jam expenſam tantum ſupremis tabulis adjecit, ut ducentis aureorum millibus opus longe pulcherrimum ex animi ſui ſententia ſtaret. Porro templum in ampliorum hujus ævi templorum formam deſcriptum eſt, & figuram crucis: cujus pars ima longior quam ſumma, tranſverſæ æquales. Ternæ in imo peramplæ cellæ ternis ſibi obverſis reſpondent, & ſuo quæque tholo ſublimes camerantur. Poſtea majus hemiſphærium, quod duplici globoſaque concameratione fornicatum exteriorem altiſſime provehit, interiorem deprimit ad jucundiorem proſpectum. Tum ſingulæ hinc atque hinc cellæ paulo minores ſuas quæque fores introeuntibus aperiunt, alteras e via publica, alteras e ſecretario & domeſticis ædibus. Tum templi & principis aræ ſedes. Sed quod rarius hodie hujus generis templa ſortiuntur: ad interjectus aditusque cellarum quadraginta & octo marmoreæ columnæ [1] ſingulari ornamento conſtitutæ. Pilæ autem [2] medium templi intercurrentes e Tiburtino lapide, perpetuis a ſummo ad imum canalibus ſtriatæ, capita ſuſtollunt de more Corinthio, eodemque conformatum epiſtylium, zophorum, atque e mutulis prominentem coronam. Hinc paries paulum rectus minorem uſque projecturam, deinde ſinuatur in fornicem, qui zonis proſilientibus, retractiſque cavis & loculis ad inſerendas plaſtarum imagines diſtinguitur. Frons ſeptentriones ſpectans, quo & vicinum Pantheon vergit, candidis commiſſa glebis Tiburtinarum lapidicinarum latiſſime altiſſimeque conſurgit. Porro ſub templi ſiniſtro latere fuiſſe molem Circi ſimilem ſuſpicor, inchoatam ab æde S. Mariæ in Aquiro, ad quam equorum curſus cum ædificio. Idem indicat magna pars Obeliſci prope collocata, & in vicinia minora ejuſdem fragmenta: & perpetuum latumque fundamentum repertum ſecundum templi longitudinem, forſan ad porticus & ſedilia. Idem Cardinalis Collegium Hibernorum [3] fundavit, & Patribus Societatis regendum commiſit. Quo tempore Germanici Collegii [4] per lapſum ruinoſæ domus inchoata ſtructura, pars quædam ſpatioſi ambitus ædificari cœpta; ipſa tamen domus ingens, nobili aula, cubiculis, ſubjectiſque inſtructa operariorum officinis. Nec longe in Agonali foro productis ædibus Cardinalis Pamphilius ædificabat. In ejuſdem olim Circi carceribus ædes de Torres: & in propinquo de Lantes. Has autem cum Romana Academia credibile eſt fuiſſe ad nemus thermarum Alexandri. Ad latus autem Circi in thermis ipſis antiquarum ædium ſpecies refloreſcit opibus Mediceis, ac Juſtinianis. Sed Agrippæ thermas ædes Sanneſiæ, Victoriæ, Robertæ deſignant. Thermis vero adjuncti horti cum ſtagno & nemore, quam *Vallem* vulgo dicimus, occupabant. Ibi ædes de Valle & Caffarellæ ſunt. Ædes Cavaleriæ & Philonardæ ad porticum Octavii Corinthiam: quam prope excipiebat Circus Flaminius. Hujus Circi ad metas Patritiæ, Serlupæ, Paluziæ, Capizuchiæ. Extra latus Circi dexterum, prope Capitolium, Mutiæ, Aſtalliæque ponendæ: in lævo, an extra, Coſtagutæ. Capitolio non multum diſtat via Lata, quo fines ſuos regio viæ olim Latæ perduxit. Itaque ædes Aldobrandinæ, (& fortaſſe Frangipaniæ) Cæſiæ, propinquæ Columnenſes, aliæque in foro Gentilis Sciarræ ejus notant regionis ſedem. Sed ubi Cæretis Ducum ædes, tum Cardinalis Cornelii, porticus Argonautarum: ubi Collegium propagandæ Fidei, porticus Europæ recognoſcenda eſt: ubi clivus Pincii & Muſeum Angelonium, terminus hortorum Pompeii. Poſt eas porticus ſepta tendebant ad forum Columnæ, olim Antonini. In eo, ejuſque additamentis, Verallæ, Spadæ, Bubalæ: tum in via Flaminia Cajetanæ, Veroſpiæ, Theodulæ. Minus certa in Campo Martio habemus. Sed tamen qua poſt Collem Citorium verſus Tiberim panditur, Cœnobium Monialium Reginæ Virginis ibi eſſe dixerim, ubi ſolarium quondam horologium fuit. Indicio eſt obeliſcus pro gnomone erectus ab Auguſto. Nam & vicina & fundamenta ædium ſubit, quas Cardinalis de Comitibus poſuit Rondininis ædibus contiguas. Rondininæ autem illius areæ aliquam partem ſibi etiam vendicant: & molis terminos ad Serras uſque fuiſſe extenſos probabile eſt. In proximo Citorio colle, ſplendidiſſime ædificat Nicolaus Ludoviſius Plumbini ac Venuſiæ Princeps; ipſiuſmet collis ruderibus egeſtis, atque inclinato faſtigio; ut, ad Antonini forum, hinc Egnatianum templum, hinc Ludoviſiana domus pietatem patrui, nepotiſque magnificentiam teſtentur.

Porro ad ripam Tiberis Collegium Clementis VIII. Clementinum viſitur, prope antiquum Terentum, ubi ara Ditis & Proſerpinæ ſub terra. Prope, ortum habuit via Recta dividens hanc partem Campi. Quod ſi alterum ripæ latus ſpectamus, ubi domus pauperum ac xenodochium SS. Trinitatis, quo peregrinorum Romam venientium excipitur incredibilis multitudo; hic, opinor, horti Principum Serviliani fuerunt, longoque tractu ad Collegium Anglorum, tum Roccias ædes ac Cerrias pertinebat. Etiam Ricciæ Vareſiæque, cum horti ſecundum Tiberim producerentur, illorum terminis incluſæ. Aliæ dignitate ac ſpecie non inferiores, vel quia veteres fabricas illis deſignari in promptu non erat, vel quia memoravimus, reticentur. Urbis adeo totius facies eximias paſſim domos oſtentat, humilioribus tamen non raro intermiſtas [1]. Quod ſane ingentibus oppidis familiare eſt, & Urbi etiam veteri fuit: quam ſex amplius ſecula præter Capitolii ſubſtructiones, paucis commendatam, rudibuſque tectis demiſſam & humilem exteri, quamvis dominam eludebant. Orbis imaginem dixeris, in quo maximis urbibus minora caſtella pagique ſuccedunt: ac præcelſa montium juga modici colles excipiunt. Sic & regia domus non amplas ubique aulas, ſed anguſtas etiam cellulas probe complectitur. Romæ vero id præſertim accidat neceſſe eſt, quod in eam ex omni Europa confluentes novi opifices & advenæ, ubi in communi patria ſedem elegerunt, domos ſibi quoquomodo comparant, & pro facultatibus ædificant. Verum quamvis raro conjuncta, ſed ſparſim erecta ſint ſublimia Principum & nobilium virorum ædificia; tot tamen ea ſunt tantique ornatus, ut, ſi ſimul collocentur, ex his magna urbs ſplendidis ædificiis ſtatuenda ſit. His accedunt crebra utriuſque ſexus Cœnobia [2], & opera templorum pulcherrima; quorum pleraque ſufficerent ſingulis urbibus illuſtrandis. Quæ omnia ſi quis complecti velit, elenchum Romanorum per Regiones urbis quatuordecim contexat, ut olim P. Victor ac Sextus Rufus de Roma veteri fecerunt.

1 Columnæ in Templo. 2 Et alia ornamenta. 3 Collegium Hibernorum. 4 Collegium Germanicum.

1 Domus amplæ in Urbe humilioribus intermiſtæ. 2 Inſignia Cœnobia & Templa.

FINIS TOM. III.

IN URBEM ROMAM.

LAnguentem greſſum pauliſper ſiſte, Viator,
  Et lege marmoreis carmina ſculpta notis.
Roma fui quondam toto celeberrima Mundo,
  Marte, ſitu, ingenio, nobilitate potens:
Quippe triumphalis frænavi legibus Orbem,
  Paruit imperio terra fretumque meo.
Impoſitæ ſeptem micuerunt Collibus arces,
  Totque Arcus, Thermæ, Templa, Theatra, Viæ.
Prorſus eram felix, ſi non peritura fuiſſem,
  Et niſi tam multas ſors rapuiſſet opes.
Roma ego jam non ſum, perii, propriiſque ruinis
  Obruta ſum, gremio condor & ipſa meo.
Reliquias quaſcumque vides, quæ diruta cernis,
  Mœnia, ſplendoris ſunt monumenta mei.
Fruſtra igitur ROMAM ROMAE tu quæris: abire
  Jam potes hinc, ROMAE ROMA ſepulta jace[illegible]
Interea temere perituras ne ſtrue moles,
  Cautior exemplo cum potes eſſe meo.
Carpe viam, volui ſcires hæc pauca, memento
  Ut meminiſſe mei, ſic meminiſſe tui.

ANDREAS FRUSIUS, *Soc. Jeſu.*

In eandem.

ROma vetus, totum manibus quæ amplecteris Orbem,
  Seu dare vis terris, ſeu dare jura mari,
Una triumphali diademate cingeris: una
  Omnia Tarpeii cernis ab arce jugi.
Te caput ad cœlum tollentem ſuſpicit Athlas,
  Te tibi ſubſtitui pondere feſſus avet.
Salve magna parens virtutum, magna virorum,
  Qui titulos armis, qui peperere toga.
Nil tantis certet tibi laudibus, omnia vincis,
  O decus, o hominum gloria ROMA vetus.

FRANCISCUS BENCIUS, *Soc. Jeſu.*

In eandem qualis eſt hodie.

QUI miſeranda videt veteris veſtigia ROMAE,
  Ille poteſt merito dicere, ROMA fuit.
At qui celſa novæ ſpectat pallatia ROMAE,
  Hic merito poterit dicere, ROMA viget.

GEORGIUS CASSANDER BRUGENSIS.

I N D E X
RERUM ET VERBORUM.

A



Borigines a quibus orti & ratio nominis. 273. C.
—— *cum Trojanis Latini vocari cœpti.* ibid.
—— *etiam appellati Græci qui cum Hercule in Italiam venerant.* 275. C.
—— *etiam dicti Palantes & Palatini.* 158. A. B.
—— *expulsis Siculis tenuere Romanæ urbis regionem.* 273. B.
Aboriginibus junxere se Arcades. 119. D.
—— *junxere se Pelasgi in Italiam venientes.* ibid. C.
—— *junxere se Peloponnenses.* ibid. E.
Aboriginum appellatio servata in Romanæ urbis sedibus usque ad bellum Trojanum. ibid. C.
—— *nomine primum Oenotrii a Græcis appellati.* 274. B.
—— *rex Faunus.* 119. D.
—— *rex Saturnus.* ibid. C.
—— *sive Oenotriorum multæ & magnæ urbes, interque eas præcipuæ.* 274. C.
Absidata pro Apsidata porticus. 401. E.
Acca Laurentia nutrix Romuli & Remi. 279. E.
Accæ Laurentiæ ara & sepulcrum in Velabro. 182. D. E.
Acta in urbibus ab exceptore scribebantur ex officio præsidis eo misso. 61. A.
—— *quid.* 58. B.
Actor a duumviris decreto decurionum electus, toto ordine electus videbatur. 70. E.
—— *in civitatibus quis.* ibid. B.
Actorem ut duumviri ad particularem causam eligerent, id ipsis interdum a decurionibus committebatur. ibid. D.
Actorum conficiendorum potestatem habebant duumviri. 58. B.
Addictionis verbum quid notet in auctionibus & venditionibus pignorum. 36. C.
Adriani sepulcrum seu moles ejusque descriptio. 435. D
Αετος *apud Dionys. de fastigio seu cymatio templi.* 571. D.
in *Æde Apollinis extra urbem datus interdum senatus iis qui nondum inire poterant urbem, quod essent exercituum duces.* 571. A.
—— *Apollinis lychnuchi pensiles.* 161. B.
—— *Apollinis Palatina Poetæ recitabant.* 725. A.
—— *Apollinis simulacra ejus Dei ac Dianæ.* 161. C.
—— *Castoris & Pollucis atque ante eam quæ ornamenta fuerint.* 164. B.
—— *Castoris & Pollucis senatus & conciones sæpe habitæ.* ibid.
—— *Concordiæ cella.* 161. B.
—— *Concordiæ & senatus & orationes habebantur.* ibid.
—— *Concordiæ Sext. Pompeii tempore SCta fieri desierant.* 152. E.
—— *Concordiæ variæ imagines Deorum a præstantissimis artificibus sculptæ.* 152. A.
—— *Martis an hic Deus duplici cognomine sit cultus Ultoris & Bisultoris, an vero duo templa fuerint.* 701. D.
—— *Sangi lana cum colo & fuso Tanaquilis servata.* 810. D.
—— *Saturni ærarium & trutina.* 142. E.
—— *Saturni censores jusjurandum subibant.* 168. B.
sub *Æde Concordiæ effossus cippus cum inscriptione.* 153. C.
—— *Concordiæ in capite fori a fossoribus inventus locus cujus antæ cum epistyliis efficiebant porticum vel apothecas tres, in quibus consisterent qui publica acta notarent, inscriptionesque in iis.* 152. F.
Ædem Romæ ex marmore primus molitus est Q. Cæc. Metellus. 626. D. E.
—— *Martis cui usui destinaverit Augustus.* 417. F.
ad *Ædem Junonis in Capitolio anseres alebantur.* 646. B.
—— *Opis usitatum Romanis pecunias quasi in tuto reponere.* 668. C.
ante *Ædem Quirini myrti duæ, altera patricia, altera plebeja.* 804. B.
in *Ædem Monetæ per multos gradus erat ascensus.* 151. F.
inter *Ædem Bellonæ & Circum Flaminium brevis area solum interjecta.* 574. B.
prope *Ædem Telluris armamentarium.* 177. A.
Ædes Aii ubi. 157. B.
—— *Apollinis in monte Palatino.* 390. B.
—— *Apollinis Palatini qua occasione vota.* 725. B.
—— *Apollinis qua in parte Palatini montis & a quo & quare condita.* 161. B.
—— *Apollinis ubi locorum nunc locanda in urbe moderna.* 571. C.
—— *Bacchi in Palatio.* 737. E.
—— *Augusti in foro.* 164. D.
—— *Bellonæ a quo structa.* 573. E.
—— *Bellonæ a quo vota.* 662. D.
—— *Bonæ Deæ in cujus honorem posita.* 193. C.
—— *Bonæ Deæ in qua parte Aventini.* 785. A.
—— *Bonæ Deæ Romæ duæ erant.* 434. B.
—— *Bonæ Deæ subsaxanæ in reg.* XII. 434. B.
—— *Boni Eventus a tergo Panthei.* 843. A.
—— *Camœnarum.* 319. C.
—— *Castori & Polluci a Tiberio dedicata apud Suetonium quæ fuerit.* 164. D.
—— *Castori & Polluci dedicata, tamen Castoris tantum vocabatur.* ibid.
—— *Castoris & Pollucis a quibus vota, dedicata, & instaurata.* ibid. C.
—— *Castoris & Pollucis in qua parte fori fuerit.* ibid. A.
—— *Castoris in Circo Flaminio.* 797. A.
—— *Castorum non exiguo intervallo distabat a templo hodie SS. Cosmæ & Damiani.* 735. A. B.
—— *Cereris in reg.* XI. *operaque Demophili & Gorgasi in ea.* 432. B.
—— *Cereris qua de causa apud Circum maximum posita.* 190. C.
—— *Claudii in Cœlio.* 208. D.
—— *communis Saturni & Opis in vico jugario.* 668. C.
—— *Concordiæ quare templum inauguratum.* 152. C.
—— *Concordiæ a Livia Germanici matre posita ubi.* 159. B.
—— *Concordiæ in area Vulcani.* 852. C.
—— *Concordiæ in Capitolio.* 146. A.
—— *Concordiæ quare* curia *vocetur.* 152.

—— *Concordiæ ubi & a quo condita.* 151. C.
—— *Cybeles & Victoriæ in Palatio.* 731. F.
—— *Deæ Carnæ in Cœlio.* 782. B.
—— *Dei Heliogabali in monte Palatino quæque veneranda ex Romanorum, Judæorum, & Christianorum religione in eam Heliogabalus Imp. transtulerit.* 160. D.
—— *Deorum Penatium in qua parte montis Palatini fuerit* 11.
—— *Deorum Penatium in monte Palatino.* 160. C.
—— *Dianæ in Aventino & quis ejus conditor.* 194. C.
—— *Dianæ in Cœliolo.* 199. D.
—— *Ditis Patris in reg.* XI. *& ob quam causam hic in circum introducta.* 432. A.
—— *Divi Fidii.* 359. E.
—— *Doricæ faciendæ Herculi, Minervæ & Marti, & ratio.* 185. A.
—— *& officina Junonis Monetæ.* 144. F.
—— *Fauni.* 200. E.
—— *Fidei ubi & a quibus condita & instaurata.* 161. A.
—— *Floræ, Solis, Liberi, Liberæque & Cereris apud Circum.* 189. E.
—— *Forinarum ejusque mentio in vet. inscriptione.* 377. E.
—— *Fortis Fortunæ.* 183. E.
—— *Fortunæ a Lucullo structa.* 184. D. E.
—— *Fortunæ in foro boario, ubi nunc ædes S. Mariæ Ægyptiacæ.* 713. D.
—— *Fortunæ masculæ a Serv. Tullio structa.* 183. E.
—— *Fortunæ Primigeniæ a Serv. Tullio conditæ.* ibid.
—— *Fortunæ Primigeniæ & Obsequentis in Capitolio.* 146. B.
—— *Fortunæ prope ædem Jovis Tonantis.* 142. A.
—— *Fortunæ prosperæ a Serv. Tullio constitutæ & quare.* 183. E.
—— *Fortunæ virilis pœne integra etiam nunc extat.* 184. D.
—— *Herculis custodis Circi Flaminii in reg.* IX. *monitu Sibyllæ Euboicæ posita & a quo.* 422. E. F.
—— *Herculis duæ.* 712. E.
—— *Herculis in Aventino.* 193. D.
—— *Herculis in foro boario in quam divinitus neque muscis neque canibus ingressus erat, & quæ ejus rei ratio.* 182. E.
—— *Herculis, in qua lectisternium esse non licebat.* 183. B.
—— *Herculis rotunda & an adhuc extet.* 712. D. E.
Herculis Victoris. 182. F.
—— *Honoris & Virtutis a quo vota & ædificata.* 388. E.
—— *Honoris & Virtutis non una facta, sed duæ contiguæ & quare.* ibid. F.
—— *Honoris & Virtutis altera.* ibid.
—— *Jani in foro olitorio.* 178. F.
—— *in regione prima.* 350. E.
—— *in regione* IV. 356. B.
—— *in reg.* V. 357. D.
—— *in regione* VI. 359. E.
—— *in reg.* VIII. 363. D.
—— *in reg.* IX. 361. B.
—— *in reg.* X. 371. C.
—— *in reg.* XI. 373. B.
—— *in reg.* XIII. 375. E.
—— *in reg.* XIV. 377. E.
—— *Jovis Capitolini quibus statuis ornatam.* 143. D.
—— *Jovis Fidei sponsoris in Capitolio.* 146. C.
—— *Jovis Statoris ubi & a quo condita.* 153. F.
—— *Jovis Tonantis quibus lapidibus structa.* 142. A.
—— *Jovis Tonantis ubi, a quo & quare extructa.* 141. D.
—— *Jovis Victoris in Palatio.* 162. F.
—— *Jovis Victoris in Palatio a quo vota.* 429. B C.
—— *Isidis ab Antonino facta ubi.* 198. E.
—— *Isidis ubi.* 599. B. C.
—— *Isidis & Serapidis in Capitolio.* 668. E.
—— *Isidis in reg.* XII. 374. D.
—— *D. Julii in medio foro.* 163. E.
—— *Junonis erat in ipso Jovis Capitolini templo.* 646. B.
—— *Junonis in porticu Octaviæ & signa in ea.* 367. D.
—— *Junonis Matutæ.* 178. E.
—— *Junonis Monetæ in Aventino.* 195. E.
—— *Junonis Reginæ.* 195. A.
—— *Larium in Palatio.* 162. E.
—— *Larium Permarinum in Campo.* 851. B.
—— *Libertatis in Capitolio.* 146. A.
—— *Libertatis in Aventino.* 195. C.
—— *Lunæ in Aventino.* ibid.
—— *Lunæ ubi & a quo condita.* 174. C.
—— *Magnæ Matris ubi in monte Palatino.* 160. E.
—— *Martis & Minervæ & Tempestatis una, apud alios sejunctæ in reg. pr.* 391. C.
—— *Martis Ultoris ubi & ejus ornamenta, ac causa vovendi.* 175. A. B.
—— *Matris Deum & Apollinis Rhamnusii in reg.* X. 427. E.
—— *Matris Matutæ ubi, & a quo dicata.* 195. C.
—— *Mentis & Veneris Erycinæ, item Veneris Calvæ in Capitolio.* 145. F.
—— *Mercurii Circum maximum spectans.* 190. B.
—— *Metelli prope Campum.* 852. D.
—— *Minervæ in Aventino.* 195. B.
—— *Opis in Capitolio.* 146. A.
—— *Orci in qua parte Palatini montis.* 160. D.
—— *Palladis an Jani fuerit in medio foro Nervæ.* 703. B.
—— *Palladis in foro Nervæ.* ibid. A.
—— *Penatium ubi.* 339. E.
—— *Pietatis in carcere plebis Rom. & causa cognominis.* 179. C.
—— *Pietatis in foro Olitorio.* 568. F.
—— *Portumni.* 853. D.
—— *Proserpinæ apud Circum.* 189. F.
—— *Pudicitiæ patriciæ.* 183. D.
—— *Pudicitiæ plures Romæ.* ibid.
—— *Pudicitiæ plebejæ.* ibid.
—— *quæ qua Urbis regione sint ponendæ, non liquet.* 380. C.
—— *Quirini Dorica structura.* 155. A.
—— *Quirini in Comitio & ejus forma.* 170. F.
—— *Quirini prope portam Capenam.* 199. C.
—— *sacræ ante Constantinum videntur fuisse in Urbe ut in cæteris provinciis erectæ.* 865. F.
—— *sacræ Inquisitionis in Vaticano.* 922. A.
—— *sacræ omnes non erant templa.* 152. C.
—— *sacræ quibus in locis constituendæ Mercurio, Libero, Cereri, Veneri, ex Vitruvii præcepto.* 190. B.
—— *Salutis.* 177. C.
—— *Salutis in Capitolio.* 146. A.
—— *Sangi propinqua templo Quirini prope portam.* 810. D.
—— *Saturni.* 167. C.
—— *Saturni a quo facta ac dedicata.* ibid.
—— *Saturni plures.* ibid. D.
—— *Solis ubi & a quo condita.* 174. C.
—— *Sospitæ Junonis in Palatio.* 732. A.
—— *Spei veteris:* 857. F.

—— *Spei*. 118. E.
—— *Spei in foro Olitorio conflagravit*. 390. B
—— *Spei, Fortunæ, Matutæ, Apollinis extra portam Carmentalem*. 568. E.
—— *Telluris*. 176. F.
—— *Tempestatis extra portam Capenam*. 391. C.
—— *tres in templo Capitolino, Jovis, Junonis & Minervæ*. 648. E.
—— *Vejovis ubi*. 140. B.
—— *Veneris Cloacinæ ad viam sacram*: 170. B.
—— *Veneris Erycinæ in Capitolio*. 145. F.
—— *Veneris Genitricis ubi*. 176. B.
—— *Veneris prope Circum maximum*. 190. A.
—— *Vertumni*. 182. A. B
—— *Vestæ a quo condita*. 154. E.
—— *Vestæ antiquissima ubi atque ejus forma*. 184. E.
—— *Vestæ foro adjuncta*. 687. D.
—— *Vestæ in Augusti Palatio*. 725. B.
—— *Vestæ in Colle Capitolino*. 146. D.
—— *Vestæ ubi*. 154. D. E.
—— *Vestæ, ubi nunc templum S. Mariæ Liberatricis*. 686. D.
—— *Victoriæ in Aventino*. 195. C.
—— *Victoriæ in Capitolio*. 146. A.
—— *Victoriæ in Vertice Palatini montis*. 162. A.
—— *Virtutis & Honoris*. 198. F.
—— *Vulcani*. 852. D.
—— *Vulcani in Circo Flaminio*. 798. C.
—— *Vulcani ubi*. 174. B.
Aedes unde dictæ. 624. C.
—— *Augustales Decii an in colle Viminali*. 779. F
—— *Cæsarum quales sub Augusto & deinceps*. 724. B.
—— *civium Romanorum obscuratæ altitudine ædificiorum*. 628. F.
—— *Conservatorum, ejusque magnificentia*. 919. C.
—— *eorum qui Romæ regnare voluerant, diruebantur*. 702. A.
—— *Petri Leonis, quibus Capitolii rupes imminebat, nobiles fuere*. 894. C.
—— *Pompeii apud Circum*. 851. E.
—— *Pontificum Quirinales a Paulo V. auctæ*.
—— *principum civitatis adhuc modicæ eo tempore, cum a Scipione Nasica & Metello Macedonico porticus extructæ sunt magnifice*. 626. E. F.
—— *Hortensianæ*. 724. B.
—— *Lateranorum in Cælio & qua parte*. 779. D.
—— *Mecœnatis*. 859. C.
—— *Senatoris in Capitolio a quo structæ*. 899. B.
—— *Vectilianæ in Cœlio*. 782. D.
—— *multorum vide in* Domus.
Aedibus Cæsarum nomen dedit mons Palatinus. 723. E.
—— *sacris Deorum, quorum in tutela civitas videretur esse, in excelsissimo loco, unde mœnium maxima pars conspiceretur, areæ distribuebantur*. 143. B.
Aedicula Capraria. 361. D.
—— *Concordiæ ærea in Græcostasi*. 158. F.
—— *Juventutis in Capitolio*. 144. C.
—— *Minervæ & hujus statua in illius apside*. 821. D.
—— *Victoriæ Virginis*. 732. A.
Aediculæ in regione prima. 350. F.
—— *in reg. sec*. 352. C.
—— *in reg*. III. 354. C.
—— *in reg*. IV. 356. C.
—— *in reg*. V. 357. E.
—— *in reg*. VI. 359. E.
—— *in reg*. VIII. 363. F.
—— *in reg*. IX. 367. E.
—— *in reg*. X. 372. C.
—— *in reg*. XI. 373. D.
—— *in reg*. XII. 374. D.
—— *in reg*. XIII. 375. E.
—— *in reg*. XIV. 378. A.
—— *quot Romæ*. 113. C.
—— *sunt parvæ ædes seu sacella, & habebat Romæ quilibet vicus suam ædiculam*. 392. C
—— *templi Capitolini tres earumque vestibulum*. 655. B.
—— *tres in templo Capitolino quales*. 649. D.
—— *tres in Capitolio num communi templi Capitolini pariete clausæ, an ab hoc secretæ relicto libero transitu*. 650 B.
—— *tres templi Capitolini etiam* templa & delubra *vocantur*. 649. E.
Aedicularum trium in Capitolio ornamenta. 650 B.
Aedificandi ætas quarta a Neronis incendio ad Honorium Cæsarem & captam a Gothis urbem. 631. E.
—— *ætas quinta ab Honorio ad Justinianum*. 637. C. &c.
—— *cura in successoribus Augusti*. 631. B.
—— *prima ætas*. 623. F.
—— *secunda ætas ab incendio Gallico usque ad Augustum*. 625. A.
—— *sexta ætas Romæ*. 639. E.
—— *studium sub Augusto in omnibus vigebat*. 630. E.
—— *tertia ætas a primo Augusti consulatu anno* V. C. DCCXI. 629. D.
Aedificatio Romanæ Urbis post incendium Neronis. 632. A.
Aedificandis quibus operibus Romani præ Græcis intenti. 628. B
Aedificia ac templa multa, incertum, sint ne Campo Martio, an vero Flaminio adscribenda. 821. C.
—— *facta in modum carinarum, & ea fuisse intra templum Telluris quomodo intelligendum apud Servium*. 757. A.
—— *in Campo Flaminio plurima*. 821. B. C.
—— *in valle inter collem Hortulorum & Quirinalem*. 225. A.
—— *in Urbe alia in vallibus jacebant, alia editissima illis e montibus imminebant, semitis viisque duntaxat angustis interpositis*. 628.
—— *in Colle Hortulorum*. 226. A.
—— *omnia Romæ post captam a Gothis & Vandalis urbem instaurata magnifice*. 638. A.
—— *pauca Romæ ab Alarico incensa*. 637. E.
—— *publica ante Augustum qualia*. 627. C.
—— *publica & privata Romæ post incendium Gallicum per annos* CCXL. *nulla magnifica præter Capitolium*. 617. D. E
—— *Romana quemadmodum extrinsecus ornarentur tempore Imp. Alexandri, atque etiam ante stante rep*. 636. A.
—— *Romæ qualia cum sub regibus, tum post reges usque ad incendium Gallicum*. 623. F.
—— *veterum Romanorum humilia & sine contignatione & solario*. 624. C. E.
—— *Urbis ab incendio Gallico usque ad Augustum qualia*. 625. A.
—— *Urbis antiquissima qualia*. 623. C.
in *Aedificia Urbis non sæviit Gensericus*. 637. F.
Aedificiis Urbs aucta sub Paulo V. 930. E.
in *Aedificiis condendis Græci maxime solertes*. 628. B.
—— *Romæ columnarum præcipuus decor*. 634. A.
Aedificiorum in Urbe amplitudo varia & distincta quibusdam ætatis gradibus. 623. E.
—— *splendore Roma recens antiquam primæ & secundæ ætatis non modo æquat, sed etiam superat*. 640. F.
—— *publicorum magnificentiam Romæ privata luxuria mox secuta est*. 626. E.
—— *pulcherrimorum accessione exornata Roma sub Augusto & sequentibus temporibus*. 629. F.
—— *Romanorum status post reditum Pontificis e Gallia*. 898.
—— *splendor & luxus in Urbe narrando exprimi aut mente concipi nequit ætate Neronis & postea*. 632. C.
Aedificiorum veterum deformitate offensus Nero Urbem incendit. 631. F.
Aediles curules primum Romæ creati & in quem finem. 73. B.
—— *de quibus causis judicaverint*. 16. C.
—— *dicti magistratus municipales in Latio*. 55. F.

—— Græcis ἀγορανόμοι. 74. D.
—— in Floralibus cicer & fabam spargere solebant. 409. B.
—— in municipiis quibusdam curam balneorum publicorum habuisse videntur. 74. B.
—— Romæ sternendis viis præfecti. 73. C.
—— unde appellati. ibid. B.
de Ædilibus municipiorum. ibid. B.
Ædilis quis magistratus Papiniano. 64. B.
Æditas sequebatur quæsturam & quo anno. 45. A.
Ædilitium edictum quid. 73. C.
Ædilium in urbe Roma munus. 66. D.
—— officium & jurisdictio. 73. B.
—— vias curantium officium inter personalia recensetur. 74. B.
ab Ædilium in civitatibus munere qui immunes. ib. D.
—— munera in plerisque civitatibus curatoris reip. erant, aliis in locis ædilis solus creabatur, in quibusdam uterque magistratus constituebatur. ibid. C.
Ædis Bellonæ germanus locus. 574. C.
—— Vestæ structura Corinthia. 185. A.
de Ædis Concordiæ porticu extant columnæ ingentes octo & in epystiliis titulus. 151. D.
Ægyptia sacra fieri intra pomerium non est passus Augustus. 750. F.
Æmilia dicta Galliæ Togatæ regio, & unde. 308. A.
Æneæ fores in basilica Lateranensi a quo factæ. 897. C.
Æneas Aborigines Trojanosque communi nomine Trojanos appellat. 119. F.
—— a Latino in societatem imperii assumtus. 275. E.
—— gener adsciscitur a Latino. 119. F.
—— moritur. 120. A.
—— quæ bella in Italiam gesserit. 119. F.
—— quando in Italiam venerit. 119. E. F.
ad Æquilibrium posita Urbs quomodo intelligatur. 552. E.
Æquimelium ubi & unde dictum. 180. B.
ad Æquimelium erant opificum multæ tabernæ, laneæ inter alias & bibliopolarum. 180. C.
Æquipondia duo vetera ex ære Romæ refossa, quæ jam in promptuario Collegii Rom. 668. D.
Ærarii a fusoribus separati in Cod. Theod. 82. E.
—— certi magistratus erant & qui. 491. D.
—— fusores qui. 82. E.
in Aerario servabantur promulgata, libri elephantini tribuum, libri publicarum rationum, signa militaria. &c. 168. A.
Aerarium adjectum templo Saturni. 678. E.
—— Carcer, Curia foro jungenda ex præceptis Vitruvii. 165. B.
—— fuit in foro. 168. E.
—— militare discretum sub Augusto ab ærario veteri reip. & ab altero forte etiam quod proprium Augusti. 679. C.
—— nomen accepit, cum aurum argentumque nondum signaretur. 491. D.
Aerarium non unum in Urbe. 679. B.
—— populi Rom. erat in templo Saturni in foro. 493. D.
—— populi Rom. ubi nunc est ædicula S. Salvatoris in statera. 363. A.
—— quare in templo Saturni. 167. F.
ad Aerarium fuit forum. 679. A.
Aerarium Tauri simulacrum in foro boario. 365. C.
Aeris cudendi officina fuit in arce Romana. 491. D.
Aes Corybantium in Sacris Cybeles. 503. F.
—— Dodonæum in Sacris Apollinis. ibid.
—— Saturnium unde dictum Persio. 491. D.
Aesculapii templo canes adhibentur & quare. 245. C.
—— templum extra urbem. 245. D.
in Aesculapii tutela draco & quare. 245. B.
prope Aesculapii templum fuit Nosocomium. 245. D.
Aesculapio Gallinæ immolabantur. ibid.
Aesculapius cur bacillum habeat nodosum. 245. C.
—— cur laurea coronatus. ibid.
Aetas militaris incipiebat post annum XVII. 44. C.
Ager Albiona in regione Transtiberina. 250. D.
—— Gabinus quis. 1. A.
—— hosticus quis. ibid. B.
—— incertus quis. ibid.
—— Lucullanus, in quo prius collecta aqua Virgo, idem qui & Tusculanus. 231. F.
—— peregrinus quis. 1. A.
—— Romanus quis. ibid.
Agger Tarquinii qua parte Urbis fuerit. 317. A.
in Aggere Tarquinii medio porta Viminalis. 609. E. F
Aggeris Tarquinii descriptio & longitudo. 564. B.
—— Tarquinii reliquiæ. 287. E.
—— Tarquinii munitio proprie erat ad mœnia Urbis & quare. 777. C.
Ἀγὼν quid. 800. E.
Agonales dies. ibid. F.
Agonalia festa quæ. ibid. E.
Agonalia Jani sacra. 241. B.
Agonales ludi. 132. F.
Agonenses ludi quando ad portam Collinam exhibiti. 609. A.
Agones dicti montes. ibid.
Agonia hostia quæ. ibid.
—— porta quæ. ibid.
—— quæ sacrificia. 232. E.
Agonius vel Agonensis dictus mons Quirinalis & quare. 469. B.
—— Deus. 800. F.
Agoræi de civitatum defensoribus. 59. F. 60. A.
Ἀγορανομίαι quid. 74. D.
Ἀγορανόμοι qui. ibid.
Agonothetæ qui. 77. F.
—— civitatum quibus certaminibus præessent. 78. A.
Agrorum, ut Augures dicebant, erant quinque genera. 1. A.
Agrum colebant veteres Romani. 624. A.
Ajus Deus & ubi illi ara statuta. 250. B.
Ala Singularium. 456. C.
Alabastrites ingenti massa formatus in subterraneo ductu Aquæ Claudiæ. 831. C.
Alba a Latinis condita. 275. F.
—— condita ab Ascanio. 278. F.
—— Latini regni per longa tempora sedes. 275. F.
—— quando condita. 120. A.
apud Albam recentem extat adhuc veterum forma castrorum. 782. A.
Albani in Ramnensium tribum vel regionem adscripti. 348. A.
Albani Reges. 120. A.
Albanis novis civibus traditus mons Cœlius ad habitandum. 781. D.
—— rex datus a Trajano. 9. B.
Albanorum principes qui. 781. D.
—— reges inde ab Ascanio recensiti. 278. F. 269. A.
—— vetus sedes in Cœlio monte. 285. E.
Albanus lapis hodie apud Italos Piperinus dictus. 627. B.
Albini qui. 82. C.
—— vel albarii ut diff. a dealbatoribus. 84. C.
Albiona ager in regione Transtiberina, unde dicatur. 378. D.
in Albo decurionum decuriones nominati & creati scribebantur. 50. E.
in Albo quo ordine decurionum nomina scriberentur. 48. B.
Albula nomen Tiberis unde. 241. D.
Album decurionum qualis tabula. 48. B.
Alæ equitum vexillationes nominatæ. 456. A.
Alexander Imp. balnea omnibus regionibus quæ forte non habebant, addidit. 425. F.
Alexandriæ juridicus quis. 56. B.
Alexandrini decurionibus carebant, nec duumviros creabant, sed jus dicentem a Cæsare accipiebant. ibid. C.

Alexandrinis decuriones Severus Imp. constituit. ibid. C.
—— *erat interdicta omnis consultatio publica, sed ab Imp. Severo hoc jus illis redditum*. 4. B.
Alexandrinorum curia quinque Summates quando habere cœperit. 52. D.
Almo ejusque cursus. 521. C. D.
—— *fl. in regione prima*. 350. B.
in *Almone quotannis religionis causa sexto Kal. Apr. simulacrum & carpentum & leones Cybeles & cultri Phrygii a sacerdotibus abluebantur*. 391. D.
Alpes Juliæ devictæ. 6. E.
Alsia fluvius. 447. A.
—— *oppidum*. ibid.
Alsietina aqua. ibid.
—— *aqua etiam Augusti appellata & ratio*. 447. A.
Alsietinus lacus. ibid.
Alta semita per quæ loca produceretur. 223. A.
—— *semita quare sic dicta*. 408. E.
Ambitus ædificiorum quid. 223. B
—— *murorum Urbis descriptus a Procopio*. 327. C.
—— *murorum Urbis prope molem Hadriani qualis fuerit*. 318. F.
—— *murorum Urbis sub Aureliano*. 585. D.
—— *regionis* I. *quot pedum*. 393. F.
—— *regionis* II. *quot pedum*. 397. A.
—— *regionis* III. *quot millia pedum contineat*. 401. A.
—— *regionis* IV. *quot pedum*. 406. C.
—— *regionis* V. *quot pedum millia contineat*. 408. D.
—— *regionis* VI. *quot pedum*. 412. F.
—— *regionis* VII. *quot pedum*. 415. F.
—— *regionis* VIII. 422. B.
—— *regionis* IX. 427. C.
—— *regionis* X. 430. F.
—— *regionis* XI. 433. C.
—— *regionis* XII. 435. E.
—— *regionis* XIII. *quot pedum*. 438. A.
—— *regionis* XIV. 441. D.
—— *Urbis amplior factus a Constantino Magno*. 292. B.
—— *Urbis quot millia passuum nunc complectatur*. 297. D.
—— *totius Urbis Romæ tum Plinii tempore, tum sub Aureliano Imperatore*. 441. D. E.
—— *Urbis tempore Tarquinii Superbi*. 287. F.
—— *Urbis sub Vespasianis Impp. & Censs.* 293. C.
Amnis cœlo gratissimus de Tiberi. 520. E.
Amphitheatra in Campo Martio extra Urbem extrui solita. 762. B.
—— *Romæ duo*. 113. B.
Amphitheatri a Statilio ædificandi quæ causa. 759. A.
—— *Flavii celsitas & amplitudo*. 760. D.
—— *Flaviani inferiores pilæ & arcus extima facie unde jam crebris foraminibus deformati conspiciantur*. 562. A.
—— *saxa a S. P. Q. R. concessa Theodorico Ostrogothorum regi ad instauranda Romanæ Urbis mœnia*. 137. C.
—— *Flaviani structura ac forma tam interior quam exterior descripta*. 761. A.
—— *Titi magna pars adhuc extat ejusque auctor*. 209. A.
Amphitheatro ligneo Fidenis collapso quinquaginta hominum millia vel debilitata vel obtrita fuere. 758. E.
in *Amphitheatro Flaviano medio ara collocata & cui usui*. 761. E.
—— *non solum pugna, sed etiam navalia prælia dabantur*. 762. B.
—— *Titi adeundi loca varia*. 508. A.
—— *Titi area nunc vulgo Harena dicitur*. ibid. B.
—— *Titi sedilium ratio non plane nunc perspicitur*. ibid.
Amphitheatrum a Trajano perfectum demolitus est Hadrianus. 762. B.
—— *Castrense ubi positum*. 759. B.
—— *castrense in reg.* V. *a quo structum*. 358. A.
—— *castrense murorum compagini a Belisario insertum*. 296. D.
—— *Claudii in Campo Martio*. 232. C.
—— *& Theatrum qualia ædificia*. 750. F.
—— *Flavianum pulcrius & amplius amphitheatro Tauri & a quo structum ac dedicatum*. 760. B.
—— *Flavianum quomodo in media Urbe ædificatum dici possit, cum adeo distet a porta Viminali, Esquilina, Nævia; minus a Capitolio*. ibid. C.
—— *Flavianum sæpe vel incendiis vel tempestatibus, aliisve de causis labefactatum & dein instauratum*. ibid. E.
—— *primum in Urbe stabile ac lapideum fuit Statilii Tauri*. 759. A.
—— *qua forma*. 201. A.
—— *quis primus Romæ fecerit*. ibid. B.
—— *Statilii Tauri an arserit Neronianis facibus simul cum monte Palatino*. 760. A.
—— *Statilii Tauri in qua parte Cœlii montis* 200. F.
—— *Statilii Tauri in reg.* IX. 369. E.
—— *Titi ex qua materia, qua altitudine & qua capacitate*. 209. D.
—— *Titi vulgo Colosseum*. 508. A.
—— *Vespasiani*. 354. D.
—— *Vespasiani a quo conditum & dedicatum*. 398. E.
—— *Vespasiani ejusque reliquiæ adhuc extantes ubi*. 759. A.
—— *Vespasiani quot locorum millia ceperit*. 398. E.
—— *Vespasiani unde nunc Colosseum dicatur*. ibid. F.
—— *unum in Urbe, præter illa tria, a Caligula inchoatum, a Claudio postea omissum*. 762. B.
de *Ampliatione & comperendinatione in judiciis*. 16. C.
Ampullæ usus in balneis. 528. D.
Ancilia ab Heliogabalo in templum Dei Heliogabali translata. 160. D.
—— *commovere solitus is qui susciperet curam gerendi belli, sacrarium Martis ingressus*. 811. F.
—— *cum tripudio & solemni cantu Salii ferentes postea unde acceperant, reponebant in sacrario Martis*. ibid. A.
—— *in quo templo Martis reposita*. ibid.
Angaria quid. 77. B.
Angariæ singulæ permissæ legatis provinciarum. 79. B.
Angariarum præbitio personale munus erat. 77. B.
de *Aniene veteri inscriptio*. 378. F.
ex *Aniene duo ductus Romam perducti, Anio novus & Anio vetus*. 258. D.
in *Aniene novo piscina limaria & in quem finem*. 259. A.
Anienis alveus navigabilis factus. 906. E.
—— *novi descriptio*. 258. F.
—— *novi ductus quot passuum*. 836. D.
—— *veteris descriptio ex Frontino*. 258. D.
—— *veteris rectus ductus intra portam Esquilinam in altos rivos per urbem deducebatur*. ibid. F.
Anio novus a quo perductus, & quare ita cognominatus. 207. A.
—— *novus intra urbem cum Claudia confundebatur*. 259. A.
—— *novus limosus & turbulentus ejusque rei causa*. 258. F.
—— *novus Romæ cum aqua Claudia mixtus eam vitiabat*. 836. D.
—— *novus ubi oriretur, & ductus ejus longitudo*. 258. F. 259. A.
—— *parum infra pontem Salariæ viæ in Tiberim se exonerat*. 255. C.
—— *vetus & nominis ratio*. 206. F. 207. A.
—— *vetus per quas regiones Urbis divideretur*. 257. F.
—— *vetus quando in Urbem deductus*. 836. D.
—— *vetus quo afflueret*. 836. E.
—— *vetus ut minus salubris ad sordidiora Urbis ministeria destinatus*. ibid.

Annona pro impensa ad victum unius hominis. 52.A.
—— *quam conferebant exercitui provinciales, quousque ab iis veheretur*. 77.B.
Annulum nullum statua Romuli in Capitolio habebat, ut nec aliæ præter Servii Tulii & Numæ. 147.E.
Anseris, cujus clangore arx ipsa servata fuerat, argenteum simulacrum in Arce. 145.B.
Anserum cibaria censores in primis locabant & quare. ibid. C.
Antiquarium quid. 74.F.
Antiquarius quis & ejus quale officium. ibid.
Antiquitatum studiosi quas domos hodie adire debeant Romæ. 537.D.
Antoninus inter Deos relatus. 168.F.
Antrum Caci in reg. VIII. 421.C.
—— *Cyclopis in Cœlio*. 208.F.
—— *Fauni & Pici, fonsque ex quo bibebant*. 195.E.
Apis cur divinum honorem apud Ægyptios obtinuerit. 397. D.E.
—— *Argivorum rex in Ægyptum transvectus, factus est post mortem Serapis maximus Ægyptiorum Deus*. 397.C.
Appia via Cœlium & Cœliolum ab Aventino disterminabat. 131.C.
Appii rivus. 521 C.
—— *rivus an Almo fl.* 199.F.
—— *rivus & vallis per quam fluebat, Cœlium a Cœliolo dividebat*. 131.C.
—— *rivus hodie dictus pars aquæ Appiæ vel rivus Herculaneus*. 199.F.
—— *rivus quis hodie, per quæ loca fluat & unde oriatur*. ibid.
Ἀποκοπὴ χρεῶν *Græcis quid*. 20.B.
Apodyteria in balneis qualia loca. 198.B.
Apollinis delubrum ad porticum Octaviæ. 178.B.
—— *Palatini templum & simulacrum*. 428.D.
—— *simulacrum eburneum in foro Augusti*. 175.B.
—— *statuam ex Sicilia Romam transvehi Tiberius jussit*. 402.C.
in *Apollinis Palatini templo Senatus sæpe habitus & decuriæ judicum recognitæ ab Augusto jam seniore*. 161.D.
Apollo Cœlispex in reg. XI. 373.E.
—— *& Diana opus Lysiæ in Palatio*. 163.A.
—— *juris peritus Juvenali quare dictus*. 175.C.
—— *Rhamnusius*. 428 B.
—— *Sandaliarius*. 356 D.
—— *Sandaliarius unde appellatus*. 402.C.
—— *Sandaliarius in reg.* IV. *ita dictus ad differentiam alterius Apollinis*. ibid.
—— *Sandialiarius in reg.* IV. *quid fuerit*. ibid.D.
—— *triginta cubitorum in area Capitolina*. 658.C.
—— *Tuscanicus*. 691.F.
Apotheoseos Faustinæ junioris, Marci uxoris, imago in marmore. 819.A.
—— *Titi pompa in arcu ejusdem descripta*. 741.C.
Apotheosis imperatorum decreta cum publicis cerimoniis & solenni sanctione. 740.A.
Apoxyomeni signum ante thermas Agrippæ. 531.A.
Apsis quid. 401.E.
Aqua Algentiana. 839.A.
—— *Alsia, alias Alsietina quæ*. 447.A.
—— *Alsietina ab Hadriano primo Pont. restituta*. 249.B.
—— *Alsietina parum salubris* 248.F.
—— *Alsietina, seu Augusta cui usui, & ubi conciperetur, ejusque ductus quanta longitudo*. 837.E.
Aqua Alexandrina apud Lampridium. 240.E.
—— *Ania quæ & unde sic dicta*. 446.D.
—— *Antoniniana*. 449.D.
—— *Appia a quibus restituta*. 260.A.
—— *Appia a quo deducta, ubi ejus fons conciperetur, & ubi effunderetur*. 448.C.
—— *Appia ad Circum maximum replendum deducebatur & in quem finem*. 187.C.
—— *Appia & ejus descriptio*. 259.C.
—— *Appia post Alsietinam maxime humilis & subterraneo labens rivo*.
—— *Appia quomodo erogata*. 259.E.F.
—— *Augustea quæ & unde dicta*. 448.C.
—— *Aurelia a quo deducta*. 448.F.
—— *Aurelia quæ*. 839.A.
—— *Aureliana quæ recentioribus*. 526.B.
—— *cernens quatuor Scauros sub æde, an, quod rectius, Equa cernens quatuor satyros, in rege* VIII. *quid fuerit*. 421.B.
—— *Ciminia quæ*. 448 F.
—— *Claudia bonitate Marciæ proxima*. 447.A.
—— *Claudia & ejus descriptio*. 447.A.
—— *Claudia ex quibus fontibus ducta*. 206.A.
—— *Claudia extructis arcubus a Nerone perducta in Palatinum*. 836.F.
—— *Claudia in Aventinum perducta*. ibid.D.837.B.
—— *Claudia in deliciis Vitellio & Alexandro Severo*. 527.A.
—— *Claudia in urbe dividebatur in duas partes*. ib.
—— *Claudia intra urbem cum Aniene novo confundebatur, & utriusque quinariæ in quot castella distributæ*, 207.D.
—— *Claudia quo in loco & ad quotum ab urbe lapidem conciperetur*. ibid.B.
—— *Claudia post Anienem secundum tenebat altitudinis locum*. 836.E.
—— *Claudia triplex*. 838.B.
—— *Claudia ubi effunderetur*. 836.E.
—— *Crabra jussu Imperatorum tota exclusa*. 838.B.
—— *Damnata & nominis ratio*. 448.F.
—— *Felix in altitudinem Romanorum collium ad Urbem perducta a Sixto V.* 927.B.
—— *Herculea quæ & nominationis ratio*. 448.A.
—— *Julia*. ibid.B.
—— *Julia derivata in Claudiam*. 214.C.
—— *Julia ejusdem bonitatis ac Marcia*. ibid.
—— *Julia in quas partes Urbis effunderetur*. ibid.
—— *Julia inter ceteras tertio loco altitudinis*. 215.B.
—— *Julia perducta ad Marciam in hujus supplementum, & per quot passus*. 214.C.
—— *Juturnæ in foro, quam valetudinis causa multi bibebant*. 521.A.
—— *Marcia a Nerva restituta, atque in Aventinum usque derivata*. 214.C.
—— *Marcia ab Antonino Pio, dein a Tito Impp. restituta*. 215.A.
—— *Marcia an ab Anco Marcio denominata & deducta*. 835.E.
—— *Marcia a quibus deducta*. 836.A.
—— *Marcia a Quinto Marcio deducta, ab Agrippa instaurata*. 447.F.448.A.
—— *Marcia & ejus descriptio*. 526.C.
—— *Marcia etiam Trajana dicta, & quare*. 836.A.
—— *Marcia haustu præstitit*. 836.B.
—— *Marcia & Tepula in Capitolium perducta ad Jovis templi usum*. 669.A.
—— *Marcia parte sui in rivum Herculaneum per Cœlium se dejiciebat*. 214.D.
—— *Marcia per Fucinum amnem transiit plumbeis fistulis*. 526.D.
—— *Marcia per quas Urbis regiones distributa*. 214. C.
—— *Marcia quo loco conciperetur*. 447.F.
—— *Marcia quondam vocabatur Auseja*. 214.A.
—— *Marcia tota potui serviebat*. 836.B.
—— *Marcia ut tota potui serviret, ordinavit Nerva*. 214.D.
—— *Mariana de rivo Appiæ, & nominis origo*. 521. A.
—— *Mercurii ubi & cui usui*. 261.C.
—— *Mercurii, in qua qui lavabant, perjurio liberari se credebant*. 521.E.
—— *Paula ejusque ductus descriptus*. 930.B.

—— *Petronia in Urbe, quam magistratus auspicato transierunt, cum in Campo agere quid vellent.* 521.E.
—— *Sabatina.* 526.A.
—— *Sabatina ab Hadriano primo Pontif. restituta.* 252.A.
—— *Sabatina unde dicta, ejusque vestigia.* ibid.
—— *Sabatina hodie vocatur* lacus Anguillariæ. ib.
—— *Salonia adjuncta a Pio IV. ductui aquæ Virginis.* 921.D.
—— *Setina quæ.* 448.E.
—— *Septimiana.* 839.A.
—— *Septimiana quæ recentioribus.* 526.B.
—— *Severiana.* 449.D.
—— *Tepula cum Julia exibat in Viminalem, sed paulo inferiore libra.* 835.B.
—— *Tepula cur ita appellata.* 449.C.
—— *Tepula & ejus descriptio.* 449.B.
—— *Tepula Juliæ mixta.* 215.F.
—— *Tepula quando & a quibus in urbem deducta & ubi conciperetur.* ibid.
—— *Tiberina in Urbe vendebatur, amabilis potu & longo tempore pura.* 520.E.
—— *Trajana & ejus repræsentatio in numismatis qualis.* 446.C.D.
—— *Virgo.* 525.E.
—— *Virgo a quo deducta, quæ deducendi causa, fontium, castellorum, lacuum, signorum, columnarum numerus.* 448.E.
—— *Virgo a quibus Pontificibus restituta.* 834.C.
—— *Virgo, Appia, & Alsietina conceptelas, id est, piscinas non habebant.* 202.C.
—— *Virgo ex compluribus acquisitionibus adjuvabatur.* 331.D.
—— *Virgo nunc* Trevia *dicta.* 835.A.
—— *Virgo præstitit olim tactu.* 834.F.
—— *Virgo unde nomen obtinuerit.* 231.C.D.
cum *Aqua Claudia Romæ Anio novus mixtus ejus aquas vitiabat.* 836.D.
de *Aqua Claudia inscriptiones tres.* 447.C.
—— *Marcia inscriptiones duæ.* 379.A.
—— *Trajana inscriptio.* ibid.D.
ex *Aqua Sabatina fons in area D. Petri adhuc manare cernitur.* 252.A.
Aquæ Alsietinæ ejusque ductus vestigia. 249.A.B.
—— *Alsietinæ quinariarum quot millia, earumque erogatio.* ibid.
—— *Appiæ ductus qua longitudine a capite usque ad Salinas.* 259 D.
—— *Claudiæ auctor & fontes.* 836.C.D.
—— *Claudiæ bonitas.* 207.A.
—— *Claudiæ ductus a Cajo inchoatus, a Claudio perfectus.* ibid.
Claudiæ ductus ad urbem perveniens portæ objicitur Neviæ. ibid.E.
—— *Claudiæ ductus qua longitudine.* ibid.D.
—— *Claudiæ excelsitas & impensæ in ejus ductum factæ.* ibid.B.
—— *Claudiæ ruinæ & canalium latitudo.* 527.A.B.
in *Aquæ Claudiæ subterraneæ ductu novæ lapidum fodinæ repertæ.* 831.C.
—— *deducendæ quale jus.* 203.D.
—— *deducendæ jus neque ad emtorem, neque ad heredem transibat, aut ullum novum dominum prædiorum sequebatur.* ibid.F.
Aquæductibus nihil mirabilius in toto orbe terrarum. 206.E.
Aquæductus a Theodorico refecti. 839.C.D.
—— *cum reficerentur, redemptoribus licebat omnia ex privatorum agris tollere, quibus ad eam rem opus esset.* 205.F.
—— *vetus arcuatus sub Collegii Romani solo repertus ejusdemque structura qualis.* 831.E.
—— *etiam flumina trajiciebant.* 835.D.
—— *non sunt a Gothis demoliti.* 206.B.
—— *quæ commoda civibus præbuerint.* 201.F.
—— *quidam duplices & qua de causa id factum.* 206.C.
—— *quot Romæ eorumque nomina.* 838.A.B.
Aquæductuum aliquot formæ murorum compagini a Belisario insertæ. 296.E.
—— *conservandorum difficultas.* 831.A.
—— *curatores quos senatus eligebat, eorumque officium.* 205.B.
—— *custodes, curatores, magistratus.* ibid.A.
—— *& amnium perpetuorum Romæ utilitas.* 525.A.
—— *ingentia vestigia tum intra Urbem, tum extra mœnia.* 830.F.
—— *latitudo ac profunditas.* 839.B.
—— *longitudo, laxitas & substructio qualis.* 830.F.
—— *magnitudo.* 830.D.
—— *multiplicia nomina non semper aquas & fontes multiplicant.* 525.B.
—— *numerus.* ibid.E.
—— *numerus eorum admirabilitatem augebat.* 830.F.
—— *partes quæ ruinæ magis, quæ minus obnoxiæ.* 206.A.
—— *prima origo in Urbe.* 201.D.
—— *quinque altitudines.* 202.B.
—— *tutela penes quos.* 831.B.
Aquæ Juliæ ductus per quæ loca progrediatur. 215.C.
—— *Juliæ ductus post Claudiæ ductum ceteris major.* ibid.
—— *Juliæ ductus qua longitudine, & quo opere factus.* ibid.D.E.
—— *Juliæ modus in quinariis.* ibid.F.
præter *Aquæ Juliæ caput transfluebat aqua nomine Crabra.* 215.E.
Aquæ libratores qui. 83.B.
—— *Marciæ castella quot numero.* 214.D.
